EX OPERIBUS EJUSDEM AUCTORIS

I. Histoire du canon de l'Ancien Testament dans l'Église grecque et l'Église russe, Paris, G. Beauchesne, 1909, in-16 de 140 p.

II. Nestorius et la controverse nestorienne (fait partie de la *Bibliothèque de théologie historique* publiée sous la direction des professeurs de théologie de l'Institut catholique de Paris), Paris, G. Beauchesne, 1912, in-8° de 326 p.

III. La prière pour l'unité chrétienne : *Motifs spéciaux de prier pour le retour des chrétiens dissidents d'Orient à l'unité catholique*, Paris, Bonne Presse, 1920, in-12 de ix-356 p.

IV. Joseph de Maistre et l'Église gréco-russe, Paris, Bonne Presse, 1922, in-12 de xviii-198 p.

V. Homélies mariales byzantines. Textes grecs édités et traduits en latin dans la *Patrologia orientalis* de R. Graffin-F. Nau, Paris Firmin-Didot, fasc. i, 1922 (t. xvi de la *Patrologia orientalis*) 330 col.; fasc. ii, 1925 (t. xix de la *Patrologia orientalis*), 480 col.

VI. Theologia dogmatica christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium : t. i, *Theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum origo, historia, fontes*, Paris, Letouzey et Ané, 1926, in-8°, 726 p.; t. iii, *Theologiæ græco-russicæ expositio de sacramentis*, Paris, 1930, in-8°, 510 p.; t. iv, *Theologiæ græco-russicæ de novissimis. De Ecclesia*, in-8°, 666 p., Paris, 1931.

VII. Œuvres complètes de Georges Scholarios, par Mgr L. Petit, X. A. Sidéridès, M. Jugie : t. i, *Œuvres oratoires. Traités théologiques sur la Providence et sur l'âme*, Paris, Bonne Presse, 1928, grand in-8°, lxiv-550 p.; t. ii, *Traités sur la procession du Saint-Esprit*, Paris, Bonne Presse, 1929, grand in-8°, xxx-516 p.; t. iii, *Œuvres polémiques. Questions théologiques. Écrits apologétiques*, Paris, 1930, lii-547 p.; t. v, *Résumé de la Somme contre les Gentils et de la première partie de la Somme théologique de saint Thomas d'Aquin*, Paris, 1931, ix-512 p.; t. vi, *Résumé de la Iª-IIæ de la Somme théologique de saint Thomas d'Aquin. Traduction et commentaire du « De ente et essentia » du même. Traduction du commentaire du « De anima » d'Aristote, du même* (sous presse).

THEOLOGIA DOGMATICA

CHRISTIANORUM ORIENTALIUM

AB ECCLESIA CATHOLICA DISSIDENTIUM

Auctore Martino JUGIE A. A.

in athenæo seminarii romani professore

TOMUS II

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ GRÆCO-RUSSORUM EXPOSITIO

DE THEOLOGIA SIMPLICI — DE ŒCONOMIA

БИБЛИОТЕКА ПРАВОСЛАВНОГО СВЯТО-ТИХОНОВСКОГО
ГУМАНИТАРНОГО УНИВЕРСИТЕТА
№ 184-8-05
МОСКВА

PARISIIS

SUMPTIBUS LETOUZEY ET ANÉ, EDITORUM

87, Boulevard Raspail, 87

Omnia jura vindicabuntur

1933

NIHIL OBSTAT

Attenta relatione a censore deputato Nobis facta, t. II operis P. Martini Jugie, cui titulus : « Theologia dogmatica christianorum orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium : Theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum expositio : De theologia simplici — De œconomia » *editionem permittimus.*

Romæ, die 19 julii 1932.

G. QUÉNARD
Augustin. ab Assumptione moderator generalis.

IMPRIMATUR
Lutetiæ Parisiorum,
die XIVª februarii, anno MCMXXXIII.
G. COURT, *v. g.*

INTRODUCTIO IN EXPOSITIONEM

THEOLOGIÆ SPECIALIS

GRÆCO-RUSSORUM

Postquam in tomo primo hujus operis de origine, historia et fontibus theologiæ dogmaticæ Græco-Russorum, id est de illis quæstionibus quæ theologiæ fundamentalis loco haberi possunt, pro viribus tractavimus, theologiæ specialis expositionem nunc aggredimur secundum rationem in introductione tomo primo præfixa delineatam. Aliquam tamen in operis partitione prius intenta mutationem fore lectorem extemplo monemus. Cum enim aliqui nos rogaverint, ut non solum de capitibus inter Græco-Russos et catholicam Ecclesiam per temporum decursum controversis speciálem rationem haberemus, verum et de quacumque alia quæstione ad sacram doctrinam spectante theologos dissidentes interrogaremus, ubi sane aliquid novi, vel quod respectum mereatur, protulerint, operis limites ita dilatare necesse fuit, ut non unum tantum sed tria volumina integra theologiæ græco-russicæ expositioni dicarentur; quorum materiam antequam per singula declaremus, quædam per introductionis modum præmittere utile ducimus : 1º De variis viis, quibus tum apud antiquos Byzantinos, tum apud Græco-Russos modernos doctrina fidei tradita est; 2º De usu philosophiæ in theologia Græco-Russorum; 3º De parum florente statu theologiæ dogmaticæ apud Græco-Russos; 4º De variationibus theologiæ græco-russicæ; 5º De divisione theologiæ specialis juxta recentiores compendiorum classicorum auctores, tum Russos, tum Græcos.

I. — De multiplici via in tradenda fidei doctrina apud Byzantinos et modernos Græco-Russos usurpata.

Inde jam ab octavo sæculo mediante, Byzantini Latinos eo præstiterunt, quod aliquam theologiæ dogmaticæ summam habuerunt, illam scilicet, quam sanctus Joannes Damascenus ex Patrum græcorum scriptis via et ratione concinnavit. Hujus summæ influxus in posteros theologos orientales magnus quidem fuit, nequaquam tamen illi similis, quem *Libri Sententiarum* Petri Lombardi necnon *Summa theologica* sancti Thomæ Aquinatis apud Occidentales obtinuerunt; siquidem Damascenus multos lectores vel exscriptores, imitatores vero vel commentatores nullos invenit. Unde ne unum quidem totius theologiæ compendium a byzantino auctore conscriptum novimus, quod *Expositioni fidei orthodoxæ* jure comparari vel æquiparari possit. Habemus quidem illa ampla collectanea polemica, quæ Πανοπλία δογματική et Θησαυρὸς ὀρθοδοξίας audiunt, Euthymio Zigabeno et Niceta Acominato auctoribus; notum vero est ea nihil aliud esse, si pauca tantum excipias, nisi longam locorum patristicorum, cæterum consulte delectorum, seriem ad antiquas vel etiam novas hæreses refellendas. Sæculo XIV, Joannes Cyparissiota, qui saltem sub vitæ finem Ecclesiæ catholicæ adhæsit [1], quamdam sacræ doctrinæ expositionem logico ordine digestam tentavit, quæ inscribitur : Ἔκθεσις στοιχειώδης ῥήσεων θεολογικῶν, seu *Expositio elementaria effatorum theologicorum*, et in decem decades distribuitur [2]; verum nonnisi theologiæ dogmaticæ primam partem, tractatum videlicet de Deo uno et trino, complectitur, nec respectu polemico vacat adversus Palamitas.

Byzantini tamen doctis sacræ theologiæ magistris haud caruerunt. Multo enim ante schisma photianum, Constantinopoli exstitit quædam universitas ecclesiastica, οἰκουμενικὸν διδασκαλεῖον nuncupata, in qua professores numero duo-

1. Cf. A. Mercati, *Giovanni Ciparissiota alla corte di Gregorio XI (novembre 1376 — dicembre 1377)*, in commentario *Byzantinische Zeitschrift*, t. XXX, p. 496-501.

2. Hujus operis versionem latinam a F. Turriano confectam habes in *P. G.*, t. CLII, col. 737-992.

decim sacras simul et profanas disciplinas edocebant. Hujus collegii rector ac caput modo ὁ οἰκουμενικὸς διδάσκαλος, modo ὁ μέγας διδάσκαλος pro temporum varietate audivit. A Leone III Isaurico primum clausa, universitas œcumenica sæculo IX restituta est et ad adventum usque Latinorum crucigerorum perduravit. Sub Palæologis iterum revixit sæculisque XIII et XIV illustrium magistrorum doctrina refulsit. Ad sacram theologiam quod attinet, scimus plures cathedras ejus traditioni fuisse dicatas. Rector Evangelia plerumque interpretabatur; alius magister Psalterium commentabatur, alius τὸν Ἀπόστολον, id est Pauli epistolas. Erat item cathedra exegesis operum Patrum, ex quibus tum Dionysii Areopagitæ scripta, tum Gregorii Theologi dogmaticæ orationes frequentius explanabantur [1]. Ex his patet Byzantinos theologiam quam vocant positivam præsertim excoluisse [2]. Excursus tamen in theologiæ speculativæ campum haud raro fiebant, quando scilicet professores ad quæstiones responsa dabant; illos enim de quacumque difficultate interrogare mos erat; quod bene notavit Anselmus Havelbergensis in prologo suis *Dialogis* præmisso his verbis :

« Fuit autem idem archiepiscopus Nechites (= Nicetas Nicomediensis) præcipuus inter duodecim didascalos qui, juxta morem sapientum Græcorum, et liberalium artium et divinarum Scripturarum studia regunt et cæteris sapientibus tanquam omnibus præeminentes in doctrina præsunt, et ad quos omnes quæstiones difficillimæ referuntur, et ab eis solutæ

1. Orationum Gregorii Theologi commentarii haud pauci in codicibus manuscriptis adhuc latent; quos se proxime edituram promisit *Societas litterarum Posnaniensis* in collectaneis inscriptis : *Analecta byzantina*.

2. Eadem methodus, ad interpretationem sacræ Scripturæ quod attinet, in Facultatibus theologicis Occidentis diu servata est : « Cette méthode resta longtemps en vigueur dans les universités médiévales et jusqu'à la Renaissance : le thème ordinaire des leçons des maîtres en théologie était un livre de l'Ancien ou du Nouveau Testament, dont ils faisaient une étude doctrinale approfondie, et l'on considérait comme une simple introduction les études préalables, même systématiques, dont la théologie était alors l'objet. » F. Cayré, *Précis de patrologie*, t. II, Paris, 1930, p. 350. Cf. Denifle, *Revue thomiste*, 1894, p. 149-161.

deinceps sine retractatione et pro confirmata sententia tenentur et scribuntur [1]. »

Hæc via sacram doctrinam tradendi per responsiones ad quæsita, quæ etiam inter nostros Scholasticos mediævos maxime floruit, Byzantinis præ aliis semper arrisit; unde in hac litteraturæ theologicæ specie, cujus monumenta copiosa sunt, multa vero nondum edita, theologia dogmatica hujus periodi potissimum quærenda est. Illa usi sunt non solum publici magistri, verum etiam privati doctores; nec alicujus nominis theologum invenies qui sua *Quodlibeta* non habeat [2]. Cæterum hujusmodi responsiones speciem tractatuum non parvæ molis aliquando præ se ferunt. Hac forma item haud raro vestiuntur tractatus polemici de azymis, de processione Spiritus Sancti, etc.

Ut in tomo primo fuse statuimus, Græco-Russorum theologia per modernum ævum ex theologia catholica, vel protestantica, continenter pependit non solum quantum ad methodum, verum etiam quoad fontes et doctrinam ipsam. Inde a sæculo XVI, præsertim vero a sæculo XVII, Græco-Russi, Catholicorum instar, catechismos et compendia theologica conscribunt, in quibus tum græci Patres, quos solos usque ad sæculum XIV Byzantini noverant, tum latini doctores, recentioribus non exclusis, promiscue citantur atque laudantur. Cæterum per multum tempus scholæ superiores, Universitates dico vel Academias, in Oriente defuerunt.

1. *Dialogi, Prologus, P. L.*, t. CXXXVIII, col. 1141. Cf. col. 1162 D. De universitatibus constantinopolitanis per Medium Ævum eruditissime disserit F. Fuchs in opusculo inscripto : *Die höheren Schulen von Konstantinopel im Mittelalter*, Lipsiæ, 1926, in commentario : *Byzantinischer Archiv*, fasc. VIII. Præter universitatem ecclesiasticam, Byzantii exstabat universitas civilis, in qua, sub nomine philosophiæ, una cum philosophia proprie dicta fidei doctrina tradebatur. Sicut τὸ οἰκουμενικὸν διδασκαλεῖον τὴν ἔξω σοφίαν etiam edocebat, ita universitas laicalis sacras disciplinas minime ignorabat.

2. Bene notæ sunt *Quæstiones ad Amphilochium* Photii, *Capita theologica in difficultates sacræ Scripturæ* Michaelis Glycæ, Symeonis Thessalonicensis *Responsa ad Gabrielem Pentapolitanum*. Multa opuscula theologica Georgii Scholarii in tomis I et III ejus operum nuper edidimus. In præsenti volumine quædam responsa theologica Marci Ephesii et aliorum, quæ lucem nondum aspexerunt, memorabimus.

Schola Kioviensis a Petro Moghila fundata suam facultatem theologicam non habuit ante annum 1689. Apud Græcos vero nullum exstitit institutum sacris disciplinis dicatum quod mentionem mereatur.

Ab ipsis suis incunabulis usque ad sæculi XVIII dimidium, Academia Kioviensis scholasticæ latinæ influxui omnino patuit. Inde ab anno 1703, cursus theologicus per quatuor integros annos extendebatur. Professores suas lectiones latine componebant ac tradebant, theologorum polonorum vestigia prementes atque ex eorum compendiis haud pauca excerpentes. Unde tota fere doctrina, si quæstiones excipias de processione Spiritus Sancti, de primatu romani Pontificis necnon de immaculato conceptu beatæ Mariæ virginis — Kiovienses quippe hujus temporis conceptum immaculatum pro inconcusso fidei dogmate habebant, ut fuse infra videbimus — ad mentem erat sancti Thomæ, cujus *Summa theologica* apud omnes maxima gaudebat auctoritate. Illius divisioni ac rationi scholasticæ magistri inhærebant; qui tamen alios theologos latinos recentioris ævi minime ignorabant, quasdamque quæstiones subtiliores vel etiam futiles a coryphæis scholasticæ posterioris jam labentis mutuabantur [1].

Ab hac via primum recessit, ut alibi diximus [2], Theophanes Procopovitch, qui in Academia Kioviensi ab anno 1712 ad annum 1716 theologiam edocuit primusque dogma-

1. De cursu theologico in Academia Kioviensi usque ad annum 1750 vide opus D. Vichnevskii, *Kievskaia Akademia v pervoi polovinie XVIII stolietia (De Academia Kioviensi in primo dimidio sæculi XVIII)*, Kioviæ, 1903, p. 208-264, præsertim p. 212-233. In solvenda quæstione : *Utrum Christus fuerit liber in moriendo?* professor Christophorus Sciarnutskii exponit ac discutit sententias : 1° Thomistarum; 2° Gregorii de Valentia; 3° Amici et Arriagæ, etc.; 4° Ludovici Molinæ; 5° Hurtadii; 6° F. Suarezii; 7° de Lugo; 8° Martinezii; 9° Bartholomæi Decaregna; 10° Mlodzianovskii. Item Hilarion Levitzkii, de quæstione : *In quonam consistat essentia Dei metaphysica?* solutiones refert Alberti Magni, Toleti, Antonii Perez, Pallavicini, Mlodzianovskii, etc. Nullus exstat alicujus notæ theologus latinus qui in lectionibus Kioviensium non pareat. Si tractatus a Theophane Procopovitch compositos excipias, omnes lectiones professorum hujus periodi manuscriptæ remanserunt; de quibus quædam affert Vichnevskii.

2. Cf. t. I, p. 587-592.

ticam a morali sejunxit. Scholasticæ catholicæ valedicens, protestanticam amplexus est. Ejus tamen in cathedra Kioviensi successores nonnisi in secundo dimidio sæculi XVIII illius vestigia secuti sunt, linguæ latinæ usum in docendo semper retinentes. Usus hujusmodi in Academiis et seminariis russicis perduravit usque ad reformationem Protasovi, synodi procuratoris (1838-1840), quanquam, jam ab anno 1819, professores linguam russicam una cum latina usurpare inceperant [1].

Annis 1808-1814, nova ratio studiorum in Academias et seminaria Russiæ introducta est, spiritu protestantico ex *Theologia christiana* Theophanis derivato adhuc imbuta. Cursus sacræ Scripturæ primas obtinebat, cui quatuor integri anni dicabantur, duo pro Veteri Testamento, duo pro Novo. Exstabat cursus specialis theologiæ hermeneuticæ, pro quo commendabantur Rambachii *Institutiones hermeneuticæ sacræ.* Ad theologiam dogmaticam quod attinet, auctores probati erant Theophanes Procopovitch, archimandrita Macarius, Theophylactus Gorskii (= *Orthodoxa doctrina de credendis*), Sylvester Lebedinskii (= *Compendium theologiæ classicum*), Irenæus Falkovskii (= *Compendium theologiæ dogmaticæ polemicæ*). Pro theologia morali indicabantur Buddæi *Institutiones theologiæ moralis* et *Orthodoxa doctrina de agendis* Theophylacti Gorskii; pro polemica vero *ex parte tantum* commendabantur Schuberti *Institutiones theologiæ polemicæ* [2]. Nullum tamen ex compendiis enumeratis ut sufficiens ac prorsus laudandum habebatur; unde professores ad nova enchiridia pro unaquaque sectione sacræ doctrinæ elaboranda incitabantur.

Votum hujusmodi impletum non est ante reformationem Protasovi, qui theologiam russicam e protestantismi jugo ex parte liberavit novaque statuta seminariis et Academiis dedit. Hujus reformationis indolem in tomo primo fuse descripsimus [3]; cui nihil essentiale detraxerunt, saltem quod

1. Cf. B.V. Titlinov, *Dukhovnaia Chkola v Rossii v XIX stolietii (Schola ecclesiastica apud Russos sæculo XIX), pars* I, Vilnæ, 1908, p. 140-142.
2. *Ibid.*, p. 124 sq.
3. Cf. t. I, p. 605-611. Titlinov, *op. cit.*, Vilnæ, 1909, p. II, qui de ratione studiorum a Protasovo introductam fuse agit eamque districte

attinet ad theologiam dogmaticam, novæ mutationes in studiorum rationem invectæ annis 1869 et 1884. Ab illo tempore, theologia dogmatica Russorum, quantum quidem ad doctrinam et sententias, ad theologiæ catholicæ normam propius accedit quam ad theses lutheranas vel calvinianas; quantum vero ad methodum, ab scholastica occidentali abhorret estque imprimis positiva, ita ut in recentiori compendio Sylvestri Malevanskii, quinque voluminibus constanti, historiæ dogmatum speciem magis præ se ferat quam systematicæ expositionis christianæ doctrinæ.

De recenti sorte theologiæ dogmaticæ apud Græcos nihil est dicendum, quamvis universitas Atheniensis, inde ab anno 1837, suam Facultatem theologicam habuerit. Nullum enim opus completum ac sufficienter explicatum in lucem prodivit, solumque habemus Chresti Andrutsi compendium uno volumine, et quidem modi ac ponderis exigui, constans.

II. — De usu philosophiæ in theologia Græco-Russorum.

Elementum philosophicum in compendiis theologiæ dogmaticæ apud Græco-Russos coævos usitatis fere nullum est nec progreditur ultra notiones generales sensus communis. In introductionibus, quas sacræ doctrinæ expositioni præmittere solent, plerique horum compendiorum auctores recte quidem loquuntur de usu philosophiæ in theologia, de necessaria inter fidem et rationem concordia, de mutuo præsidio quod sibi invicem præstant theologia et philosophia. Haud pauci item, nostrorum instar, philosophiam theologiæ ancillari debere expresse docent [1]. Verum, in praxi,

carpit. De reformatione scholarum anno 1884 facta, cf. opus inscriptum : *Obzor dieiatelnosti viedomtsva pravoslavnago ispoviedaniia za vremia tsarstvovaniia imperatora Alexandra III*, Petropoli, 1901, p. 474-604.

1. Cf. N. Malinovskii, *Pravoslavnoe dogmaticeskoe bogoslovie*, t. I, Kharkoviæ, 1895, p. 35-36; Sylvestrum Malevanskii, *Opyt pravoslavnago dogmaticeskago bogosloviia s istoriceskom izlogeniem dogmatov (Tentamen theologiæ dogmaticæ orthodoxæ cum historica dogmatum expositione)*, t. I, Kioviæ, 1898, p. 38; Macarium Bulgakov, *Pravoslavno-dogmaticeskoe bogoslovie*, t. I, Petropoli, 1883, ed. 4, p. 33-34, etc.

dum veritates fidei exponunt vel explicare tentant, a philosophia parum aut nihil mutuantur ab omnique loquendi modo specifice philosophico vel aliquod systema in particulari arguente sedulo abstinent; de quo gloriantur, dum Ecclesiæ catholicæ crimini vertunt quod huic vel illi systemati philosophico brevi perituro et oblivioni dando fidei depositum mancipaverit [1].

Multi item in theologiam scholasticam tela conjiciunt; quam non ex ejus merito vel commodis pro fidei dogmatibus scientifice exponendis, aliquatenus elucidandis vel contra infidelium impugnationes vindicandis, sed ex ejus defectibus vel abusibus definire consueverunt, theologos protestantes in hoc imitantes.

« Essentia Scholasticæ, ait episcopus Sylvester Malevanskii, in eo consistit ut placitis philosophicis argutiisque dialecticis abutatur in dogmatibus pertractandis. Veritates, quæ per divinam revelationem nobis innotescunt, conatur ipsa in metaphysicas abstractiones convertere... Aristotelica principia in provincia dogmaticæ christianæ sibi primas usurparunt. Veritates fidei per ea imminutæ sunt, ad gradum naturalium veritatum dejectæ, non secus atque humanarum scientiarum placita discussæ ac pertractatæ; unde lucem divinam quodam modo amiserunt, et pro eo ut clariores fierent, crassiores nebulas exhalarunt. Theologiam fere totam scholastici ad verbosas contentiones atque altercationes, ad cavillationes leves ac nugatorias, ad curiosas subtilitates redegerunt. Exinde factum est ut, scientia fidei christianæ tot inutilium quæstiuncularum pondere oppressa ac depravata, pietatis spiritus in fidelium animis paullatim exstingueretur ac lata sterneretur via pseudo-reformationi religiosæ, quæ per lutheranam hæresim romanam Ecclesiam depopulata est [2]. »

1. Ita P. Tikhomirov, *Pravoslavnaiia dogmatika i religiozno-philosophkoe umozrienie (Dogmatica orthodoxa et religioso-philosophica speculatio)*, Karkhoviæ, 1899, p. 30.

2. *Op. cit.*, t. I, p. 127-129. Cf. A. Palmieri, *Theologia dogmatica orthodoxa ad lumen catholicæ doctrinæ examinata ac discussa*, t. I, Florentiæ, 1911, p. 187-188, a quo hujus loci ad sensum versionem mutuamur.

Si Malinovskio credas, finis ultimus theologiæ scholasticæ est fidem ad cognitionis naturalis gradum deprimere ac divina dogmata humano intellectui pervia reddere. Theologi scholastici antiquorum hæreticorum vestigia premunt, quos Ecclesiæ Patres tam vehementer redarguunt, eo quod ad suos errores tuendos dialecticis cavillationibus abutantur. Eorum privatæ opiniones, quæ in scholis disceptationum effrenæ libidini ansam præbebant, ad dignitatem dogmatum elatæ sunt, v. g., sententiæ de purgatorio et indulgentiis [1].

Quidam scandalum sumunt ex multitudine opinionum dissonarum inter scholasticos theologos vigente, in qua periculum pro fidei unitate detegere volunt, haud advertentes nostrorum theologorum varias opiniones non circa dogmatum essentialia versari, ut sæpe accidit inter theologos græco-russos, sed circa accidentalia vel diversos modos explicandi unam eamdemque veritatem revelatam, quæ ab omnibus admittitur ac pie creditur :

« Apud latinos theologos, ait Eugenius Bulgaris, non datur unitas fidei. Veritas una est, nec ibi occurrit dissonantia, ubi invenitur illuminatio ac inspiratio Spiritus Sancti. E contra, theologi ac magistri latini in multis inter se discrepant ac decertant; apud ipsos, quot capita, tot sensus; quot religiosi ordines, tot systemata : Thomistæ, Scotistæ, Indifferentes (= Ἀδιάφοροι), Jesuitæ; hi omnes quoties in invicem τὸ *ergo* (= τὸ ἄρα) obstinate proferunt, toties digni essent, ut in eos proferretur maledictio (= ἡ ἀρά). Mendacium enim multimodum est ac sibi minime constans. Nostros theologos illis linguis igneis similes vides diei Pentecostes, quæ in unius ejusdemque fidei prædicationem omnino conspirabant; Latinorum vero theologi in memoriam revocant linguas ædificantium turrim Babelicam, ubi una petram, alia aquam clamabat. In hoc tantum inter se concordant egregii theologi illi, ut scilicet linguas suas contra nos acuant [2]. »

Hæc quidem theologi græco-russi recentiores, illi nempe

1. *Op. cit.*, t. I, p. 68-69.

2. Στηλιτευτικὴ ἐπιστολὴ κατὰ Λατίνων, in sylloge Tantalidis : Παπιστικοὶ ἔλεγχοι, t. II, Constantinopoli, 1850, p. 281 : « Ὅσαι κεφαλαὶ παρ'αὐτοῖς, τόσαι γνῶμαι· ὅσα τάγματα, τόσα συστήματα· Θωμίσται, Σκοτίσται, Ἀδίαφοροι, Ἰησουῆται, καὶ τόσαις φοραῖς κατ' ἀλλήλων

qui inde a sæculo XVIII ad finem vergente ad nostra tempora vixerunt. Si vero illos interrogaveris qui ante ipsos fuere, eos præsertim qui sæculis XVI, XVII et XVIII incipiente floruerunt, haud paucos invenies qui theologiæ scholasticæ laudes texuerunt, illam prædicantes non quidem necessariam, sed Ecclesiæ valde utilem, præsertim ad fidei doctrinam dilucide exponendam necnon ad retundendos hæreticorum ac infidelium impetus; qui etiam in suis scriptis theologicis methodo scholastica ac dialectica usi sunt, multasque quæstiones a scholasticis latinis agitatas ipsi pertractarunt. Scholasticam, v. g., excoluerunt verique nominis scholastici fuere magistri illi Scholæ Kioviensis, de quibus supra loquebamur, qui totam Russiam meridionalem moxque ipsam Moscoviam disciplinis theologicis illustrarunt. Neque inter Græcos defuere scholastici, inter quos memorare licet Nicolaum Kursulam [1], Vincentium Damodum [2] et ipsum Eugenium Bulgarim, qui

φιλονεικοῦντες προφέρουσιν ἀνενδότως τὸ ἄρα, ὅσαις φοραῖς ἦτον ἄξιοι νὰ προφέρει τις ἐναντίον τους τὴν ἀράν.... Τοὺς θεολόγους ἡμῶν τοὺς βλέπεις ὡσὰν τὰς γλώσσας ἐκείνας τὰς πυρίνας τῆς Πεντεκοστῆς, ὁποῦ ὅλαι συμπνέουσιν εἰς τὸ κήρυγμα μιᾶς καὶ τῆς αὐτῆς πίστεως· τοὺς θεολόγους τῶν Λατίνων ὡσὰν τὰς γλώσσας τῶν ἀνθρώπων τοῦ πύργου τοῦ βαβυλωνικοῦ, ὅπου ἡ μία ἐφώναζε πέτραν, καὶ ἡ ἄλλη νερόν· εἰς ἕνα μόνον συμφωνοῦσιν οἱ γενναῖοι οὗτοι τῶν Λατίνων διδάσκαλοι, εἰς τὸ νὰ κινοῦν τὰς γλώσσας των ἐναντίον μας. » His verbis palam ostendit Bulgaris se ignorare historiam theologiæ græco-russicæ, ex qua luce clarius patet theologos græco-russos minime inter se consentire de multis ac gravissimis quæstionibus, iis non exceptis quæ inter Græcos et Latinos jampridem controvertuntur.

1. Cf. ejus opus inscriptum : Σύνοψις τῆς ἱερᾶς θεολογίας, 2 vol., Zacynthi, 1862. « Defectuum Scholasticæ, scribit ille, apologiam non teximus, sed scholasticam methodum in theologia tanquam utilissimam ad fidelium rectam institutionem confitemur. Quanquam enim scholastici superfluas ac inutiles quandoque movent quæstiones, attamen plurima docent utilitatis plena; quo fit ut potius laudes quam criminationes ob quosdam defectus mereant : κἂν ἐνίοτε περιττὰς καὶ ἀχρείας κινοῦσι ζητήσεις, ἀλλ'οὖν καὶ πλεῖστα διδάσκουσιν ὠφελείας πλήρη, δι'ὧν ἐπαινεῖσθαι δεῖ μᾶλλον ἢ κατηγορεῖσθαι διά τινα ὑστερήματα. » T. I, p. 8.

2. Vincentius Damodus cursum theologicum quinque voluminibus constantem secundum viam ac rationem scholasticorum conscripsit; qui nondum editus est. Capitum inscriptiones invenies in introductione in τὸ Θεολογικὸν Eugenii Bulgaris, p. να'-οδ'. Titulus hic est : Θεολογία δογματικὴ εἰς τὴν ἁπλῆν διάλεκτον.

scholasticorum more quæstiones exponit ac solvit multaque a Latinis mutuatur in suo Θεολογικῷ, quidquid alibi de Scholastica effutiat [1].

Quid de usu philosophiæ in theologia senserint veteres Byzantini, non uno testimonio comprobatum habemus. Primum quidem, sæculo scilicet XI et sæculi XII initio, certa deprehendimus tentamina elucidandi fidei dogmata philosophiæ profanæ ope. Hujus scholastici motus duces fuere præclari philosophi Michael Psellus et Joannes Italus, quorum doctrinæ adhæserunt Nilus monachus, Eustratius Nicænus aliique sæculi XII ineuntis theologi. Cum autem Joannes Italus et quidam ex ejus discipulis in errores theologicos incidissent, Alexius Comnenus imperator, patriarchis œcumenicis approbantibus, hujusmodi motum in ipsis incunabulis compescuit atque exstinxit [2]. Exinde theologis byzan-

1. Cf. Θεολογικόν, Venetiis, 1872, p. 19 : « Τρία προστίθησιν ἡ σχολαστικὴ θεολογία τῇ θετικῇ πολὺ φέροντα τὸ ἀνύσιμον· α'. μὲν φράσεως ἁπλότητα ἀπέριττον καὶ συνεσφιγμένην, ὑφ'ἧς τὰ ζητούμενα ῥᾷον κατανοεῖται καὶ τὰ διαπορούμενα ἀκριβέστερον ἐπιλύεται, καὶ τὰ σοφιστευόμενα λαμπρότερον ἀνακαλύπτεται· β'. μεθόδῳ κέχρηται ὡρισμένῃ, ἕκαστα ἐπί τινα κεφάλαια ἀνάγουσα καὶ συνημμένα συμπεριλαμβάνουσα καὶ τὰ διακκρινόμενα συνιστῶσα· γ'. σύμμαχον ἐν πολλοῖς μεταπέμπεται τὴν διαλετικὴν καὶ τὴν φιλοσοφίαν αὐτὴν εἰς ἐπιστηριγμὸν πίστεως, ἃς κατὰ τῶν γλωσσαλγούντων αἱρετικῶν οὐ πάντη ἀχρήστους εἶναι οἱ θεῖοι πατέρες ἡμᾶς ἐκδιδάσκουσιν. » Eadem verba repetit Athanasius Pariensis, E. Bulgaris discipulus, in 'Επιτόμη τῶν θείων δογμάτων, Lipsiæ, 1806, p. 10. Cf. Antonium Moschopulum, 'Επιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας, Cephaloniæ, 1851, p. 6.

2. De hoc scholastico motu apud Byzantinos vide Theodorum Uspenskii : *De motu philosophico et theologico apud Byzantinos sæculis XI et XII* (russice), in *Journal du Ministère de l'Instruction publique*, t. CCLXXVII (1891), p. 102-159, 284-324; iterum editum in opere : *Ocerki po istorii vizantiiskoi obrazovannosti*, Petropoli, 1892, p. 146-245 *(Conspectus historiæ culturæ byzantinæ)*; ejusdem opusculum : *Synodik v nedieliu pravoslaviia (Synodicum Dominicæ Orthodoxiæ)*, Odessæ, 1893; in appendice afferuntur quædam specimina inedita solutionum philosophico-theologicarum de quæstionibus ad fidem pertinentibus a Michaele Psello et a Joanne Italo proposita. Joannes Italus, v. g., expresse docet sententiam de corporum identitate in resurrectione, quam novissime L. Billot paucique alii propugnarunt, juxta quam ad corporum identitatem satis sit, ut eadem anima cuicumque materiæ portioni per modum formæ substantialis uniatur, cum identitas ex sola forma proveniat : « 'Επεὶ δέ,, ait Italus, τὸ εἶδός ἐστι τὸ αὐτὸ καὶ ἔσται,

tinis vix licuit philosophorum placita fidei dogmatibus aptare, conclusiones theologicas ex ipsis veritatibus revelatis dialecticæ ope educere, vel novas quæstiones ad theologiam spectantes movere. Ea tantum ratione eoque gradu ad elucidandum depositum revelatum philosophiam adhibendi facultas eis concessa est, quo antiqui Patres Ecclesiæ orientalis in eumdem scopum usi fuerant [1]. Quodcumque novum tentamen fidei intellectum quærentis mysteriaque divina aliquatenus explicare satagentis Ecclesiæ byzantinæ suspectum erat. Unde, ex quo scholastica methodus Latinorum in Oriente innotuit, a theologis dissidentibus communiter reprobata est. In dialecticæ usum polemistæ antilatini potissi-

τότε οὔσης καὶ ὕλης τινὸς προσφόρου τῷ εἴδει τούτῳ, φανερὸν ὡς οὐκ ἂν εἴη ἕτερον διὰ τὴν τῆς ὕλης μεταβολήν, ἐπεὶ μὴ ὂν ἐδείχθη, τὸ δὲ εἶδος ὄν... Ἀναστήσεται ἄρα τὰ ἡμέτερα σώματα καὶ οὐδὲν ἔσται τὸ κωλύον διὰ τὸ μὴ ὡρισμένην τὴν ἐν αὐτοῖς ὕλην ὑπάρχειν. » In *codice Vindobonensi philosophico-philol. 203*, fol. 129v. Cf. Uspenskii, *Synodik*, p. 66. Hanc doctrinam damnavit Ecclesia byzantina in concilio Constantinopolitano, anno 1082, mense martio habito, et merito quidem, ut nobis videtur. Quidquid enim sit de veritate systematis aristotelici de materia et forma, documenta fidei circa corporum resurrectionem resumptionem partis materiæ *numero ejusdem* ab anima prius vivificatæ postulant. Solutio aristotelica id quod in dogmate resurrectionis rationem habet mysterii magna ex parte evacuat. Illi item adversatur reliquiarum cultus. Ad Michaelem Psellum quod attinet, eum veri nominis scholasticum fuisse, jura utriusque, fidei scilicet et rationis philosophantis, optime servantem testatur ipsius opus inscriptum : Ἀποκρίσεις συνοπτικαὶ καὶ ἐξηγήσεις (numero 210) πρὸς ἐρωτήσεις διαφόρους καὶ ἀπορίας γραφεῖσαι πρὸς τὸν βασιλέα κῦρ Μιχαὴλ τὸν Δουκᾶν, in *codice Monacensi 384*, necnon *Epistola ad patriarcham Joannem Xiphilinum*, apud Satham, Μεσαιωνικὴ βιβλιοθήκη, t. v (1876), p. 444-451. Cf. S. Salaville, *Philosophie et théologie ou épisodes scolastiques à Byzance de 1059 à 1117*, in commentario *Échos d'Orient*, t. xxix (1930), p. 132-156.

1. Eustratius Nicænus, de hæresi in concilio Constantinopolitano anni 1117 accusatus, sequenti propositioni subscripsit : « Qui dixerit circa indemonstrabilia fidei principia argumentari oportere, et circa ea in quibus syllogismis sancti nullatenus usi sunt, non solum ut impius, verum ut stolidus et insanus arceatur : Ὁ λέγων ἐπὶ τῶν ἀναποδεικτῶν ἀρχῶν τῆς πίστεως δεῖν συλλογίζεσθαι, καὶ ἐφ' ὧν οὐκ ἐχρήσαντο συλλογισμοῖς οἱ ἅγιοι, καθὼς ἡμᾶς τινες ὑπώπτευσαν γράψαι, ἀποβαλλέσθω οὐ μόνον ὡς ασεβής, ἀλλὰ καὶ ὡς μωρὸς καὶ ἀνόητος. » In *codice Dionysiano Athonensi 120*, fol. 706.

mum invecti sunt, eo quod eorum rationes et argumenta contra processionem Spiritus Sancti *ab utroque* syllogismi ope ad nihilum facilius redigebantur sophismataque latentia clarius patebant. Item apud theologos palamitas philosophia profana et syllogismi aristotelici statim male audierunt.

Notandum est tamen sub finem epochæ byzantinæ, sæculis xiv et xv scilicet, cum jam theologiæ occidentalis præstantia omnium oculis appareret, quosdam theologos orientales magni fecisse præclarissimos scholasticæ latinæ fetus sinceraque admiratione prosecutos fuisse ac maximis laudibus extulisse Aquinatis *Summam* utramque. Inter hos admiratores eminet Georgius Scholarius, qui tum *Summæ contra gentiles*, tum *Summæ theologicæ* (pro parte prima necnon pro prima secundæ) optima breviaria confecit [1]. Ipse haud pauca ad mentem sancti Thomæ conscripsit [2].

III. — De parum florente statu theologiæ dogmaticæ apud Græco-Russos.

Quod ex historia theologiæ græco-russicæ in tomo i nostri operis breviter narrata clare colligi poterat, hic expresse declarandum est : scilicet theologiam dogmaticam apud Græco-Russos, præsertim in periodo moderna, parum excultam fuisse neque talem esse quæ progressui atque incremento hujus scientiæ apud Catholicos aliquo modo comparari possit. Hujus autem conditionis inferioris haud una exstitit causa. Culpandus est imprimis spiritus ille conservatismi rigidioris, qui apud veteres Byzantinos omnem fere philosophicam speculationem de veritatibus revelatis statim ab initio compescuit. Insuper, præ oculis habenda est Græcorum

1. Cf. *Œuvres complètes de Georges Scholarios*, t. v; *Résumé de la Somme contre les gentils et de la première partie de la Somme théologique de saint Thomas d'Aquin*, in-8°, 510 p., Parisiis, 1931. In procemio Scholarius hæc habet : « Τὴν τοιαύτην ἐπιτομὴν ἐξ ἀνάγκης ἐπενοήσαμεν, ἀρκοῦσαν ἡμῖν τε καὶ εἴ τις ἄλλος ἐστὶν ὁ ταῖς βίβλοις ἐκείναις πολλάκις ὡμιληκὼς ἀκριβῶς ἀντὶ τῶν βίβλων αὐτῶν ὅλων... Ἐν πᾶσι μὲν οὖν σπουδαστέος ὁ σοφὸς οὗτος ἀνήρ (S. Thomas scilicet), ὡς ἄριστος τῆς χριστιανικῆς θεολογίας ἐξηγητής τε καὶ συνόπτης. » P. 1-2.

2. Cf. t. iii, des *Œuvres complètes*, p. 343-433; *item*, t. i : *Sermons et panégyriques*, p. 1-246.

aliorumque sub Turcarum jugo miseranda conditio, ad culturam intellectualem quod attinet. Si vero ad Moscovitas te vertas, illos invenies alta ignorantia fuisse demersos fere usque ad Petrum Magnum. Soli Russi meridionales, sæculo XVII, sub culturæ latinæ influxu, in scientiæ theologicæ campo aliquid proferre inceperunt. Apud Russos autem recentiores, haud parvus sane exstitit labor in disciplinis theologicis excolendis; theologiæ vero dogmaticæ progressum inhibuerunt moderatæ libertatis opinandi defectus, severior et inconsulta censura, magisterii ecclesiastici veri nominis privatio. De Græcis coævis nihil dicimus. Notum est enim eos, ex quo politica libertate donati sunt, studiis theologicis parum incubuisse.

Ex his patet in theologia græco-russica multa quærenda non esse quæ in theologia catholica occurrunt. Varia systemata philosophico-theologica, diversas scholas, multiplicia tentamina quæstiones difficiles elucidandi, amplas disquisitiones de singulis tractatibus dogmaticis, compendiorum accurate expolitorum copiam ibi non invenies [1]. Pauperrima revera est litteratura theologica Græco-Russorum modernorum, si tractatus et opuscula polemica seponas de quæstionibus cum catholicis controversis; hæc enim, ut alibi diximus, abundant; verum eadem fere tibi semper reponunt.

1. Unus ex iis qui nostri tertii voluminis : *De sacramentis* censuram egerunt, animo cæterum benevolus, hæc scripsit : « Avec le plan suivi on retrouve difficilement la synthèse sacramentaire de *chacune des principales écoles théologiques d'Orient*, et l'on ne voit pas du tout la genèse des erreurs qui, au cours des âges, se sont introduites dans des conjonctures assez diverses, et ne sont pas cependant dénuées de tout lien logique. Au lieu d'adopter tel quel le plan de nos manuels catholiques, mieux eût valu peut-être grouper *ces diverses doctrines par écoles, et pour chaque école mettre bien en relief l'origine des idées maîtresses* d'où dérivent toutes les autres. » *Revue apologétique*, t. LII (janvier 1931), p. 106. Fatemur nos nondum detegisse « les principales écoles théologiques d'Orient », nec sane *secundarias*. Alius censor postulavit « des suppléments d'explications sur la transmission d'Occident en Orient de la formule septénaire, et l'avis complet des théologiens grecs sur les fruits de la communion ». *Nouvelle Revue théologique*, mai 1930. Verum, quidquid de septenarii sacramentalis historia apud Græco-Russos potuimus invenire, accurate retulimus. Quod autem attinet ad completam Græcorum doctrinam de fructibus communionis, hæc in compendiis amplioribus duas vix occupat paginas, immo vero hujus spatii bonam partem tenent Scripturæ textus vel Patrum dicta. A Græco-Russis ergo exspectare ne velis quod tibi dare nequeunt.

IV. — De theologiæ græco-russicæ variationibus.

Ex iis quæ de fontibus traditionis apud Græco-Russos receptis in fine tomi I retulimus, liquet eas solas veritates pro dogmatibus inconcussis a theologis dissidentibus unanimiter haberi, quæ a septem primis conciliis œcumenicis expresse definitæ sunt; de omnibus vero aliis libere opinari iisdem licere, donec novum concilium œcumenicum de dubiis vel de controversis definitoriam sententiam tulerit. Quam graves autem sint consequentiæ, quæ ex hac positione oriuntur, nemo est qui non perspiciat. Notum est enim septem prima concilia de multis quæstionibus magni momenti nihil expresse decrevisse. Nihil, v. g., directe definierunt de plerisque capitibus, quæ temporum decursu Græco-Russi tanquam in fide novitates Catholicis exprobrare consueverunt. Altum item silentium servarunt de omnibus fere erroribus Reformatorum sæculi XVI circa Ecclesiam, statum primigenium hominis, peccatum originale, numerum sacramentorum, naturam justificationis, etc. Quid vero Græco-Russi præ his omnibus novis quæstionibus et erroribus? Deficiente magisterio infallibili ad dubia definitive solvenda, ad errores insanabili vulnere profligandos, accidit quod necessario eventurum erat : Pro temporum varietate non solum theologi privati, verum etiam publicæ auctoritates ecclesiasticæ, patriarchæ, synodi particulares, omnes sane pariter fallibiles, etiam quando se infallibiles esse jactabant, in diversas abierunt sententias. Unde expositio historica theologiæ græco-russicæ, quam nunc aggredimur, revera erit historia variationum ipsius Ecclesiæ græco-russicæ circa ea fere omnia de quibus antiqua concilia œcumenica nullam claram tulerunt definitionem.

Porro variationes hujusmodi hactenus vix adverterunt theologi catholici, quippe qui, inde a sæculo XVI, confutandis erroribus Reformatorum vel rationalistarum potissimum incubuerunt; de theologia vero Græco-Russorum nonnisi obiter curarunt, polemistarum antilatinorum impetus iden-

tidem retundere satis habentes. Sed neque Græco-Russorum plerique harum variationum ipsi videntur esse conscii. Immutabilitatem enim suæ Ecclesiæ semper in ore habent, dicentes eam a recto veritatis tramite nunquam declinasse, eadem semper tenere ac docere, dum, e contra, Latinorum Ecclesia, si illos audias, in novitates præceps ruat. Qui autem ita loquuntur, contradictionis crimen ipsi sibi plerumque adducunt; nihil enim solemnius habent quam ut privatam sententiam suam de quocumque capite ab antiqua Ecclesia non definito pro genuina ac authentica Ecclesiæ suæ doctrina tibi proponant; quo fit, ut diversitas opinionum magis augeatur variationesque multiplicentur.

Hanc tamen theologiæ græco-russicæ veram conditionem quidam theologi dissidentes nostri ævi et animadverterunt et sincere confessi sunt. Ita, v. g., professor A. P. Lopukhin, qui alicujus *Encyclopædiæ theologicæ orthodoxæ* editionem apud Russos suscepit, nuperrime hæc scripsit :

« Statim ac nobis decernendum venit quomodo tum erga protestantismum, tum erga catholicismum romanum nosmetipsos gerere oporteat, tunc mens nostra hæret. Ex historia enim doctrinæ nostræ theologicæ constat nos ex hac parte ad illam propriam et independentem positionem non pervenisse, quæ tanquam de essentia Orthodoxiæ speculative existimatur. Notum est siquidem in theologiam nostram duos semper influxus concurrisse, ex Orthodoxiæ alveo in sensus heterodoxi fines exsilientes : Unus quidem protestantismi, alter vero catholicismi romani colore insignitur. Res sane nova non est. Eo jam tempore manifesta erat, quo tsarus Reformator quum sub sociali tum sub politico aspectu cum Occidente nos consociare incipiebat. Illi enim duo magni commilitones ac æmuli, Theophanem Procopovitch dico et Stephanum Iavorskii, hujus duplicis studii sequaces emicuere. Ex eo autem tempore dualitas ista potissimum sane in theologicæ doctrinæ provincia continuo se prodivit; verum et totam nostram socialem ac intellectualem vitam pervasit. [1] »

1. *Apologhia khristiantsva (Apologia christianismi Lutarti a Lopukhin russice versa cum adnotationibus)*, ed. 2, Petropoli, 1915, p. 671.

Archiepiscopus Kharkoviensis Ambrosius item de irreptione sententiarum protestanticarum in recentem theologiam Russorum hæc habet :

« Proavi nostri qui ante Petrum Magnum fuere ab impetibus romani papæ necnon a catholica servitute nos liberarunt. Post Petrum vero servare nos haud potuimus a protestantismo, qui in mundo christiano rationis effrenatæ libertati, et eo ipso rationibus ac moribus paganis portas aperuit. [1] »

Archiepiscopus Ambrosius putat theologos russos, ante Petrum Magnum, a catholicismi auctoritate immunes se custodisse. Ei vero nequaquam assentiunt alii, inter quos est J. Cistovic :

« Ecclesia occidentalis Russiæ, ait ille, continua latinismi societate utens, illecebroso atque ineluctabili ejus influxui subjecta est, utpote qui confessio dominans erat. Unde quasdam sententias, quosdam ritus consuetudinesque Ecclesiæ latinæ admisit. Latini et Uniti, Orthodoxis schisma incessanter exprobantes, protestantismi eos expresse insimulabant. Hac labe se purgare cupientes, prætextusque, qui hujusmodi suspicionibus atque criminationibus ansam præbebant, penitus tollere volentes, Orthodoxi, perinde ac si Latinis aptarentur, eis prope accesserunt, eorumque influxui sensim obnoxii facti sunt [2]. »

Dum autem Ambrosius lamentatur theologos recentiores ad protestantismum plus minusve declinasse, episcopus Eudokimus queritur quod theologia russica coæva latinismo captiva mancipetur :

« Ecclesiæ dominantis officio, inquit, immensus, difficilis instat labor : Ejus est, v. g., nostrum sensum theologicum a viis liberare, quæ eum opprimunt... Per integra sæcula theologia nostra tota sub captivitate mansit latinismi. Quot labores necessarii, quot conatus ad eripiendam theologiam nostram e romanis amplexibus! Captivitas ista, am-

1. *O pricinakh otsugdeniia ot tserkvi obrazovannago obcestva (De causis alienationis societatis litteratæ ab Ecclesia)*, Petropoli, 1891, p. 30.
2. *Ocerk istorii zapadno-russkoi tserkoi (Conspectus historiæ Ecclesiæ russicæ occidentalis)*, pars 2, Petropoli, 1884, p. 348.

plexus hujusmodi meliores sane non sunt, si non pejores, servitute mundana [1]. »

Alii dicunt libros symbolicos, quos tanquam novæ theologiæ russicæ fundamenta posuerat Protasov, videlicet *Confessionem orthodoxam* a Petro Moghila dictam et *Epistolam orientalium patriarcharum*, id est *Confessionem Dosithei*, latinismis scatere, unde et expurgandos esse [2]. Ipsum Philareti Mosquensis catechismum a latinismi contagione haud immunem reperiunt [3].

Orthodoxiam item variabilem esse pro cujusque theologi privato sensu, singulosque theologos suas sententias tanquam Orthodoxiæ regulam tradere solere, quosdam auctores inter dissidentes non latuit. Russus Mologskii, v. g., fatetur apud Græco-Russos non unam sed plures exstare *Orthodoxias :* « Græca orthodoxia a russica differt ; hæc iterum varia est. Quæ enim in antiqua Russia vigebat, non eadem censenda ac illa, quæ Petri Magni ætate invecta est. Tot sunt *Orthodoxiæ*, quot orbis orthodoxi clarioris notæ theologi. [4] »

Canonista N. Suvorov, de diversis loquens opinionibus, quæ de mutua inter Ecclesiam et Statum societate apud Russos occurrunt, hoc tandem profert judicium : « Id quod *Orthodoxia* apud nos audit non est plane perspicuum nec liquidum [5]. » Celeberrimus autem petropolitanæ universitatis professor, V. V. Bolotov († 1900), hæc nuper scribebat, quæ cuilibet theologiæ græco-russicæ expositioni litteris aureis præfigenda sunt :

« Qui theologorum russorum consuetam agendi rationem bene novit, ille facile intelligit *quare* τὸ EGO *sub uniuscujusque nostrum calamo occurrens nonnisi in rarissimis casibus in* τὸ NOS *haud immerito mutari possit. Nullæ sunt apud nos separatæ Scholæ, si hoc nomine designare velis systemata logice*

1. *Na zarie tserkovnoi gizni (Ad auroram vitæ ecclesiasticæ)*, p. 29.
2. Cf. commentarium : *Missionerskoe Obozrienie*, 1903, p. 1164.
3. Cf. commentarium *Pravoslavnyi Putevoditel (Dux orthodoxus)*, 1903, p. 719, ex articulo P. Nikolskii. Cf. Th. E. Melnikov, *Blugdaiuce bogoslovie (Theologia errabunda)*, Mosquæ, 1911, p. 15-17.
4. In commentario *Viek (Sæculum)*, t. XXV (1907), p. 389-392.
5. *Ucebnik tserkovnago prava (Enchiridion juris ecclesiastici)*, ed. 4, Mosquæ, 1912, p. 212.

concatenata et ab studiosis propugnata, quæ, ut par est, non solum in principiis, verum etiam in thesibus particularibus sibi cohæreant. Theologus quisque russus nonnisi suæ propriæ sententiæ revera est repræsentator. [1] »

Veram positionem dogmaticam Ecclesiæ græco-russicæ theologus græcus K. J. Dyovuniotis candide agnovit his verbis :

« Dogmatica doctrina Ecclesiæ orientalis nondum publice definita est. Ecclesia antiqua per concilia œcumenica ea tantum dogmata decrevit quæ circa Trinitatem et christologiam versantur. Atqui authentica definitio aliarum veritatum ad dogma pertinentium absque dubio necessaria est ; quæ, ex doctrina in Ecclesia recepta, nonnisi a concilio œcumenico præviis studiis præparato fieri potest. Postquam autem Ecclesiæ orientalis dogmata a nova quadam œcumenica synodo statuta fuerint, tunc tantum de unione aliarum Ecclesiarum cum nostra sermo esse poterit. Tunc enim Ecclesia orientalis dogmata publice definita patebunt, nec amplius proponere licebit tanquam unionis fundamentum *privatas opiniones, quæ haud semel Ecclesiæ orientalis doctrinæ maxime adversantur* [2]. »

Quod de Græco-Russorum modernorum theologia comprobatur, valet etiam de vetere theologia Byzantinorum. Apud istos quidem non occurrit tanta opinionum diversitas, quia tunc major erat auctoritas Ecclesiæ principalis, *Constantinopolitanæ* scilicet ; imperatores vero servandæ fidei unitati sedulo invigilabant. Multum tamen abest, ut theologi hujus periodi inter se consentiant non solum circa quæstiones a septem conciliis haud expresse solutas, verum etiam circa ea ipsa de quibus Latini tanquam novatores reprehendebantur. Dissensioni autem illis non raro occasio fuere græcorum Patrum scripta, quorum apud eos maxima erat auctoritas, tum quod Patres ipsi de quibusdam diverse revera senserint, tum quod theologi Patrum dicta aliter alii interpretarentur.

1. *K. voprossu o Filioque* (*circa quæstionem de Filioque*), ed. A. Brilliantov, Petropoli, 1914, p. 30, nota 1.
2. Αἱ σχέσεις τοῦ παλαιοκαθολικισμοῦ πρὸς τὰς ὀρθοδόξους Ἐκκλησίας τῆς Ἀνατολῆς, in commentario Θεολογία, 1920, p. 169-175.

Qui hunc verum theologiæ græco-russicæ statum præ oculis habebit, admirationem ex eo non capiet quod haud semel in Ecclesia græco-russica accidit, nempe quod quædam propositiones vel sententiæ tanquam fidei dogmata prius unanimiter receptæ, vel etiam in synodis propositæ ac definitæ, aut imperatorum vi atque auctoritate omnium fidei impositæ, ut errores postea relictæ fuerunt ac impugnatæ.

V. — De divisione theologiæ specialis apud Græco-Russos recentiores.

Ad divisionem theologiæ specialis quod attinet, moderni compendiorum auctores apud Græco-Russos, quantum quidem ad generalem tractatuum seriem, tum inter se, tum cum Catholicis conveniunt, si tamen tractatus de Ecclesia et de gratia excipias; omnes siquidem ordinem articulorum symboli nicæno-constantinopolitani sequi consueverunt. Occurrunt vero differentiæ et particularitates apud singulos auctores quantum ad minores divisiones necnon quantum ad quæstionum concatenationem intra unum eumdemque tractatum; quod et apud nostros deprehendere est.

In præcipuo theologiæ specialis compendio apud Russos usurpato, quod est *Theologia orthodoxo-dogmatica (Pravoslavno-dogmaticeskoe bogoslovie)* Macarii Bulgakov, theologia dogmatica specialis in duas partes dividitur, scilicet in *theologiam simplicem* (θεολογίαν ἁπλῆν) et in *theologiam œconomicam* seu *dispensativam* (θεολογίαν οἰκονομικήν). *Theologia simplex* complectitur tractatus *De Deo uno, De Deo trino, De Deo creante, elevante et gubernante. Theologia dispensativa* ordine agit de *Deo salvante (= christologia et soteriologia), De Deo sanctificante (= De Ecclesia, de gratia, de sacramentis); De Deo judice ac remuneratore (= De novissimis).* Hanc generalem partitionem a Metrophane Critopulo Macarius mutuatus est [1].

Alii potiori ratione duas generales divisiones ponunt :

1. « Βούλεται δὲ τὴν τοιαύτην διδασκαλίαν διαιρεῖσθαι εἴς τε τὴν ἁπλῆν θεολογίαν καὶ εἰς τὴν οἰκονομικήν. » *Confessio*, c. I. Cf. E. J. Kimmel, *Monumenta fidei Ecclesiæ orientalis*, t. II, Ienæ, 1850, p. 13.

1° *Deus in se consideratus (= De Deo uno et trino);* 2° *Deus in creaturis seu in operibus ad extra (= De Deo creante et gubernante, De Verbo incarnato, De gratia, De sacramentis, De novissimis)* [1].

C. Andrutsus circa mysterium redemptionis per Christum omnia contrahit, habetque duas partes : 1° *De præsuppositis ad redemptionem per Christum* (Αἱ προϋποθέσεις τῆς ἐν Χριστῷ ἀπολυτρώσεως); 2° *De redemptione Christi* (Ἡ ἐν Χριστῷ ἀπολύτρωσις). Prima pars comprehendit nostros tractatus *De Deo uno et trino, creante, gubernante, et elevante*; de quibus auctor agit per quatuor capita inscripta : Θεολογία, ἡ δημιουργία τοῦ κόσμου, ἡ θεία πρόνοια, ὁ κόσμος. Pars altera in quatuor sectiones distribuitur : *Christologia, appropriatio redemptionis* (Ἡ οἰκείωσις τῆς ἀπολυτρώσεως = *De Verbo incarnato, De gratia, De Ecclesia); De sacramentis, consummatio redemptionis seu eschatologia* (Ἡ τελείωσις τῆς απολυτρώσεως = *De novissimis*) [2].

Compendium Theophylacti Gorskii : *Orthodoxa doctrina de credendis* (ultima editio, Mosquæ, 1831), totam materiam dogmaticam, sive fundamentalem sive specialem, in septem capita distribuit :

1° Principia et fundamenta divinæ revelationis;

2° De Deo, ejus attributis, personis, operationibus;

3° Origo et prima perfectio hominis recenter creati, quocum omnium rerum origo connexa est. Historia lapsus ejusque funesta consectaria;

4° Consilium redimendi homines et exsecutio hujus consilii;

5° Applicatio hujus redemptionis seu præparatio hominis ad salutem;

6° Media quibus divina sapientia et bonitas ad hunc finem utitur;

1. Ita Zikos Rhosis, Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας, t. I, Athenis, 1903, p. 123-124; Philaretus Gumilevskii, *Pravoslavnoe dogmaticeskoe bogoslovie*, t. I, ed. 3, Petropoli, 1882, p. 17-18; N. Malinovskii, *Ocerk provoslavnago dogmaticeskago bogosloviia (Adumbratio theologiæ dogmaticæ orthodoxæ)*, t. I, Kamenets-Podolsk, 1904, p. 29-30; Sylvester Malevanskii, *op. cit.*

2. *Op. cit.*, Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907, p. 25-28.

7° Quæ homini speranda aut metuenda sunt post hanc vitam [1].

Sub theologiæ lutheranæ influxu, cujus theses ex parte propugnat, Theophylactus notionem peculiarem de theologia sibi efflingit; siquidem eam ita definit :

« Theologia revelata veritates *ad salutem scitu necessarias* scientifice et in nexu suo exhibet, quas *in Scriptura* sparsim et sine nexu systematico deprehendimus. Scriptura multa complectitur, quæ a simplicioribus ignorari possunt sine ullo salutis dispendio. *Ergo Scriptura latius patet quam theologia...* In Scriptura dogmata ad salutem necessaria verbis ponuntur de quorum interpretatione multi adhuc disputant. Theologia vero hæc dogmata sistit non tantum verbis ad captum nostrum accommodatis comprehensa, sed etiam demonstrationibus et interpretationibus Scripturæ ab omnibus detorsionibus liberatæ suffulta [2]. »

Lutheranizat etiam Sylvester Lebedinskii, Theophylacti coævus. Ejus tamen *Compendium theologiæ classicum didactico-polemicum*, ed. 2, Mosquæ, 1805, non easdem præ se fert divisiones; quippe quod non minus quam sexaginta octo capita habet. De Ecclesia fere silet. Theologiam vero rectius definit : « Tota theologia, ait, ex veritatibus theologicis, hoc est ex *principiis* aut *conclusionibus* theologicis, ex verbo revelato tanquam ex proprio principio cognitis *aut eruendis* [3]. »

VI. — De partitione expositionis theologiæ græco-russicæ.

Ordo quem in exponenda theologia græco-russica secuturi sumus, divisioni theologiæ specialis apud Græco-Russos communiter receptæ ex parte tantum respondebit. Ut supra diximus, hæc nostra expositio tria volumina complectetur. Primo, quod in præsenti damus, hunc titulum *commoditatis causa* præfiximus : *De theologia simplici. De œconomia. Theologia simplex*, ἡ ἁπλῆ θεολογία, hic sumitur in sensu a

1. *Orthodoxa doctrina de credendis*, ed. Petrop., 1818, p. 67.
2. *Ibid.*, p. 66-67.
3. *Compendium theologiæ classicum*, Mosquæ, 1805, p. 10.

Metrophane Critopulo necnon a Macario Bulgakov definito; unde supponit non solum pro tractatibus *De Deo uno ac trino*, sed etiam pro toto tractatu *De Deo creante et elevante*. Sub nomine *œconomiæ* latent tractatus *De Verbo incarnato (christologia* et *soteriologia)* et *De gratia Christi*. Tractatus specialis *De beata Maria virgine* in compendiis Græco-Russorum non occurrit; qui tum de maternitate divina, tum de perpetua virginitate Dei genitricis in tractatu de Verbo incarnato quædam tradere satis habent. Quidam vero inter recentiores dogma catholicum de conceptione immaculata ejusdem paucis impugnant. Cum autem multa notabilia de sancta Theotoco docuerint tum veteres Byzantini, tum etiam moderni haud pauci, quibus hic defuit locus, ea omnia uno vel duobus voluminibus gallice conscriptis complecti in votis habemus; ubi de B. Mariæ virginis immaculato conceptu, assumptione et mediatione tum in traditione antiqua, tum in theologia moderna Orientalium potissimum sermo erit [1]. Secundum volumen totum erit *De sacramentis* seu *mysteriis;* tertium vero *De novissimis et de Ecclesia*. Quare tractatus de Ecclesia ultimus veniat, suo loco explicabitur.

1. Interim legere potes quæ in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VII, col. 893-979, scripsimus de Immaculata Conceptione apud Orientales post synodum Ephesinam.

TRACTATUS
DE DEO UNO

PRÆNOTAMINA

Cum ea, quæ de Deo uno habent Græco-Russi in suis theologiæ dogmaticæ compendiis, eadem fere sint, quæ apud auctores catholicos fusius atque enucleatius exponuntur, superfluum omnino est nos in hujusmodi quæstionibus immorari, iisque nostrum onerare volumen, quæ Orientales a nostris plerumque mutuati sunt. Cæterum haud paucas quæstiones a nostris scholasticis olim vel etiam nunc agitatas de industria omittunt. Sæculis tamen XVII et XVIII, quando scilicet tum Kiovienses, tum etiam Græci scholastica methodo utebantur, ex illis quidam disputationibus Scholæ etiam sese immiscuerunt propriamque sententiam de controversiis atque de diversis systematibus proferre non erubuerunt, quod coævi facere dedignantur. Unde quidnam isti de magnis controversiis scholasticis opinati fuerint, data occasione, referre haud abs re erit nostrosque juvare poterit; quod breviter sane præstabimus.

Sunt autem quæstiones quædam de Deo, de quibus omnino tacent plerique recentiores, quas theologi byzantini olim movere consueverunt ac de quibus acres ac diuturnas controversias habuerunt. De iis sane extenso calamo agere ad nostrum propositum proprie pertinet, quippe quæ Occidentalibus aut vix innotuerunt, aut etiam eos omnino latuerunt. Ad controversiam autem præsertim alludimus, quæ de Gregorio Palama nomen sumpsit, pluresque quæstiones ad trac-

tatum de Deo pertinentes in suo orbe complectitur. De providentia divina etiam antiqui Byzantini sub speciali ratione agere consueverunt, quatenus scilicet humanæ vitæ terminum respicit. Hæc ultima quæstio illi, quæ de prædestinatione ac reprobatione est, affinis quidem omnino est, ab ea tamen apud theologos de quibus loquimur, revera distinguitur. Unde unam ab altera sejungere fas est; quod nos faciemus, de vitæ termino, περὶ ὅρου τῆς ζωῆς, in præsenti tractatu disserentes, caput autem de prædestinatione ac reprobatione ad tractatum de gratia Christi remittentes.

Ne ergo, benevole lector, in præsenti nostro tractatu eorum omnium mentionem quærere velis, quæ in enchiridiis ad mentem sancti Thomæ redactis invenire assuetus es; benigno autem vultu suscipe quædam nova in deserto orientali laboriose decerpta, quæ tibi in triplici capite offeruntur, scilicet :

Caput I : De Dei existentia et essentia;

Caput II : De theologia palamitica, ubi potissimum de essentia divina cum ejus operatione ac diversis attributis collata, de simplicitate Dei necnon de ejus supernaturali in patria visione;

Caput III : De operationibus divinis, ubi 1° de scientia Dei; 2° De ejus providentia ac gubernatione[1].

1. De Deo uno apud Græco-Russos, et quidem unice fere ex compendiis recentioribus, quædam refert D. Placide de Meester, in *Études de théologie orthodoxe*, Ire série, Maredsous, 1911, p. 17-25.

CAPUT PRIMUM

DE DEI EXISTENTIA ET ESSENTIA

De Deo primum quæritur utrum naturali rationis humanæ lumine per ea quæ facta sunt certo cognosci atque etiam demonstrari possit; quod quidem de ejus existentia directe ac proprie intelligitur, ad ejus vero essentiam aliquatenus etiam refertur, cum ejus existentia certo cognosci non possit quin eo ipso aliqua notio de eo quod ille est, etsi valde imperfecta et analoga, menti affulgeat. Primum ergo de hac naturali Dei cognitione in genere quid revera sentiant, theologos græco-russos interrogabimus, eritque de hac quæstione articulus primus.

Secundo, de variis argumentis, quibus existentia Dei demonstrari solet, quid iidem proferant, breviter exponemus.

Tertio, cum ratio humana Deum tanquam omnium perfectionum possessorem concipiat, theologis scholasticis solenne est inquirere inter tot perfectiones quænam sit illa, quæ essentiæ vicibus gerendis par inveniatur. Inter Græco-Russos quidam hanc quæstionem sibi etiam proposuerunt. De eorum opinionibus in articulo tertio sermo erit, in quo etiam et de divisione attributorum Dei secundum eosdem theologos.

ARTICULUS PRIMUS

De naturali Dei per creaturas certa cognitione.

I. — De origine ideæ Dei.

Sanctus Joannes Damascenus, post alios Patres, docet cognitionem existentiæ Dei omnibus hominibus esse a Deo

ipso naturaliter insitam [1]. Hoc communiter repetunt Græco-Russi, non autem uno modo explicant.

Quidam enim eo sensu insitam esse Dei cognitionem dicunt, quatenus homo expeditam facultatem habet sponte ac immediate perveniendi ad Dei notitiam saltem confusam et obscuram : « Hæc notitia, ait Theophylactus Gorskii, est quasi innata, quatenus homini inest potentia ideam Dei eliciendi, et ex idea ista concludendi Dei existentiam. Ita Paulus (Rom., I, 19-20) [2]. »

Sylvester Lebedinskii originem ideæ Dei ex conscientia morali repetit secundum Pauli dictum (Rom., II, 14, 15) sicque argumentatur :

« Quorum cordibus inscripta est cognitio legis, illorum cordibus etiam inscripta est cognitio legislatoris; atqui gentilium cordibus inscripta est cognitio legis; ergo etiam inscripta est cognitio legislatoris. Ergo per consequens lumen naturæ innatum dari creatorem asserit [3]. »

Zikhos Rhosis loquitur de quadam conscientia de Deo menti nostræ innata [4], Mesoloras vero de fide in Deum cordi nostro primum, consequenter et intellectui nostro naturaliter insita, quæ sit elementum necessarium et essentiale mentis et cordis nostri, necessitas interna spiritus nostri [5]; quæ omnia nimis vaga sunt et obscuriora.

Macarius Bulgakov et Philaretus Gumilevskii putant ideam infiniti seu entis perfectissimi nobis vere esse innatam, exindeque sumunt argumentum ad probandam Dei existentiam, sicut fecit Cartesius [6].

1. « Πᾶσι γὰρ ἡ γνῶσις τοῦ εἶναι Θεὸν ὑπ'αὐτοῦ φυσικῶς ἐγκατέσπαρται. » *De fide orthodoxa*, 1 et 3, *P. G.*, t. XCIV, col. 789 B, 793 C.

2. *Op. cit.*, ed. Petrop., 1818, p. 73.

3. *Op. cit.*, Mosquæ, 1805, p. 92.

4. Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας, t. I, Athenis, 1903, p. 125, 127 : « ἡ ἔμφυτος ἐν ἡμῖν περὶ Θεοῦ συναίσθησις. »

5. Συμβολικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, t. II, ed. 1, Athenis, 1901, p. 87, 89 : « Ἡ εἰς ἕνα Θεὸν πίστις εἶνε ἀπαραίτητον καὶ οὐσιῶδες στοιχεῖον τοῦ πνεύματος καὶ τῆς καρδίας ἡμῶν..., εἶνε ἐσωτερικὴ ἀνάγκη τοῦ πνεύματος ἡμῶν. »

6. *Introductio in theologiam orthodoxam*, ed. 5, Petropoli, 1884, p. 19-20; Philaretus Gumilevskii, *Pravoslavnoe dogmaticeskoe bogoslovie (Theologia dogmatica orthodoxa)*, t. I, ed. 3, Petropoli, 1882, p. 31-32.

« In mente nostra, ait Macarius, est idea entis perfectissimi et infiniti quæ, antequam in homine expergiscatur conscientia, spontanea tantum ac involuntaria in Deum propensione se prodit; postea vero, conscientia gradatim sese explicante, clarior fit atque magis ac magis enucleata. Hanc ideam nobis dare nequiverunt res exteriores, quas tum esse, tum perfectionibus omnino finitas deprehendimus. Hoc tantum sensibilis natura potest, scilicet nobis in mentem revocare ens infinitum, de quo prævia notio jam in anima nostra existit. Hanc effingere nequaquam nos ipsi potuimus; secus enim unusquisque nostrum de hujus ideæ in seipso origine recordaretur, nec in nobis præcederet plenam conscientiæ explicationem, neque inter homines prorsus communis esset. Hoc sane manifesto innuit eam menti nostræ ab eo inditam fuisse, a quo et existentiam ipsam accepimus. Possumusne inde dubitare quin ens hujusmodi revera existat? »

V. Kudriatsev originem ac genesim ideæ Dei in mente nostra alio modo explicat. Eadem via, inquit, Dei ideam acquirimus, qua et aliarum rerum ideas. Ad cujuscumque rei cognitionem obtinendam, duo omnino necessaria sunt, scilicet objectum agens in facultatem nostram cognoscitivam ac de potentia ad actum illam educentem, et ipsa facultas cognoscitiva impressionem objecti in se recipiens et sub hac impressione repræsentationem objecti ac ideam propria sua actione sibi efformans. Unde idea Dei in mente nostra gigni non potest, nisi Deus ipse, qui est objectum cognoscendum, aliquo sui actu ac influxu intellectui nostro se præsentet, in eum agat illumque ad actum cognitionis excitet ac impellat. Ex nullo alio fonte hujusmodi idea nobis obvenire potest, neque res externæ ei nobis ingerendæ pares sunt. Videmus enim aliquot homines, qui ideam Dei in se obliterarunt, ex mundi contemplatione ultra phænomena sensibilia non progredi et in materialismo consistere. Maxima differentia, quæ inter nos et Deum intercedit, ratio sufficiens non est hunc ejus in mentem nostram influxum negandi. Si enim objecta materialia in nos agere possunt, a fortiori objectum supernaturale ac spirituale, quod est Deus, suo actu nos excitare poterit; siquidem ratio nostra mundo spirituali vicinior est

quam materiali. Immediata conscientia hujus actionis divinitatis in mentem nostram bene explicat tum ideæ Dei universalitatem, tum intimam persuasionem, quam hæc secum fert de ipsius Dei existentia.

Attamen, addit Kudriatsev, hæc de Deo conscientia revelationi divinitatis ejusque contemplationi ac visioni æquiparari non potest; nec est immediata nisi largo sensu, quatenus scilicet sponte ac sine ratiocinii ope hujusmodi actio divinitatis a nobis percipitur. Quemadmodum autem in ideis rerum sensibilium duplex elementum invenitur, nempe unum objectivum, subjectivum alterum, ita etiam in idea Dei quam sub ejus motione acquirimus. Idea hujusmodi modalitates subjecti actionem divinam recipientis aliquo modo induit. Unde una et eadem non est in diversis hominibus. Elementum subjectivum eam multipliciter variat, ut ex historia religionum apparet. Multum etiam confert ad hujusmodi ideæ puritatem ac sinceritatem vita moralis cujusque hominis. Persuasio de Dei existentia, quam ex hac idea primigenia concipimus, tam firma est quam persuasio de mundi externi existentia ex ejus contemplatione oriens. Huic positioni non adversatur aliquot atheorum existentia, quemadmodum et pauci philosophi puro idealismo adhærentes communem persuasionem de mundi veritate non labefactant[1].

Hæc philosophus russus, cujus explicatio affinis videtur sententiæ Vasquesii asserentis ad primigeniam cognitionem de Deo aliquam gratiam ordinis naturalis requiri [2]. Vel etiam ad motionem causæ primæ seu ad concursum divinum in ordine naturali ista reduci possunt.

II. — De scientifica demonstratione existentiæ Dei.

Existentiam Dei scientifice demonstrari posse, postquam jam aliqua de Deo notitia sponte naturæ acquisita est, communiter tenent Græco-Russi, paucis exceptis, ex quibus est

1. *Ob istochnikê ideia bogestva (De origine ideæ divinitatis)*, in commentario : *Pribavleniia k tvoreniam sv. otsev (Supplementa ad opera SS. Patrum)*, t. XXIII, 1864, p. 363-410.

2. *In 1am p. Summæ theologicæ S. Thomæ*, disp. XCVII, c. V, n. 33; disp. XIX, n. 9.

C. Andrutsus, qui contendit argumenta ad demonstrandam Dei existentiam a theologis et philosophis communiter allata carere efficacia et petitionem principii includere, quatenus Deum existentem præsupponunt; non esse tamen omnino superflua, sed habere tantum quamdam utilitatem *subjectivam* [1]. Juxta ipsum, homo existentiam Dei sponte percipit per quemdam sensum interiorem, quem fidem (πίστιν) vocat [2]. Ut autem ostendat hanc scientificam demonstrationem dari non posse, sic argumentatur :

1° Existentia Dei ab ejus essentia separari nequit; atqui essentia Dei scientifice cognosci vel demonstrari non potest; ergo nec ejus existentia. In hoc, inquit, scholastici sibi ipsis non constabant, quod cognitionem nostram de Deo imperfectam esse confitentes, ejus existentiam clare ac evidenter demonstrari posse arbitrabantur [3].

2° Scientifica cognitio a rebus sensibilibus exorditur; atqui Deus est objectum omnem sensum, immo omne ens finitum transcendens; ergo Deus non est objectum scientificæ cognitionis, nec ejus existentia, nec ejus essentia scientifice demonstrari possunt, quemadmodum demonstrantur propositiones mathematicæ, vel physicæ, vel historicæ [4].

1. Δογματικὴ τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1907 : « Αἱ τοιαῦται ἀποδείξεις τῆς ὑπάρξεως τοῦ Ὑψίστου... *argumenta ad hominem* οὖσαι (= argumenta ad conditionem quorumdam hominum accommodata, attentis eorum subjectivis dispositionibus. Auctor verum hujus effati sensum ignorat), διασαφοῦσιν αὐτὴν προϋπάρχουσαν ἀπὸ φυσικῆς καὶ ἠθικῆς τοῦ κόσμου ἀπόψεως... Ὡς πραγματικαὶ ἀποδείξεις θεωρούμεναι, οὐ μόνον περιλαμβάνουσι λῆψιν τοῦ ζητουμένου, ἀλλὰ καὶ κατ'ἀρχὴν δὲν δύνανται νὰ ἐμφιλοχωρήσωσιν εἰς τὴν Δογματικήν », p. 38-39.

2. *Ibid.*, p. 37 : « Ἡ δύναμις αὕτη, δι'ἧς ὁ ἄνθρωπος ἀντιλαμβάνεται αὐτομάτως τοῦ Θεοῦ, ἀποκαλυπτομένου ἐν γένει ἢ ἐν μέρει, εἶνε ἡ πίστις, ἀποτελοῦσα τὸ συναίσθημα, δι'οὗ ὁ ἄνθρωπος αἰσθάνεται οὕτως εἰπεῖν καὶ διαγινώσκει τὴν ἐν τῷ φυσικῷ καὶ ἠθικῷ κόσμῳ παρουσίαν τοῦ Θεοῦ. »

3. *Ibid.*, p. 32 : « Οὐδὲ ἠξίουν ἀκόλουθα ἑαυτοῖς οἱ Σχολαστικοὶ θεολόγοι, οἵτινες, φρονοῦντες ὅτι ἡ γνῶσις τῆς ἐννοίας τοῦ Θεοῦ εἶνε ἀτελής, διϊσχυριζοντο ὅτι ἡ ὕπαρξις αὐτοῦ δύναται τελείως καὶ ἐναργῶς νὰ ἀποδειχθῇ. »

4. *Ibid.*, p. 33 : « Εἶνε φανερόν, ὅτι ὁ Θεός, ὡς ὑπεραίσθητος καὶ ἄπειρος, δὲν εἶνε ὑποκείμενον ἐπιστημονικῆς γνώσεως· οὔτε λοιπὸν δύναται νὰ ἀποδειχθῇ ἐπιστημονικῶς ἡ ὕπαρξις αὐτοῦ, ὡς ἀποδεικνύει τις τὰς μαθηματικάς, τὰς φυσικὰς καὶ τὰς ἱστορικὰς προτάσεις. »

3° Ipsa notio fidei, cujus objectum Deus est, scientificæ demonstrationi existentiæ et essentiæ Dei adversatur. Data enim hujusmodi demonstratione, constat fidem in Deum quam Ecclesia commendat, esse quid superfluum in se, vel transitorium, solisque rudibus hominibus congruum [1].

4° Hanc demonstrationem respuunt tum sacra Scriptura, quæ dicit Deum esse invisibilem et lumen habitare inaccessibile, tum Patrum Ecclesiæ *chorus universus*, qui Deum infinitum et incomprehensibilem prædicat [2].

Haud pauca sophismata, multos errores opportunis distinctionibus arguendos in hujusmodi rationibus Andrutsi latere docti clare perspiciunt, illisque eos patefacere supervacuum. Cæterum theologus græcus contradictores ac censores inter suos invenit, qui etiam contradictionis crimen ei intulerunt, a quo non ex toto se purgavit [3].

ARTICULUS II

De variis argumentis quibus existentia Dei demonstrari solet.

Demonstratio existentiæ Dei proprie pertinet ad philosophiam, non ad theologiam dogmaticam, quæ præsupponit tum existentiam Dei, tum revelationem credendorum homi-

1. *Ibid.*, p. 34.
2. *Ibid.* Animadvertas velim quam facile Andrutsus ad se trahat Patrum chorum universum (συνόλος ὁ χορὸς τῶν Πατέρων), nullo cæterum laudato Patrum loco. Hoc haud semel facit in suo compendio.
3. Cf. Dyovuniotes, Ἡ δογματικὴ τοῦ Χρήστου Ἀνδρούτσου κρινομένη ὑπὸ Κ. Δυοβουνιώτου, Athenis, 1907, p. 14. Huic censuræ respondit Andrutsus in suo opusculo : Δογματικαὶ μελέται· Ὁ ὑφηγητὴς τῆς θεολογίας Κ. Δυοβουνιώτης ἐξεταζόμενος εἰς τὴν δογματικὴν καὶ εἰς τὴν λογικήν, Athenis, 1907, p. 49-50. Iterum institit Dyovuniotes in opere : Ὀφειλομένη ἀπάντησις, Athenis, 1908, p. 39-40. Vide etiam S. Balanos, Κρίσις τῆς δογματικῆς τοῦ Χ. Ἀνδρούτσου, in commentario : Νέα Σιών, 1907, p. 680. Idem theologus dissertationem de scientifica existentiæ Dei demonstratione conscripsit : Ἡ περὶ ὑπάρξεως τοῦ Θεοῦ ἐπιστημονικὴ γνῶσις, Athenis, 1905. Vide nostrum articulum in *Échos d'Orient*, *Une nouvelle Dogmatique orthodoxe. Trois théologiens grecs en présence*, t. XI (1908), p. 146-154, 257-264.

nibus ab ipso factam. Hoc recte notat Andrutsus [1]. Unde quidam theologi græco-russi, in suis compendiis theologiæ dogmaticæ, demonstrationem existentiæ Dei omittunt, probant vero ejus unitatem variis argumentis ex sacra Scriptura, Patrum doctrina, vel etiam ex principiis metaphysicis haustis [2]. Plerique tamen ipsam Dei existentiam tritis probationibus arguunt, sed brevissime et absque dialectico apparatu. Zikos Rhosis solus fuso calamo pertractat sequentia argumenta : cosmologicum, psychologicum, teleologicum, ontologicum. Quidam duo vel tria argumenta, ea præsertim quæ habet Damascenus [3], proferre satis habent [4].

Inter argumenta, quibus alii potissimum attendunt, notandum est imprimis argumentum psychologicum, quod a diversis auctoribus varie proponitur.

Theophylactus Gorskii de eo hæc habet :

« Homo, si paulisper animum attendere velit, se non sui ipsius esse causam, nec quidquid habet, non a semetipso, sed ab eo, cujus sapientiam potentiamque summam vestigiis luculentissimis ubique se prodere comprehendit, accepisse statim perspicit [5]. »

Sylvester Lebedinskii fusius idem declarat et aliquid amplius addit :

« Hoc, inquit, demonstratur ab homine ipso, qui in sinu suo habet domesticum hujusce veritatis doctorem, et si ab omnibus visum suum avocet et in seipsum reflectat, non

1. Δογματική, p. 39.
2. Macarius existentiam Dei probat ad limen introductionis in theologiam orthodoxam, quæ Apologeticæ et fundamentali theologiæ respondet. Malinovskii, *Ocerk pravoslavnago dogmaticeskago bogosloviia (Theologiæ dogmaticæ orthodoxæ adumbratio)*, t. I, Kamenetz-Podolsk, 1904, de sola Dei unitate in fine tractatus de Deo uno agit, et quidem ex fontibus Revelationis, p. 95-103. Macarius item de unitate Dei in cursu dogmatico tractat, t. I, p. 75-89.
3. Damascenus, *De fide orthodoxa*, l. I, c. III; *P. G.*, t. XCIV, col. 793-798; Deum esse arguit : 1° ex contingentia rerum mutabilium; 2° ex conservatione et gubernatione mundi; 3° ex ordine qui in cosmo ubique apparet.
4. Ita Athanasius Pariensis, Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, Lipsiæ, 1806, p. 49-51.
5. *Op.* et *ed. cit.*, p. 4.

minorem in microcosmo quam in macrocosmo sapientiam agnoscet et in corpore visibilem et in mente scintillantem divinitatem admirabitur... Hoc præcipue docet conscientiæ vis ac stimulus sceleris vel cœpti vel patrati comes individuus, cujus neque sensus obtundi, neque accusatio eludi, nec testimonium corrumpi, nec vadimonium deseri, nec tribunal declinari potest. Qui fit enim, ut conscientia, commisso scelere, angatur etiam in occulto et remotis arbitriis, ubi nullum ab hominibus imminet periculum, etiam in illis qui in supremo fastigio sunt constituti, nisi quia penitissimo Numinis sensu afficitur [1]? »

Mesoloras argumentum sumit ex desiderio innato summi veri et summi boni [2].

Philaretus Gumilevskii, Macarius, S. Lebedinskii in argumento indolis historicæ, quod super theophaniis et miraculosis Dei interventibus per decursum temporum desumitur, merito insistunt. Probatio enim hujusmodi plerisque hominibus magis pervia est quam argumenta metaphysica proprie dicta :

« Possunt, ait Lebedinskii, alia non pauca addi argumenta ad probandam existentiam divinam : 1. A rerum futurarum et mere contingentium vaticiniis, quæ longe ante eventum prædici non potuerunt certissime nisi a mente omniscia; 2. Ab heroicis magnorum virorum motibus, qui sine afflatu divino dari non potuissent; 3. Ab imperiorum conversionibus et eversionibus, quas digito Dei contingere res ipsa clamat; 4. A miraculis, quæ totius naturæ vim superant. Cum enim nihil ultra vires suas cadere possit, et multa miracula sæpius contigisse in mundo non modo Scriptura testetur, sed et Judæi et ethnici fateantur, necesse est dari aliquod ens perfectissimum, tota natura majus ac præstantius, cujus virtuti transcribantur; quod non aliud potest quam Deus [3]. »

Philaretus Gumilevskii notat Deum revelare suam existentiam in ipso facto revelationis. Jesus Christus se Deum

1. *Op. cit.*, p. 94.
2. *Op. cit.*, p. 94.
3. *Op. cit.*, p. 95.

esse ostendit certis signis, quæ ab apologetis christianæ religionis critica methodo discutiuntur ac probantur [1].

Argumenti ex prophetiis et miraculis immerito vim deprimit Zikos Rhosis, dum scribit :

« Probatio existentiæ Dei ex revelatione divina, ex miraculis et Scriptura sacra non est demonstratio veri nominis, quia ut hæc omnia tanquam Dei opera haberi possint, cognitionem Dei existentiæ aliunde jam habeamus necesse est [2]. »

Zikos Rhosis non attendit nos posse uti sacra Scriptura non tanquam libro divinitus inspirato, sed ut documento humano historice veraci, ea nempe ratione qua apologetæ sacros libros usurpant ad veritatem christianæ religionis, Christi divinam legationem et ipsam divinitatem comprobandam. Cæterum, ad omnem scientificam demonstrationem existentiæ Dei prærequiritur, ut Rhosis ipse fatetur, aliqua Dei notio saltem confusa et obscura.

De argumenti ontologici valore diverse sentiunt Græco-Russi, sicut et nostri philosophi ac theologi. Jam supra diximus Macarium et Philaretum Gumilevskii existentiam Dei ex idea infiniti in mente nostra existenti deducere ad instar Cartesii, id est non *a simultaneo*, sed *via causalitatis*. Ex eadem idea *a simultaneo* jam arguunt Dei existentiam Mesoloras et Zikos Rhosis. Mesoloras hæc tantum habet :

« Probatur existentia Dei etiam ex demonstratione ontologica, id est ex idea qua Deus concipitur ut ens absolutum, ens verum, ens perfectissimum, quia perfectio non est perfectio absque sua reali existentia. Conscientiæ nostræ inest idea absoluti; ergo et absolutum existit [3]. »

De eodem argumento longius atque explicatius disserit Zikos Rhosis, qui illud his verbis proponit :

« Omne quod in mundo intelligimus tanquam imperfectum, intelligimus ut finitum ac circumscriptum, quia simul perspicimus notionem infinite perfecti, incircumscripti et

1. *Op. cit.*, p. 35-36.
2. *Op. cit.*, p. 140 : « Ἡ ἐκ τῆς θείας ἀποκαλύψεως, ἐκ τῶν θαυμάτων καὶ ἐκ τῆς ἁγίας Γραφῆς ἀπόδειξις τῆς ὑπάρξεως τοῦ Θεοῦ δὲν εἶνε κυρίως ἀπόδειξις. »
3. *Op. cit.*, p. 95 : « Τῇ συνειδήσει ἡμῶν ἔνεστιν ἡ ἔννοια τοῦ ἀπολύτου· ἄρα καὶ ὑπάρχει τοῦτο. »

absoluti, ad quam metientes ac comparantes omne quod in mundo existit, illud tanquam imperfectum et circumscriptum novimus. Cogitamus autem ideam infinite perfecti, incircumscripti et absoluti ex necessitate, quatenus absque cogitatione hujus ideæ, quæ ab idea finiti et circumscripti separari nequit, nihil eorum quæ in mundo sunt tanquam finitum cogitare possumus. Hæc vero notio infinite perfecti et incircumscripti, quam necessario concipimus, non est notio abstracta ac veritatis (= πραγματικότητος, id est, realis existentiæ) expers, quia notio absoluti, infiniti et incircumscripti, utpote ex se, per se et propter se existentis, necessario existit, quatenus quod est infinite perfectum seu incircumscriptum et absolutum, illud est quod non circumscribitur ab altero a se distincto, sed ex se et propter se existit. Quatenus autem ens infinitum et absolutum ex se ac propter se existit *estque suiipsius causa efficiens*[1] ac finalis, seu existit a se et a se perfectionem habet, necessario existit. Quod vero necessario concipitur estque infinitum et absolutum, hoc Deus est, nempe infinita virtus et *causa non mundi tantum, sed etiam suiipsius*[2]. »

Hæc forsan omnibus non omnino perspicua erunt. Theologi græci mentem, ut videtur, haud adulterabimus hac brevi forma eam vestiendo omnemque vitiosum loquendi modum vitando :

« Ex necessitate concipimus notionem entis perfecti, cui existentiam realem necessario tribuimus. Si hujusmodi notio necessario nobis inest, hæc rerum veritati (= réalité) necessario respondere debet; secus (scilicet, si ens perfectum, quod necessario concipimus, non existeret), intellectus noster necessario conciperet falsum, nec esset veritatis capax et apprehensor, sed erroris ac fallaciæ parens et organum. »

1. « ὂν ποιητικὸν ἅμα καὶ τελικὸν αἴτιον ἑαυτοῦ. » Nemo non videt hunc loquendi modum esse vitiosum; causam enim sui ipsius esse contradictionem implicat.

2. *Op. cit.*, p. 168-169 : « Νοοῦμεν τὴν ἔννοιαν τοῦ ἀπειροτελείου, ἀπεριορίστου ἢ ἀπολύτου κατ'ἀνάγκην... Ἡ ἀναγκαίως δὲ νοουμένη ἔννοια τοῦ ἀπειροτελείου... δὲν εἶνε ἀφηρημένη καὶ ἄμοιρος πραγματικότητος... Τὸ δὲ ἐξ ἀνάγκης νοούμενον καὶ ὑπάρχον ἀπεριόριστον ἢ ἀπόλυτον εἶνε ὁ Θεὸς ὡς ἀπεριόριστος δύναμις. »

Hanc esse Rhosis genuinam sententiam innuunt ea quæ paulo inferius addit :

« Revera negatio objectivæ existentiæ ideæ Dei a rationali cogitatione intellectus necessario conceptæ ex quodam scepticismo philosophico systematis Kantii procedit, necnon ex dualismo in eo contento inter conceptiones subjectivas intellectus et rerum mundi veritatem... Si posuerimus quod quidquid necessario concipimus, verum non sit nec certum, omnem cognitionem veritatis, vel ipsarum propositionum mathematices, possibilem esse infitias ibimus[1]. »

Hoc modo propositum, argumentum ontologicum validum videtur, si tamen major vera sit : *Ex necessitate concipimus notionem entis perfecti.* Ad hoc enim tunc reducitur : *Ens ut sic, ens plenum, cui inest omne quod habet rationem entis, existit,* seu brevius : *Ens est*[2].

ARTICULUS III

De essentia Dei necnon de divinorum attributorum divisione.

Deus in se consideratus est ens simplicissimum, in quo nequaquam invenitur elementum aliquod primarium, principale ac radicale seu *essentia*, quæ sit fons ac radix alterius elementi secundarii, id est proprietatum ex essentia dima-

1. *Ibid.*, p. 175-176.

2. In eumdem fere sensum argumentum ontologicum sumit et explicat, ejusque vim demonstrativam propugnat A. Bouyssonie in commentario : *Revue apologétique*, t. LII, janvier 1931, p. 22-38 : « Les premières idées de l'esprit sont les idées d'être et d'être limité. En vertu du principe du tiers exclu, nous disons : l'être ne peut être que limité ou non limité. De cet être non limité, infini, mais *hypothétique*, nous nous demandons s'il existe. Nous répondons par l'argument ontologique : L'Être est; l'Être infini ne manque de rien, pas même, ni surtout de l'existence. Un tel argument réunit exactement toutes les conditions d'une bonne démonstration... On peut nier l'objectivité des idées complexes et artificielles, comme l'idée d'une montagne d'or. Mais en niant l'objectivité des idées simples et spontanément acquises, comme l'idée d'être, on tombe soit dans le criticisme, pour qui les idées ne sont

nantium. Sub hoc respectu dicendum est Deum non habere essentiam, non esse essentiam. Quidquid enim in Deo est, Deus est. Quia autem humana ratio non cognoscit Deum ut in se est, sed per creaturas, id est *analogice* tantum, distinguit in eo varias perfectiones seu diversos respectus, quibus aliquam notionem Entis absoluti sibi effingit. Hæ diversæ perfectiones, quas Deo tribuimus, vocantur attributa Dei seu proprietates ejus (ἰδιότητες). Quærunt autem theologi utrum inter hæc attributa unum invenire possimus primarium ac fundamentale, quod, juxta modum nostrum concipiendi, vices illius gerere possit quod in creaturis vocamus *essentiam* seu *naturam;* quod scilicet nobis Deum perscrutantibus primum innotescat, quo Deus ab omnibus aliis penitus secernatur, et ex quo velut ex fonte omnia alia attributa logice dimanent. Attributum hujusmodi vocabitur *essentia Dei metaphysica* seu *constitutivum essentiæ divinæ.*

Notum est hanc quæstionem expressis terminis in Schola non fuisse agitatam ante sæculum xv. Unde in vanum eam quæres tum apud antiquos Patres, tum apud mediævos Byzantinos. Patres tamen et post ipsos quidam theologi byzantini huic vel illi attributo, immo vero modo huic, modo illi, in suis scriptis primatum tribuerunt. Ita Dionysius Areopagita attributum bonitatis ante alia ponit [1]; loquitur vero de bonitate, quatenus est attributum relativum, seu, quatenus summum bonum est sui diffusivum. Damascenus quæstioni propositæ jam respondere videtur, dum scribit :

« Ex omnibus nominibus quæ Deo tribuuntur, nullum æque proprium videtur atque ὁ ὤν, quemadmodum ipsemet, cum Moysi in monte responderet, ait : *Dic filiis Israel : Qui est misit me* (Ex., v, 4); siquidem totum esse, velut immensum quoddam ac nullis terminis definitum essentiæ pelagus, complexu suo continet. Ut autem Dionysio placet, prima-

que des entités idéales purement subjectives; soit dans le positivisme et le nominalisme, pour qui les idées ne sont que des entités verbales... Mais alors on ruine toutes les preuves de l'existence de Dieu et aussi toute science et toute philosophie », p. 28, 29.

1. *De divinis nominibus*, c. iv, 1; Cf. c. v, 4.

rium ipsius nomen est : *bonus*, ἀγαθός; neque enim de Deo dicere licet primum : *est*, deinde : *bonus est* [1]. »

Photius item dicit primarium Dei nomen esse : ὁ ὤν, ὁ ὑπερουσίως ὤν [2]. Gregorius Palamas vero docet bonitatem esse Dei essentiam [3]. Cæterum hic theologus circa Dei essentiam graviter errat, ut in proximo capite dicetur, cum illam concipiat ad modum substantiæ, *a qua velut a fonte realiter ab ipsis distincto* cæteræ dimanent Dei perfectiones et operationes.

Græco-Russi moderni, inde a sæculo xvi, quæstionem scholasticam de constitutivo essentiæ divinæ sibi proposuerunt ac diverse solverunt, unam vel aliam ex sententiis nostrorum seligentes [4]. Plerique constitutivum essentiæ divinæ in aseitate (τὸ αὐτοϋπάρχειν) posuerunt [5]. Theologi russi vero qui sæculo xviii Theophanis Procopovitch doctrinam secuti sunt necnon illi qui sæculo xix vixerunt, hanc quæstionem ut otiosam plerumque neglexerunt [6]. Hoc non impedit quominus ipsi, in divisione attributorum Dei statuenda, de attributo vel de attributis, quæ tanquam cæterorum radix ac fundamentum haberi possint, inquisitionem moveant.

Ita Macarius, postquam præcipuas sententias scholasticorum nostrorum de proposita quæstione retulit, easque prorsus inutiles pronuntiavit, notionem *spiritus* ut primariam retinet : *Deus in sua essentia est spiritus*, et ex hac notione attributa divina in tres classes distribuit : 1° Attributa essentiæ Dei in genere, id est ea, quæ tum ipsi naturæ seu substantiæ spirituali Dei, tum ejus duabus facultatibus, intellectui scilicet ac voluntati, communiter congruunt,

1. *De fide orthodoxa*, l. I, c. ix, *P. G.*, t. xciv, col. 836 : « Δοκεῖ μὲν κυριώτερον πάντων τῶν ἐπὶ Θεοῦ λεγομένων ὀνομάτων εἶναι ὁ ὤν. »

2. *Ad Amphilochium*, q. xc, *P. G.*, t. ci, col. 569.

3. *Capita physica et theologica*, 34. *P. G.*, t. ci, col. 1141 D : « οὐσίαν ἔχει τὴν ἀγαθότητα. »

4. Cf. Vichnevskii, *op. cit.*, p. 209, 218 et supra, p. 9, nota 1. Cum cursus theologici Kioviensium inediti remanserint nec eos adeundi facultas fuerit, eorum opiniones per singula referre non possumus.

5. Ita Vincentius Damodus et Eugenius Bulgaris, Θεολογικόν, Venetiis, 1872, p. νϛ' et 81-82.

6. Nihil habent de hac quæstione tum Theophylactus Gorskii, tum S. Lebedinskii.

eumque ut spiritum ab omnibus aliis essentiis secernunt, suntque sequentia : infinitas seu absoluta perfectio, aseitas, independentia, immensitas et omnipræsentia, æternitas, immutabilitas et omnipotentia; 2° Proprietates intellectus divini, illi soli propriæ, scilicet : omniscientia et summa sapientia; 3° Proprietates ad divinam voluntatem solam pertinentes, scilicet : summa libertas, perfectissima sanctitas, infinita bonitas, summa veracitas ac fidelitas, infinita justitia [1].

Philaretus Gumilevskii item Deum considerat ut spiritum, cujus anima humana similitudinem refert. Unde attributa divina partitur in *proprietates existentiæ Dei* et in *proprietates vitæ ejus*. Illæ vocari possunt proprietates communes essentiæ Dei, hæ vero proprietates particulares. Proprietates communes sunt : *existentia extra tempus*, id est aseitas, æternitas, immutabilitas; *existentia extra spatium*, id est omnipræsentia; *existentia extra tempus et spatium simul*, id est spiritualitas *(dukhovnost)*. Vita Dei constituitur : 1° intellectu divino, cujus attributa sunt omniscientia et summa sapientia; 2° voluntate divina, cujus attributa sunt libertas, omnipotentia, sanctitas, bonitas et justitia; 3° *affectu divino* (= le sentiment), cujus attributum est beatitudo [2].

Juxta Antonium Amphiteatrov, duo sunt præcipua Dei nomina, ex quibus deducuntur omnes ejus perfectiones, scilicet : *Qui est*, ὁ ὤν, quod est nomen essentiæ Dei, et *Spiritus* (russice *dukh*), quod est nomen vitæ ejus. Exinde tres classes attributorum distinguit : 1° Proprietates essentiæ divinæ, id est summa simplicitas, aseitas et independentia, omnipræsentia, æternitas, immutabilitas; 2° Proprietates vitæ divinæ, id est omniscientia pro intellectu, sanctitas, libertas, omnipotentia, omnisapientia, summa bonitas, justitia et veracitas pro voluntate; 3° Proprietates tum essentiæ Dei tum ejus vitæ communes, scilicet majestas et gloria, beatitudo, unitas [3].

1. *Pravoslavno-dogmaticeskoe bogoslovie*, t. I, ed. 4, Petropoli, 1883, p. 94-144.
2. *Op. cit.*, t. I, p. 38-39.
3. *Dogmatica theologia orthodoxæ, catholicæ et orientalis Ecclesiæ*, § 17-47. Editione græca Theodori Valliani utimur : Δογματικὴ θεολογία τῆς ὀρθ. καθ. καὶ ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1858, p. 70-95.

Malinovskii ut fundamentalia attributa habet *infinitatem* et *spiritualitatem (bezkonetchnost i dukhovnost)*, quæ sunt duo attributa communia essentiæ Dei. Ex infinitate dimanant attributa *ontologica*, scilicet aseitas, immutabilitas, æternitas, immensitas et omnipræsentia. In spiritualitate vero ut partes in toto continentur : intellectus Dei cum suis attributis, nempe omniscientia et omnisapientia; voluntas Dei, cujus proprietates sunt libertas, sanctitas, omnipotentia et justitia; affectus seu sensus divinus, cujus attributa sunt summa felicitas et bonitas seu misericordia [1].

Zikos Rhosis essentiam Dei reponit in infinitate seu in absoluta perfectione : « Deus, inquit, est τὸ absolutum seu infinitum, τὸ ἀπόλυτον ἢ ἀπεριόριστον. Hæc notio absoluti seu infiniti non est una ex Dei proprietatibus, sed essentiam ejus *proprie* manifestat (postea dicit : *qualitercumque* manifestat, ὁπωσδήποτε δηλοῖ)... Absoluta, unica et simplex Dei essentia, cum non sit unitas vel simplicitas abstracta, vel essentia abstracta, accuratius determinatur in tribus hypostasibus suis et in multitudine proprietatum. Per tres autem personas in una Dei essentia congruenter in unum connectitur multitudo attributorum, quæ secundum tres personnas ad invicem in unam essentiam concinne unitas, sunt simul physica, logica et moralia attributa concinne unita et ad invicem et ad tres personas, per eas autem et ad unam absolutam Dei essentiam [2]. »

Ut hæc verba theologi græci plane intelligantur, sciendum est illum de divinis attributis agere post tractatum de Deo trino illaque super tres personas distribuere in attributa *physica*, *logica* et *moralia*, primo quidem quatenus sunt absoluta, secundo quatenus et ad creaturas referuntur; de qua theoria quædam in tractatu de Deo trino dicemus [3].

Præsentem quæstionem breviter tangit Andrutsus non quidem ut propriam sententiam de proposito nobis patefaciat, sed ut quarumdam responsionum ab aliis prolatarum

1. *Op. cit.*, t. I, p. 48.
2. *Op. cit.*, p. 303 : « Ἡ ἔννοια αὕτη τοῦ ἀπολύτου ἢ ἀπεριορίστου δὲν εἶνε ἰδίωμά τι τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ κυρίως δηλοῖ αὐτὴν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ. » Cf. p. 131, 181, 305-306.
3. Cf. p. 248.

censuram agat. Ostendit nempe neque *charitatem* (τὴν ἀγάπην), neque *personalitatem* (τὸ προσωπικόν), neque *infinitatem* seu τὸ ἀπόλυτον essentiæ metaphysicæ Dei vices gerere posse. De aliis opinionibus silet. Carpit item divisiones attributorum in *negativa* et *affirmativa*, quod negativa etiam aliquid positivi secum ferant; in *absoluta* et *relativa*, *quiescentia* et *operativa*, quod absoluta etiam dicant relationem ad creaturas, relativa vero super absolutis fundentur, nec sit in Deo realis distinctio inter essentiam et operationem. Post hæc, suam attributorum divisionem promit, quam ut simpliciorem et clariorem habet, etsi non omni ex parte idoneam illam pronuntiet. Est autem eadem ac illa, quam apud Zikos invenimus, scilicet triplex attributorum series ponitur : 1º Attributa physica (omnipræsentia, æternitas et omnipotentia); 2º Attributa logica seu intellectualia (omniscientia, sapientia); 3º Attributa moralia, ἠθικά (sanctitas, justitia, charitas) [1].

Ex his satis superque constat, sicut apud nostros, ita et apud Græco-Russos multiplicem ac variam esse attributorum divinorum tum divisionem tum enumerationem. Nec contemnendas esse Græco-Russorum divisiones, illasque considerationem doctorum mereri facile quisque concedet.

1. *Op. cit.*, p. 48-52.

CAPUT SECUNDUM

DE THEOLOGIA PALAMITICA, UBI DE SIMPLICITATE DEI NECNON DE EJUS SUPERNATURALI VISIONE IN CÆLO

Prænotamina.

Mira sane est in theologiæ byzantinæ historia systematis Gregorii Palamæ apparitio; adhuc vero magis stupenda sors illius in Ecclesia græco-russica; de quo haud pauca nobis narranda sunt ac exponenda [1]. Cum autem systema hujusmodi intra limites tractatus de Deo uno non coarctetur, sed ad alios tractatus se extendat, videlicet ad tractatum de Trinitate, ad tractatum de gratia vel etiam ad tractatum de novissimis, illud in præsenti capite ex toto exponere utile ducimus, tum ut ejus indoles clarius perspiciatur, tum etiam ne aliqua cum eo connexa pluries repetere cogamur. Hanc autem expositionem quatuordecim articulis complectemur, scilicet :

1º De origine controversiæ hesychasticæ sæculi XIV necnon de prima delineatione theologiæ Gregorii Palamæ;

2º Brevis historia controversiæ palamiticæ (1341-1368);

3º Expositio systematis Gregorii Palamæ;

4º De theologiæ palamiticæ novitate;

5º De elemento philosophico in theologia palamitica;

6º De auctoritatibus a Gregorio Palama ejusque discipulis ex fontibus Revelationis haustis;

7º De argumentis Palamitarum ex ratione theologica petitis;

8º De præcipuis discipulis Palamæ qui sæculis XIV et XV fuerunt necnon de eorum doctrina cum doctrina magistri collata. De palamismo mitigato;

1. In tomo I hujus operis quædam de origine palamismi dedimus p. 431-434, quæ nunc fusius explicanda sunt.

9° De palamismo tanquam doctrina fidei ab omnibus tenenda in Ecclesia byzantina publice definita, promulgata ac recepta;

10° Palamismus et Occidens catholicus, tempore controversiæ;

11° De palamismo cum doctrina catholica collato;

12° De præcipuis adversariis palamismi necnon de eorum doctrina circa theses palamiticas;

13° De doctrina palamitica in Ecclesia græco-russica a sæculo XVI ad nostra tempora;

14° Conclusio ex historia palamismi dimanans.

ARTICULUS PRIMUS

De origine controversiæ hesychasticæ necnon de prima delineatione theologiæ Gregorii Palamæ.

Quid sit hesychasmus, quid hesychastæ, in tomo I jam diximus [1], nec est cur eadem hic repetamus. Aliquid tamen haud parvi momenti prius dictis addendum est, scilicet quod mysticismus adulteratus, cui sæculo XIV ineunte hesychastæ in monte Atho degentes, si non omnes, multi saltem addicti erant, non recenter excogitatus fuerat, sed jam ab antiquo inter monachos orientales invaluerat. Nuper enim detegimus methodum practicam precandi et spiritum intra cor recolligendi seu includendi, quæ sub Symeonis Novi Theologi nomine circumferebatur, inveniri in *cod. Vaticano græco 658*, qui sæculi XII initio non est inferior [2]. Hæc autem precandi methodus ab auctore ita describitur :

« In cella quieta sedens seorsim in angulo, attende ut facias quod tibi dico : Portam claude et mentem tuam ab

1. *Loc. cit.*

2. *Cod. Vatic. græc. 658*, fol. 92°-101. Titulus opellæ est : Μέθοδος τῆς ἱερᾶς προσευχῆς καὶ προσοχῆς; vel in aliis codicibus : Περὶ τῶν τριῶν τρόπων τῆς προσευχῆς. Hanc nuper edidit I. Hausherr in commentario *Orientalia christiana*, t. IX (1927), p. 148-172; ejus tamen antiquitatem non advertit; de qua vide nostrum articulum in *Échos d'Orient*, t. XXX (1931), p. 179-185.

omni vana et caduca re abstrahe. Deinde mentum tuum pectori innixum inhæreat, moveasque sensibilem oculum cum toto spiritu tuo in medio ventris juxta umbilicum; quin etiam constringe fauces et attractionem spiritus narium, ut non facile respires, et inquire mente intus in visceribus, ut reperias locum cordis, ubi animi facultates morari solent. Et primum quidem invenies tenebras et crassitudinem minime cedentem; ubi vero perstiteris ac dies noctesque in hoc opere consumpseris, o rem admirandam! percipies lætitiam perpetuam. Quamprimum enim spiritus locum cordis invenerit, statum aspicit quæ nunquam sciebat; siquidem viso aere qui inter spatium cordis exstat, totum lucidum ac discretione plenum seipsum videt. Exinde, ubi aliqua cogitatio emerserit, antequam perficiatur ac plene efformetur, Jesu Christi invocatione illam persequitur ac penitus expellit [1]. »

In eodem *codice Vaticano 658*, fol. 101r-102v, occurrit excerptum alterius methodi precandi sancto Joanni Chrysostomo tributæ, quæ consistit in continua repetitione invocationis hesychastis propriæ : *Domine Jesu, Fili Dei, miserere mei.* Hanc iteres, ait auctor, a mane usque ad vesperam, et, si fieri potest, per noctem integram, ut diabolum in imo corde latentem expellas Jesumque in ejus locum introducas. Res non est parvi laboris, sed magnam vim requirit [2].

Circa finem sæculi XII, vel sæculo XIII ineunte, monachus

1. I. Hausherr, *loc. cit.*, p. 164-165. Hunc locum etiam invenies apud Allatium, *De Ecclesiæ occidentalis et orientalis perpetua consensione*, l. II, c. XVII, n. 2, col. 828; in *P. G.*, t. CL, col. 899; in opere monachi Niphonis, Περὶ τῶν βλασφήμων δογμάτων Γρηγορίου τοῦ Παλαμᾶ, *P. G.*, t. CLIV, col. 840 : « Εἶτα ἐρείσας τῷ στήθει τὸν πώγωνα, κινῶν τὸν αἰσθητὸν ὀφθαλμὸν σὺν ὅλῳ τῷ νοῖ ἐν μέσῃ κοιλίᾳ ἤγουν ἐν τῷ ὀμφαλῷ, ἄγξον καὶ τὴν τῆς ῥινὸς τοῦ πνεύματος ὁλκὴν τοῦ μὴ ἀδεῶς ἀναπνεῖν, καὶ ἐρεύνησον νοητῶς ἔνδον ἐν τοῖς ἐγκάτοις εὑρεῖν τὸν τόπον τῆς καρδίας, ἔνθα ἐμφιλοχωρεῖν πεφύκασι πᾶσαι αἱ ψυχικαὶ δυνάμεις. »

2. « Λοιπὸν βοᾶτε ἀπὸ πρῴ ἕως ἑσπέρας, εἰ δυνατὸν καὶ ὅλην τὴν νύκτα λέγειν ἀπαύστως· Κύριε, Ἰησοῦ Χριστέ, υἱὲ Θεοῦ, ἐλέησόν με. Παρακαλῶ οὖν, ὑμᾶς βιάσασθε, πάλιν λέγω βιάσασθε τὸν νῶτον ἕως θανάτου. » *Cod. Vat. græc. 658*, fol. 102v. Pseudo-Chrysostomi verba massalianismum redolent. Notum est enim Massalianos seu Euchitas docuisse dæmonem animam hominis inhabitare, qui vi expellendus sit, ut Spiritui Sancto locum cedat.

quidam, Nicephorus nuncupatus, methodum practicam includendi spiritum (τὸν νοῦν) intra corpus eoque pacto perveniendi ad divini luminis fruitionem, de qua sæpe loquuntur mystici auctores ac præsertim Symeon Novus Theologus, paulo aliter descripsit ac explicavit in suo opusculo inscripto : Λόγος περὶ νήψεως καὶ φυλακῆς καρδίας [1]. Hæc enim profert iste :

« Ingressus cubiculum tuum, claude ostium super te, et sedens in quodam angulo, fac quæ suggero tibi. Spiritus quem ducimus, ut nosti, hic aer est. Expiramus autem ipsum non aliam ob causam nisi ut cordi consulamus. Cor enim est corpori vitæ principium et caloris. Attrahit igitur cor spiritum, ut calorem respiratione foris expellet sibique bonum procuret temperamentum. Minister hujus negotii pulmo est, raræ ideo texturæ factus a creatore. Is instar follis indesinenter intro pellit et foras extrahit corpus tenue circumstans... Tu ergo, ut dictum est, spiritum tuum colligens, illum introduc in viam narium, per quam flatus (τὸ πνεῦμα) in cor ingreditur; pelle et coge illum, ut una cum aere tracto in cor introeat. Ubi enim huc ingressus erit, quæ sequentur gaudio tibi ac lætitia plena erunt. Sicut quando illustris vir e longa peregrinatione domum revertitur, gaudio fruitur inenarrabili filiorum et uxoris complexu, quos post tantum intervallum sospites iterum videt, ita spiritus (ὁ νοῦς), ubi animæ (τῇ ψυχῇ) unitus fuerit, ineffabili voluptate ac lætitia impletur... Regnum enim cælorum intra nos est... Oportet autem te et hoc insuper nosse : scilicet silere non debes nec otiosus manere, sed exclames in hæc verba decet : *Domine, Jesu Christe, Fili Dei, miserere mei*, idque absque intermissione agere nec unquam desistere; quo spiritum ab omni evagatione custodies illumque impetibus inimici inaccessum servabis [2]. »

1. Hoc opus primum edidit Petrus Poussines in sylloge : *Thesaurus asceticus sive syntagma opusculorum octodecim a græcis olim Patribus de re ascetica scriptorum*, Tolosæ, 1683, p. 408-428. A Poussines illud sumpsit editor *P. G.*, t. CXLVII, col. 945-966. A versione latina cave ; nimis enim paraphrastica est et a sensu auctoris quandoque aliena.

2. *P. G.*, t. cit., col. 963-964.

Methodi hujusmodi ad divini luminis contemplationem perveniendi in primo dimidio sæculi XIV inter hesychastas Athonenses vulgatæ erant, præsertim vero methodus Symeonis, quam in suis scriptis commendarunt tum Gregorius Sinaïta [1], tum Gregorius Palamas [2]. Porro, anno 1338, monachus Calaber Barlaamus, qui circa annum 1326-1327, relicta patria, non vero fide catholica, quam nondum professus fuerat [3], Constantinopolim se contulerat, postea autem et Thessalonicam petierat, mores ususque hesychastarum explorare incepit; et bona quidem ac laudabilia multa, ut ipse fatetur, a quibusdam illorum didicit; alii vero arcana stupenda ei revelarunt, loquentes « de portentosis quibusdam disjunctionibus ac rursus conjunctionibus spiritus cum anima, necnon de dæmonum cum anima congressibus; de luminum ruforum et alborum differentiis, de quibusdam per nares simul cum spirato aere ingressibus et egressibus; de quibusdam palpitationibus circa umbilicum supervenientibus; demum de conjunctione Domini nostri cum anima intra umbilicum in sensibili ac certa cordis experientia effecta; quæ omnia, ait Barlaamus, vel in manifestam

1. Cf. ejus opuscula : Περὶ ἡσυχίας καὶ προσευχῆς, in *P. G.*, t. CL, col. 1310 AB, 1330 AB et t. I hujus operis, p. 434-435.

2. Περὶ τῶν ἱερῶς ἡσυχαζόντων, *P. G.*, t. CL, col. 1106, 1107, 1110, 1112.

3. In primo dimidio sæculi XIV, si tabulis publicis Ecclesiæ constantinopolitanæ fides adhibenda sit, patriarchatus œcumenicus in Calabria duas adhuc metropolitanas sedes habebat, Regiensem scilicet et Sanctæ Severinæ. Cf. Parthey, *Hieroclis synecdemus et Notitiæ episcopatuum*, Berolini, 1866, p. 225-243. Ex multis monasteriis, quæ tunc in hac regione florebant (omnia vero ritui græco, sicut et ipsæ diœceses, addicta erant), quædam, ut videtur, jurisdictionem constantinopolitanam agnoscebant, vel episcopis unitis ejusdem regionis nominetenus tantum parebant; inter quæ fuisse monasterium Sancti Eliæ de Copressino in Galatro, ubi Barlaamus et educatus et sacerdotio fuit auctus, haud unum suggerit indicium. Cf. J. A. Mandalari, *Fra Barlaamo Calabrese, maestro di Petrarca*, Romæ, 1888, p. 31 et 72; F. Lo Parco, *Petrarca e Barlaam*, Regii, 1905, p. 113-114. Barlaamus ipse fatetur se in doctrina dissidentium fuisse educatum. Unde apostata non fuit, sed sub finem vitæ, anno scilicet 1341, ad fidem catholicam se convertit, et sequenti anno episcopus unitus Geracensis renuntiatus est. Cf. quæ dicimus infra, p. 60.

insaniam vel in desperantium suspendium desinere necesse est [1]. » Cum autem hesychastas interrogasset de natura luminis, quod se videre in suis exstasibus illi jactabant, responderunt istud lumen idem esse ac illud quod in variis tum Veteris tum Novi Testamenti theophaniis apparuit, præsertim vero ac illum candidissimum fulgorem, qui in facie Christi et circa ejus vestimenta super montem Thabor in transfiguratione ejus splenduit; hunc fulgorem autem esse quid divinum ex Dei essentia ab æterno emicantem.

Hæc omnia cum detegisset Calaber, ea tanquam graves abusus ac errores patriarchæ œcumenico Joanni Calecæ denuntiavit. Patriarcha vero, nedum criminationibus hujusmodi animum attenderet, Barlaamo excommunicationem minatus est, nisi ab impetendis hesychastis desisteret. Unde Barlaamus, Constantinopolim linquens, Thessalonicam perrexit, ubi prius aliquamdiu moratus fuerat, immo jam cum Gregorio Palama, hesychastarum uno, de Spiritus Sancti processione et de quibusdam aliis contentionem habuerat. Cum autem contra methodum precandi monachorum eorumque de lumine thaborico doctrinam aliquid ibi conscripsisset, quin tamen librum publice ederet, hesychastæ operis excerpta quædam clam illi surripuerunt, Gregorioque Palamæ, in monasterio Athonensi sancti Athanasii tunc degenti, ea detulerunt, illum rogantes, ut confratrum defensionem in se susciperet. Gregorius onus non recusavit statimque calamum arripiens, tres dissertationes ὑπὲρ τῶν ἱερῶς ἡσυχαζόντων contra Barlaamum, tacito tamen ejus nomine [2], continenter edidit; cui respondit Barlaamus, suum opus contra hesychastarum usus et errores publicando, in quo et ὀμφαλο-

1. Βαρλαὰμ Ἰγνατίῳ ἡσυχαστῇ *(Epistola Barlaami ad Ignatium hesychastam)*, in *cod. Vatic. 1756*, fol. 300v-301r : « ἐν οἷς διαζεύξεις τινὲς τερατώδεις καὶ αὖθις συζεύξεις νοῦ πρὸς ψυχὴν παρεδίδοντο, δαιμόνων τε πρὸς αὐτὴν συνουσιώσεις καὶ φώτων διαφοραὶ πυρρῶν τε καὶ λευκῶν, καὶ νοεραί τινες εἴσοδοι καὶ ἔξοδοι διὰ τῶν ῥινῶν ἅμα τῷ πνεύματι γινόμεναι· παλμοί τέ τινες περὶ τὸν ὀμφαλὸν συμβαίνοντες, καὶ τελευταῖον συνάφεια ἐντὸς τοῦ ὀμφαλοῦ τοῦ ἡμετέρου δεσπότου πρὸς τὴν ψυχὴν ἐν αἰσθήσει καὶ πληροφορίᾳ καρδίας γινομένη. »

2. Nomen tacuit, quia Barlaamus suum librum contra hesychastas nondum ediderat, nec eum noverat Palamas nisi ex excerptis a monacho Isidoro clam sublatis.

ψύχους illos appellabat. Controversia sic inita inter utrumque polemistam per tres integros annos perduravit, antequam Ecclesia byzantina sua auctoritate eam sopire tentaret. Palamas non minus quam tres dissertationum triades contra Calabrum conscripsit. Barlaamus vero, postquam legatione Avenionensi apud Benedictum papam XII, anno 1339, de mandato Andronici III imperatoris, functus fuit, Thessalonicam reversus, novam sui libri adversus hesychastas editionem recognitam, emendatam et auctam publicavit, cui hunc titulum præfixit : Κατὰ Μασσαλιανῶν *(Adversus Massalianos)* hoc nomine nuncupans hesychastas tum propter eorum modum precandi, tum propter eorum de natura luminis thaborici doctrinam [1].

Ad doctrinam autem quod attinet, si Davidis Disypati hesychastæ brevi narrationi fidendum, hæ fuerunt vicissim Barlaami et Palamæ positiones ac responsiones. Primum quidem hesychastis dicentibus lumen, quod in monte Thabor refulsit, fuisse quid divinum et æternum, Barlaamus respondit lumen hujusmodi materiale fuisse ac corruptibile, eo momento, quo Christus transfiguratus est, a Deo creatum; postea vero evanuisse ac in nihilum rediisse; subjiciebat autem monachorum sententiam hæreticam esse ac impiam [2]. His auditis, hesychastæ rogaverunt Palamam ut Calabrum deterreret, ne tantas blasphemias vulgaret vel conscriberet. Cum autem iteratis monitionibus et exhortationibus Palamæ Barlaamus obtemperare renuisset, tunc Palamas ipse, necessitate compulsus, sanctorum dicta de lumine transfigurationis in unum collegit, ut ostenderet lumen hujusmodi divinum esse et inaccessibile, increatum et æternum, illu-

1. Cf. Philotheum Kokkinum, *Gregorii Palamæ encomium*, *P. G.*, t. CLI, col. 585-590.

2. David Disypatos, Ἱστορία διὰ βραχέων ὅπως τὴν ἀρχὴν συνέστη ἡ κατὰ τὸν Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνον πονηρὰ αἵρεσις, in *cod. Monacensi 508*, fol. 1-4, et apud Porphyrium Uspenskii, *Vostok khristianskii*, *Athon*, t. III, ed. P. Syrku, Petropoli, 1892, p. 821-828 : « Ἔγραψε λόγους κατὰ τοῦ τοιούτου θείου φωτός, θέλων δεῖξαι αὐτῷ ὑλικὸν καὶ φθαρτὸν ὁ λέγων ὅτι οὐκ ἦν ἐκεῖνο τὸ φῶς ἀεί, ἀλλὰ τότε ἐγένετο, ἵνα ἴδωσιν οἱ μαθηταὶ ἰδιῶται ὄντες, καὶ θαυμάσωσι, καὶ πάλιν διελύθη καὶ ἐφθάρη καὶ ἐχώρησεν εἰς τὸ μὴ ὄν. »

minationem et gratiam et splendorem Dei, immo *divinitatis* appellatione a sanctis designatum [1].

Ad hæc Barlaamus scripto respondit : « Si talis indolis fuit lumen istud, ergo essentia Dei erat; ergo essentiam Dei facitis participabilem ac visibilem. Hoc autem est impium dogma Massalianorum [2]. »

Rescripsit Palamas : « Lumen illud est quidem divinum et increatum, et *divinitas* (θεότης) a sanctis nominatur; non est vero essentia Dei, sed operatio (ἐνέργεια) et gratia et gloria (δόξα) et claritas ex divina essentia in sanctos immissa. Sancti enim omnes, tum homines tum angeli, gloriam quidem Dei sempiternam vident gratiamque et donum recipiunt æternum, essentiam autem Dei nullus unquam homo vel angelus neque vidit neque videre potest [3]. »

Respondit Barlaam : « Quandoquidem dicitis essentiam Dei imparticipabilem esse et invisibilem, ejus vero operationem et gratiam participabilem ac sanctis communicatam, duos ergo deos dicitis, superiorem unum, inferiorem alterum. Superior deus est essentia, quæ invisibilis et imparticipabilis est; inferior deus est operatio et gratia, quam a Deo sancti accipiunt. » Unde hesychastis ditheismi crimen intulit [4].

Quid ad hæc Palamas? Verum est, ait, essentiam Dei imparticipabilem esse et cuilibet creaturæ invisibilem, angelis non exceptis; at vero participari potest ejus operatio ac deificans gratia (ἡ χάρις ἡ θεοποιός), cujus participes sunt et angeli et sancti. Dum autem ab illis participatur, a divina

1. « Ἀντέγραψεν ὁ Παλαμᾶς... καὶ ἔδειξεν αὐτὸ ἐκ τῶν λόγων τῶν ἁγίων θεῖον καὶ ἀπρόσιτον, ἄχρονον, ἄκτιστον καὶ ἀΐδιον, ἔλλαμψιν καὶ χάριν καὶ λαμπρότητα Θεοῦ καὶ θεότητα παρὰ τῶν ἁγίων καλούμενον. » *Cod. cit.*, fol. 1r.

2. « Εἴπερ ἦν τοιοῦτον τὸ φῶς ἐκεῖνο, ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ λοιπὸν ἦν· καὶ ποιεῖτε λοιπὸν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ μεθεκτὴν καὶ ὁρατήν· τοῦτο δὲ ἔνι βλάσφημον καὶ δυσσεβὲς καὶ δόγμα τῶν Μασσαλιανῶν. » Fol. 1v.

3. « Ἀντέγραψε πρὸς ταῦτα ὁ Παλαμᾶς, ὅτι θεῖον μὲν ἔστι καὶ ἄκτιστον τὸ φῶς ἐκεῖνο, καὶ θεότης παρὰ τῶν ἁγίων ὀνομάζεται· οὐκ ἔστι δὲ οὐσία Θεοῦ, ἀλλ'ἐνέργεια καὶ χάρις καὶ δόξα καὶ λαμπρότης ἐκ τῆς θείας οὐσίας εἰς τοὺς ἁγίους πεμπομένη. » *Ibid.*

4. « Ἐπειδὴ λέγετε, ὅτι ἡ μὲν οὐσία τοῦ Θεοῦ ἐστιν ἀμέθεκτος καὶ ἀόρατος, ἡ δὲ ἐνέργεια αὐτοῦ καὶ ἡ χάρις μεθεκτὴ καὶ χορηγουμένη πρὸς τοὺς ἁγίους, λοιπὸν δύο θεοὺς λέγετε, ὑπερκείμενον καὶ ὑφειμένον. » *Ibid.*

essentia neque separatur neque dividitur. Unde non sunt duo dii vel duæ divinitates. « Quemadmodum enim in sole sensibili orbem habemus et radios ab orbe realiter distinctos, non vero ab eo revera separatos ac divisos; et orbis quidem inaccessus omnino est, nec oculi nostri in eum aciem suam figere valent quin eo ipso virtutem visivam amittant; radii vero ad nos perveniunt et omnia, quæ in mundo sunt, illuminant; nos autem solem vocamus tum orbem tum radios ejus; nec ideo duo sunt soles; nec nos duos dicimus soles, sed unum, quamvis innumeri sint radii; ita sane et de Deo sentiendum est, qui est sol spiritualis. Quamvis igitur imparticipabilem et invisibilem dicamus ejus essentiam, participabilem vero ejus operationem et gratiam, quam omnes sancti accipiunt, hoc non impedit quominus unus tantum sit Deus, qui et essentiam et operationem habeat. Et quemadmodum si quis multos esse soles affirmaret propter multitudinem radiorum solis, verum sane non diceret, ita etiam si quis multos deos posuerit propter operationes ejus ac gratias, is neque audiendus erit neque probandus. [1] »

Hæc fuit controversiæ palamiticæ occasio et origo; hic ejus verus progressus; hæc theologiæ palamiticæ sub Barlaami argumentatione prima et logica delineatio. A disputatione circa naturam luminis, quod in sua contemplatione methodis supra descriptis laboriose acquisita, se videre asseverabant hesychastæ, quodque divinum putabant idemque ac lumen in monte Thabor ab apostolis visum, lis tota incepit. Ut massalianismi crimen vitaret, Gregorius Palamas ad hoc adductus est, ut duas res inter se realiter distinctas in Deo poneret, essentiam scilicet et operationem ab essentia inseparabiliter et indivisibiliter ab æterno manantem. Ex hoc fundamentali principio totum palamiticum systema logice deducitur, quod fusius exponere necesse est. Hoc

1. « Ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τοῦ αἰσθητοῦ ἡλίου, ὁ μὲν δίσκος αὐτοῦ ἄψαυστός ἐστι παντελῶς καθ'ἑαυτὸν καὶ ἀχώρητος τοῖς ὀφθαλμοῖς..., αἱ δὲ ἀκτῖνες αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς ἔρχονται καὶ καταλάμπουσι πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ· λέγομεν δὲ ἡμεῖς ἥλιον καὶ τὸν δίσκον ἐκεῖνον καὶ τὰς ἐκείνου ἀκτῖνας· καὶ οὐκ εἰσὶ διὰ τοῦτο δύο ἥλιοι, ἀλλὰ εἷς, οὐδὲ λέγομεν δύο ἡλίους ἀλλ'ἕνα, κἂν μυρίας ἔχῃ ἀκτῖνας, οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστι νοητὸς ἥλιος. » *Ibid.*, fol. 2r.

autem præstabimus, postquam brevem conspectum historicum totius controversiæ præmiserimus.

ARTICULUS II

Brevis historia controversiæ palamiticæ.

I. — Prænotamina.

Controversiæ palamiticæ historia implicatissima est et adhuc imperfecte nota. Maxima enim pars scriptorum vel documentorum ad eam pertinentium nondum edita est; fontes vero historici hactenus publicati manifesto partium studio vitiantur. Pro Palamitis præsertim habemus Joannis Cantacuzeni *Historias* [1]; pro Antipalamitis vero Nicephori Gregoræ *Historiam byzantinam* [2]. Uterque in factis narrandis vehementi studio ducitur et nonnisi magna cum cautela legendus. Partium item zelo laborant non solum polemistarum utriusque factionis opera, verum etiam ipsa documenta publica in plurimis synodis, quæ intra hoc breve temporis spatium (1341-1368) locum habuere, promulgata. In hoc autem nostro conspectu paucis contracto quædam nova afferre poterimus ex fontibus nondum editis, quos laboriose collegerat clarissimus inter byzantinarum rerum peritos Ludovicus Petit. Haud pauca item pro historia hujus controversiæ gravia in opere Joannis Mercati recentissime edito occurrunt [3].

Porro circa veram controversiæ palamiticæ indolem errarunt historici plures. Quidam enim contentionem inter Gregorium Palamam et Barlaamum tanquam primam quamdam inter Aristotelicos et Platonicos byzantinos velitationem nobis depinxerunt [4]. Alii in ea potius detexerunt

1. In *P. G.*, t. CLIII-CLIV.
2. *P. G.*, t. CXLVIII-CXLIX.
3. G. Mercati, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone, di Manuele Caleca, di Teodoro Meliteniota, ed altri appunti per la storia della teologia e della letteratura bizantina del secolo XIV*, Romæ, 1931.
4. Ita Th. Uspenskii, *Ocerki po istorii vizantiiskoi obrazovannosti (Conspectus historiæ culturæ byzantinæ)*, Petropoli, 1892, indolem philosophicam contentionis inter Barlaamum et Gregorium Palamam plus æquo extollit. Cæterum hoc opus in pluribus optimum est et omnium, quæ de controversiæ prima periodo scripta sunt, præstantissimum.

repugnantiam et oppositionem utriusque culturæ, byzantinæ scilicet et latinæ scholasticæ, ita ut Palamitæ byzantinismi genuini defensores exstiterint, Barlaamus vero et alii Antipalamitæ eorum qui ad latinismum propensi essent vel novis inhiarent, antesignani fuerint; quod nonnisi ex parte vero respondet; siquidem in casu veri novatores fuere Palamas ejusque discipuli; traditionis vero servatores, illorum plerique adversarii. Atqui doctrinas et eventus attente consideranti apparet hanc controversiam imprimis fuisse indolis theologicæ, non philosophicæ. Etenim duæ methodi seu viæ ad cognitionem Dei perveniendi inter se concurrerunt et sibi invicem adversatæ sunt, methodus scilicet scientifica tum ex sana philosophia, tum ex fontibus Revelationis ab antiquis doctoribus interpretatis sua principia hauriens iisque inhærens; et methodus mystica ad experientiam eorum provocans, qui rerum divinarum contemplationi et vitæ hesychasticæ se dederunt. Unde hujus methodi sectatores nova quædam in medium proferre non dubitarunt, quæ, ut videbimus infra, tanquam legitimam dictorum Scripturæ et Patrum explicationem proposuerunt.

Notandum insuper hujus historiæ implicationi haud parum contulisse politicos eventus. In hujus enim contentionis primis exordiis, scilicet post Andronici III imperatoris improvisam mortem (die 15 junii, anno 1341), duæ nobis occurrunt politicæ factiones inter se bellantes. Palamitis favet Joannes Cantacuzenus, Magni Domestici dignitate decoratus, qui inexplebili ambitione accensus, corona imperatoria caput cingere gestit. Ex adversa vero parte, imperatrix vidua Anna Palæologina cum filio adhuc puero et Joannes Calecas patriarcha conatibus usurpatoris totis viribus obsistunt veteremque traditionem contra Palamæ novitates tuentur, donec Cantacuzenus et sibi et Palamitis victoriam obtineat atque in adversarios dure sæviat.

Contentionis historiam per singula narrandi hic locus non

est [1]. Ea tantum breviter referemus, quæ ad illustrandam Palamæ theologiam necnon ejus adversariorum doctrinam aliquid conferre valent.

II. De duabus synodis anni 1341 necnon de tomo synodico dicto.

Postquam Barlaamus ultimas Palamæ dissertationes contra se scriptas perlegit (an. 1339-1340), e Thessalonica Constantinopolim perrexit, ut sui æmuli novitates theologicas patriarchæ œcumenico declararet illumque rursus moneret de incongruenti orandi methodo inter hesychastas usitata. Primum quidem duram repulsam passus est, quandoquidem nec Joannes Calecas patriarcha, nec monachus Acindynus, Joannis familiaris, ei referenti quid de Deo sentiret Palamas, fidem adhibere voluerunt; immo ipse Barlaamus non ab omni errore immunis circa doctrinam de lumine thaborico inventus est ab Acindyno, qui patriarchæ jussu contra eum quasdam dissertationes edidit defensionemque Palamæ aperte in se suscepit. Calaber vero a suis contra Palamam et hesychastas impetibus minime destitit, multosque in urbe sui agendi modi probatores invenit, qui etiam patriarcham rogaverunt, ut res publico Ecclesiæ judicio solveretur. Palamas etiam accusatus est quod sacros canones transgressus fuisset, conventicula (παρασυναγωγὰς) in monte Atho et in Thessalonicensi civitate faciendo [2]. Tunc patriarcha Gregorium Palamam accersivit; qui cum quibusdam monachis Athonensibus Constantinopolim se contulit. Die autem decima junii, anno 1341, in templo sanctæ Sophiæ magna synodus congregata est, cui præfuit ipse Andronicus III imperator, adsistentibus præter clerum senatoribus aliisque dignitatibus cum frequenti concursu populi. Porro ante synodum, Acindyno instigante, in quodam secreto conventu cui adfuerunt patriarcha, imperator et senatores præcipui, Barlaamum a sua in monachos actione repellere, ejusque doctrinam circa lumen thaboricum Patrum auctoritate refellere decreverant, quin quæstio proprie dogmatica de essentia Dei et ejus operatione a Gregorio Palama mota in discussionem veniret [1]. Novam enim de re dogmatica controversiam omnino vitare volebant.

Sicut ante proposuerant, ita in synodo factum est. Barlaamo permissum non est, ut quæstionem dogmaticam adversus Palamæ dicta tangeret; ipse vero, quod cum Patribus Ecclesiæ de lumine thaborico non sentiret, convictus est, perlectis quibusdam excerptis homiliarum sancti Andreæ Cretensis et Joannis Damasceni de transfiguratione Domini [2]. Ad methodum autem orandi apud hesychastas vulgatam quod attinet, monachos a crimine massalianismi vel bogomilismi facile purgarunt, Barlaami accusationes de hac re fundamento carere pronuntiantes. Unde Calabrum ab insimulandis deinceps hesychastis deterruerunt, censuras ecclesiasticas ei minantes, si decreto synodi non steterit. Barlaamum vero, acuti ingenii hominem, quod contra se omnia antea meditata fuerant ac decreta, nequaquam latuit; unde synodo prudenter morem gessit, moxque relicta Cons-

1. Plura de hac historia dedimus in articulo PALAMITE (*controverse*), in *Dictionnaire de théologie catholique*, necnon in commentario *Échos d'Orient*, t. XXX (1931), p. 397-421. Vide etiam opera sequentia : J. Stein, *Studien über die Hesychasten des XIV. Jahrhunderts*, in *Oesterreichische Vierteljahreschrift für die katholische Theologie*, t. XII, Vindobonæ, 1873; Themistocles Ch. Stavru, Αἱ περὶ τῶν ἡσυχαστικῶν τῆς ιδ'ἑκατονταετηρίδος καὶ τῆς διδασκαλίας αὐτῶν ἐρίδες, Lipsiæ, 1905; Gregorius Papamikhaïl, Ὁ ἅγιος Γρηγόριος Παλαμᾶς, ἀρχιεπίσκοπος Θεσσαλονίκης, Petropoli et Alexandriæ, 1911.

2. « Ὡς ἄρα ὁ Παλαμᾶς παρασυναγωγὰς ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ ποιεῖ κἀν τῇ Θεσσαλονικῇ παρὰ τοὺς θείους καὶ ἱεροὺς κανόνας. » Acindynus, Λόγος πρὸς τὸν μακαριώτατον πατριάρχην κῦρ Ἰωάννην καὶ τὴν περὶ αὐτὸν σύνοδον διεξιὼν ὅπως ἡ τοῦ Παλαμᾶ καὶ Βαρλαὰμ φιλονεικία τὴν ἀρχὴν συνέστη, in *codice Monacensi 223*, sæc. XV, fol. 51v. Ex hac relatione inedita haud pauca ex iis, quæ hic dicimus, sumpta sunt.

1. Ita anonymus scriptor actorum cujusdam synodi antipalamiticæ pro patriarchatu Antiocheno, synodi quidem nondum habitæ eo tempore quo anonymus scribit, sed simpliciter pro futuro meditatæ. Documentum, circa annum 1370 conscriptum, in *codice Vaticano græco 3335* asservatur. Satis accurate contrahit historiam controversiæ palamiticæ; de quo vide J. Mercati, *op. cit.*, p. 204, 209-218.

2. Cf. Joannem Calecam, Περὶ τοῦ συνοδικοῦ τόμου, in *P. G.*, t. CL, col. 900 D. Non ergo omnes loci patristici, qui *tomo synodico* postea inserti sunt, tunc coram synodo producti sunt, sed tantum excerpta homiliarum Andreæ Cretensis et Damasceni.

tantinopoli in patriam reversus est [1], ubi Ecclesiæ catholicæ adhæsit. Anno autem sequenti, a Clemente VI episcopus Hieracensis ritus byzantini renuntiatus est.

Synodus ergo Barlaamum repulerat, monachorum defensionem susceperat; attamen Gregorii Palamæ doctrinam de essentia Dei et ejus operatione nullo pacto approbaverat, sed, e contra, sub gravissimis pœnis districte prohibuerat ne a quopiam sive clerico, sive monacho vel laico quæstiones dogmaticæ deinceps moverentur, laudatis antiquis canonibus huic decreto consonis. De quæstione autem inter Barlaamum et Palamam jam agitata silentium omnibus servandum erat, donec altera synodus futura de ea sententiam publicam ederet. Notandum vero est synodum nullam definitionem seu tomum, nullum speciale decretum sua auctoritate tunc promulgasse. Illi satis fuit canonica sententia monachos a Barlaami criminationibus vindicare necnon omnem dogmaticam controversiam in posterum prohibere.

Vix autem quatuor dies post absolutam synodum elapsi erant, cum Andronicus imperator derepente e vita cessit (15 junii 1341). Statim dolosæ machinæ in aula imperiali incepere. Magnus Domesticus, Joannes Cantacuzenus, imperatoris vices gerere appetebat, cujus consiliis obsistebant imperatrix Anna et Joannes patriarcha. Cum autem Gregorius Palamas ejusque discipuli, qui Constantinopoli remanserant, de fuga Barlaami clamose exsultarent convocationemque alterius synodi quæ quæstionem dogmaticam dirimeret, instanter postularent, Joannes Cantacuzenus, eorum fautor, hanc bonam nactus occasionem auctoritatem imperialem ostentandi, illorum petitioni annuere voluit. Invito igitur ac reluctante patriarcha, alteram synodum in eodem templo sanctæ Sophiæ, mense augusto, convocavit, cui ipse præfuit. Interfuerunt multi præsules, senatores et magistratus, populus frequens. Gregorius Palâmas et Acindymus de essentia Dei et operatione invicem jurgati sunt. Acindynus

1. Si tomo synodi palamiticæ, anno 1347, mense februario, Constantinopoli habitæ, fides adhibenda sit. Barlaamus jam *postero die* ab urbe profectus est, τὴν δ'ὑστεραίαν ᾤχετο φεύγων ἀδήλως. In *codice Dionysiano Athonensi 147*, fol. 265.

enim, cui ante primam synodum Gregorius Palamas promiserat se e suis scriptis illos loquendi modos expuncturum, qui summæ Dei simplicitati manifesto repugnabant, theologi hesychastæ partes deseruerat, postquam vidisset illum non solum promissa non adimplere, verum etiam prohibitionem synodi de non agitandis amplius quæstionibus dogmaticis aperte transgredi. Conciliabulum — hoc enim nomine merito nuncupanda est synodus ista, quippe quæ invito patriarcha congregata fuit et ab eo rejecta — Acindynum damnavit « tanquam impium ac Barlaami hæresi imbutum » [1], Gregorium Palamam autem miris laudibus extulit ejusque theologiam approbavit [2].

Ex hoc tamen conciliabulo Palamitarum causa revera nihil profecerat, quandoquidem Joannem Calecam nullo pacto adducere potuerunt, ut ejus decreta sua auctoritate firmaret. Quid tunc Palamas et hesychastæ? Vehementer institerunt, ut saltem aliquod publicum documentum orthodoxiæ ac innocentiæ ipsorum contra Barlaami criminationes eis traderetur, prout in synodo mensis junii decretum fuerat [3]. Proposito assensit patriarcha ea conditione, ut hujusmodi documentum, nomine primæ synodi promulgandum, ejus veram indolem fideliter referret. Palamitæ vero tomum propositum ipsi subdole confecerunt, haud pauca interpolantes, de quibus synodus siluerat, quæ etiam ab ejus vero scopo aliena prorsus fuerant [4]. Documentum in hunc modum

1. « τελέως καταδίκῃ καθυποβληθέντος ὡς δυσσεβοῦς καὶ τῷ Βαρλαὰμ σαφῶς ὁμοφρονοῦντος δειχθέντος. » Ita tomus synodi palamiticæ mensis februarii anni 1347; in eodem *cod. Dionys. 147*.

2. De hoc conciliabulo plerique historici silent. Eum memorat Joannes Calecas in *Explicatione tomi synodici*, *P. G.*, t. CL, col. 901 A. Cf. etiam Cantacuzenum, *Histor.*, l. II, c. XL; *P. G.*, t. CLIII, col. 676-689, qui multa ibi confundit asseritque conventum a patriarcha fuisse convocatum.

3. « ἐγκείμενοι ἠτοῦντο γράμμα αὐτοῖς γενέσθαι, μὴ ἀπόβλητοι εἶναι δοκεῖν. » Acindynus, *op.* et *cod. cit.*

4. V. g., dum in synodo sola testimonia Andreæ Cretensis et Joannis Damasceni producta fuerant, in tomo longa patristicorum locorum series recitatur. Ipse Acindynus, *cod. cit.*, fol. 53v, de tomo hoc scribit : « Γέγονε τοίνυν ὁ τόμος, καὶ παρεμβλήθη δολίως παρὰ τὴν σὴν γνώμην ἐν τῷ τόμῳ ἐκ μέρους τὰ ἑαυτοῦ παρ'αὐτοῦ. »

redactum Joanni subscribendum obtulerunt. Primum quidem patriarcha illud approbare recusavit. Instigantibus vero quibusdam eorum qui Joanni Cantacuzeno secreto addicti erant, illud sua subscriptione tandem firmavit, ea tamen in fine addita clausula de non amplius movendis controversiis circa fidei dogmata, sicut revera in prima synodo sancitum fuerat [1].

Hæc est vera origo et historia hujus famosi *tomi synodici* (ὁ συνοδικὸς τόμος), ad quem Palamitæ deinceps semper provocarunt, ut probarent suam doctrinam ab Ecclesia solemni judicio in synodo mensis junii fuisse receptam [2]; quod tamen rerum veritati minime respondet. Etenim documentum, ut jacet, theologiam Palamæ de essentia Dei et ejus operatione *directe* et *expressis verbis* minime approbat et nonnisi *indirecte* in Palamæ commodum cedit. Ut enim Joannes Calecas postea explanavit, auctoritates Patrum quæ ibi afferuntur, eo tantum spectant, ut Barlaami sententiæ de lumine thaborico refragentur, non vero ut doctrinam Palamæ fulciant [3]. Præterea, ex his auctoritatibus patristicis pleræque in synodo mensis junii nequaquam productæ sunt, sed a Palamitis post conciliabulum mensis augusti interpolatæ fuerunt [4]. Demum, interdictio ad calcem

1. Anonymus Antiochenus in *cod. Vatic. 2335* : « καὶ ἄκων ἐνέδωκεν, ἀγνοήσας τὸν ἐγκείμενον δόλον τῆς ἀσεβείας, καὶ ὑπογραφαῖς ἐπιστώσατο ἑαυτοῦ τε καί τινων ἄλλων... πλὴν ἐνέθηκε ταῖς τόμου ἀποφάσεσιν ἀφορισμοῦ ἐπιτίμιον, μηδένα τοῦ λοιποῦ... οἱονδήτινα δογματικῶς ἢ λέγειν ἢ γράφειν τι τὸ τυχόν. »

2. In codicibus manuscriptis *tomus synodicus* plerumque sic inscribitur : Συνοδικὸς τόμος γεγραμμένος ἐπὶ ταῖς ἐξελεγξάσαις καὶ ἀποβαλλομέναις τὴν τοῦ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκινδύνου δυσσέβειαν μεγάλαις συνόδοις, ἐν αἷς οὐχ ἡ Ἐκκλησία μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ σύγκλητος καὶ οἱ καθολικοὶ παρῆσαν τῶν Ῥωμαίων κριταί, προκαθημένου καὶ τοῦ θειοτάτου βασιλέως, ἕως οὗ περιῆν. Textum *tomi synodici*, qui sic incipit : Ἐπαινετὸς ἀληθῶς ὁ εἰπών, habes in *P. G.*, t. CLI, col. 679-692, absque versione latina. Quanquam in titulo alluditur ad *magnas synodos*, in textu de sola synodo mensis junii agitur, neque ullus fit sermo de conciliabulo mensis augusti.

3. *Explicatio tomi*, *P. G.*, t. cit., col. 901 C : « ὑπὲρ ὧν δὴ κεφαλαίων καὶ τὰ ῥητὰ τῶν ἁγίων ἐτέθησαν ἐπεξεργασίας πάσης χωρὶς καὶ ἐπεξηγήσεως. »

4. Cf. supra, p. 59, n. 2.

tomi sub anathematis pœna facta de disputationibus circa fidem non amplius movendis, sicut omnibus fidelibus, ita et Gregorio Palamæ ejusque asseclis intimatur.

Concedendum est tamen tomum istum palamismo *indirecte* favere. Omnia enim, quæ in eo continentur, ita ordinata sunt ac composita, ut ipsa synodus et Ecclesiæ Patres doctrinæ palamiticæ suffragium dare videantur. In principio, v. g., narrant Barlaamum hesychastas insimulasse quod Dei essentiam participabilem dixissent, hesychastas vero respondisse non Dei essentiam, sed gratiam deificam Spiritus Sancti, *increatam et æternam*, participari posse [1]. Item, inter locos patristicos ibi laudatos, quidam ambigui sunt et pro Palama specietenus facere videntur.

III. — De tomo hagioritico.

Præter *tomum synodicum*, de cujus origine et indole satis disseruimus, quædam dicenda manent de alio documento maximi momenti, quod in scriptis controversiam palamiticam respicientibus sæpe memoratur; est autem *tomus hagioriticus* dictus, id est tomus in *monte sancto* Atho compositus brevemque totius doctrinæ palamiticæ expositionem referens, cujus prima verba sunt : Τὰ μὲν ἀρτίως καθωμιλημένα [2]. Anno 1339, cum in suis adversus Barlaamum dissertationibus novam de Deo theologiam jam explicasset, Gregorius Palamas, Thessalonicam linquens, ad Sanctum Montem reversus est, ut confratribus monachis et hegumenis suam doctrinam plene exponeret eorumque de ea sententiam exposceret. Præsentiebat enim se a Barlaamo accusatum iri de hæresi apud patriarcham, volebatque fratrum auxilium sibi parare. Conventu igitur facto præcipuorum Athonensium, theologus hesychasta suam theologiam illis aperuit. Omnes cum admiratione ei suffragati sunt. Philotheus vero Kokkinus, calamum arripiens, τὸν ἁγιορειτικὸν

1. « Τῶν δὲ ἀπολογουμένων οὐ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ τὴν ἄκτιστον καὶ ἀΐδιον καὶ θεοποιὸν χάριν τοῦ Πνεύματος, διθεΐας αὐτοῖς ἐντεῦθεν ἔγκλημα προστρίψασθαι ἐπεχείρησεν. »

2. Illum habes cum versione latina in *P. G.*, t. CL, col. 1225-1236.

τόμον quasi dictante Palama conscripsit [1], cui omnes propria manu subscripserunt, per Jacobum, Sancti Montis episcopum, declarantes se eos tantum in suam communionem recepturos esse qui hujusmodi fidei professionem rectam ac ratam haberent.

Secundum Joannem Cantacuzenum [2], Gregorius Palamas in synodo mensis junii tomum istum primum in lucem produxit ac recitavit; quod omni verisimilitudine caret narrationique Acindyni aperte contradicit [3]. Probabile vero est eum in conciliabulo mensis augusti a Palamitis exhibitum fuisse, quamvis Nicephorus Gregoras dicat illum nonnisi anno 1344 vulgatum fuisse, postquam scilicet Athonitæ imperatrici Annæ aliisque magistratibus eum miserunt, ut epistolæ patriarchæ eis condemnationem Palamæ denuntianti [4] sic responsum darent [5]. Post palamismi triumphum, documentum haud semel publice approbatum fuit [6], refertque doctrinam sectæ primigeniam, prout jam anno 1339 a suo auctore delineata fuerat.

IV. — Joannes Calecas patriarcha et Acindynus contra Palamam (mense octobri 1341 — mense februario 1347).

Paulo post conciliabulum mensis augusti, Joannes Cantacuzenus contra Annam Palæologinam imperatricem aperte rebellavit coronamque imperii Didymotichi sibi imponi

1. Cf. *Encomium Palamæ* a Philotheo conscriptum, *P. G.*, t. CLI, col. 593 C; Manuelem Calecam, *De essentia et operatione*, *P. G.*, col. 329 A; Niphonem, *Adversus Palamam*, *P. G.*, t. CLIV, col. 861 D.
2. *Hist.*, l. II, c. XL; *P. G.*, t. CLIII, col. 673 B.
3. Acindynus enim dicit Palamam in synodo nihil protulisse eorum, quæ in ejus scriptis hæresim et novitatem redolebant. *Op. cit.*, in *cod. Monac. 223*, fol. 52v : « Ἐκεῖνα μόνα προὐβάλλετο, ἅπερ οὐκ εἶχε ταῦτα, τὰ περὶ προσευχῆς λέγω καὶ ἀρετῆς καὶ δακρύων καὶ λόγων καὶ τῶν περὶ φωτὸς ὀλίγα, ὧν προφανῶς οὐκ εἶχέ τις ἅψασθαι. »
4. Hanc epistolam habes in *P. G.*, t. CLII, col. 1269-1273.
5. Nicephorus Gregoras, *Hist. byzant.*, l. XXXVII, *P. G.*, t. CXLIX, col. 480.
6. Cf. *Acta synodi anni 1351*, *P. G.*, t. CLI, col. 757 CD. Palamitæ quandoque confundere videntur τὸν συνοδικὸν τόμον cum *tomo hagioritico*, et vice versa. Primum enim appellant τὸν συνοδικὸν καὶ ἁγιορειτικὸν τόμον. Revera uterque Palamitas auctores habet.

curavit (26 octobris 1341). Joannes patriarcha, qui una cum imperatrice tutoris vices erga Joannem V Palæologum, Andronici filium, gerebat, eum anathemate perculit ejusque simultatem in se concitavit. Palamas vero, qui ad usurpatoris partes præ gratia propensus erat, interdictionem in fine tomi synodici positam mox transgressus est, passimque jactare cœpit suam doctrinam ab Ecclesia fuisse publice approbatam, immo sub excommunicationis pœna impositam et ab omnibus necessario tenendam [1]. Interim novas dissertationes dogmaticas de essentia Dei et operatione conscripsit, nec a vituperanda agendi ratione patriarchæ erga Cantacuzenum abstinuit. A patriarcha arcessitus, Constantinopolim iterum petivit privatumque colloquium cum Joanne habuit (vere anni 1342). De suis novitatibus theologicis abjiciendis admonitus, obtemperare omnino recusavit. Unde coacta synodo, ad quam Palamas canonice vocatus se sistere noluit, patriarcha monachi contumacis scripta tanquam scandalum et discordiam ubique excitantia solemni sententia damnavit ignique tradidit (circa mensem junium, anni 1342). Paulo post, altera synodus eamdem sententiam iteravit [2]. Palamas autem, qui ad Heracleam civitatem aufugerat, a militibus captus Constantinopolimque adductus, in carcerem trusus est, ibique per quatuor integros annos remansit, a conscribendis libris theologicis et antirrheticis non desistens suamque doctrinam omni qua poterat via pervulgans. De ejus emendatione desperans, Joannes Calecas, die 4 novembris, anno 1344, synodali sententia eum excommunicavit, eamdemque pœnam in omnes ejus asseclas ac fautores pronuntiavit, inter quos nominatim indicabatur Isidorus, Monembasiæ episcopus electus [3]. Cum autem eo

1. Acindynus, *cod. cit.*, fol. 54r : « καὶ διϊὼν τὴν οἰκουμένην σχεδόν, ἔλεγε κεκυρῶσθαι πάντα αὐτοῦ τὰ συγγράμματα συνοδικῶς. »
2. Acindynus, *ibid.*, fol. 54v. In his duabus synodis, quas memorat Acindynus, non Palamas ipse, sed ejus scripta directe damnantur. De harum synodorum actis nihil ad nos pervenit.
3. Sententiam novimus : 1º ex *Epistola encyclica Joannis ad omnes fideles*, condemnationem Palamæ ejusque sectatorum denuntiantis, in *P. G.*, t. CL, col. 891-894, et apud Allatium, *De perpetua consensione*, etc., l. II, c. XVI, 5; 2º Ex *Epistola Joannis ad monachos Athonenses*, post condemnationem scripta, *P. G.*, t. CLII, col. 1269-1273; 3º Ex

tempore Ignatius, patriarcha Antiochenus, Constantinopolim casu pertransiret, utramque Joannis sententiam in Palamam et in Isidorum suam fecit, et contumaces ipse anathematizavit (mense novembri 1344) [1].

Anno 1346 ineunte, imperatrix Anna, ob politicas rationes, ad partes Gregorii Palamæ et hesychastarum declinare incepit. Cum enim reconciliationem cum Joanne Cantacuzeno meditaretur, ut ad hoc facilius perveniret, et palamismo favere et patriarcham Joannem Cantacuzeno prorsus invisum, e sede pellere in animum induxit; quod anno sequenti (1347) perfecit. Coacto enim quorumdam episcoporum in patriarcham infensorum conciliabulo, cui ipsa præfuit, patriarcham deponi curavit. Accidit autem, ut eadem nocte qua conciliabuli membra, absoluto negotio, jucunde epularentur, Joannes Cantacuzenus intra civitatis muros ex insidiis victor ingrederetur; qui mox imperatricem ad compositionem adduxit (8 februarii 1347) [2].

Joannes Calecas, antequam congregaretur conciliabulum, sententiam excommunicationis in Palamam et in omnes qui « ejus impia dogmata, vel potius deliramenta susciperent », renovaverat [3]. Item eodem anathemate perculerat eos, qui contra canones ejus nomen e sacris diptychis expunxerant. Notandum est autem conciliabulum edidisse longum tomum, in quo controversiæ exordia cum partium studio narrantur, Acindynus ut hæreticus damnatur, Palamas vero ejusque

Explicatione tomi synodici, a Joanne scripta post epistolam ad monachos, *P. G.*, t. CL, col. 900-903. Initium sententiæ in Isidorum exhibet J. Mercati, *op. cit.*, p. 202-203.

1. Sententiam Ignatii in Isidorum edidit L. Allatius, *De libris ecclesiasticis Græcorum*, p. 188-189. Ejusdem sententia in Palamam nondum edita est; quam longo sermone confutavit ipse Palamas : "Οτι καὶ τὸ τοῦ Ἀντιοχείας κατὰ τοῦ Παλαμᾶ γράμμα ψεῦδός ἐστιν αὐτόχρημα καὶ τῷ συνοδικῷ τε καὶ ἁγιορειτικῷ τόμῳ διὰ πάντων ἀντίθετον, in *cod. Coisl. 99*, fol. 143-153.

2. Cf. J. Cantacuzenum, *Hist.*, l. III, c. XCIX; *P. G.*, t. CLIII, col. 1292-1300; N. Gregoram, *op. cit.*, l. XV, c. IX, *P. G.*, t. CXLVIII, col. 1027 sq.

3. Hanc sententiam habes in *P. G.*, t. CL, col. 863-864, et apud Allatium, *De libris ecclesiasticis Græcorum*, dissert. II. De ea hæc profert Anonymus Antiochenus in *cod. Vatic. 2335* : « Τούτων δ' ἔτι μελετωμένων, ὁ πατριάρχης, συλλογισάμενος ὅπως ἔσται τὸ πέρας αὐτοῖς, ἐσχάτην ταύτην ἐγγράφως τὴν ἀποκήρυξιν κατὰ τῶν Παλαμητῶν ἐκφωνεῖ. »

discipuli tanquam Ecclesiæ et orthodoxiæ propugnatores ac defensores extolluntur [1]. Hunc tomum Joannes Cantacuzenus imperiali decreto firmavit (mense martio anni 1347) [2].

V. — Palamismi triumphus. De patriarchis palamitis Isidoro et Callisto (mense maio 1347 — februario 1354).

Joanne Caleca deposito, Cantacuzenus de eligendo successore curavit. Volebat sane ipsum Gregorium Palamam ad sedem patriarchalem promovere; timuit tamen illum vi imponere, præ opinione publica, quæ monacho contumaci ac theologo novatori adversa erat. Inter suffragantium ambitiosorum jurgia, Isidorus, Palamæ discipulus zelantissimus, Monembasiæ prius episcopus et a Joanne Caleca anno 1344 excommunicatus, tandem electus est (die 17 maii 1347). Qui statim sedibus morte vel exsilio occupantium vacantibus præsules palamismo addictos præfecit; inter quos Philotheus metropoli Heracleensi, Palamas vero Thessalonicensi datus est.

Eorum autem qui electioni Isidori utpote contra canones factæ reclamaverant pusillus grex in synodum coivit, Isidorum et Palamam deposuit, tomumque edidit, in quo subscribentium sententiam de quæstione controversa haud facile deteges, quandoquidem tum Palamam, tum Barlaamum et Acindynum reprobant (mense julio 1347) [3]; neque hoc mirum, cum heri et nudiustertius Palamitis suffragarentur, hodie vero illis adversentur.

Quid ad hæc præsules, Palamæ discipuli? Mox Isidorus synodum permanentem (τὴν σύνοδον ἐνδημοῦσαν) congregavit contumacesque excommunicavit atque deposuit (mense augusto 1347), ut videre est ex novo tomo a synodo hac occasione promulgato [4].

1. Hunc tomum habes, sed cum lacunis, in *P. G.*, t. CLII, col. 1273-1284. Textus completus occurrit in *codice Dionysiano Athonensi 147*, fol. 263-272.

2. Decretum invenitur in *P. G.*, t. CLI, col. 769-774.

3. Textus apud Allatium, *De perpetua consensione*, l. II, c. XVI, 4, et in *P. G.*, t. CL, col. 877-885.

4. Hunc tomum edidit P. Uspenskii, *Khristianskii Vostok*, *Athon*, t. III, ed. Syrku, Petropoli, 1892, p. 728-736.

Per breve tempus sui patriarchatus (1347-1349), Isidorus doctrinam Palamæ propagare totis viribus conatus est. Ad sedes episcopales illi tantum evecti sunt qui novæ theologiæ adhærebant. Adversantes clerici, monachi vel laici ubique exagitabantur, diversis pœnis ecclesiasticis vel etiam temporalibus mulctabantur. Eo tempore, philosophus Nicephorus Gregoras pristinæ orthodoxiæ contra Palamitas præcipuus defensor exstitit; qui anno 1348 cum Palama publice disputavit [1].

Hæc Palamitarum in adversarios agendi ratio in eorum detrimentum potius cessit, nedum eis animos conciliaverit; quod animadvertens Cantacuzenus, novam doctrinam publicæ ac liberæ discussionis periculo subjicere decrevit in quadam magna synodo, ubi Antipalamitæ suas in Palamam criminationes promere absque ullo impedimento permitterentur. Anno igitur 1351, die 27 maii, cum Callistus in Isidori demortui locum jam successisset (mense junio anni 1350), ad Blakhernarum palatium, in triclinio Alexiaco, imperiali edicto convocati sunt tum Palamas ejusque factionis præsules numero circa triginta, tum eorum adversarii, inter quos eminebant Matthæus, Ephesi metropolita, Josephus episcopus Ganensis, episcopus Tyri, qui et patriarchæ Antiocheni legatus, Theodorus Dexius et Nicephorus Gregoras, omnium celeberrimus. Quinque sessiones fuere (intra 27 maii et 9 junii) [2]. Cantacuzenus, qui cum omni æquitate contentioni se præfuturum promiserat, proposito haud semper stetit nec ab omni partium studio in Palamitarum gratiam se cohibere potuit, ita ut, in secunda sessione, Palamæ adversarii e deliberationum aula præ iracundia egressi fuerint. Potuerunt tamen isti, inde a tertia sessione, si non cum plena, saltem cum relativa loquendi libertate palamiticorum dogmatum censuram agere; quibus Palamitæ responderunt. Cum autem disputationes nimis protraherentur perlongosque sermones texerent Palamæ adversarii, proponente Cantacuzeno, totum contentionis argumentum ad quinque capita Palamæ doctrinam summatim complectentia revocatum est; quibus capitibus responsum dare jussi sunt Antipalamitæ. Omnes fere illa respuerunt tanquam veræ Patrum et orthodoxæ Ecclesiæ doctrinæ contraria. Unde a synodo tanquam barlaamitica hæresi infectos condemnati sunt. Qui episcopi erant publice degradati sunt. Alii in carceres publicos inclusi sunt; alii, inter quos fuit Nicephorus Gregoras, domi custoditi. Qui vero ante mortem ad theses palamaticas non se converterunt sepultura ecclesiastica privati sunt.

1. Nicephorus Gregoras, *Byzant. hist.*, l. XVI, c. v, *P. G.*, t. CXLVIII, col. 1081.

2. De hac synodo vide N. Gregoram, *Hist. byzant.*, l. XVIII-XXI; Anonymum Antiochenum in *cod. cit.*, qui narrationem satis longam habet; ipsum *tomum* nomine synodi promulgatum, in *P. G.*, t. CLI, col. 717-763.

Post duos menses (mense augusto 1351), longus tomus nomine synodi conscriptus est ac promulgatus, cui subscripserunt Palamitæ. In eo exposita ac multis Patrum locis roborata invenies præcipua doctrinæ palamiticæ capita; quæ anno sequenti, julio mense, in altera synodo in Blakhernarum palatio item adunata, sub anathematismorum et acclamationum forma redacta sunt ac *Synodico* Dominicæ Orthodoxiæ inserta, ut quotannis una cum aliis anathematismis et acclamationibus ad officium diei pertinentibus publice et alta voce recitarentur [1]. Illa adhuc legere est in liturgico libro Græcorum quem Τριῴδιον nuncupant [2]. Enuntiant autem doctrinam palamaticam prout hæc ab Ecclesia byzantina et postea ab Ecclesia græco-russica tanquam Orthodoxiæ norma publice recepta est.

VI. — Palamismus post annum 1354. Synodus Constantinopolitana anni 1368 ejusque tomus contra Prochorum Cydonium.

Patriarcha Callistus, qui in Antipalamitas dire sævierat, anno 1354 ineunte depositus fuit, quod Matthæo, Joannis Cantacuzeni filio, imperialem coronam imponere renuerat. In ejus locum suffectus est Philotheus Kokkinus, qui Matthæum coronavit, postquam ille palamismo publica decla-

1. Anathematismos hujusmodi invenies tum in *Triodiis* a Græcis dissidentibus editis, tum apud P. Uspenskii, *op. cit.*, ed. Syrku, t. III, p. 781-785.

2. Cf. ea, quæ dicuntur infra, p. 130-137.

ratione adhæsit. Anno sequenti, imperator legitimus Joannes V Palæologus de Joanne Cantacuzeno triumphum reportavit eumque ad abdicationem compulit (1355); qua occasione et Philotheus e sede patriarchali pulsus est et Callistus revocatus. Imperii compos solus factus, Joannes Palæologus palamismum ex toto neglexit; immo anno 1369, Romæ catholicam fidei professionem publice emisit. Permisit tamen, ut Ecclesia byzantina doctrinam Palamæ retineret et *pœnis spiritualibus* in eos animadverteret qui publicæ Orthodoxiæ nomen dare recusarent. Abrogatæ sunt tantum punitiones temporales, quibus, Cantacuzeno regnante, Antipalamitæ tanquam hæretici afficiebantur.

Anno 1355, Joannes V Palæologus ad disputationem publicam coram se et legato Romani Pontificis, Paulo Smyrnensi episcopo (qui postea et patriarcha latinus Constantinopolis renuntiatus est) Nicephorum Gregoram et Gregorium Palamam invitavit. Hujus concertationis exitus incertus fuisse videtur, cum uterque pugnator alteri vicissim negotium contraxerit [1].

Postquam autem, indulgente imperatore, libertas opinandi et loquendi circa quæstionem controversam concessa fuit, haud pauci Byzantini inter doctiores non solum palamismo alieni manserunt, verum etiam eum scriptis impugnarunt, inter quos enituit hieromonachus Athonensis Prochorus Cydonius, Demetrii Cydonii frater. Hic non parvum facessivit negotium Philotheo Kokkino qui, defuncto Callisto (mense augusto 1363), patriarchalem sedem iterum conscendit (12 feb. 1364) non sine bona gratia et officio

1. De hac disputatione duplicem narrationem habemus, unam a Nicephoro Gregora conscriptam, *Hist. byzant.*, l. XXX et XXXI, *P. G.*, t. CXLIX, col. 223-330; alteram paucis contractam et mancam a Palamito Phacrassi protostratore relatam, quæ nondum edita est occurritque in pluribus codicibus operum Palamæ. Sic inscribitur: Φακρασσῆ τοῦ πρωτοστράτορος ἐπίτομος κατὰ τὸ δυνατὸν διήγησις, παρόντος καὶ αὐτηκόου γεγονότος τῆς ἐπὶ τοῦ παλατίου ἐνώπιον τοῦ βασιλέως κυροῦ Ἰωάννου τοῦ Παλαιολόγου γενομένης διαλέξεως τοῦ Θεσσαλονίκης κυροῦ Γρηγορίου καὶ Γρηγορᾶ τοῦ φιλοσόφου Νικηφόρου, Ἀκινδυνιανοῦ γεγονότος. Παρῆν τηνικαῦτα καὶ ὁ λεγάτος. Incip. Ὁρισθεὶς παρὰ τοῦ ἁγίου ἡμῶν αὐθεντοῦ καὶ βασιλέως. In *cod. Dionysiano Athonensi 194*, fol. 17 sq.; in *Paris. 970*, fol. 362 sq.; in *Coisl. 100*, fol. 226 sq.

ipsius Demetrii Cydonii. Prochorus vero, a fratre linguam latinam edoctus theologiæque thomisticæ initiatus, plures libros et dissertationes contra palamiticas theses conscripsit, quas invicta argumentatione syllogismorumque aristotelicorum ope penitus convellit. Huic enim, non autem Acindyno, tribuendum est opus inscriptum : Περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας, ex excerptis *Summarum* Aquinatis concinnatum [1]. Apud Philotheum a Palamitis accusatus quod palamitica capita non solum non teneret, verum etiam acriter impugnaret, ad pœnitentiam nulla via adduci potuit. Unde adversus eum, mense aprili anni 1368, patriarcha synodum convocavit, quæ excommunicationis sententiam necnon perpetuam a sacerdotio suspensionem in eum protulit. Hanc nactus occasionem, Philotheus Gregorium Palamam solemni decreto inter sanctos retulit, ejusque diem festum ad dominicam secundam Quadragesimæ assignavit. Prolixum tomum eadem synodus edidit, in quo collecta invenies pleraque Patrum testimonia a Palamitis pro sua doctrina perperam allegata necnon quædam Prochori argumenta contra nova Palamæ dogmata [2].

Post synodum Constantinopolitanam anni 1368, cessant solennes Ecclesiæ byzantinæ interventus circa controversiam ex Palamæ theologia ortam. Adhuc vero perdurat inter utriusque factionis theologos per varia scripta polemica concertatio; de qua in articulo sexto hujus capitis pauca dicemus.

ARTICULUS III

Theologiæ Gregorii Palamæ expositio.

I. — Prænotamina.

Postquam theologiæ Gregorii Palamæ originem ac primam delineationem in articulo primo exhibuimus, totum illius systema de Dei essentia ejusque operationes et attributis

1. Cf. *cod. Vatic. 1435* et J. Mercati, *op. cit.*, p. 1-13. In *P. G.*, t. CLI, col. 1191-1242, sub nomine Acindyni occurrunt hujus operis liber I et initium secundi.

2. In *P. G.*, t. CLI, col. 693-716, ex editione Dosithei in Τόμῳ ἀγάπης, Bucarestii, 1698; *Prolegomena*, p. 93-114.

per partes nunc exponendum est. Porro, quanquam pleraque Palamæ scripta nondum edita sunt, haud ægre tamen potest quis totam ejus de Deo doctrinam cognoscere ex paucis quæ publicata sunt, quorum præcipua sunt : 1º Ejus *fidei confessio*, quæ in secunda sessione synodi anni 1351 publice lecta est [1]; 2º Dialogus inscriptus : Θεοφάνης *(Theophanes)* [2]; 3º Opusculum cui titulus : Κεφάλαια φυσικά, θεολογικά, ἠθικά τε πρακτικὰ PN' (*Capita physica, theologica, moralia et practica* CL) [3], in quo totius suæ doctrinæ philosophicæ, theologicæ ac asceticæ summam auctor conclusit ; 4º *Tomus hagioriticus*, quem, ut jam diximus, Philotheus quasi dictante Palama conscripsit [4]. Præterea habes in *P. G.*, t. CL, col. 799-838, operum ineditorum accuratam descriptionem, plerumque cum titulis capitum, ex *codd. Coisl. 97-100* a Montfaucon confectam, ex qua doctrina in eis contenta satis facile colligitur. Theologia item doctoris hesychastæ tum ex scriptis proximorum ejus discipulorum, tum ex locis ejus operum ab adversariis recitatorum nobis innotescit [5]. Horum autem polemistarum antipalamitarum plura scripta nondum edita adire potuimus.

Hanc theologiæ palamiticæ expositionem in octo sectiones dividimus. Sermo erit :

1º De prima et essentiali notione, quam de Deo sibi effingit Palamas;

2º De ejus loquendi modis seu formulis;

3º De multiplicibus differentiis inter Dei essentiam et ejus operationes vel attributa existentibus juxta Palamæ dicta;

4º De natura luminis, quod in monte Thabor effulsit;

5º De gratia deificante;

6º De objecto essentiali beatitudinis sanctorum seu de regno Dei sanctis promisso;

7º De visione luminis divini in hac vita per oculum corporeum;

1. In *P. G.*, t. CLI, col. 763-768.
2. *P. G.*, t. CL, col. 909-960.
3. *Ibid.*, col. 1168-1226.
4. *Ibid.*, col. 1226-1236.
5. De discipulis et adversariis Palamæ vide articulos sextum et decimum hujus capitis.

8º De Dei simplicitate juxta Palamæ ejusque discipulorum doctrinam.

II. — De palamitica notione Dei.

Princeps ac essentialis theologiæ palamiticæ notio ex hac solis comparatione, quam in fine articuli primi ex Davide Disypato retulimus, bene erui potest. Revera Palamas ejusque genuini sectatores Deum tanquam aliquem solem increatum et æternum concipiunt, in quo tria sint *realiter ab invicem distincta ac differentia*, quamvis hæc tria in unum unita ac inter se inseparabilia et indivisa ab æterno sint et permaneant. Habemus :

1º Unum centrum omnino invisibile, inaccessum, imparticipabile, in solari orbe seu disco figuratum, quod est essentia Dei in se considerata;

2º Tria puncta in hoc centro seu orbe existentia, ab invicem et ab ipso centro *realiter distincta*, etsi non separata; vel, si mavis, tres alios orbes primo orbi superpositos et se invicem indivise complectentes, qui tres hypostases seu personas divinas repræsentant, et pariter sunt invisibiles, inaccessi, imparticipabiles;

3º Varios radios ab invicem *realiter distinctos*, qui tum e primo orbe, tum ex tribus aliis orbibus simul sumptis ab æterno effulgent secundum relationem causæ et causati, seu principii et ejus quod a principio exoritur. Hi radii usque ad creaturas perveniunt, illas diverse attingunt sine ulla sui ipsius mutatione seu læsione, utpote qui sint ipsi increati et æterni, atque a creaturis diverso gradu participantur. Figurant autem varias Dei operationes ejusque diversa attributa, ea præsertim quæ a theologis vocantur *operativa* et *relativa*. Inter has operationes eminet illa, quæ vocatur gratia deificans, ἡ θεοποιὸς χάρις, per quam intellectualibus creaturis divina similitudo confertur.

Hanc Dei notionem præ oculos habenti omnia quæ tum Palamas ipse, tum ejus sectatores de Dei essentia ejusque multiplici operatione scripserunt omnino perspicua erunt.

Primum quidem Palamas realiter (πραγματικῶς) in Deo distinguit id quod vocat essentiam vel naturam (τὴν οὐσίαν,

τὴν φύσιν) ab eo quod ab essentia *naturaliter* dimanat (φυσικῶς πρόεισι) et quod plerumque vocat *operationem* (ἐνέργειαν) vel etiam plurali numero *operationes*, ἐνεργείας. Essentia est elementum primarium divinitatis (θεότης ὑπερκειμένη = *divinitas superior*); operatio vero est elementum secundarium (θεότης ὑφειμένη = *divinitas inferior*). Exinde constat theologum hesychastam Deo tribuere notionem essentiæ prout hæc notio creaturis tribuitur ac congruit. Sicut in creaturis aliquid primarium ac radicale distinguimus, quod est fons ac radix proprietatum diversarum ab hoc naturaliter fluentium ac exorientium, quod essentiam vocamus; ita, juxta Palamam, existit in Deo aliquid, quod vices essentiæ sic intellectæ realiter gerat sitque fons proprietatum ab hac essentia realiter distinctarum, etsi ab ea inseparabilium. Ponit ergo in Deo eam compositionis speciem quam *metaphysicam* appellant, ex *essentia et proprietatibus* constantem.

Aliud item compositionis *metaphysicæ* genus, quod est *ex essentia et personis*, ei adscribit, cum unamquamque personam divinam ab essentia *realiter* distinguat, quemadmodum et ipsæ personæ ab invicem realiter distinguuntur.

Hanc esse veram ejus de Deo doctrinam ex innumeris scriptorum ejus locis constat, ex quibus sequentes exscribere satis erit :

1° In sua ad Acindynum epistola paulo ante synodum anni 1341 scripta, hæc inter alia dicebat : « Deificans donatio Spiritus est divinitas inferior, quæ donum est divinitatis superioris : ἡ θεοποιὸς δωρεὰ τοῦ Πνεύματός ἐστι θεότης ὑφειμένη, δῶρον οὖσα τῆς ὑπερκειμένης [1]. »

2° In *Apologia explicatiori* Deum sic alloquitur : « Nos scimus te ab æterno omnipotentem et has potentias seu virtutes a natura tua nunquam dividimus; scire enim digni habiti sumus hanc quidem (id est naturam) unam esse et simplicem et in se indivisibilem; illas vero non solum multas, sed etiam omnem numerum superare [2]...

1. Hanc epistolam confutat Acindynus per partes in *cod. Monac. 223*, fol. 32 sq. Locus citatus in fol. 37r.

2. Locus laudatur ab Isaaco Argyro in *Confutatione hæresis palamiticæ*, incipit : Ὡς ἀπόλοιτο, in *cod. Vatic. 1096*, fol. 113v : Καὶ γὰρ κατηξιώθημεν εἰδέναι ταύτην μὲν μίαν καὶ ἁπλῆν καὶ ἀδιαίρετον καθ'ἑαυτήν, ἐκείνας δὲ οὐ πολλὰς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀριθμὸν ὑπερβαίνουσας. » De opere Argyri, cf. J. Mercati, *op. cit.*, p. 236-242.

« Quemadmodum Pater et Filius unus sunt Deus, et eamdem Filius habet rationem ac Pater; est tamen Filius a Patre alter; non enim Filius Pater est, et Pater Filio major est, eo quod est principium; ita se habet operatio ad essentiam, et eamdem habet rationem essentia ac operatio... Est altera et inferior divinitas increata ac Deo coæterna, principio simul carens [1]. »

3° In *Epistola ad Dionysium monachum :* « Non solum de deifica gratia adversus contradicentes nobis instantia est et contentio, sed et de omni virtute et operatione divina. Unde, etiamsi quis turbetur, audiens multas divinitates, quas ex sanctorum theologorum scriptis collegimus, non propterea distinctionem unius divinitatis negabimus Deo congruam [2]. »

4° In dialogo *Theophanes :* « *Theotimus :* Dicisne operationem aliud esse ab essentia, tanquam ab ipsa diversam, ab ea vero inseparabilem? — *Theophanes :* Hoc ipsum dico, sicut et dico personam ab essentia differre; utraque enim (operatio scilicet et persona) nominis significatione ab ea differt [3]...

« Quamvis divinitas ista (nempe operatio) non sit neque persona neque essentia, nihilominus est increata et æterna, cum sit potentia divina circa Deum existens etiam ante mundi constitutionem. Quandoquidem causa est et principium eorum omnium quæ deificantur et supernaturaliter meliorantur, principium vero et causa necessario ab effecti-

1. *Cod. Vatic. 1096, ibid. :* « Ὥσπερ ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς εἷς ἐστι Θεός, καὶ τὸν αὐτὸν ἔχει λόγον ὁ Υἱὸς τῷ Πατρί, ἔστι δὲ ἕτερος ὅμως ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρός· οὐ γὰρ Πατὴρ ὁ Υἱὸς καὶ μείζων ὁ Πατὴρ τῷ αἰτίῳ· οὕτως ἔχει ἡ ἐνέργεια πρὸς τὴν οὐσίαν, καὶ τὸν αὐτὸν ἔχει λόγον ἡ οὐσία τῇ ἐνεργείᾳ... Ἔστιν ἑτέρα καὶ ὑφειμένη θεότης ἄκτιστος καὶ τῷ Θεῷ συνάναρχος καὶ συναΐδιος. »

2. *Ibid. :* « ὥστε κἂν τις ταράττηται πολλὰς ἐκείνας συναγομένας θεότητας παρὰ τῶν τοῖς ἁγίοις τε θεολογουμένων ἀκούων, οὐκ ἀρνησόμεθα τὴν θεοπρεπεστάτην διάκρισιν τῆς μιᾶς θεότητος. »

3. *P. G.*, t. CL, col. 929 A : « Τὴν δὲ ἐνέργειαν ἄλλο λέγεις τῆς οὐσίας ὡς διαφέρουσαν ἐκείνης, ταύτης δὲ ἀχώριστον; — Ὡς καὶ τῆς οὐσίας τὴν ὑπόστασιν· τῷ γὰρ ἀπὸ τοῦ ὀνόματος σημαινομένῳ διενήνοχεν ἑκάτερον αὐτῆς. »

bus differunt eisque præstant, melioransque meliorato melius... quomodo creatura esset [1]?»

5° In centesimo trigesimo quinto ex *Capitibus physicis et theologicis* hæc legimus :

« Habet et Deus aliquid quod non est essentia vel substantia; quia vero illud non est substantia, non ideo est accidens. *Quod enim haud solum non recedit,* sed nec augmentum aut imminutionem quamcumque recipit aut patitur, minime accidentibus annumerari potest. Sed ex eo quod non est neque accidens neque substantia, non ideo merum est nihilum, sed existit et verissime existit. *Porro non est accidens, quandoquidem omnino immutabile est;* neque est substantia, quia non est ens in se subsistens. *Ideo accidens aliquatenus est,* ut quidam theologi dicunt, qui ostendere tantum volunt illud non esse substantiam. Quid enim? Quia singulæ *proprietates hypostaticæ et unaquæque persona non sunt in Deo neque substantia neque accidens,* num idcirco merum sunt nihilum? Absit. Eodem igitur modo divina Dei operatio nec substantia est nec accidens in Deo, nec tamen merum est nihilum. Et, ut dicam quod omnes admittunt theologi : si τῷ velle agit (creat) Deus, non vero simpliciter τῷ esse, aliud ergo τὸ velle, aliud τὸ esse. Quod si hoc ita est, si revera divina voluntas in Deo aliud est quam natura, num ideo nullatenus existit? Haudquaquam; sed existit, quia Deus non substantiam solum, sed et voluntatem habet, qua agit, sive quodammodo accidens aliquis hanc vocare velit, quatenus non est substantia; sive non accidens, quatenus nullam introducit compositionem aut mutationem. *Habet igitur Deus et quod est substantia* (sive essentia), *et quod non est substantia, quamvis id non vocetur accidens,* divinam scilicet voluntatem et operationem [2]. »

1. « Εἰ καὶ μήθ'ὑπόστασις, μήτ'οὐσία θεία ἡ θεότης αὕτη πέφυκεν, ἀλλ'οὐδὲν ἧττον ἄκτιστός ἐστι καὶ ἀΐδιος, ὡς δύναμις θεοπρεπὴς περὶ τὸν Θεὸν οὖσα καὶ πρὸ τῆς τοῦ κόσμου συστάσεως. » *Theophanes, P. G.,* t. CL, col. 953 B.

2. *P. G.,* t. CL, col. 1216 : « Ἔχει ὁ Θεὸς καὶ ὃ μὴ ἔστιν οὐσία. Οὐ μὴν ὅτι τοῦτο οὐκ ἔστιν οὐσία, συμβεβηκός ἐστι· τὸ γὰρ μὴ μόνον οὐκ ἀπογινόμενον, ἀλλ'οὐδὲ αὔξησιν ἢ μείωσιν ἡντιναοῦν ἐπιδεχόμενον, ἢ ἐμποιοῦν, οὐκ ἔσθ'ὅπως ἂν συναριθμοῖτο τοῖς συμβεβηκόσιν... Διὸ καὶ συμβεβηκός πώς ἐστιν παρ'ὧν θεολόγων τοῦτο λέγεται... Ἔχει ἄρα ὁ Θεὸν καὶ ὃ οὐσία καὶ ὃ μὴ οὐσία, κἂν εἰ μὴ συμβεβηκὸς λέγοιτο, τὴν θεῖας δηλονότι βουλὴν καὶ ἐνέργειαν. »

His verbis Palamas suum de Deo conceptum nobis plene ac plane detegit : Deus est substantia ad modum creaturarum intellectualium. Habet aliquid, habet multa, quæ non sunt ejus essentia et substantia. Notandum est autem illum vocem *accidens,* τὸ συμβεβηκός, sumere in sensu accidentis *prædicabilis* seu logici potius quam in sensu illius accidentis *prædicamentalis* quod *proprium* vocatur, quatenus a substantia *physice* dimanat eique *necessario* inest. Negat quidem in Deo esse accidens logicum seu prædicabile, quod *recedere potest* et mutationi obnoxium est; ei vero revera tribuit accidens prædicamentale, quod est *proprium* seu proprietas, quanquam divinas proprietates ab omni mutatione purgat easque concipit ut ab æterno perfectæ et semper in actu existentes. Aliis verbis, in Deo ponit multiplices *relationes* et actiones a substantia vel essentia divina ut sic realiter distinctas et ab ea physice orientes.

Eadem notio ex sequentibus capitibus centesimo trigesimo sexto et centesimo trigesimo septimo adhuc clarius patescit :

« Essentia, si operationem non habeat a seipsa distinctam, minime est subsistens, ἀνυπόστατος ἔσται τελείως, sed mera intellectus idea. Nam homo in universum (seu *in genere)* dictus non cogitat, non opinatur, non videt, non odoratur, non loquitur, non audit, non ambulat, non respirat, non comedit, uno verbo, non habet operationem ab essentia distinctam, ex qua constet essentiam esse subsistentem, καὶ δεικνῦσαν ὅτι ἐν ὑποστάσει ἐστί; ideo minime subsistens est homo in genere, διὸ καὶ τελείως ἀνυπόστατός ἐστιν ὁ καθόλου ἄνθρωπος. Homo vero habens operationem ab essentia distinctam, sive unam, sive plures, sive omnes quascumque diximus, ex his cognoscitur esse in subsistentia (ὅτι ἐν ὑποστάσει ἐστί), nec esse homo ἀνυπόστατος. Quia autem hujusmodi operationes non in uno, non in duobus, non in tribus, sed in plurimis individuis cernuntur, inde patet hominem in numerosissimis personis seu hypostasibus existere.

« Deus vero, juxta piam doctrinam, quæ Dei gratia est

nostra, nostræ dico Ecclesiæ, naturalem habens operationem suæ existentiæ indicem, ideoque a sua essentia distinctam (præscit enim et providet inferiora, et facit, et conservat, et regit, et pro libitu mutat ut ipse novit), inde ostenditur esse in subsistentia, et non tantum essentia ἀνυπόστατος. Atqui ut omnes hujusmodi operationes non in una, sed in tribus hypostasibus habens Deus nobis innotescit. Adversarii vero dicentes Deum non habere operationem natura insitam suæ existentiæ indicem, et secundum hoc a sua essentia distinctam, Deum in subsistentia esse negant, et omnino ἀνυπόστατον faciunt trinum hypostasibus Dominum, tanto superantes prava doctrina Libycum Sabellium, quanto requior est mala pietate impietas [1]. » Item in capite centesimo trigesimo quarto hæc habet :

« Omnia entia reducuntur ad decem categorias, quæ sunt substantia, quantitas, qualitas, relatio, locus, tempus, actio, passio, habitus, situs, quæ omnia in substantia considerantur. Porro Deus est substantia super omnem substantiam, in qua considerantur tantum relatio et actio, nullam in ea facientes compositionem aut mutationem [2]. »

Exinde constat palamismum esse quemdam anthropomorphismum spiritualem, quatenus Deo tribuit potentias et facultates et qualitates et actiones ab ejus essentia realiter distinctas; quod et de angelo dici potest. Concipit tamen potentias seu facultates et qualitates ut semper in actu et immutabiles, sicut sol per suos radios semper lucet et illuminat.

Animadvertendum est autem Gregorium Palamam fere semper loqui de Dei operatione vel operationibus, id est de attributis, quæ vocantur *operativa* vel *relativa* ad creaturas. Ad alia attributa divina quod attinet, ejus doctrina obscuritate laborat. Completum de divinis attributis systema

1. *Ibid.*, col. 1216-1217 : « Οἱ δὲ ἀντικείμενοι λέγοντες μὴ ἔχειν τὸν Θεὸν ἐνέργειαν ἔμφυτον δεικτικὴν ἑαυτοῦ καὶ κατὰ τοῦτο διαφέρουσαν τῆς οὐσίας αὐτοῦ, οὐκ ἐν ὑποστάσει λέγουσιν εἶναι τὸν Θεόν, καὶ ἀνυπόστατον τελέως ποιοῦσι τὸν τρισυπόστατον Κύριον. »

2. *Ibid.*, col. 1214-1216 : « Ὁ Θεὸς οὐσία ὑπερούσιός ἐστιν, ᾗ ἐνθεωρεῖται μόνα τὸ πρός τι τε καὶ τὸ ποιεῖν, οὐδεμίαν ἐμποιοῦντα ταύτῃ σύνθεσιν ἢ ἀλλοίωσιν. »

theologus hesychasta non delineavit. Unum tamen certum est, scilicet eum quædam (non omnia) attributa *negativa*, quæ divini esse modum definiunt, tum essentiæ Dei, tum ejus operationibus communiter tribuere, ut, v. g., æternitatem, immutabilitatem. De attributis autem positivis non exprimentibus *directe* operationem, sed quamdam perfectionem ut *quiescentem*, sicut, v. g., bonitas, sapientia, justitia, etc., nullam firmam doctrinam habet. In quibusdam suorum operum locis illa cum divina essentia re identificare videtur; in aliis vero ea tum ab essentia, tum inter se realiter differre docet. Sic in *Capitibus physicis et theologicis* hæc legimus :

« Supremus intellectus, summum bonum, natura omnem vitam et omnem divinitatem superans (ἡ ὑπέρζωος καὶ ὑπέρθεος φύσις), cum sit contrariorum omnino et penitus incapax, manifesto non ut qualitatem sed ut substantiam habet bonitatem. Unde quidquid cogitari potest bonum *in illo est, vel potius ille id est, et supra id est.* Et quidquid in eo cogitari potest, bonum est, *seu potius ipsa bonitas* et bonitas omnem bonitatem superans. *Et vita in eo est, seu potius ipse est vita; nam vita est bonum, et bonitas in eo est vita. Item sapientia in eo est; immo vero ipse est sapientia; siquidem sapientia est bonum, et bonitas in eo est sapientia*, et æternitas et beatitudo et generatim quidquid excogitari potest bonum, *Et nil in eo differunt vita et sapientia et bonitas et alia hujusmodi. Omnia enim bonitas illa collective, unite et simplicissime comprehendit*, et ex omnibus bonis intelligitur et appellatur. Et quodcumque bonum de ea cogitari vel dici potest, unum et verum est illa; nec id tantum illa est, sed utpote ineffabilis et incomprehensibilis supra illud est nec ab unitate ac supernaturali simplicitate deficit, sed una est bonitas omnino bona et superbona [1]. »

Hic sane Palamas loquitur sicut orthodoxi theologi loqui solent. In Deo omnia attributa re unum sunt, « et nil in eo differunt vita et sapientia et bonitas et alia hujusmodi ».

1. *Capita physica et theologica*, 34; *P. G.*, t. CL, col. 1141-1144 : « Καὶ οὐκ ἔστιν ἐκεῖ διαφορὰ ζωῆς καὶ σοφίας καὶ ἀγαθότητος καὶ τῶν τοιούτων. »

Alibi tamen theologus noster distinctionem realem inter hujusmodi attributa et essentiam divinam ponere videtur. Ita in dialogo *Theophanes :*

« Cum ineffabilis Deus non essentia tantum dicatur, sed etiam divinitas, bonitas, sapientia, vita, omnia demum quæ communicabilia videntur, si unquam de Deo audieris ejus essentiam esse bonitatem, et naturam ejus esse sanctificationem (quæ apud eum eadem est ac sanctitas), et divinitatem non dividi, nec effundi, nec emitti et alia quælibet his similia, *ne putes unamquamque operationem posse dici essentiam*, sed *scito hanc, licet nominari nequeat, per analogiam ex illis nuncupari quæ ipsi naturaliter insunt.* Rursus si audias theologos dicentes nobis innotescere Dei nostri bonitatem et sapientiam, non vero essentiam; et nos quidem deos fieri, ejusdem vero naturæ effici non posse, et alia his similia, *per bonitatem ac divinitatem ne intelligas incomprehensibilem et omnino inaccessam essentiam* — siquidem hoc ipsi clare negant — *sed hujus divinam operationem*, cujus notitiam et participationem nobis, pro ratione puritatis nostræ, distribuentis æquitas salutaris multimode ac varie dispertitur [1]. »

Contradictiones hujusmodi apud Palamum occurrere ne mireris. Ex coævorum enim testimonio scimus illum fuisse theologum versiformem ac versipellem, et quandoque negasse quæ prius revera dixerat [2].

1. *P. G.*, t. CL, col. 948 B : « Εἴ ποτε περὶ Θεοῦ ἀκούεις ὡς οὐσίαν ἔχει τὴν ἀγαθότητα, καὶ φύσιν τὸν ἁγιασμόν,... μὴ τῶν ἐνεργειῶν ἑκάστην θείαν ὑπολάβῃς εἶναι λέγεσθαι οὐσίαν, ἀλλ'ἀπὸ τούτων ὁμωνύμως τὴν ὑπερώνυμον ἐκείνην ὀνομαζομένην ἴσθι, ἅτε φυσικῶς αὐτῇ προσόντων. » Cf. *Caput theolog.*, 118, *P. G.*, *ibid.*, col. 1203 A.

2. Cf. Acindynum, Ἔκθεσις ἐπίτομος τῶν τοῦ Παλαμᾶ πονηροτάτων αἱρέσεων, in *cod. Monac. 223*, fol. 16ᵛ sq. Acindynus de Palama hæc habet, fol. 24ʳ : « Αὖθις δὲ ὅτε τινὰς ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμιλίᾳ δυσχεραίνοντας ἴδοι πρὸς τὰς φωνάς, τὸ πλῆθος τῶν θεοτήτων λέγω καὶ τὴν ἀνισότητα καὶ ἀνομοιότητα τὴν ἐν Θεῷ κατ'αὐτόν, μεταθαλὼν οὐ τὸν τρόπον ἀλλὰ τὸ σχῆμα, οὗ φησι ταῦτα λέγειν ἀλλὰ συκοφαντεῖσθαι καὶ σφόδρα γε ἰσχυρίζεται, ἔστι δὲ ὅτε καὶ διόμνυται ἢ μὴν μὴ λέγειν ὑπερκειμένας καὶ ὑφειμένας θεότητας. Ἂν δέ τις αὐτῷ τοὺς αὐτοῦ προσαγάγῃ λόγους καὶ ἐπιδείξῃ πάντα· « Ναί, φησίν, ἀλλ'οὐκ οὐσίας λέγω, ἐνεργείας δὲ τὸ πλῆθος τῶν θεοτήτων καὶ πλῆθος ἀνουσίων καὶ ἀκτίστων πραγμάτων. »

III. — De formulis palamiticis.

Novos loquendi modos illatenus prorsus inauditos excogitavit Palamas, ut novam suam theologiam exprimeret. Omnes vero formulæ hujusmodi hæresim redolent vel continent.

1º Cum doceat distinctionem realem inter essentiam Dei et ejus proprietates, et inter proprietates vel attributa ipsa, dicit in Deo esse *aliud* et *aliud*, ἄλλο καὶ ἄλλο : Aliud essentia Dei, et aliud ejus operatio; aliud ejus vita, et aliud ejus sapientia; aliud bonitas, et aliud potentia [1]. « Habet Deus aliquid quod non est ejus essentia [2]. »

2º Vocem « θεότης » (= *divinitas, deitas*) tribuit tum essentiæ Dei, tum ejus operationi. Primam vocat θεότητα ὑπερκειμένην (= *divinitatem superiorem*), alteram, θεότητα ὑφειμένην (= *divinitatem inferiorem*). Cum autem non una, sed multæ sint Dei operationes vel proprietates, loquitur de *innumeris divinitatibus inferioribus, quæ a divinitate superiori tanquam effectus a causa procedunt*, θεότητες οὐ πολλαὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀριθμὸν ὑπερβαίνουσαι. Audivimus illum supra dicentem « divinitatem inferiorem, quæ est gratia deifica, esse donum superioris divinitatis ». Item in suis scriptis passim repetit essentiam Dei, quæ est divinitas superior, *infinities infinite* divinitates inferiores superare; vel vicissim, divinitates inferiores esse *infinities infinite inferiores* essentiæ Dei, θεότης ἀπειράκις ἀπείρως ὑπερκειμένη, θεότητες ἀπειράκις ἀπείρως ὑφειμέναι [3].

Operationes vel proprietates appellat θεότητας ἀνουσίους καὶ ἀνυποστάτους, *divinitates absque essentia et hypostasi*, quatenus ab essentia et personis divinis realiter distinguuntur et non

1. Acindynus, *ibid.*, fol. 16ᵛ : « ἄλλο μὲν καὶ ἄλλο λέγων εἶναι τὴν θεότητα καὶ τὴν ζωὴν τοῦ Θεοῦ τὴν φυσικήν τε καὶ ἄκτιστον, καὶ ἕτερον τὴν σοφίαν, καὶ ἄλλο τὴν ἀγαθότητα, καὶ τὴν δύναμιν ἕτερον. »

2. « Ἔχει ὁ Θεὸς καὶ ὃ μὴ ἔστιν οὐσία. » Cf. supra, p. 76.

3. De formulis a Palama adhibitis vide tum Acindynum, Ἔκθεσις ἐπίτομος τῶν τοῦ Παλαμᾶ πονηροτάτων αἱρέσεων, in *cod. Monac. 223*, fol. 16ᵛ sq., tum opus inscriptum : Περὶ τῶν βλασφήμων δογμάτων Γρηγορίου τοῦ Παλαμᾶ, Demetrio Cydonio falso adscriptum et Niphoni monacho, ut videtur, tribuendum, in *P. G.*, t. CLIV, col. 835-864, ubi plures loci operum Palamæ recitantur.

sunt essentia vel hypostasis, sed in essentia divina subsistunt. Item dicit eas esse *dispares* et *dissimiles* tum essentiæ, tum etiam inter se, ἀνίσους καὶ ἀνομοίους θεότητας [1].

Ipsam vocem θεός *(Deus)* in plurali numero quandoque usurpat ad designandas divinitates inferiores seu operationes. De lumine seu gratia deifica, *quæ non est essentia Dei*, dicit : « Quomodo Deus non est illud quod me deificat [2] ? »

3º Sicut vocem « θεότης » vel etiam « θεός » multiplicat, ita etiam apposita ἄκτιστον *(increatum)*, ἀΐδιον *(æternum)*, ἄναρχον *(principio carens)* pluraliter usurpat; siquidem divinitates inferiores omnes sunt ἄκτιστοι, ἀΐδιοι, ἄναρχοι. Immo, quando de gratia deifica sermo est, docet non solum gratiam esse increatam, æternam, principio carentem, sed etiam ejus effectus (ἀποτελέσματα), id est angelos vel homines deificatos, esse ἀΐδίους, ἀκτίστους, ἀνάρχους :

« Videsne clare, inquit ille in *Epistola ad Acindynum*, gratiam esse increatam? Non tantum autem ejusmodi gratia est increata, sed et effectus hujus operationis Dei est increatus. Propterea et magnus Paulus, cum non amplius viveret temporalem hanc vitam, sed eam quæ erat Verbi inhabitantis, divinam et æternam, sine principio factus est, et sine fine per gratiam... Creatus igitur erat Paulus, quando vivebat vitam jussu Dei ex nihilo productam; quando vero non amplius hanc vivebat, sed eam, quæ per inhabitationem Dei accessit, increatus per gratiam evasit... Increati quidem isti omnes sunt gratia, quemadmodum sane et dii; ipsa vero gratia increata est [3]. »

1. « Ἔτι, τὰ πολλὰ καὶ ἀνόμοια ἄκτιστά τε καὶ ἄναρχα οὐ μόνον εἶναι πολλά φησιν εἶναι, ἀλλὰ καὶ ἀριθμὸν ὑπερβαίνοντα, καὶ οὐ μόνον τῆς θείας φύσεως ὑφειμένα εἶναι ἀπειράκις ἀπείρως καὶ οὕτως ἄνισα πρὸς αὐτὴν καὶ ἀνόμοια..., ἀλλὰ καὶ πρὸς ἄλληλά φησιν αὐτὰ εἶναι ἀνόμοιά τε καὶ ἄνισα. » Acindynus, *loc. cit.*, fol. 16ᵛ-17.

2. Καὶ ποτὲ μὲν θεότητας μὲν πολλὰς ἀκτίστους ὁμολογεῖ δοξάζειν, ἀλλ'οὐχὶ καὶ πολλοὺς θεούς· ποτὲ δὲ καὶ πολλοὺς θεοὺς διαρρήδην εἶναι ὁμολογεῖ νομίζειν ἀκτίστους καὶ ἀνίσους καὶ ἀνομοίους ἀλλήλοις ἐναντιώτατα. Τὸ μὲν γὰρ θειοποιοῦν τοὺς θεοποιουμένους... ὃ οὔτε οὐσία Θεοῦ ἐστιν, οὔτε ἄγγελος, περὶ αὐτοῦ λέγει· « Πῶς οὖν οὐ Θεὸς τὸ θεοποιοῦν ἐμέ; » Acindynus, *ibid.*

3. *Adversus Palamam*, *P. G.*, t. CLIV, col. 860-861 : « Ἀλλὰ μὲν γὰρ οὗτοι πάντες ἄκτιστοι, ὥσπερ δὴ καὶ θεοί· αὐτὴ δὲ ἡ χάρις ἄκτιστος. »

In disputatione tamen quam habuit cum Nicephoro Gregora coram Joanne V Palæologo imperatore et legato romano Paulo, ut a difficultatibus adversarii se expediret, concessit « omnia quæ Deo physice insunt esse *unum* increatum, et ita non multa increata esse, sed unum [1] ».

4º Cum in Trinitate Deus Pater sit principium et fons duarum aliarum personarum, Palamas dicit Patrem Filio et Spiritui Sancto superiorem esse, quemadmodum essentia τρισυπόστατος, seu *Deus superior*, superat divinitates inferiores seu operationes, quæ ex ea physice procedunt [2].

5º Notandum est apud Palamam ejusque discipulos vocem μορφή *(forma)* non significare *naturam vel essentiam*, φύσιν, οὐσίαν, sed designare gloriam seu splendorem, seu lumen, quod ex Dei essentia effulget.

6º Palamas et Palamitæ omnes effatum inter theologos tritum : *Deus est quod habet*, ut falsum rejiciunt. Secundum ipsos enim exstat realis distinctio ac differentia inter substantiam divinam, quæ habet et possidet, et proprietates seu operationes, quæ ab essentia divina physice dimanant et ab ea habentur seu possidentur.

IV. — De multiplicibus distinctionibus ac differentiis inter Dei essentiam et ejus operationes vel proprietates existentibus.

Aliud esse Dei essentiam seu substantiam, aliud ejus operationes et proprietates Palamas ejusque discipuli colligunt ex multiplicibus differentiis, quas inter primam et alteras detegunt. Has differentias vel distinctionis modos, τρόπους διακρίσεως, ex scriptis palamiticis enumerant tum Niphon monachus, qui viginti modos refert [3], tum Manuel Calecas,

1. In *Relatione Phacrassis protostratoros*, ex *cod. Dionys. Athonensi 194*, fol. 18 : « Καὶ ταῦτα γὰρ πάντα κατὰ τὸ ἄκτιστον οὐ διαφέρουσιν ἀλλήλων· ἀκτίστου γὰρ καθὸ ἀκτίστου οὐδὲ μία διαφορὰ πρὸς ἄκτιστον. Οὐκοῦν τὰ φυσικῶς προσόντα πάντα ταῦτα τῷ Θεῷ ἓν ἄκτιστόν ἐστι, καὶ οὕτως οὐ πολλὰ τὰ ἄκτιστά ἐστι, ἀλλ'ἕν. » Cæterum Palamæ concessio in verbis tota est, non in re.

2. Acindynus, *op.* et *loc. cit.*, fol. 17ᵛ : « Ἐν αὐτῇ τῇ θείᾳ καὶ τρισυποστάτῳ φύσει τὸ ὑπερκείμενον καὶ ὑφειμένον ἀποφαίνεται εἶναι· ὑπερκεῖσθαι γὰρ λέγει τοῦ Πατρὸς τὴν θεότητα τῆς τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος. »

3. *Adversus Palamam*, *P. G.*, t. CLIV, col. 845-857.

cujus catalogus adhuc uberior est [1]. Sufficiat hic præcipuas distinctiones indicare :

1º Essentia Dei est id quod habet, operatio vero est quod habetur [2]. In synodo anni 1351 ita argumentantur Palamitæ : « Illud quod habet ab eo quod habetur differre omnino necesse est. Si igitur differentia non est inter divinam essentiam et operationem, essentia Dei operationem habere non potest; quod vero non habet operationem nihil agit; quod vero nihil agit non existit [3]. »

2º Essentia Dei singulariter semper dicitur; operatio vero et singulariter et pluraliter. Hoc passim affirmat Palamas; hoc eadem synodus anni 1351 aperte declarat : « Cum divus Dionysius de pluribus illustrationibus locutus fuerit, ostendit eas non esse essentiam Dei; quippe illa nunquam pluraliter profertur. Cum autem dixerit illustrationes hujusmodi principio et fine carere, eo ipso ostendit eas esse operationes divinas et increatas [4]. »

3º Essentia est causa seu principium; operatio, vel potius operationes sunt causatæ ab essentia; ipsæ vero producunt creaturam. « Unam igitur hanc et præcipuam proprie dixerit distinctionis speciem inter divinam substantiam et divinam operationem, scilicet secundum causam et causatum, τὸ κατ' αἴτιον δηλαδὴ καὶ αἰτιατόν. » Ita Palamitæ et Palamas in eadem synodo [5].

4º Essentia est invisibilis et incomprehensibilis, operatio vero est visibilis : « Vides, ait Palamas in *Dialogo Barlaamitæ et Orthodoxi*, Basilium novisse in Deo non solum divinitatem invisibilem, sed etiam divinitatem visibilem [6]. » Item, in *Capitibus physicis et theologicis :*

« Paulus ait : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspi-*

1. *De essentia et operatione*, *P. G.*, t. CLII, col. 316-317.
2. « Ἡ μὲν οὐσία τοῦ Θεοῦ ἐστι τὸ ἔχον, ἡ δὲ ἐνέργεια τὸ ἐχόμενον. » *Adversus Palamam*, t. CLIV, col. 845.
3. « Εἰ οὖν οὐκ ἔστι διαφορὰ τῆς θείας ουσίας καὶ ἐνεργείας, οὐκ ἔστιν ἔχειν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ ἐνέργειαν. Τὸ δὲ μὴ ἔχον ἐνέργειαν ἀνενέργητόν ἐστι· τὸ δὲ ἀνενεργητόν, καὶ ἀνύπαρκτον. » *P. G.*, t. CLI, col. 732 D.
4. *Ibid.*, col. 748 C.
5. *Ibid.*, col. 737 C.
6. « Ὁρᾷς ὅτι καὶ οὗτος οὐ μόνον ἀόρατον οἶδε τοῦ Θεοῦ τὴν θεότητα, ἀλλὰ καὶ ὁρατήν. » *P. G.*, t. CLIV, col. 849 C.

ciuntur (Rom., I, 20). Num igitur essentia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicitur? Nequaquam... Dei aliquid est ignotum, scilicet ejus essentia; aliquid vero notum, id est ea quæ circa essentiam sunt... Igitur et increata est Dei operatio, quæ per creaturas intelligitur, et non est essentia, quippe quæ non singulariter tantum, sed et pluraliter exhibetur [1]. »

5º Essentia est immobilis omnino, operatio vero mobilis est et etiam motus : « Essentia Dei immobili manente, ait Palamas, deitas hæc (nempe operatio) movetur et communicari nata est [2]. »

6º Essentia est incomprehensibilis, ἀκαταληπτός; operatio vero cognosci potest et comprehendi, γνώριμος καὶ καταληπτή [3].

7º Essentia est penitus imparticipabilis, ἀμέθεκτος, et impartibilis, ἀμέριστος, et imperceptibilis, ἄληπτος, et inintelligibilis, ἀπερινόητος; operatio vero est participabilis, partibilis, perceptibilis et intelligibilis : « Secundum essentiam quidem, ait Palamas, Deus est imparticipabilis; secundum vero deificantem gratiam et operationem, quæ et gloria Dei nominatur, participatur et a dignis videtur [4]. » In tomo vero synodi anni 1351 : « Divina operatio participatur et partitur impartibiliter, et nominatur, et quodammodo, quamvis subosbcure, ex suis effectibus intelligitur. Essentia vero est imparticipabilis et impartibilis et anonyma, utpote omne nomen excedens atque omnino inintelligibilis [5]. »

8º Essentia nullam præfert in se differentiam; operationes vero et inter se et ab essentia diversæ sunt. Palamas : « Pietatem servare volentes et sobrie sapere confiteantur quidem omnia hujusmodi inter se differre, causam autem illorum hoc

1. *P. G.*, t. CL, col. 1180 : « Τοῦ Θεοῦ τὸ μέν ἐστιν ἄγνωστον, ἤγουν ἡ οὐσία αὐτοῦ· τὸ δὲ γνωστόν, ἤγουν πάντα τὰ περὶ τὴν οὐσίαν. »
2. *P. G.*, t. CLIV, col. 849 CD : « Τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ ἀκινήτου μενούσης, ἡ θεότης αὕτη κινεῖσθαι καὶ μεταδίδοσθαι πέφυκε. »
3. *Adversus Palamam*, *P. G.*, t. CLIV, col. 849 D.
4. *Ibid.*, col. 852 A.
5. « Διενηνόχασι δὲ ἀλλήλων καὶ τῷ τὴν μὲν θείαν ἐνέργειαν μετέχεσθαι καὶ μερίζεσθαι ἀμερίστως καὶ ὀνομάζεσθαι καὶ νοεῖσθαί πως, εἰ καὶ ἀμυδρῶς, ἐκ τῶν αὐτῆς ἀποτελεσμάτων· τὴν δέ γε μὲν οὐσίαν ἀμέθεκτον καὶ ἀμέριστον καὶ ἀνώνυμον εἶναι, ὡς ὑπερώνυμον δηλονότι καὶ ἀπερινόητον παντελῶς. » *P. G.*, t. CLI, col. 739-740.

esse in quo et ex quo sunt, quod sane super hæc est (id est, essentia) [1]. » Item, in alia dissertatione : « Divinæ operationes non solum multæ sunt, sed et inter se, et etiam ab una essentia necessario differunt [2]. »

9° Essentia est per se immortalis; operatio vero propter essentiam quidem immortalis est; per se vero est mortificatio, νέκρωσις; quod sic explicat Palamas : « Si illi in hunc modum vivunt immortaliter, et tamen mortui sunt; plurimi vero ex his qui in terra vivunt mortui sunt, ut mortis et vitæ Dominus ostendit, est ergo etiam deitas mortificatio, quanquam secundum naturam immortalis perseverat [3]. »

10° Essentia habitudine caret, ἄσχετός ἐστι, et imitari non potest, ἀμίμητός ἐστι; operatio vero est habitudo seu relatio, et imitatio, et imitamentum, σχέσις ἐστι καὶ μίμησις καὶ μίμημα : « Deifica largitio Spiritus, aiunt in tomo citato, non ideo est sanctificatio creata, quod relatio sit ad ea quæ deificantur... Quanquam deificatio dicitur imitamentum, hoc non impedit quominus sit increata [4]. »

Hujusmodi antitheses et oppositiones, ait Manuel Calecas, Dei essentiæ tribuunt quod decorum est ac magnificum; summopere vero deprimunt illam quam vocare statuerunt increatam Dei operationem. Sub aliquo tamen respectu essentiam divinam deprimunt; operationi vero tribuunt victoriam. Hæc enim omnium operum Dei ad extra effectrix est, dum essentia nihil efficit. Operatio creatis rebus accedit; essentia vero omnino inaccessa manet. Illa creaturis commista non confunditur; hæc, si participata fuerit, confusionem patietur. Operatio inferius venit ad creaturam; ab ea percipitur et communicatur; sanctificat, illuminat, insidet, dignos deificat; essentia vero nihil horum facit, sed

1. *P. G.*, t. CLIV, col. 852 D.
2. *Ibid.*, col. 853 A : « Οὐ πολλαὶ δὲ μόνον αἱ θεῖαι ἐνέργειαι, ἀλλὰ καὶ ἀλλήλων διαφέρουσαι, καὶ τῆς μιᾶς οὐσίας ἐξ ἀνάγκης διενηνόχασιν. »
3. *Ibid.*, col. 853 B : « Ἔστιν ἄρα καὶ θεότης νέκρωσις, ἀθανάτου κατὰ φύσιν μενούσης. » Palamas operationem hic considerat ex parte ejus effectuum, τῶν ἀποτελεσμάτων. Stupendus sane ac monstruosus loquendi modus!
4. *Ibid.*, col. 853 AB, t. CLI, col. 744-745 : « Ὥστε τὸ μίμημα λέγεσθαι οὐκ ἐμποδίζει πρὸς τὸ ἄκτιστον εἶναι τὴν θέωσιν. »

a se non recedens incommunicabilis manet. Ac illa quidem vere ac proprie deitas est, et vita et sapientia et virtus; hæc autem sui ipsa ratione non est deitas, neque vita neque sapientia neque virtus. Item illa quidem est omnium hæreditas ac possessio finisque appetibilium; hæc autem neque hæreditas seu possessio cujusquam est, nec beatitudinis finis. Ergone fieri possit, concludit Calecas, « ut quæ sic diversa sunt atque distincta in rem unam uniformem et simplicissimam, qualis est Deus, in unam denique divinitatem conveniant [1] »?

Habent tamen essentia et operatio quædam attributa communia, ut jam supra diximus. Utraque est increata et æterna; utraque est aliquid Dei; utraque vocatur θεότης vel etiam θεός.

V. — De natura luminis quod in monte Thabor effulsit.

Ut in prima hujus articuli sectione narravimus, controversia palamatica a disputatione circa naturam luminis, quod in monte Thabor effulsit, primum incepit. Barlaam docuit lumen hujusmodi fuisse quid materiale a Deo in ipso transfigurationis Domini momento creatum, quod postea in nihilum evanuerit. Gregorius Palamas vero hoc lumen habet tanquam præcipuam operationem seu ἐνέργειαν ex Dei substantia seu essentia physice ab æterno exorientem seu effulgentem. Unde, juxta illum, hoc lumen est quid prorsus immateriale, increatum et æternum. Diversis nominibus illud nuncupat : Est lumen Dei essentiale, φῶς οὐσιῶδες; ejus gloria ac majestas, δόξα; ejus pulchritudo, κάλλος; ejus forma, μορφή; ejus splendor, λαμπρότης; ejus gratia deificans; ἡ θεοποιὸς χάρις; ejus regnum sanctis promissum, ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. Hoc lumen est gloria, quam Verbum habebat apud Patrem priusquam mundus fieret (Joh., XVII, 22, 24), gloriam Unigeniti (Joh., I, 14), quam vidimus; gloriam in qua venturus est Christus ad vivos et mortuos judicandos,

1. *P. G.*, t. CLII, col. 317 : « Ἄρα τὰ ἐπὶ τοσοῦτον διαφέροντα δυνατὸν εἰς ἓν πρᾶγμα μονοειδὲς καὶ ἁπλούστατον καὶ τελειότατον, οἷός ἐστιν ὁ Θεός, καὶ μίαν θεότητα συνελθεῖν; »

quam vidit Stephanus prope moriturus (Act., VII, 55); lumen quod resplendebat in facie Moysis; quod Saulum circumfulsit prope Damascum (Act., IX, 3); quo fulgebat Adamus in paradiso; quo fulgebunt corpora justorum in resurrectione. Hoc lumen, hæc Dei claritas et gloria illuminabit cælestem civitatem Jerusalem (Apoc., XXI, 23; XXII, 5). Hoc lumen, hanc claritatem Christus semper habuit non solum ut Deus, sed etiam ut homo, inde a primo instanti conceptionis in sinu Matris.

« Quandoquidem Dominus transfiguratus splenduit illamque gloriam et splendorem et lumen ostendit, rursusque venturus est qualis in monte discipulis apparuit, ergone aliquod assumpsit lumen et in æternum habiturus est, quod prius non haberet? Apage blasphemiam. Nam qui hoc dicit, tres in Christo naturas opinabitur tum scilicet divinam atque humanam, tum et lucis illius. Non igitur aliam, sed quam occulte habebat, claritatem hanc manifestavit. Ergo divinitatis est lumen istud, et increatum est; siquidem ex theologorum doctrina, Christus transfiguratus est non assumendo quod non erat, sed manifestando suis discipulis id quod erat... Hanc claritatem ab ipsa assumptione nacta est natura nostra Dei Verbi unione deificata. Hinc Virgo mater natum ex se Deum in carne agnovit; hinc item eum agnoverunt infantem et Symeon et anus Anna; divina enim virtus velut per tenues membranulas vitreas illas irradiabat; quippe qui cordis oculos mundos habebant [1]. »

Divinum istud lumen justis adhuc in terra degentibus in majori vel minori gradu communicatur, ab eisque plus minusve clarius videtur pro cujusque puritate ac sanctitate, quippe quod indivise dividitur ac partitur. « Atque in promptu probatio est. Vultus enim Domini supra solem resplenduit; vestimenta vero splendida facta sunt et alba

1. *Homil.*, XXXIV (*In Domini Transfigurationem*, I), *P. G.*, t. CLI, col. 433 : « Ἦν ἐξ αὐτῆς τῆς προσλήψεως ἔλαβε τὸ ἡμέτερον φύραμα θεωθὲν τῇ ἑνώσει τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ. » De lumine thaborico disserit Palamas in omnibus fere ejus scriptis polemicis. Breviter eamdem materiam tangit in duabus homiliis de Transfiguratione (*Homil.*, XXXIV et XXXV), *P. G.*, t. CLI, col. 423-450. Cf. etiam *tomum hagioriticum*, *P. G.*, t. CL, col. 1232 BC.

sicut nix. Quin et Moyses et Elias in eadem visi sunt gloria; nemo tamen horum in morem solis tunc resplenduit. Sed et ipsi discipuli istud lumen partim viderunt, partim in ipsum oculos intendere nequiverunt. In hunc itaque modum mensuratur atque indivise dividitur [1]. »

Ergo sub hac luce, quæ prorsus immaterialis est ac divina, ipsa corpora sensibilia, ut facies Christi, ejus vestimenta, justorum in resurrectione corpora, Adami corpus in paradiso, ineffabili ac supernaturali modo clarescunt.

« Ut evangelista monstraret hanc lucem aliquid fuisse luce superius, narravit Christi vestimenta per eam splendida albaque facta fuisse; non enim lucis est, ut quibus affusa sit, ea alba splendidaque efficiat, sed quali colore existant, manifestat. Illa lux vero vestimenta obtexit, immo ea immutavit, quod non potest lux quæ in sensum cadit. Quod autem magis stupendum est, illa immutans, ea immutata servavit, sicut paulo post constitit [2]. »

Uno verbo, juxta Palamæ doctrinam, quam amplectuntur plerique ejus discipuli, lumen quod in Domini transfiguratione splenduit, est ipsa gloria ac claritas Dei, ab ejus essentia realiter distincta, quæ non quidem in naturali, sed in supernaturali rerum ordine creaturis communicatur. Est ex Dei operationibus una, qua Deus in creaturas intellectuales agit ut propriam similitudinem et gloriam et beatitudinem ipsis largiatur. Hujusmodi ἐνέργεια mundo supernaturali præest, ad eamque referuntur tanquam effectus ad causam omnia quæ supra rerum ordinem naturalem quantum ad supernaturalem creaturarum intellectualium sanctificationem et glorificationem a Deo efficiuntur; quod sequenti comparatione illustrat Palamas :

« Sicut sol, sine sui imminutione participibus communicans calorem et lucem, hunc calorem et hanc lucem habet tanquam naturales essentialesque operationes, ita divinæ communicationes, non minuentes Deum qui communicat, naturales

1. *Homil.*, XXXV (*In Transfig.*, II), *P. G.*, *loc. cit.*, col. 448 B « Μετρεῖται μὲν οὖν οὕτω καὶ μερίζεται ἀμερίστως. »

2. *Ibid.*, col. 440 D : « καὶ ἀλλοιῶσαν, ἀναλλοίωτα τηνικαῦτα ἐτήρησεν αὐτά, ὡς μετὰ μικρὸν ἐδείχθη. »

essentialesque sunt ejus operationes; unde et increatæ sunt. Quemadmodum autem ne vestigium quidem solaris luminis remanet, postquam sol sub terra est et eos qui super terram sunt, reliquit..., illis tamen remanet ejus calor et omnia quæ ipse confert ad sensibilium generationem et incrementum necnon ad multiformem humorum et qualitatum varietatem, quamvis non amplius cum sole per radios communicent : eodem modo, prout fert hæc obscura imago in rebus sensibilibus contemplata, ii tantum qui supernaturali ac divinissimæ luci adhærent deificam gratiam sincere participare possunt et per eum Deo uniri. Cætera vero operationis creatricis sunt effectus. Per gratiam quidem, id est gratis, ex nihilo producta sunt; non autem illustrata sunt gratia, quæ est splendoris Dei agnomen [1]. »

VI. — De gratia deificante.

Ut ex dictis patet, divinum lumen, juxta Palamam, idem re est ac ipsa gratia supernaturalis, qua homines deificantur fiuntque, ut ait Petrus apostolus, divinæ naturæ consortes. Palamas illam plerumque appellat *gratiam deificam*, τὴν θεοποιὸν χάριν, vel *donum Spiritus Sancti*, τὴν δωρεὰν τοῦ Πνεύματος. Est ergo ejusdem indolis atque lumen thaboricum iisdemque attributis ac proprietatibus splendet ac decoratur : Est increata, æterna, indivise dividitur, vario gradu participatur, a Dei essentia realiter distinguitur, quanquam ab ea nunquam separatur nec separari vel dividi potest.

« Illa Dei claritas, ait Palamas, et deifica operatio, cujus qui participes sunt deificantur, divina quædam est gratia, non vero Dei natura, non quod hæc absit gratiæ participibus, ut adversarii dementer calumniantur, sed quia non est participabilis, cum nil creatum sit quod eam participare possit. Ipsa divina operatio et gratia Spiritus, quæ ubique præsens est et ab eo inseparabilis, iis qui ob immunditiam ad eam

1. *Capita physica et theologica*, 92, *P. G.*, t. cit., col. 1185-1188 : « χάριτι μὲν ἐκ μὴ ὄντων προηγμένα, δηλονότι δωρεάν· οὐ κατηγλαϊσμένα δὲ τῇ χάριτι, ἥτις τῆς τοῦ Θεοῦ λαμπρότητος ἐπώνυμόν ἐστιν. »

participandam non idonei sunt, incommunicabilis est tanquam absens [1]. »

Sicut non communicatur essentia divina, ita etiam persona divina ut sic nec mittitur, nec datur, nec animam justi inhabitat. Sola datur gratia deifica, quæ est operatio tribus personis Trinitatis communis. Item missio est tribus personis communis et ad operationem divinam, non vero ad personam divinam directe refertur.

« Neque secundum essentiam, neque secundum unam ex personis aliquis fit Dei particeps; harum enim neutra dispertitur nec ulli communicatur, ideoque secundum ipsas nullibi Deus contineri potest, licet secundum easdem sit ubique præsens. E contra communis tribus divinæ naturæ personis potentia et operatio facit exteriora et millies dividitur, cum Deus sit omnipotens; et secundum eam multi Deo uniuntur, varie ac diverse eam participantes [2]... Opus commune est missio, id est manifestatio Spiritus. Manifestatur vero non secundum essentiam; nemo enim unquam Dei essentiam vidit aut expressit; sed secundum gratiam et virtutem et operationem, quæ Patri et Filio et Spiritui Sancto communis est [3]. »

Objicienti vero verba apostoli Petri docentis nos per gratiæ dona naturæ divinæ consortes fieri, in hunc modum respondet theologus hesychasta :

« Cum Massaliani dicerent eos, quos habebant ut purgatos, personam Spiritus Sancti recipere et ad illius naturam ascendere, sancti Patres eos omnino rejecerunt, dicentes quemdam fieri adventum Patris et Filii et Spiritus Sancti ad eos, qui sicut oportet purgati sunt, Deumque inhabitare

1. *Ibid.*, 93, col. 1188 B : « Ἡ τοῦ Θεοῦ λαμπρότης αὕτη καὶ θεοποιὸς ἐνέργεια, ἧς τὰ μετέχοντα θεοῦται, θεία τίς ἐστι χάρις, ἀλλ'οὐχ ἡ φύσις τοῦ Θεοῦ. »

2. *Theophanes*, *P. G.*, t. CL, col. 941 C : « Οὔτε τοίνυν κατὰ τὴν οὐσίαν, οὔτε καθ'ὑπόστασίν τινα μέτοχός τις γίνεται Θεοῦ. »

3. *Confessio fidei*, *P. G.*, t. CLI, col. 766 : « Κοινὸν γὰρ ἔργον ἡ ἀποστολή, δηλονότι ἡ φανέρωσις τοῦ Πνεύματος. Φανεροῦται δὲ οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν... ἀλλὰ κατὰ τὴν χάριν καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἐνέργειαν. » Hanc de missione notionem Palamas ad processionem Spiritus Sancti accommodat, ut argumentum Latinorum pro processione ab utroque ex missione sumptam, radicitus evellat.

illos secundum evangelicam promissionem. Hic vero ne consideres divinitatem quatenus est natura... Regulæ fidei repugnat sanctos esse consortes divinæ essentiæ... Itaque si Patres audieris dicentes incommunicabilem esse Dei essentiam, illam intellige, quæ inaccessa et ineffabilis est; si vero participabilem, intellige processionem naturaliter Deo insitam et manifestationem et operationem, et sic utrumque amplectens, Patribus consenties... Si essentiæ divinæ simus participes, cui communicabitur sive tota sive ex parte, is erit omnipotens, et sic unaquæque creatura erit omnipotens [1]. »

Gratiæ deificæ generico nomine intelligit Palamas omnia spiritualia dona ad sanctificationem creaturarum intellectualium ordinata, ergo tum gratiam sanctificantem proprie dictam, tum gratiam actualem, tum etiam gratias gratis datas. Plerumque tamen ad solam gratiam sanctificantem, quæ solis corde mundis donatur, alludit, eamque semper habet ut quid increatum ab extrinseco animam attingens, sicut lux solis res materiales illuminat. Dicit autem spiritualia dona innumera esse, quatenus eadem lux aut gratia divina et increata, sine sui læsione, aut imminutione, aut divisione, diverso gradu ac vario modo a creaturis participatur ac communicatur pro uniuscujusque dispositione, puritate, vocatione.

« Divina quidem essentia, inquit, nunquam pluraliter dicitur; sacra vero et increata Dei gratia et operatio absque divisione distribuitur, ad imaginem radii solaris, qui et calefacit et illuminat et vivificat et auget et illuminatis propriam immittit lucem, et oculis videntium apparet... Increatæ sunt divini Spiritus virtutes et operationes... Cum autem divina ac deifica illuminatio et gratia essentia non sit, sed Dei operatio, ideo et ipsa non solum temporaliter sed et pluraliter profertur, pro participantium captu distributa et pro suscipientium dispositione majorem vel minorem emittens deificum splendorem [2].

« Illas operationes septem Isaias enumeravit; porro apud Hebræos septem significat multa. Hos septem spiritus creatos esse stulte contendunt qui hæreticorum dogmata tenent; quos amplis dissertationibus jam refellimus... Illæ operationes sunt processus et manifestationes naturalesque virtutes unius Spiritus, et unus est per singula operans. Qui autem male sapiunt, hæc esse creata dicentes, septies ad creaturam Spiritum Dei deprimunt. Ergo erubescant septies [1]. »

1. *Theophanes, loc. cit.*, col. 936, 938, 940.
2. *Capita physica et theologica*, 68-69, *P. G.*, t. CL, col. 1169.

Gratia deifica deificat; unde vocatur etiam *deificatio*, ἡ θέωσις. Nunquam enim Palamas gratiam concipit ut quid quiescens, sed ut aliquid operativum. Ejus effectus est Dei similitudo angelis et hominibus justis collata, τὸ καθ' ὁμοίωσιν. Qui hanc similitudinem receperunt dii per participationem efficiuntur, quibus, ut suprà vidimus [2], Palamas ipsa gratiæ attributa concedit, ita ut dicantur *increati*, *æterni*, *absque principio*, ἀΐδιοι, ἄναρχοι, ἄκτιστοι.

VII. — De regno Dei seu de objecto cælestis beatitudinis.

Palamas lumen, quod in monte Thabor illuxit, appellat regnum Dei, τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Revera, secundum ejus doctrinam, nulla adest realis differentia inter lumen, gratiam et gloriam. Gloria, seu beatitudo sanctorum supernaturalis, est ipsa Dei gloria, ipsum Dei lumen increatum et æternum plenius ac clarius quam in terra a sanctis visum, contemplatum, participatum. Visio Dei sanctis promissa non est visio ipsius essentiæ divinæ, sed luminis ex Dei essentia naturaliter effulgentis contemplatio, quæ pro cujusque merito intensior vel remissior, clarior vel obscurior erit. Essentia divina enim invisibilis et inaccessa semper manet etiam angelis et hominibus deificatis. Dum lumen divinum in monte Thabor viderunt apostoli, aliquem felicitatis æternæ prægustum quamdamque visionis beatificæ inchoationem jam habuerunt. Sanctis adhuc in terra degentibus istud lumen in contemplatione revelatur, immo oculis corporis supernaturaliter elevatis quandoque videtur :

« Postquam, inquit, dixerat Dominus discipulis suis : *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem,*

1. *Ibid.*, 70-71, col. 1169, 1172 : « Ταύτας τὰς ἐνεργείας ἑπτὰ ὁ Ἡσαΐας εἶπε· πολλὰ δὲ παρ' Ἑβραίοις σημαίνει τὸ ἑπτά. »
2. Cf. supra, p. 82.

donec videant regnum Dei veniens in virtute (Marc., VIII, 39), post dies sex assumens Petrum et Jacobum et Joannem et in montem Thabor ascendens, resplenduit sicut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut lux; siquidem non poterant illi videre amplius, immo vero lumen illud non valentes intueri, proni in terram ceciderunt. *Viderunt tamen, juxta Salvatoris promissionem, regnum Dei*, divinum nempe illud et ineffabile lumen, quod magni Gregorius et Basilius divinitatem appellant [1]... Illud divinum et ineffabile lumen, *quod est Dei divinitas et regnum, pulchritudo et splendor divinæ naturæ, visio et fruitio sanctorum in incomprehensibili ævo*, naturalis radius et gloria divinitatis, hæretici blaterant esse phantasma et creaturam [2]. »

Item, in *Apologia longiori* :

« Numquid sancti essentiam et naturam Dei hæreditabunt? Nequaquam, sed deificam gratiam et regnum, quod, quamvis non sit essentia Dei — illa quippe imparticipabilis est — est tamen naturalis operatio Dei, naturaliter Deo inhærens et circa eum semper inseparabiliter existens [3]. »

Et in *Homilia II in Transfigurationem* :

« Communis igitur unaque gloria est et regnum et splendor tum Dei, tum sanctorum ejus. Propterea etiam psallit psalmodus propheta : *Et splendor Dei nostri super nos* (Ps. LXXXIX, 17); communem vero unamque Dei sanctorumque substantiam seu essentiam nemo hactenus dicere ausus est... Hoc lumen partim modo, partim postea cognoscitur. Unde et divus Paulus : *Nunc*, inquit, *ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus* (I Cor., XIII, 9). Indivisa vero et incomprehensibilis est Dei essentia, nec ulla ex substantiis exstat, quæ magis minusque recipiat [4]. »

1. *Capita physica et theologica*, 146, *P. G.*, t. CL, col. 1221 CD : « Ὅμως εἶδον, κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Σωτῆρος, τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, τῷ θεϊκὸν ἐκεῖνο καὶ ἀπόρρητον φῶς. »
2. *Ibid.*, 147, *P. G.*, col. 1224 AB.
3. Locus laudatus in opere : *Adversus Palamam*, *P. G.*, t. CLIV, col. 852 B.
4. *P. G.*, t. CLI (*Homil.*, XXXV), col. 448 A : « Κοινὴ μὲν οὖν καὶ μία ἡ δόξα καὶ ἡ βασιλεία καὶ ἡ λαμπρότης αὕτη τοῦ τε Θεοῦ καὶ τῶν αὐτοῦ ἁγίων. »

Ad contemplandum autem divinum lumen seu Dei splendorem, necessaria est aliqua virtus supernaturalis, aliquod auxilium facultatem contemplantis elevans. Talis virtutis necessitatem agnoscit Palamas, docetque virtutem hujusmodi, quæ luminis gloriæ loco in systemate palamitico venit, esse quamdam Dei operationem, quæ proinde increata est sicut et ipsum lumen quod videtur [1].

VIII. — De visione luminis divini in hac vita per oculum corporeum.

Ut contra Barlaami criminationes hesychastarum apologiam texeret, Palamas ad hoc adductus est, ut lumen thaboricum aliquid prorsus divinum esse et increatum, a Dei essentia quidem realiter distinctum, non vero ab ea separatum vel separabile pronuntiaret. Porro hæc positio haud parvam difficultatem facessit, quandoquidem evangelistæ narrant hujusmodi lumen corporeis oculis ab apostolis ad certum tempus visum fuisse. Quomodo fieri possit, ut aliquid prorsus divinum et immateriale a corporeis oculis capiatur et videatur? Ut a difficultate se expediret, theologus hesychasta ad miraculum confugit. Divinum lumen, inquit, non solum supra oculos corporis est, sed etiam supra oculos cordis, si rerum natura spectetur. Deus autem sua omnipotentia utrumque oculum, et mentis et corporis, ad visionem divini luminis potest reddere idoneum :

« Non apparet et postea evanescit, nec circumscribitur vel sub sensus facultatem cadit lumen dominicæ transfigurationis, tametsi oculis corporeis visum est, atque id ad modicum tempus et in montis exiguo vertice, sed juxta eum qui ait : « Extra se rapti sunt discipuli Domini sensuum immutatione, quam in illis Spiritus Sanctus operatus est, » et ita viderunt... Immutati sunt et sic immutationem viderunt [2]. »

Ergo, juxta Palamam, aliquid Dei, scilicet ejus naturalis splendor ac gloria, oculo corporeo supernaturaliter immutato

1. « Οὐ τὸ φῶς μόνον ἄκτιστον, ἀλλὰ καὶ ἡ δύναμις καθ'ἣν ὁρᾶται. » *Adversus Acindynum Antirrheticus quartus*, c. XII; Cf. *P. G.*, t. CL, col. 818.
2. *Homilia I in Transfigurationem*, *P. G.*, t. CLI, col. 429 A, 433 B : « Ἐνηλλάγησαν οὖν, καὶ οὕτω τὴν ἐναλλαγὴν εἶδον. »

videri potest. Essentia vero ipsa Dei neque naturaliter neque supernaturaliter, neque oculo corporis neque oculo mentis, neque ab hominibus neque ab angelis beatis videri potest. Revera ergo docet quod ei tam sæpe exprobrant ejus adversarii, duplicem scilicet divinitatem, visibilem unam, invisibilem alteram. Tale monstrum nullus ante eum excogitaverat.

In *Tomo hagioritico*, Palamitæ sequens principium statuunt, quod omnibus phantasiæ ac falsi mysticismi erroribus ac deliramentis facilem viam aperire potest :

« Alteram lucem mens, alteram sensus percipere valet. Sensus percipit lucem sensibilem, et sensibilia qua sensibilia ostendit. Lux autem mentis est cognitio in cogitationibus sita. Non eamdem igitur lucem visus et mens percipere valent, *sed tantum quamdiu horum utrumque secundum propriam naturam in naturalibus operatur. Postquam vero spiritualem et supernaturalem sortiti sunt gratiam et virtutem, qui digni inventi sunt et sensu et mente ea vident, quæ omnem sensum omnemque mentem superant* (ut juxta magnum loquamur Gregorium Theologum), prout scit Deus et qui talia experiuntur [1]. »

Hoc principio innixi, monachi quos Barlaamus interrogaverat, de diversis lucibus in contemplatione visis, albis et rubris, sermonem faciebant, aliaque portenta delirantis imaginationis referebant.

IX. — De Dei simplicitate juxta Palamæ ejusque discipulorum doctrinam.

Multiplices distinctiones reales, quas in Deo ponunt Palamas ejusque discipuli, divinæ simplicitati, si illos audias, minime officiunt, quandoquidem, juxta ipsos, mera distinctio seu differentia, διαφορά, διάκρισις, quamvis realis ponatur ex parte objecti, non facit compositionem, σύνθεσιν. Compositio non fit nisi inter res quæ seorsim subsistere et ab invicem separari possunt, quando scilicet fieri potest vera διαίρεσις. Aliis verbis, compositio non adest nisi in casu *distinctionis realis majoris*, non vero in casu *distinctionis realis minoris*. Essentia, hypostases, operationes Deum non faciunt compositum, tum quia hæc omnia ab invicem separari nequeunt, tum quia operatio in Deo nullam ponit passionem vel mutationem.

1. *P. G.*, t. CL, col. 1230 D : « Ὅταν δὲ πνευματικῆς καὶ ὑπερφυοῦς εὐμοιρήσωσι χάριτός τε καὶ δυνάμεως, αἰσθήσει τε καὶ νῷ τὰ ὑπὲρ πᾶσαν αἴσθησιν καὶ πάντα νοῦν οἱ κατηξιωμένοι βλέπουσιν. » Vide etiam quæ dicit Palamas de mystica unione luminis cum anima, *P. G.*, t. CLIV, col. 841.

« Concursus in unum rerum increatarum et revera simplicium, ait Palamas, compositionem nullam facit [1]... Omne increatum ejusdem honoris est cum alio increato unitum, neque in increatis in unum collectis fiet unquam compositio [2]. » Philotheus Kokkinus positionem Palamitarum circa hanc quæstionem clarius explanat :

« Nos a sanctis didicimus proprietates naturales vel artium rationes et scientias nequaquam efficere, ut homo sit compositus; nemo enim unquam dixerit hominem esse compositum, quoniam habet naturam et naturalem operationem, vel quod habeat naturam et artem grammaticam aut fabrilem, aut forsan artem agriculturæ. Si autem in hominibus res se habet, quid dicendum de Deo, qui omnia supernaturaliter habet. Porro compositio tunc fit et dicitur quando duæ res singulæ, propriam habentes subsistentiam, quarum unaquæque per se esse atque sine altera considerari possit, componuntur ac conjunguntur in unam subsistentiam, ut in homine anima et corpus, vel in construenda domo lapides, ligna et ferrum. Hæc enim singula per se subsistentiam habent, et cum in unam subsistentiam conjuncta et composita inter se fuerint, tunc dicitur compositio, σύνθεσις, vel unio duarum rerum vel plurium subsistentium [3]. »

Idem Philotheus in *Tomo hagioritico* jam dixerat :

« Mens humana ad imaginem superexcellentis illius indivi-

1. *P. G.*, t. CLIV, col. 857 A : « Ἡ τῶν ἀκτίστων καὶ ὄντως ἁπλῶν συνέλευσις εἰς ἓν σύνθεσιν οὐδεμίαν ἐμποιεῖ. »
2. *Ibid.*, col. 857.
3. *Ibid.* « Σύνθεσις γίνεται καὶ λέγεται τότε, ὅταν δύο πράγματα ἔχοντα ἓν ἕκαστον ἰδίαν ὑπόστασιν καὶ δυνάμενον ἕκαστον εἶναι καὶ θεωρεῖσθαι καθ'ἑαυτὸ δίχα τοῦ ἑτέρου, ὅταν τὰ τοιαῦτα συντεθῶσιν καὶ ἑνωθῶσιν ἀλλήλοις εἰς μίαν ὑπόστασιν. »

duitatis creata ob naturales cogitationes suas minime fit composita [1]. »

Hoc tamen exemplum ex mente humana sumptum non esse omnino ad rem animadvertit Palamas :

« Accidens, inquit, est quod advenit et abit; hoc etiam nomine accidentia inseparabilia intelligimus. Est etiam aliquo modo accidens id quod naturaliter essentiæ inest, quatenus augetur ac minuitur, *sicut est scientia in anima rationali.* Nihil autem hujusmodi in Deo occurrit, quia omnino immutabilis manet; unde nihil in eo accidens dici potest. Non tamen quodcumque de Deo dicitur essentiam designat... Ita divina operatio neque essentia, neque accidens est, quamvis quidam theologi dicant eam esse *quasi accidens*, quatenus ostendere volunt eam et esse in Deo et non esse essentiam. Unde in Deo considerata, operatio compositionem non facit... Quomodo autem in Deo considerata fugit compositionem? Quia Deus solus operationem habet omnino impassibilem, secundum eam operans tantum, non autem patiens, neque in fieri existens neque mutationi obnoxius [2]. »

Aliud exemplum inveniunt Palamitæ in trinitate personarum. Sic autem argumentantur : Deus compositus non dicitur nec est ex eo quod in illo sunt tres personæ ab invicem distinctæ. Ergo nec compositus fit, ex eo quod habet operationem physicam tribus personis communem. Ut vis argumenti perspiciatur, memorandum est Palamam ejusque sectatores realem ponere differentiam non solum inter personas ad invicem, verum etiam inter unamquamque personam et essentiam :

« Relatio, ait Palamas, semper ad aliud dicitur. Filius enim ad Patrem dicitur; Pater autem nunquam est Patris filius. Sicut igitur impossibile est *relationem non esse distinctam ab essentia nec in essentia considerari, sed esse essentiam, ita etiam impossibile est operationem non esse ab essentia distinctam, sed esse essentiam*, licet dissentiant adversarii [3]. »

1. *P. G.*, t. CL, col. 1233 : « Καὶ ὁ νοῦς οὐδαμῶς διὰ τὰς ἐμφύτους ἑαυτοῦ νοήσεις σύνθετός ἐστιν. »
2. *Capita physica et theologica*, 127, 128, *P. G.*, t. CL, col. 1209, 1212.
3. *Capita*, etc., 142, *P. G.*, *ibid.*, col. 1220 C.

Mutuam autem relationem inter personas et operationes existentem sic describit Palamas :

« Quando Deus dividitur secundum personas, indivisibilitatem habet secundum operationes; quando vero secundum potentias et operationes dividitur, indivisibilis manet secundum personas... Propria nomina divinarum personarum sunt communia operationibus [quatenus scilicet operationes sunt tribus personis communes ac de singulis prædicari possunt]; quæ vero communia sunt personis, sunt propria nomina divinarum operationum [1] [quatenus nomen proprium cujusque operationis cuique personæ indifferenter tribuitur, v. g., Pater est creator, Filius est creator, etc.]. »

Theophanes, episcopus Nicænus, nomine Joannis Cantacuzeni Paulo, romani Pontificis legato, rescribens, eamdem doctrinam de simplicitate Dei fuse explanat. Inter alia hæc habet :

« Sicut persona Patris composita non est ob proprietates hypostaticas ipsi inhærentes, ita et natura divina compositionem non recipit propter naturalem potentiam et operationem sibi inhærentem [2]. »

Idem theologus clare distinguit inter *differentiam*, διαφοράν seu ἑτερότητα, et *separationem*, διαίρεσιν εἴτουν διάστασιν. Simplex differentia inducit quidem distinctionem realem, πραγματικὴν διάκρισιν, non autem *compositionem*, σύνθεσιν. Separatio vero seu διαίρεσις, si realiter fiat, aut saltem *realiter fieri possit*, compositionem facit. Si autem *cogitatione tantum* et *mente* fieri potest (διαίρεσις κατ' ἐπίνοιαν), tum compositionem non inducit. In Deo sunt plures διαφοραί, nulla est διαίρεσις πραγματική, sed tantum διαίρεσις κατ' ἐπίνοιαν, quatenus mente tantum separamus essentiam a personis vel ab operationibus, ut singulas seorsum consideremus. Exemplum separationis κατ' ἐπίνοιαν habes in sepa-

1. *P. G.*, t. CLIV, col. 857, 860.
2. Ἐπιστολὴ ἐν ἐπιτόμῳ δηλοῦσα τίνα δόξαν ἔχει ἡ καθ' ἡμᾶς Ἐκκλησία περὶ τῶν παρὰ τοῦ Παύλου προενηνεγμένων ζητήσεων, in *codice Panteleim. Athonensis 179*, fol. 109r : « Ὥσπερ οὖν ἡ πατρικὴ ὑπόστασις οὐκέτι σύνθεσις διὰ τὰς προσούσας αὐτῇ ὑποστατικὰς ἰδιότητας, οὕτως οὐδ' ἡ θεία φύσις σύνθεσιν ἐπιδέχεται διὰ τὴν ἐνοῦσαν αὐτῇ φυσικὴν δύναμιν καὶ ἐνέργειαν. »

ratione ignis ab ipsius colore; exemplum separationis realis in hypostatica distinctione Petri et Pauli, qui realiter ab invicem distinguuntur quantum ad personas [1].

ARTICULUS IV

De theologiæ palamiticæ novitate.

Systema theologicum Gregorii Palamæ, prout in articulo præcèdenti expositum est, in theologiæ byzantinæ historia ut aliquid prorsus novum et illatenus inauditum sine controversia nobis apparet. Nihil tale docuerant neque Ecclesiæ Patres, neque theologi posteriores. Unde mirum non est illud inter Byzantinos, antiquæ traditionis tenacissimos, contentiones acerrimas excitasse, eique statim a principio adversatos fuisse doctiores ac cordatiores viros tum inter clericos et monachos, tum etiam inter laicos. Per sex integros annos (1341-1347) Ecclesia byzantina hanc novam theologiam tanquam nefandum errorem et impiam hæresim publice rejecit ac damnavit; quod si hæc tandem prævaluit, victoriam sane nonnisi armorum vi, persecutionibus, vexationibus in repugnantes adepta est. Porro hanc novitatis indolem tum Gregorium Palamam, tum ejus sectatores minime latuisse haud uno constat ipsorum testimonio. In ipso jam *Tomi hagioritici* initio aperte declarant se novorum mysteriorum mystas ac propalatores esse :

« Quæ nunc pervulgata cunctisque communiter cognita ac palam prædicata sunt dogmata legis mosaicæ erant mysteria solis prophetis in spiritu prævisa. Promissa autem sanctis bona in ævo futuro sunt evangelicæ disciplinæ mysteria, his quos Spiritus visione dignatur revelata, eisque ad mensuram quasi in arrhabonis partem concessa atque præ-

1. *Ibid.*, fol. 111 : « Ἕτερόν ἐστι διαφορὰ καὶ ἑτερότης, καὶ ἕτερον διαίρεσις εἴτουν διάστασις ἡνωμένων, ὥστε ἰδίᾳ καὶ καθ'ἑαυτὰ θεωρεῖσθαι. Ὁρᾶται τοίνυν καὶ τὰ διαφέροντα καὶ τὰ διεστῶτα ἰδίᾳ καὶ καθ'ἑαυτὰ καὶ ἐπινοίᾳ καὶ πράγματι. » Διαφορὰ κατ'ἐπίνοιαν respondet *distinctionis rationis ratiocinantis* Scholasticorum. Διαφορὰ vero πραγματικὴ respondet distinctioni virtuali minori, item τῇ διαιρέσει κατ'ἐπίνοιαν.

visa. Sed quemadmodum si tunc Judæorum quis non cum gratiarum actione audiens prophetas dicentes Verbum ac Spiritum Deo coæternos ac prææternos esse, aures continuisset, audire visus voces pietati vetitas et a piis admissæ voci contrarias, voci, inquam, dicenti : *Dominus Deus tuus Dominus unus est* (Deut., VI, 4); idem forsan et nunc alicui accidat, qui non cum religiosa pietate audiat mysteria Spiritus, iis solis cognita, quos virtutis cultus purgavit [1]. »

Comparationem inter antiquæ legis prophetas et novæ legis mystas, id est hesychastas, in sequentibus prosequuntur ac fusius explicant. Si illos audias, Novi Testamenti fideles ita erga hesychastas se gerere debent, sicut olim Judæi erga prophetas se habebant : nempe debent arcana ab eis revelata pie suscipere, eis obedire, eos veneratione ac dilectione prosequi. Hesychastæ enim, inquiunt, mystica experientia secreta cælestia edocti sunt; « sibi et Deo per quietem sine sollicitudine vacantes et jugi oratione supra se ascendentes, conjunctique Deo per mysticam et omnem intellectum superantem cum eo unionem, arcanis supernaturalibus initiati sunt [2]. »

Teste Acindyno, Palamas fatebatur se docere « mysteria usque ad præsens tempus abscondita, in solis ænigmatibus posita apud sacram Scripturam eodem pacto ac ea quæ de ipso Christo erant ante ejus incarnationem [3]. » Item ejus discipuli metropolitæ insulæ Tenedi eos exhortanti, ut fidei symbolum tenere satis haberent, responderunt symbolum subulcis, non vero spiritualibus viris sufficere [4]. » Cum autem

1. *P. G.*, t. CL, col. 1225-1228 : « Τὰ δ'ἐπηγγελμένα τοῖς ἁγίοις ἀγαθὰ κατὰ τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα τῆς κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον πολιτείας ἐστὶ μυστηρία τοῖς διὰ τοῦ Πνεύματος ὁρᾶν ἠξιωμένοις καὶ τοῦτοις μετρίως ὡς ἐν ἀρραβῶνος μέρει διδόμενά τε καὶ προορώμενα. »

2. *Ibid.*, col. 1228 C : « Καὶ διὰ προσευχῆς εἰλικρινοῦς ὑπὲρ ἑαυτοὺς γενόμενοι, καὶ γεγονότες ἐν Θεῷ, διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν μυστικῆς ὑπὲρ νοῦν ἑνώσεως τὰ ὑπὲρ νοῦν ἐμυήθησαν. »

3. « Μυστήρια γὰρ εἶναι ταῦτα μέχρι τοῦ παρόντος ἀπόκρυφα, ἐν μόνοις αἰνίγμασι κείμενα παρὰ τῇ θείᾳ Γραφῇ, ὥσπερ καὶ τὰ περὶ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ πρὶν σαρκωθῆναι αὐτόν. » Ἔκθεσις ἐπίτομος τῶν τοῦ Παλαμᾶ πονηροτάτων αἱρέσεων, in *cod. Monac. 223*, fol. 23v.

4. *Relatio cit. ad patriarcham Joannem ejusque synodum*, in eodem *cod. Monac.*, fol. 55r : « ἀκούσας παρ'αὐτῶν χοιροβόσκοις ταύτην ἀρκεῖν τὴν [illegible], οὐ πνευματικοῖς ἀνδράσι. »

in magna synodo anni 1351, Antipalamitæ theses palamiticas novitatis arguerent, responderunt novatores theologiam Palamæ esse *non quidem additionem, sed explicationem concilii sexti œcumenici, duplicem in Christo voluntatem et operationem definientis* [1]. Tomum vero hujus synodi palamiticæ anni 1351 Patres synodi contra Prochorum Cydonium anno 1368 habitæ extulerunt tanquam orthodoxiæ columnam, dogmatum fidei canonem infallibilem, *sanctorum evangeliorum et sacri symboli explicationem ac publicam interpretationem* [2].

Sæculo xv, Marcus Ephesius, genuini palamismi tenax ac defensor acerrimus, in *Capitibus syllogisticis de essentia et operatione*, de eadem novitate nos monet :

« Si a sanctis, inquit, hæc divinæ essentiæ et operationis distinctio non ita clare ac explicate declarata est, hoc nobis admirationem excitare non debet. Etenim si nunc, post tam solemnem veritatis confirmationem et divinæ monarchiæ universalem prædicationem, qui sæculari sapientia vel potius stultitia innixi, tanta negotia Ecclesiæ facesserunt, polytheismi illam inepte insimulantes, quidnam tunc non fecissent qui de vana sua sapientia gloriabantur ejusque studio ardebant, contra doctores nostros occasionem capere gestientes? Ob hanc causam theologos tunc videmus in Dei simplicitate magis quam in distinctione, quæ in eo est, insistere; siquidem consultum non erat iis qui nondum pure recipiebant personarum distinctionem, onus superimponere distinctionis operationum. Divina enim dogmata, suo tempore singula, prudenti dispositione elucidantur, ineffabili Dei sapientia hæreticorum furore atque malitia ad hoc uti solenne habente [3]. »

1. *P. G.*, t. CLI, col. 722 B : « ἥτις οὐδὲ προσθήκη ἂν καλοῖτο δικαίως, ὡς ἀνάπτυξις οὖσα τῆς οἰκουμενικῆς ἕκτης συνόδου. »

2. *P. G.*, *ibid.*, col. 714 C; cf. col. 702 D : « Αὐτὸν τὸν ἱερὸν συνοδικὸν τόμον στήλην ὀρθοδοξίας ἔχομεν καὶ κανόνα ἄπταιστον τῶν ὑγιῶν τῆς ἱερᾶς ἡμῶν πίστεως δογμάτων, καὶ τῶν ἱερῶν καὶ τοῦ θείου συμβόλου ἀνάπτυξιν καὶ ἐξήγησιν. »

3. « Εἰ μὴ τρανῶς οὕτω καὶ πλατικῶς ἡ τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας διάκρισις ἐκπέφανται τοῖς ἁγίοις, θαυμάζειν οὐ χρή. Εἰ γὰρ νῦν μετὰ τὴν τοσαύτην τῆς ἀληθείας βεβαίωσιν καὶ τὴν οἰκουμενικὴν τῆς μοναρχίας ἐπίγνωσιν οἱ ἐκ τῆς ἔξω παιδείας ἢ μωρίας μᾶλλον ὁρμώμενοι τοσαῦτα πράγματα τῇ Ἐκκλησίᾳ παρέσχον, πολυθεΐαν αὐτῆς καταφλυαροῦντες, τί ἂν ἔδρασαν τότε οἱ τῇ ματαίᾳ σοφίᾳ βρενθυόμενοί τε καὶ ζέοντες καὶ τῆς κατὰ τῶν διδασκάλων ἡμῶν ἀφορμῆς λαβέσθαι ἐπιθυμοῦντες; Διὰ τοῦτο οἱ θεολόγοι τῇ ἁπλότητι τοῦ Θεοῦ μᾶλλον ἢ τῇ διακρίσει φαίνονται συνιστάμενοι. Καὶ γὰρ οὐκ ἦν εὔλογον τοῖς μήπω καθαρῶς τὴν τῶν ὑποστάσεων παραδεξαμένοις ἔτι καὶ τὴν τῶν ἐνεργειῶν ἐπιφορτίζειν διάκρισιν. Οἰκονομικῶς γὰρ τὰ θεῖα δόγματα κατὰ τοὺς οἰκείους καιροὺς ἕκαστα διακρίνονται, τῆς ἀπορρήτου σοφίας εἰς δέον χρησαμένης, ὡς ἔθος, τῇ τῶν αἱρετικῶν μανίᾳ καὶ ἐπηρείᾳ. » Hoc caput deest in editione *Capitum syllogisticorum* Marci a W. Gass data ad calcem operis, *Die Mystik des Nicolaus Cabasilas* (*appendix* II), Greifswaldi, 1849. Illud exscribimus ex *cod. Canon. Oxoniensis, 49.*

Quamvis novitatis sibi conscii essent, Gregorius Palamas ejusque discipuli magno eruditionis patristicæ apparatu ostendere semper conati sunt suam theologiam a Patrum doctrina non discrepare, sed ab eis plus minusve explicite traditam fuisse; unde præcipua contentionis vis inter eos et eorum adversarios circa scriptorum Patrum interpretationem versata est; de quo pauca in articulo sexto dicemus.

ARTICULUS V

De elemento philosophico in theologia palamitica.

Ut articuli secundi initio diximus, erraret qui putaret controversiam palamiticam philosophicæ indolis imprimis fuisse. E contra novatores Barlaamo, Acindyno, Nicephoro Gregoræ aliisque crimini verterunt quod a gentili philosophia sua principia mutuarentur, non vero e genuinis theologiæ christianæ fontibus, nempe e sacra Scriptura et Patribus Ecclesiæ, suam doctrinam haurirent. Ipsi autem gloriabantur se nonnisi in Patrum dictis et mystica experientia sanctorum suæ theologiæ fundamenta quærere ac invenire. Hoc tamen non impedit quominus in palamismo quis detegere possit vestigia hujus vel illius systematis ab uno ex antiquis philosophis elaborati.

Si Philotheo omnem fidem adhibeamus, Palamas juvenis in philosophiæ aristotelicæ studium incubuerit et totum

Aristotelem noverit [1]. Isaacus Argyrus, e contra, nos monet eum nonnisi leviter et imperfecte logicam artem didicisse; quod omnino verisimile est, quandoquidem vix viginti et duos annos natus, ad montem Atho perrexit [2]. Cæterum, ex theologi hesychastæ scriptis satis aperte constat eum nulli systemati philosophico addictum fuisse, sed proprium systema e diversis elementis heteroclitisque notionibus confecisse. Aristotelicus ex parte dici potest, quatenus omnem potentialitatem a Deo removet et in eo tantum ponit duas categorias, relationem nempe et actionem. Omnes enim proprietates et attributa essentiæ divinæ concipit non tanquam potentias quiescentes vel qualitates habituales, sed tanquam *operationes*, ἐνεργείας, semper in actu. Deus semper agit sicut sol semper lucet, semper emittit radios.

Nicephorus Gregoras Palamam cum Proclo Neoplatonico comparat [3]. Revera palamismus neoplatonismo in quibusdam affinis deprehenditur. Secundum Neoplatonicos enim, inter quos venit Philo Judæus, Deus in se consideratus depingitur ut omnino inaccessus, invisibilis, incomprehensibilis, qui de rebus mundanis nonnisi *mediate* curam agit, per interpositas scilicet *potentias* seu *virtutes*, quas δυνάμεις Philo appellat. Quid sint Philonianæ δυνάμεις, scitu haud facile. Si dixeris illas esse Dei operationes separatim a divina essentia consideratas, palamismum apud Philonem jam invenire poteris. De facto Philo sæpe loquitur perinde ac si in Deo poneret realem distinctionem inter Dei essentiam et ejus operationem [4]. Non tamen a Philone mutuatus est

1. Λόγος ἐγκωμιαστικὸς εἰς τὸν Γρηγόριον Παλαμᾶν, *P. G.*, t. CLI, col. 559-560 : « Τοιοῦτος ἔν γε φυσικοῖς τε καὶ λογικοῖς καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς Ἀριστοτελικοῖς ὤφθη. »

2. *Contra Cantacuzenum*, in *cod. Vatic. 1096*, fol. 136ᵛ : « Ὁ Παλαμᾶς οὑτοσὶ παιδόθεν ἐς διδασκάλων φοιτήσας, καὶ τὰ τῆς λογικῆς παιδείας οὐκ εἰς ἀκρίβειαν μετελθών, ἀλλ' ἐκ μέρους, τὸ πᾶν ἔχειν ὑπολαβὼν ἐξ οἰήσεως. »

3. *Histor. byzant.*, l. XXXV, *P. G.*, t. CXLIX, col. 425-428; Cf. etiam *P. G.*, t. CL, col. 850.

4. Cf. J. Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité*, Parisiis, 1910, p. 38 sq., 176-183 : « On aurait tort de considérer tous ces êtres dont parle Philon comme des réalités absolues. Peut-être serait-on plus exact en distinguant en Dieu, d'un côté, l'être parfait qui nous dépasse, de l'autre, l'action qui nous atteint et l'éclat qui nous frappe. »

Palamas distinctionem essentiæ divinæ ab ejus operatione, sed illam proprio marte excogitavit, ut a Barlaami difficultatibus se expediret et massalianismi accusationem repelleret.

Aliquam item analogiam inter palamismum et varia Gnosticorum systemata invenire poteris. Αἰῶνες gnosticorum palamiticarum θεοτήτων ὑφειμένων vices gerunt. At vero magna interest differentia inter Palamam et Gnosticos. Isti enim αἰῶνας ut entia a Deo distincta habebant; Palamas vero omnia in Deo ponit.

Tandem doctrina de gratia deifica *increata* a creaturis intellectualibus participata pantheismum redolet. Pantheismi suspicio item augetur ex audacibus loquendi modis a Palama adhibitis, ubi scilicet dicit sanctos fieri per gratiam deos increatos, æternos, principio carentes, ἄκτιστοι, ἀΐδιοι, ἀτελεύτητοι.

Hesychastæ Athonenses minime philosophi erant; putabant autem se in visionibus de industria arte quadam naturali suscitatis lumen quoddam divinum vel ipsum Deum videre. Ut eis satisfaceret simulque eos a massalianismi labe purgaret, Palamas suum systema excogitavit, cui colorem quemdam philosophicum pro viribus adjecit.

ARTICULUS VI

De auctoritatibus a Gregorio Palama ejusque discipulis ex fontibus Revelationis haustis.

Juxta Palamam, arcana theologica ab ipso revelata « in solis ænigmatibus posita sunt », tum in sacra Scriptura, tum apud sanctos Patres [1]. Hæc enigmata detegere, in lucem producere et explicare solliciti fuerunt ipse ejusque sectatores in plurimus scriptis, quorum major pars adhuc inedita est.

Ænigma præcipuum ex quo, velut ex principio fundamentali, totum suum systema eruerunt, est doctrina sacræ Scripturæ et Patrum de invisibilitate et incomprehensibilitate Dei. Scriptura sacra, inquiunt, ex una parte docet

1. Cf. supra, p. 101.

neminem unquam Deum vidisse, illum lucem inaccessibilem inhabitare, ipsos angelos in eum prospicere non audere: ex alia vero parte dicit quosdam gloriam Dei vidisse, ipsum Christum venturum esse in gloria Patris sui, gloriam Christi nos visuros esse. Ergo, concludunt, est aliquid in Deo quod omnino invisibile est, nempe ejus essentia in se considerata; et aliquid quod videri potest, participari potest, scilicet ejus claritas et gloria.

Confirmatur argumentum ex verbis Christi dicentis : *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei*, τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ (Luc., IX, 27). Atqui post dies sex, Christus in monte Thabor coram tribus discipulis transfiguratus est. Lumen vero quod ex ipso effulsit et illum totum circumfulsit erat, ut quidam Patres expresse dicunt, radius divinitatis, ipsa Dei gloria, quam suis oculis viderunt apostoli. Ergo hoc lumen, hæc Dei gloria est ipsum regnum Dei, quod secundum Christi promissum viderunt apostoli, antequam mortem gustassent.

Ad operationem autem divinam in genere ut ab essentia realiter distinctam quod attinet, palmare argumentum texebant ex definitione concilii œcumenici sexti de duplici in Christo voluntate et operatione. Ut supra vidimus, suam doctrinam de Dei essentia et operatione tanquam quamdam definitionis hujus concilii explicationem proponebant, in hunc modum ratiocinantes : Concilium decrevit in Christo esse non solum duplicem naturam, divinam scilicet et humanam, quod non negabant Monothelitæ, sed etiam duplicem voluntatem et duplicem operationem. Atqui voluntas humana Christi ejusque humana ἐνέργεια ab ejus natura humana realiter distinguuntur. Ergo etiam, ut parallelismus in definitione servetur ejusque sensus obvius retineatur, dicendum est in Deo esse, præter id quod naturam constituit, aliud quod sit voluntas et operatio; siquidem advertere nolebant concilium hoc solum definire intendisse, scilicet quod sit in Christo voluntas et operatio humana ab ejus voluntate et operatione divina realiter distincta, nequaquam vero sententiam tulisse de relatione existente inter naturam divinam et ejus voluntatem et operationem.

Ex Patrum operibus innumeros locos tum de lumine

thaborico, tum de divina operatione vel de incomprehensibilitate essentiæ Dei congerebant tanquam pro sua doctrina facientes; siquidem in sensu proprio et litterali sumebant quod Patres metaphorice, poetice, figurate, anthropomorphice de lumine thaborico vel de Deo dixerunt. Notum est enim Patres et nos omnes de Deo plerumque loqui metaphorice vel anthropomorphice, cum omnia de Deo dici possint, et nihil de eo digne proferatur. Potuerunt ergo Palamitæ in scriptis Patrum multa invenire, quæ primo adspectu et vocibus ad litteram sumptis novæ theologiæ Gregorii Palamæ suffragari videantur. De lumine thaborico in homiliis de *Transfiguratione* ab Andrea Cretensi, a Joanne Damasceno, ab aliis compositis, vel in melodorum et hymnographorum poematibus haud pauca occurrunt quæ, si ad litteram intelligas, lumen Transfigurationis tibi exhibent ut quid divinum, vel ipsam divinitatem; verum meminisse oportet poetas et oratores diversis figuris ac metaphoris uti solere, partem pro toto, causam pro effectu, signum pro re significata, etc., et vice versa, sæpe sumere. Fatendum est quosdam Patres græcos, ex his præsertim qui contra Eunomium et Anomæos decertarunt, in Dei incomprehensibilitate et invisibilitate plus æquo forsan aliquando institisse non satis clare distinguentes inter Dei simplicem visionem et ejus essentiæ totam comprehensionem; vel inter visionem Dei solis naturæ viribus inaccessam et eamdem visionem beatis supernaturaliter concessam. Nunquam tamen docuerunt quod Palamitæ dixerunt, scilicet regnum Dei sanctis promissum et totam cæli beatitudinem in contemplatione cujusdam fulgoris increati ex Dei essentia orientis et ab ea realiter distincti consistere, exclusa Dei visione facie ad faciem.

Cæterum haud desunt Patrum textus, in quibus summam Dei simplicitatem illi aperte declarant, omnem realem distinctionem inter essentiam et operationem aliaque attributa ab eo removentes. Textuum hujusmodi collectanea confecerunt Palamitarum adversarii, ut novatorum collectaneis responderent veramque Patrum mentem aperirent [1]. Quid

1. Haud paucos textus collegit Nicephorus Gregoras in sua cum Nilo Cabasila disputatione, *Byzant. hist.*, l. XXXII-XXXIV, *P. G.*,

ad has difficultates Palamas et Palamitæ? Ad sequentem regulam a Palama traditam confugiunt :

« Si Patres audieris dicentes incommunicabilem esse Dei essentiam, illam intellige quæ inaccessa est et ineffabilis; ubi vero communicabilem dixerint, intellige processum Deo naturaliter insitum, et manifestationem et operationem: et sic utrumque amplectens, Patribus consenties [1]. »

Item, in alio loco :

« Cum ineffabilis Deus non essentia tantum dicatur, sed etiam divinitas, bonitas, sapientia, vita, omnia demum quæ communicabilia vocantur, si unquam de Deo audieris ejus essentiam esse bonitatem, et naturam ejus esse sanctificationem, et divinitatem non dividi, nec effundi, nec emitti et alia quælibet his similia, ne putes unamquamque operationem posse dici essentiam, sed scito hanc, licet nominari nequeat, ex illis per analogiam nuncupari quæ ipsi naturaliter insunt [2]. »

His et similibus hermeneuticæ legibus omnes difficultates, quas adversarii tum ex Scriptura, tum ex Patribus eis objiciebant, facile enodabant Palamitæ, quippe qui pro axiomate inconcusso habebant essentiam Dei esse prorsus invisibilem ejusque operationem ab ea realiter distingui. Si vero eorum interpretationes locorum Patrum perlegeris, præ illorum exegetica cæcitate satis obstupescere non poteris. Omnia enim pro suo libitu ad suam doctrinam convertunt, a vero Patrum sensu longe aberrantes [3]. Patrum auctoritate in hoc

t. CXLVIII, col. 1328-1433. Specialem collectionem pro sua doctrina tuenda concinnavit Palamas in sexdecim hypotheses seu capita distributam, quam invenies in *cod. Paris. 970*, fol. 278-335, necnon in *cod. Paris. 1270*, fol. 1-41. In *cod. Vatic. 604*, fol. 3-5v et fol. 17-50, occurrit copiosa seges locorum patristicorum de thaborico lumine a quodam Antipalamita selecta.

1. *Theophanes, P. G.*, t. CL, col. 937 D. Cf. *Caput theolog.*, 107, *P. G.*, t. CL, col. 1193 B.

2. *Ibid.*, col. 948 B : « Μὴ τῶν ἐνεργειῶν ἑκάστην θείαν ὑπολάβῃς εἶναι λέγεσθαι οὐσίαν, ἀλλ' ἀπὸ τούτων ὁμωνύμως τὴν ὑπερώνυμον ἐκείνην ὀνομαζομένην ἴσθι, ἅτε φυσικῶς αὐτῷ προσόντων. »

3. Hoc bene notat Acindynus in *Expositione brevi perversarum hæresum Palamæ, cod. Monac. 223*, fol. 23v : « Τἄλλα πάντα νοθεύει καὶ διαστρέφει παρέλκων πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τὰ τῶν θείων πατέρων,

potissimum abutuntur, quod pro sua theologia confirmanda ad illos textus provocant ubi Patres contra hæreticos distinctionem realem personarum divinarum ad invicem demonstrant, quasi idem esset et personarum distinctionem tenere, et realem differentiam inter essentiam Dei et ejus operationem docere. Vidimus enim supra Palamam posuisse distinctionem realem inter essentiam et unamquamque personam [1].

ARTICULUS VII

De argumentis Palamitarum ex ratione theologica petitis.

Ad suum systema fulciendum Palamas et Palamitæ non solum ad positivas auctoritates, verum etiam ad multa argumenta ex ratione petita recurrebant. Argumenta autem hujusmodi fere omnia duobus falsis nituntur suppositis, quibus eorum mens tota imbuitur ac obnubilatur.

Primum suppositum est nullam dari mediam distinctionem inter *distinctionem realem* (majorem vel minorem) et distinctionem *mere nominalem* seu rationis ratiocinantis. Palamas nullam habet notionem illius distinctionis quam nostri Scholastici vocant *virtualem*, quæ realis quidem est in intellectu creato Deum per diversos conceptus seu formalitates cognoscente, *virtualis* vero tantum in Deo cognito, quatenus diversæ formalitates ab intellectu creato de Deo conceptæ inveniunt in Deo summe simplici *reale fundamentum*, non autem realem distinctionem reali distinctioni nostrorum conceptuum respondentem. Unde Palamas et Palamitæ suos adversarios meri nominalismi insimulare solent.

Alterum suppositum est Deum participari a creaturis sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali, eodem fere modo ac lux solaris a rebus sensibilibus participatur. Operatio Dei ad extra, secundum conceptum palamiticum, ad creaturas revera diffunditur, eas quodammodo tangit, sicut

ἄλλα τε ἀντιλαμβάνων ἄλλων καὶ τὰς ὁμωνυμίας τῶν λεγομένων μὴ διακρίνων, ἀλλὰ πάντα φύρδην μιγνὺς καὶ συγχέων. »

1. Cf. supra, p. 75.

radius solis tangit res illuminatas. Aliis verbis, operationes Dei ad extra ponunt relationes, quæ *reales sunt non solum ex parte creaturarum, sed etiam ex parte Dei.* Asserit quidem Palamas Deum operantem manere semper in se immutabilem; verum, juxta ipsum, Deus per suas operationes creaturis revera se immiscet, ab eis revera recipitur et participatur variis modis secundum operationes. Cum autem hæc immixtio et participatio essentiam divinam, seu elementum primarium quod in Deo est, respicere nequeat — secus enim omnia Deus essent, et Deus omnia — ad elementum secundarium quod ex Deo naturaliter oritur, id est ad operationem divinam, necessario referenda est. Ex hac imaginaria de operatione Dei conceptione procedunt illa innumera argumenta, quæ contra Acindynum aliosque adversarios per absurdum urget; quæ argumenta ad hoc fere reducuntur : Si in Deo non distinguis realiter operationem ab essentia, vel omnia facis Deum, vel Deum deprimis ad res creatas, vel etiam Deum supprimis. Si enim in Deo operatio idem est ac essentia, ergo Deus non est nisi essentia; non habet revera operationem. Atqui essentia non habens operationem est mera fictio mentis; est purum nihil.

Ad primum suppositum referri possunt sequentia argumenta, quæ ex parte Dei directe desumuntur :

« Si nihil differt operatio divina ab essentia divina, creatio (τὸ ποιεῖν), quæ ad operationem pertinet, minime differet a generatione et processione, quæ ad essentiam pertinent. Si autem creatio a generatione et processione non differt, res creatæ non differunt a generato et procedente. Si autem res ita se habet juxta ipsos (Antipalamitas scilicet), Filius Dei et Spiritus Sanctus nihil different a creaturis, et creaturæ omnes erunt a Deo Patre generatæ et procedentes, et deificabitur creatio, et Deus inter creaturas annumerabitur [1]. »

« Si divina essentia nihil differt a divina operatione, generare et procedere nihil differunt a τοῦ creare. Atqui Deus

1. *Capita physica et theologica*, 96, *P. G.*, t. CL, col. 1189 B : « Εἰ μηδὲν διαφέρει τῆς θείας οὐσίας ἡ θεία ἐνέργεια, καὶ τὸ ποιεῖν, ὃ τῆς ἐνεργείας ἐστί, κατ'οὐδὲν διοίσει τοῦ γεννᾶν καὶ ἐκπορεύειν, ἃ τῆς οὐσίας ἐστίν. »

creat per Filium in Spiritu Sancto. Ergo, secundum adversariorum eorumque asseclarum sententiam, Pater etiam generat et spirat per Filium in Spiritu Sancto [1]. »

« Si essentia Dei ab ejus operatione nihil differt, deiferis Patribus testantibus Deum habere multas operationes, multas ergo Deus habebit essentias [2]. »

« Si Dei operationes a divina essentia minime distinctæ sunt, nec ad invicem differentiam habebunt. Ergo a præscientia Dei distincta non erit voluntas, et sic Deus non præsciet omnia — non enim omnia vult quæ fiunt; — vel mala etiam volet, quia omnia præscit. Atqui si non præscit omnia, Deus non est; item non est Deus, si bonus non est. Differt ergo præscientia a divina voluntate, utraque vero a divina essentia [3]. »

« Si nullam inter se habent distinctionem divinæ operationes, ergo creatio a præscientia non differt, ac proinde quia Deus creare cœpit, ergo et præscire cœpit. Quomodo autem Deus est ille qui non omnia ante sæcula præsciverit [4]? »

« Si Dei operatio creatrix ab ejus præscientia nihil differt, creaturæ præscientiæ Dei coævæ erunt, ab æterno creatæ, utpote Deo ab æterno creante, quandoquidem ab æterno præscit et præscita ab æterno præsciuntur. Quomodo autem erit Deus, cujus opera ipso non sunt posteriora [5]? »

« Si operatio creatrix nihil differt a Dei præscientia, creatio non subjacet Dei voluntati, sicut nec ipsa præscientia. Ergo non voluntate creat Deus, sed sola natura. Quomodo autem Deus, qui sine voluntate creat [6]? »

« Essentia non habens operationem a seipsa differentem est prorsus ἀνυπόστατος et mera intellectus idea; nam homo in universum non cogitat, non opinatur, non videt, non

1. *Ibid.*, 97, col. 1189 C.
2. *Ibid.*, 99, col. 1189 D.
3. *Ibid.*, 100, col. 1189 D, 1192 A.
4. *Ibid.*, 101, col. 1192 A : « Εἰ μὴ πρὸς ἄλληλας ἔχουσι διαφορὰν αἱ θεῖαι ἐνέργειαι, καὶ τὸ δημιουργὸν λοιπὸν τοῦ προγινώσκειν οὐ διενήνοχεν. »
5. *Ibid.*, 102, col. 1192 AB : « Καὶ πῶς Θεός, τῶν ποιημάτων αὐτοῦ μηδαμῶς ὑστέρων ὄντων. » Ex hoc colligitur Palamam opinari creationem ab æterno repugnare.
6. *Ibid.*, 103, col. 1192 B

odoratur, etc....; ideo minime subsistens est homo in universum, ὁ καθόλου ἄνθρωπος... Adversarii dicentes Deum non habere operationem naturalem sui indicem et ideo a sua essentia differentem, Deum negant esse in hypostasi et minime subsistentem faciunt trinum hypostasibus Dominum [1]. »

Sophismata hujusmodi aliaque his similia, quæ in scriptis palamiticis occurrunt, clare demonstrant Palamam gratis tribuere suis adversariis negationem *cujuscumque distinctionis* et differentiæ (μηδὲν διαφέρει, inquit semper ille) inter essentiam Dei et ejus operationes tum ad intra, tum ad extra. Unde ad diluendas ejus sophisticas conclusiones, sufficit ponere distinctionem realem inter conceptus nostros, quæ habeat aliquod fundamentum in ipso objecto, quod est Deus.

Inter argumenta, quæ procedunt ex imaginaria conceptione modi quo creaturæ Deum participant, sequentia exscribere satis sit :

« Pars essentiæ vel tenuissima omnes habet hujus virtutes, sicut scintilla est lucida et lucifera... et gutta omnes aquæ vires habet... Si ergo ineffabilem illam Dei essentiam participamus sive integre, sive partim, erimus omnipotentes, et unumquodque ens erit omnipotens [2]. »

« Essentia tot habet hypostases seu supposita. quot habet participantes, sicut quot lampadas aliquis ex una accendit, tot ignis supposita facit. Si igitur, ut nostri adversarii volunt, essentia Dei participatur, et quidem ab omnibus, jam non tres personas hæc habebit, sed innumeras... Non igitur secundum essentiam nec secundum personam quamdam aliquis fit Dei particeps..., sed communis est operatio et virtus naturæ in tribus hypostasibus subsistentis, quæ diverse distribuitur participibus pro cujusque dispositione et eis communicatur qui gratia donati sunt [3]. »

« Participans aliquid, partem habet participati; nam si non partis, sed totius consors esset, possidere proprie dicere-

1. *Ibid.*, 136, 137, col. 1216-1217.
2. *Ibid.*, 108, col. 1193.
3. *Ibid.*, 109, col. 1196 : « Ἡ οὐσία παρ'ὅσων ἐστὶ μετεχομένη, τοσαύτας καὶ τὰς ὑποστάσεις ἔχει. Εἰ ἡ οὐσία Θεοῦ μετέχεται, καὶ ταῦτα παρὰ πάντων, μηκέτι τρισυπόστατός ἐστι, ἀλλὰ μυριοϋπόστατος. »

tur, non vero participare. Divisibile est ergo participatum, quia partim communicandum est participanti. Atqui essentia Dei est omnino indivisibilis; ergo et imparticipabilis. Divisibilem tamen esse divinam operationem crebro in sermonibus ostendit Chrysostomus [1]. »

« Participans aliquid secundum essentiam, communem habere debet essentiam cum participato, saltem secundum quid. Quis autem unquam audivit unam esse Deo et nobis essentiam secundum quid, cum præsertim magnus dicat Basilius : *Operationes quidem Dei ad nos descendunt, essentia vero ejus inaccessa manet?*... Non igitur possibile est essentiam Dei participare ne ipsis quidem divina gratia deificatis. Divinam vero operationem participare licet [2]. »

Verba Basilii mox laudata ad litteram sumit Palamas : *Operationes ad nos descendunt*, nos quodammodo tangunt, nobis se immiscent, eas vere participamus; quod præsertim verum est de gratia deifica increata. Inde tota argumentatio nostri theologi super Dei participatione fundata.

Aliud argumentum contra suos adversarios in hunc modum texit Palamas. Non ex essentia operatio, sed ex operatione essentia dignoscitur existere, sed non quid sit. Si operatio Dei ab ejus essentia non differt, indicium existentiæ Dei nobis aufertur, Deum esse amplius cognoscere non possumus et in barathrum atheismi labimur [3].

Item ad atheismum adiguntur Antipalamitæ hac ratione : Qui dicunt Deum quidem operationem habere, hanc vero ab ejus essentia non differre, convincuntur se revera Deo negare operationem. Qui autem negat Deum habere operationem, eo ipso negat Deum revera existere. Essentia enim carens operatione est prorsus nihil [4].

1. *Ibid.*, 110, col. 1196 CD.
2. *Ibid.*, 111, col. 1197 : « Αἱ μὲν ἐνέργειαι τοῦ Θεοῦ πρὸς ἡμᾶς καταβαίνουσιν, ἡ δὲ οὐσία αὐτοῦ μένει ἀπρόσιτος. »
3. *Ibid.*, 141, col. 1220 A. Sensum, non verba referimus.
4. Ita passim Palamas et Palamitæ in suis scriptis. Cf. *P. G.*, t. CL, col. 1120 BC, 1216-1217. Atheismi item accusant Acindynianos, eo quod isti non realiter distinguendo operationes ab essentia, operationes Dei ad res creatas deprimunt et consequenter ipsam Dei essentiam faciunt creatam.

ARTICULUS VIII

De præcipuis Palamæ discipulis qui sæculis XIV et XV fuerunt necnon de eorum doctrina cum doctrina magistri collata. De palamismo mitigato.

Controversia palamitica copiosam peperit litteraturam theologicam, cujus monumenta majori ex parte adhuc inedita latent. Ex utrisque quinam calamo fecundiores fuerint, Palamitæ an eorum adversarii, haud facile dictu. In præsenti articulo, de doctrina præcipuorum Palamæ discipulorum, qui vel ejus coævi fuere, vel subsequenti ævo, nempe ante Urbem a Turcis captam, vixere, pauca tradere intendimus, hoc potissimum quærentes, utrum scilicet cum magistro in omnibus consenserint, vel ab ejus sententiis plus minusve recesserint.

I. — Differentia inter Palamam ejusque genuinos discipulos in formulis theologicis.

In theologia Palamæ duo consideranda sunt, res scilicet et verba. Quod ad res et sententias attinet, plerique ejus discipuli qui sæculis XIV et XV fuerunt, in omnibus fere cum eo conveniunt. Quantum vero ad formulas, vix unum invenies qui eas, magistri instar, usurpaverit. Quanquam omnes Palamam miris extollunt laudibus, columnam orthodoxiæ vocitant, ut sanctum colunt, ab ejus tamen loquendi modis audacioribus abstinent. Hanc differentiam notarunt quidam Antipalamitæ, ut Joannes Cyparissiota [1] et Manuel Calecas [2]. Apud discipulos, etiam coævos et addictissimos, in vanum quæres *divinitatem superiorem* et *divinitatem inferiorem*, *deitatum* multitudinem, quæ sint ἀνούσιοι et ἀνυπό-

1. *Palamiticarum transgressionum*, l. I, serm. I, c. II, *P. G.*, t. CLII, col. 676.
2. *De essentia et operatione*, *P. G.*, t. CLII, col. 336 B : « καὶ ἴσως μετ'ἐκεῖνον οἱ τοῖς ἐκείνου συνηγορεῖν βουλόμενοι... οὐκ ὀλίγον τῶν τοιούτων ὑφεῖλον. »

στατοι. Nec eos, qui per gratiam deificati sunt, audent appellare *æternos* vel *increatos*.

In quadam epistola nondum edita, Joannes Cantacuzenus, theologiæ palamiticæ studiosissimus, missas facit et anathematizat multas formulas a Palama vulgatas :

« Nostri adversarii, inquit, dicunt nos opinari in Deo duas divinitates, unam, quæ sit essentia, alteram ἀνούσιον; de quo ego dico : Sub anathemate sit qui hoc senserit [1].

« Dicunt nos adorare deos inferiores, quorum non sit numerus, ex essentia Dei procedentes, quos proprie vocemus deos et divinitates; et dico : Sub anathemate sit qui hoc senserit [2].

« Adhuc dicunt nos dividere quæ Deo naturaliter insunt in partes et portiones; et dico : Sub anathemate sit qui hoc senserit [3].

« Adhuc dicunt nos putare deos inferiores operari omnia, naturam divinam autem nihil operari, sed circumscriptam esse extra rerum universitatem; et dico : Sub anathemate sit qui hoc senserit; sed adoramus unum Deum personis trinum, unam habentem naturam, unam potentiam, unam operationem, unam divinitatem [4].

« Adhuc dicunt nos docere eos qui divinitatum inferiorum participes sunt, fieri sine principio, et increatos et æternos; et dico : Sub anathemate sit qui talia senserit [5].

1. In *cod. Lauriotano Athanas. Athon. 135*, fol. 772v : « Λέγουσι γὰρ ὡς δῆθεν δοξάζομεν ἡμεῖς ἐπὶ Θεοῦ δύο θεότητας, μίαν οὐσίαν καὶ ἑτέραν ἀνούσιον· ἐφ'ᾧ καὶ λέγω ἐγώ, ὅτι ὑπὸ ἀνάθεμα ἔστω ὁ τοῦτο φρονῶν. » Animadvertas velim Cantacuzenum scribere : καὶ λέγω ἐγώ, non vero : καὶ λέγομεν ἡμεῖς. Oblivisci enim non potest Palamam dixisse et duas et plures θεότητας. Epistola citata initio caret. Ad quemdam episcopum, quem imperator ad palamismum trahere vult, dirigitur.
2. *Ibid.*, fol. 773r : « Ἔτι λέγουσιν ὅτι προσκυνοῦμεν ἀνάρχους θεοὺς ἀριθμὸν ὑπερβαίνοντας, ὑφειμένους, δὲ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ προϊόντας, οὓς καὶ κυρίως λέγομεν θεοὺς καὶ θεότητας· καὶ λέγω ὅτι ὑπὸ ἀνάθεμα ἔστω ὁ τοῦτο φρονῶν. »
3. *Ibid.* : « Ἔτι λέγουσιν ὅτι μερίζομεν τὰ φυσικὰ τοῦ Θεοῦ εἰς μέρη καὶ μόρια. »
4. *Ibid.* : « Ἔτι λέγουσιν ὅτι φρονοῦμεν θεοὺς ὑφειμένους ἐνεργεῖν τὰ πάντα, τὴν δὲ θείαν φύσιν μηδὲν τῶν ὄντων ἐνεργεῖν. »
5. *Ibid.* : « Ἔτι λέγουσιν ὅτι λέγομεν ὡς τοὺς μετέχοντας τῶν ὑφειμένων θεοτήτων ἀνάρχους καὶ ἀκτίστους καὶ ἀϊδίους γενέσθαι· καὶ λέγω ὅτι ἔστω ὑπὸ ἀνάθεμα ὁ τοῦτο φρονῶν. »

« Adhuc dicunt nos dicere in Deo non tantum tres hypostases sed multas et diversas potentias et operationes; sit vero sub anathemate qui hoc senserit. Sed dicimus Patris, Filii et Spiritus Sancti tres quidem personas, *unam* vero *essentiam et operationem, et non multas operationes ab invicem differentes*, sicut vani isti calumniantur [1]. »

Ex his patet Cantacuzenum plerasque formulas Palamæ aperte recusasse, immo eas anathemate perculisse; quod in epistola laudata forsan fecit, ut episcopum cui scribebat palamismo lucrifaceret; callidus enim homo erat et astutus. Hoc tamen non impedit quominus, ad doctrinæ summam quod attinet, verus Palamita fuerit.

II. — David Disypatus et Philotheus Kokkinus.

Genuinus item Palamæ discipulus, et quidem ex primis unus, ille monachus David Disypatus, qui de initio controversiæ inter Barlaamum et theologum hesychastam brevem narrationem conscripsit, a nobis in articulo primo laudatam [2]. Reliquit etiam *Tractatum in blasphemias Barlaami et Acindyni* Nicolao Cabasilæ dicatum, qui nondum lucem aspexit [3]. David totam Palamæ theologiam comparatione solis materialis explicat. Hanc comparationem ut adæquatam habet. Barlaamum et Acindynum docentes lumen thaboricum, et generatim omnes Dei operationes, omnes ejus illuminationes et charismata omnia Spiritus Sancti creata esse in hunc modum confutat :

« Quemadmodum si quis dicat solis radios tenebrosos esse, hic etiam solarem orbem, qui eos emittit, facit tenebrosum — qualis enim orbis, et radii tales; si luminosus ille, luminosi et isti; si vero ille tenebrosus, tenebrosi et isti — ita et de essentia divina ejusque operationibus cogita : quales quis dixerit operationes, talem et essentiam facit : si increatæ operationes, increata et essentia; si vero illæ

1. *Ibid.* : « Ἔτι λέγουσιν ὅτι λέγομεν ἐπὶ Θεοῦ οὐ τρεῖς ὑποστάσεις, ἀλλὰ πολλὰς καὶ διαφόρους δυνάμεις καὶ ἐνεργείας. »
2. Cf. supra, p. 53.
3. Illum habes in *cod. Paris. græc. 1247*, fol. 1-51v.

creatæ, et essentia creata; ab essentia enim inseparabiles sunt operationes.

« Et sicut ubi de sole sermo est, si quis dicat : « Radios dico tenebrosos esse, essentiam vero et discum solis luminosum », hic non recte loquitur; ad discum enim referuntur radii eique adhærent; ita etiam, si de Deo sermo sit, qui dixerit : « Operationes dico creatas, essentiam autem increatam », non novit quod dicit. Quales enim sunt operationes, talis est et essentia, quæ eas producit; si illæ increatæ, et hæc increata, si creatæ, creata. Ita etiam et de fonte dicendum : qualis ille fuerit, talis erit aqua ex eo scaturiens; si dulcis ille, et hæc dulcis, si amarus, amara. Item et de igne : si quis dixerit ignem calidum esse, operationem autem ex eo naturaliter emissam dixerit frigidam, manifesto mentitur; calida enim substantia operationem frigidam producere non potest [1]. »

Hoc pacto monacho nostro omnia quæ Deo insunt omnino clara sunt. Deus est sol spiritualis, cujus lumine, quod idem est ac gratia deifica et increata, jam in hac vita frui incipiunt mundi corde, hesychasticæ vitæ ac contemplationi dediti.

Philotheus Kokkinus potiori titulo quam ipse Palamas, palamismi publici — illum dico quem Ecclesia byzantina publice canonizavit ac recepit — theologus ac doctor exstitit. Ipse enim et *Tomum hagioriticum* conscripsit, et una cum Nilo Cabasila tomum synodi anni 1351 litteris consignavit, et anathematismos contra Barlaamum et Acindynum confecit, qui *Synodico* Dominicæ de Orthodoxia dictæ inserti sunt et a Græcis adhuc recitantur quotannis; et in professione fidei episcoporum ordinandorum palamiticam doctrinam interpolavit, et demum Gregorium Palamam inter sanctos retulit, ejusque officium, quod Græco-Russi adhuc cantant, composuit. Ex multis ejus scriptis polemicis soli editi sunt *Libri quindecim adversus Nicephorum Grego-*

1. *Op. cit.*, in *cod. Monac. 508*, fol. 3 : « Ὁποίας ἂν εἴποι τις εἶναι τὰς ἐνεργείας, τοιαύτην ποιεῖ καὶ τὴν οὐσίαν· εἰ μὲν ἄκτιστοι αἱ ἐνέργειαι, ἄκτιστος καὶ ἡ οὐσία· εἰ δὲ κτισταί, καὶ ἡ οὐσία κτιστή· ἀχώριστοι γάρ εἰσιν αἱ ἐνέργειαι τῆς οὐσίας. »

ram[1]. Palamiticas theses omnes retinet et copiosiori stylo explicat ac propugnat. Plerumque tamen vitat magistri stupendos loquendi modos et omnia clare exponit.

III. — Joannes Cantacuzenus.

Joannes Cantacuzenus, palamismi primum patronus coronatus, quem etiam vi adhibita contra adversarios defendit, in fine vitæ, cum jam monachus factus esset, sub Joasaphi vel Christoduli nomine pro nova theologia tuenda haud pauca conscripsit, quæ omnia hactenus inedita remansere, si brevia quædam excerpta excipias. Illum mox audivimus plerisque Palamæ formulis temerariis valedicentem, immo et anathema eis infligentem. Summam tamen ejus doctrinæ sub verbis mitioribus ac magis castigatis retinet. Præcipuum opus ejus de hac materia est longa confutatio longissimi operis Joannis Cyparissiotæ inscripti : Παλαμιτικαὶ παραβάσεις *(Palamiticæ transgressiones)*, quam sub ementito nomine monachi Christoduli publicavit [2]. Aliud inscribitur : *Adversus Prochorum Cydonium* [3], in quo auctor doctrinam Palamæ de lumine thaborico, de gratia increata et reali distinctione inter essentiam Dei et ejus operationem expresse tuetur :

« Lumen illud, inquit, est fontaneus radius omnem creaturam sensibilem et spiritualem illuminans, nequaquam vero est ipsa essentia Dei. Quid enim non sit essentia Dei, norunt theologi omnes; quid autem sit, nemo hactenus neque intellexit, neque explicavit... Nos opinamur lumen illud esse Dei gloriam æternam, lucem ante sæcula existentem, et naturalem Dei radium [4]. »

1. A Dositheo in Τόμῳ ἀγάπης, sed cum lacunis ac mendis. Hanc editionem dat *P. G.*, t. CLI, col. 773-1186. Nota *Sermones duos et Epilogum* in appendice positos revera esse tres primos libros totius operis, ut ex pluribus manuscriptis constat. Cf. J. Mercati, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone*, etc., p. 244.

2. Invenitur in *cod. Laurent. VIII*, 8. Prologum operis habes in *P. G.*, t. CLIV, col. 694-700.

3. In *cod. Parisino 1241*, fol. 1 sq.

4. *Cod. cit.*, fol. 60v : « Τὸ φῶς ἐκεῖνο ἀκτίς ἐστι πηγαία φωτίζουσα πᾶσαν κτίσιν αἰσθητήν τε καὶ νοητήν, οὐ μὴν δ'αὐτὴ ἡ ουσία τοῦ Θεοῦ.

In alio opere : *Adversus Isaacum Argyrum* inscripto [1], speciatim docet septem dona Spiritus Sancti esse increata, sicut et alias Dei operationes, quæ omnes ab essentia divina re distinguuntur, quamvis ab ea nullo modo separari possint. Illas radiis solaribus comparat; unde dicit eas posse et singuraliter et pluraliter denominari. In fine disserit de lumine thaborico increato.

Habuit præterea Cantacuzenus litterarum commercium de quæstione palamitica cum Paulo, patriarcha latino Constantinopolis et romani Pontificis legato. Quatuor ejus epistolæ ad Paulum scriptæ specialem considerationem merentur[2], cum in eis palamismum temperare ac mitigare pro posse conetur et plures formulas a Palama usurpatas expresse rejiciat :

« Duarum, inquit, vel plurium deitatum inferiorum et superiorum numerum et quæcumque alia adversus nos ex differentia essentiæ et operationis colligere putant amentes, ab eorum stultitia procedunt suntque auribus christianorum intolerabilia [3]. »

Item in alio loco :

« Ad inferiorem et superiorem divinitatem quod spectat, quamvis dicamus nomen θεότης et de essentia et de operatione prædicari, at vero non inde intelligimus duas esse divinitates vel multas... Cum autem una a nobis prædicetur divinitas, quomodo hæc seipsa major vel minor esset... Neque divinitatem inferiorem in tomo [scilicet in tomo synodi Blakhernarum anno 1351 habitæ] quis inveniet, neque ita loquimur; attamen majus et minus a theologis dici de iis quæ de Deo prædicantur, manifestum est [4]. »

Τί γὰρ οὐκ ἔστιν ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ, ἴσασι πάντες οἱ θεολόγοι... τί δέ ἐστιν οὐδεὶς εἰς δεῦρο οὔτε συνῆκεν οὔτ'ἀπεφήνατο. »

1. In *cod. Paris. 1242*, fol. 9-70, et in aliis codicibus.

2. Hæ litteræ occurrunt in pluribus codicibus, inter quos est *cod. Baroccianus Oxoniensis 193*, fol. 307-354.

3. *Cod. cit.* : « Ἀριθμὸν δὲ θεοτήτων δύο ἢ καὶ πλειόνων, ὑφειμένων ἢ ὑπερκειμένων, καὶ ὅσα ἄλλα ἐκ τῆς διαφορᾶς οἱ ἐμβροντητοὶ συνάγειν οἴονται καθ'ἡμῶν, τῆς ἐκείνων εἰσὶ παρανοίας, ὡσὶ δὲ χριστιανῶν οὐκ εἰσὶ φορητά. » Palamas tamen de pluribus deitatibus passim loquitur.

4. « Οὔτε γὰρ ἐν τῷ τόμῳ εὕροι τις ἂν ὑφειμένην θεότητα οὔτε παρ'ἡμῶν λέγεται· ὅτι μέντοι τὸ μεῖζον καὶ τὸ ἔλαττον λέγεται παρὰ τῶν θεολόγων ἐπὶ τῶν λεγομένων περὶ Θεοῦ, πρόδηλον. »

Missis hujusmodi loquendi modis, præcipuas theses palamiticas retinet. Primum quidem, secundum ipsum, essentia Dei ab operatione differt sicut ignis a calore, lumen a splendore, sol a radio [1].

« Sic nos, inquit, intelligimus id quod habet et id quod habetur : Essentiam dicimus habere operationem ab ea aliquo modo differentem, quandoquidem audimus operationem ex essentia prodire, ut fert synodus. Essentiam autem a seipsa procedere nullus hactenus blasphemantium dixit; neque ullam cogitamus compositionem, neque suppositum et prædicatum, neque substantiam et accidens, neque substantiam et qualitatem [2]... Essentia et operatio differunt secundum causam et causatum. Si essentia et operatio sunt omnino unum et idem, ergo causa et causatum sunt unum et idem; quod est impossibile [3]. »

« Aliud et aliud dicimus essentiam et operationem in Deo non sicut alterum in altero ab extrinseco proveniente..., sed aliud et aliud, quæ non re separantur sed cogitatione tantum, quanquam eorum differentia non in mente tantum existit [4]. »

Præterea docet essentiam nullo prorsus pacto videri posse a creaturis, etiam in ordine supernaturali. Solum videtur lumen ex Dei essentia effulgens. Hoc viderunt apostoli in monte Thabor etiam corporeis oculis a Deo miraculose immutatis. Lumen istud est increatum sicut et ipse Deus [5].

1. « Πιστεύομεν ἐπὶ Θεοῦ οὐσίαν ἐνέργειαν ἔχουσαν ἀδιαιρέτως ἐξ αὐτῆς προϊοῦσαν, οὐ διϊσταμένην αλλ'ὡς διαφέρουσαν ἐπινοίᾳ, ὥσπερ τοῦ πυρὸς ἡ θέρμη, καὶ τοῦ φωτὸς ἡ λαμπρότης. »

2. « Τὴν δ'οὐσίαν ἀφ'ἑαυτῆς προϊέναι οὐδέπω καὶ τήμερον οὐδεὶς τῶν βλασφήμων εἶπε· καὶ οὐδὲ σύνθεσιν οὐδεμίαν ἐννοοῦμεν, οὔτε ὑποκείμενον καὶ κατηγορούμενον, οὔτε οὐσίαν καὶ συμβεβηκός, οὔτε οὐσίαν καὶ ποιότητα. » Attamen quod verbis negat, re in Deo ponit, ut ex præcedentibus et sequentibus patet.

3. « Εἰ δὴ τὸ αὐτό ἐστι παντάπασιν οὐσία καὶ ἐνέργεια, εἴη ἂν τὸ αὐτὸ αἰτιατὸν καὶ αἴτιον, ὅπερ ἀδύνατον. »

4. « Ἄλλο μέντοι καὶ ἄλλο λέγομεν τὴν οὐσίαν καὶ τὴν ἐνέργειαν ἐπὶ Θεοῦ, οὔτε ὡς ἕτερον ἐν ἑτέρῳ, ἤγουν ἔξωθεν ἐπιγεγονυῖαν... ἄλλο δὲ καὶ ἄλλο, οὐ πράγματι διαιρουμένων ἀλλ'ἐπινοίᾳ, τῆς διαφορᾶς τούτων οὐκ ἐν τῷ νῷ μόνῳ συνισταμένης, ὥσπερ ἀξιοῦσιν οὗτοι, ἀλλ'ἀληθῶς οὔσης ἐν τῷ Θεῷ. »

5. « Τὸ τὴν οὐσίαν ὁπωσοῦν ὁρᾶσθαι τοῦ Θεοῦ πᾶσιν ὁμοῦ τοῖς διδασκάλοις ἀδύνατον δοκεῖ πάσῃ γεννητῇ φύσει... Καὶ τοῖς σωματικοῖς καὶ τοῖς τῆς ψυχῆς ὀφθαλμοῖς ἑωρακέναι λέγομεν ἐκεῖνο τὸ φῶς, οὐ μὴν ἐν τοῖς ἰδίοις ὅροις τῆς φύσεως μεμενηκόσιν, ἀλλ'ἐκβεβηκόσι πάσης φυσικῆς ἐνεργείας, οὐ κατὰ στέρησιν ἀλλὰ κατὰ τὴν ὑπεροχὴν τῆς θείας ἀλλοιώσεως. »

IV. — Theophanes Nicænus.

Theophanes, metropolita Nicænus, Cantacuzeni amicus, eadem ac ille sentit, cujus nomine etiam rescripsit epistolam Paulo patriarchæ latino de distinctione inter essentiam Dei et ejus operationem. Comparationem solis et ejus radiorum fuse evolvit eamque habet ut adæquatam ad indicandam mutuam habitudinem essentiæ et operationis in Deo, quatenus scilicet hæc comparatio bene ostendit et utriusque realem indivisionem atque inseparabilitatem et in re differentiam. Claudicat tamen ex parte, quatenus radius solaris uni tantum orbis parti conjungitur, non vero toti orbi; item quatenus lumen se habet ad orbem sicut forma ad materiam; unde sol est vere compositus duabus substantiis, quæ ab extrinseco in creatione inter se unitæ fuerunt [1].

Præter epistolam supra dictam, Theophanes ad Paulum direxit de palamismo sat longum opus in quinque libros divisum, quod nondum editum est [2].

V. — Cabasilæ duo.

Cabasilæ duo, Nilus et Nicolaus, avunculus et nepos, doctrinæ palamiticæ adhæserunt eamque in quibusdam scriptis suis propugnarunt. Nilus, Nicephori Gregoræ primum amicus, ad novatores transiit post synodum Blakhernarum (1351) longamque disputationem de thesibus palamiticis cum Gregora habuit [3]. Purum palamismum docet, ut videre est non solum ex iis quæ refert Gregoras de disputatione,

1. *Epistola* supra cit., p. 99, ex *cod. Pantel. Athon. 179*, fol. 108-112 v : « Διαφέρει ἀλλήλων ἡ θεία οὐσία τε καὶ ἐνέργεια πράγματι, ἐπεὶ πράγματά ἐστιν καὶ ἄμφω· διαιρεῖται δὲ καὶ χωρίζεται ἑκατέρα ἑκατέρας ἐπινοίᾳ μόνῃ καὶ οὐ πράγματι... Οὐ μόνον κατὰ τὸ ἀχώριστον τῆς οὐσίας καὶ ἐνεργείας συμβάλλεται τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ διάφορον τῶν πραγμάτων. »

2. In *cod. Paris. 1249*, fol. 26-112v.

3. *Hist. byz.*, l. XXII-XXIV, *P. G.*, t. CXLVIII, col. 1328-1450.

sed ex quadam dissertatione inedita, cujus titulus est : « Λόγος σύντομος πρὸς τὴν κακῶς ἐκλαμβανομένην φωνὴν παρὰ τῶν αἱρετικῶν Ἀκινδυνιανῶν τοῦ θείου Γρηγορίου τοῦ Νύσσης λέγοντος· Ἄκτιστον δὲ πλὴν τῆς θείας φύσεως οὐδέν· καὶ ὅτι οὐχ ἡ τοῦ Θεοῦ φύσις ἄκτιστος μόνη, ἀλλὰ σὺν αὐτῇ καὶ τὰ φυσικὰ αὐτοῦ ἰδιώματα : *Sermo brevis de effato divi Gregorii Nyssensis ab hæreticis Acindynistis male intellecto, quod sic se habet* : « Præter naturam divinam, increatum nihil »; *et quod non sola Dei essentia increata sit, sed etiam una cum ea naturales ejus proprietates*[1]. »

Breve item habemus Nicolai Cabasilæ scriptum : *Adversus Gregoræ deliramenta*, quod nondum publicatum est[2].

VI. — Philotheus Selymbriensis.

Philotheus, metropolita Selymbriensis, Philothei Kokkini coævus et cum eo non confundendus, notandum ac perjucundum de tota controversia conscripsit dialogum inscriptum : Διάλογος περὶ θεολογίας δογματικῆς, *Dialogus de theologia dogmatica*, cujus personæ sunt præcipui Palamitæ et Antipalamitæ[3]. Adest etiam aliquis sophistarum chorus, qui omnino se gerit ac chorus antiquorum tragœdorum, nunc actores exhortans vel approbans, nunc vero carpens ac vituperans. Prodeunt primum et inter se de variis scientiis decertant Barlaamus et Nicephorus Gregoras, ut fit in dialogo cui titulus : Φλωρέντιος ἢ περὶ σοφίας, a Gregora conscripto. Incipit postea lis theologica de lumine thaborico necnon de essentia Dei et operatione. Colloquuntur Palamas, Barlaamus, Gregoras, Acindynus, Cantacuzenus, patriarcha Constantinopolitanus, Isaacus Argyrus, Atuemes, Dexius, Philotheus, qui singuli propriam opinionem dilucide exponunt. De hoc enim laudandus est auctor, quod indolem ac opinamenta cujusque personæ, prout ex historia nobis comperta sunt, accurate depingit ac refert. Nec comicæ notæ expers est dialogus, seu potius fabula theologica veri nominis. Auctor sane theologiæ Palamæ suffragatur, non tamen sine aliqua ironia dissimulata.

1. In *cod. Vallicel. 87*, fol. 428-433v.
2. In *cod. Paris. 1213*, fol. 282-284v.
3. Occurrit in *cod. Patmiacensi 366*, fol. 369-411

VII. — Symeon Thessalonicencis et Josephus Bryennius.

In primo dimidio sæculi xv, controversia palamitica propemodum sopita est. Palamismus ut Orthodoxiæ vera explicatio in Ecclesia byzantina publice receptus est. Unde theologi hujus temporis ei adhærent. Symeon Thessalonicensis, in *Dialogo contra hæreses*, Barlaamitas et Acindynianos severe carpit; quibus gratis tribuit merum nominalismum et quod essentiam Dei faciant omnino inertem[1].

Josephus Bryennius, in quodam sermone, Palamæ dogmata decem et septem doctorum testimonio corroborat, inter quos veniunt apostoli Joannes, Petrus et Paulus. Operatio divina, gratia et thaboricum lumen increata sunt. Sancti in cœlo non vident Dei essentiam, sed ejus lumen. Personæ divinæ non solum ab invicem, sed etiam ab essentia realiter distinguuntur[2]. Bryennius sanctum Thomam blasphemiæ insimulat eo quod doceat potentiam et operationem et unamquamque personam in Deo re idem esse ac essentia Dei[3].

VIII. — Marcus Ephesius.

Marcus Ephesius rigidus Palamita est, qui præcipuum opus suum novæ doctrinæ adversus Manuelis Calecæ impugnationes tuendæ dicavit. Opus in tres partes dividitur, scilicet sermones duos (δύο λόγους) et in fine longam seriem *Capitum syllogisticorum de essentia Dei et operatione* (numero 73)[4]. Hanc ultimam partem tantum, quibusdam omissis, edidit W. Gass ad calcem sui operis, *Die Mystik*

1. *Dialogus contra hæreses*, c. xxx-xxxi, *P. G.*, t. clv, col. 144-158 : « μηδεμίαν δύναμιν προσεῖναι λέγοντες τῷ Θεῷ. »
2. Λόγος περὶ θείας ἐνεργείας. *Opera omnia*, ed. E. Bulgaris, t. ii, Lipsiæ, 1768, p. 112-140 : « οὐσίαν λέγοντες ἐν τῷ Θεῷ μίαν, ἄλλο τι οὖσαν παρὰ τὰς κατ'αὐτὸν τρεῖς ὑποστάσεις, οὔτε σύνθεσιν, οὔτε τετράδα ποιοῦμεν. »
3. Διάλεξις πρώτη περὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκπορεύσεως, t. ii, p. 414. Cf. etiam ejusdem *Sermonem in transfigurationem Domini*, t. iii, p. 25-36.
4. Exstat in pluribus codicibus, inter quos est *cod. Canon. Oxoniensis 49*, ex quo locos citatos haurimus.

des Nikolaus Cabasilas, Greifswaldi, 1849, p. 217-233. Ex multis Marci dictis indoles anthropomorphica palamismi clare apparet, ut, v. g., ex sequentibus :

« Theologis consonantes, dicimus divinam essentiam non ex seipsa creaturas producere — sic enim Deo consubstantiales essent — sed ex operatione, quæ ipsi physice et substantialiter et omnino inseparabiliter unitur. Ita enim Deum dicimus creare et conservare et providere, sicut sane artifex non ex sua essentia sed ex artificiali virtute, quæ ipsi inest, creat, et quæ artis sunt per eam operatur [1].

« Si intellectus noster scientiam habens vel addiscens non ideo compositus est, a fortiori Deus compositus non est ob proprietates, quæ ipsi naturaliter insunt [2].

« Si rationes rerum, quæ in Deo sine principio et ab æterno existunt, ut docent theologi omnes, neque ipsæ sunt essentia Dei — quippe quæ et a nobis aliquo modo comprehenduntur, illa incomprehensibili manente — neque extra Deum sunt — quæ enim post Deum sunt omnia creaturæ sunt, nec platonicis ideis locum dare debemus; — ergo non unum tantum increatum exstat, scilicet Dei essentia, sicut morbo Acindyniano laborantes circumstrepunt [3]. »

« Si divinum donum participantes, consortes efficimur divinæ naturæ, ut divus Petrus dixit, non ergo creatum est donum istud, quod vocatur θεαρχία et deificatio, immo et deitas [4]. »

1. « Τοῖς θεολόγοις συμφώνως τὴν θείαν οὐσίαν οὐχ ἐξ ἑαυτῆς τὰ ποιήματα προάγειν φαμέν· οὕτω γὰρ ἂν ἦν ὁμοούσια τῷ Θεῷ· ἐκ δὲ τῆς φυσικῶς καὶ ὑσιωδῶς ἡνωμένης αὐτῇ καὶ ἀχωρίστου παντάπασιν ἐνεργείας. Οὕτως οὖν τὸν Θεὸν διὰ τῆς αὐτοῦ ἐνεργείας κτίζειν καὶ συνέχειν καὶ προνοεῖσθαί φαμεν, ὥσπερ δὴ καὶ τεχνίτης οὐκ ἐκ τῆς αὐτοῦ οὐσίας, ἀλλ'ἐκ τῆς ἐνούσης τεχνικῆς δυνάμεως δημιουργεῖ καὶ δι'αὐτῆς ἐνεργεῖ τὰ τῆς τέχνης. »

2. « Εἰ ὁ ἡμέτερος νοῦς ἐπιστήμην ἔχων ἢ προσλαμβάνων οὐ παρὰ τοῦτο σύνθετος, οὐδ'ὁ Θεὸς ἄρα πολλῷ μᾶλλον οὐκ ἔστι σύνθετος ἐκ τῶν φυσικῶς αὐτῷ προσόντων ἰδιωμάτων. »

3. « Εἰ οἱ λόγοι τῶν ὄντων ἐν τῷ Θεῷ ἀνάρχως καὶ ἀϊδίως ὄντες... οὔτ'αὐτοί εἰσιν ἡ τοῦ Θεοῦ οὐσία... οὔτε μὴν ἐκτός εἰσι τοῦ Θεοῦ..., οὐκ ἄρα μόνον ἓν ἄκτιστον ἡ τοῦ Θεοῦ οὐσία, καθὰ περιβομβοῦσιν οἱ τὰ 'Ακινδύνου νοσοῦντες. »

4. « Εἰ τοῦ θεοποιοῦ μετέχοντες δώρου κοινωνοὶ γινόμεθα θείας φύσεως, ὡς ὁ θεσπέσιος ἔφη Πέτρος, οὐκ ἂν εἴη κτιστὸν τοῦτο τὸ δῶρον, ὃ καλεῖται θεαρχία καὶ θέωσις, ἔτι δὲ καὶ θεότης. »

« Si lumen quod in monte Thabor apostolis apparuit ipsa erat Filii divinitas seu divinitas Patris et Spiritus in Filio resplendens, ergo hoc lumen neque creatum erat, neque Dei essentia, quæ prorsus invisibilis est [1]. »

IX. — De palamismo mitigato Georgii Scholarii.

Georgius Scholarius, in theologia latina ac præsertim in theologia thomistica bene versatus, nec Scoti ignarus, de essentia Dei et operatione duas nobis reliquit dissertationes, quarum una polemicæ est indolis et adversus Acindynianos dirigitur [2], altera omnino irenica [3]. In utraque palamismum haud parum temperat ac mitigat. Non solum enim palamiticas formulas missas facit, sed etiam doctrinam ipsam ita interpretatur, ut ad communem sententiam theologorum catholicorum prope accedat, immo idem ipsum ac Scotus et Scotistæ docere videatur, saltem in secunda dissertatione, ubi de lumine thaboriço omnino silet.

In dissertatione contra Acindynianos, explicare sibi proponit illum famosum locum sancto Theodoro Grapto olim tributum et ad sanctum Nicephorum Constantinopolitanum revera pertinentem, in quo auctor clare asserit in Deo essentiam et operationem nihil inter se differre [4]. Nicephoro Scholarius opponit Basilium clare distinguentem inter essentiam Dei et ejus operationes; postea doctores ambos inter se

1. « Εἰ τὸ φανὲν τοῖς ἀποστόλοις ἐν τῷ Θαβωρίῳ φῶς αὐτὴ ἡ τοῦ Υἱοῦ θεότης ὑπῆρχεν, οὔτ'ἄρα κτιστὸν τοῦτο τὸ φῶς, οὔτε μὴν ἡ τοῦ Θεοῦ οὐσία· καὶ γὰρ ἐκείνη τὸ παράπαν ἀόρατος. »

2. Πρὸς κῦρ 'Ιωάννην τὸν βασιλικὸν ἐρωτήσαντα περὶ τῆς τοῦ μακαρίου Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ ῥήσεως, ἀφ'ἧς οἱ ματαιόφρονες 'Ακινδυνισταὶ θορυβοῦσιν. *Œuvres complètes de Gennade Scholarios*, ed. L. Petit-X. Sidéridès-M. Jugie, t. III, Paris, 1930, p. 204-228. Dissertatio scripta est anno 1445.

3. Περὶ τοῦ πῶς διακρίνονται αἱ θεῖαι ἐνέργειαι πρός τε ἀλλήλας καὶ τὴν θείαν οὐσίαν, ἧς εἰσιν ἐνέργειαι καὶ ἐν ᾗ εἰσιν. *Œuvres complètes, ibid.*, p. 228-239. Scripta post annum 1456.

4. Hunc textum invenies apud Nicephorum, *Antirrheticus I adversus Constantinum Copronymum*, 41, *P. G.*, t. c, col. 304-305 A, et apud Scholarium, *loc. cit.*, p. 210-211.

consentire ostendit, dicens Nicephorum loqui tantum de inseparabilitate reali essentiæ divinæ ab ejus operatione. Ipse Scholarius doctrinam Ecclesiæ byzantinæ adhuc retinet de lumine thaborico increato, quod idem sit ac regnum Dei et divinitatis gloria vel splendor; quod sit beatitudinis objectum, ex Dei operationibus una, oculis corporeis supernaturaliter elevatis ac immutatis haud inaccessum [1]. Ubi vero explicare tentat indolem distinctionis inter essentiam Dei et ejus operationes, inter quas venit ipsum lumen, hæc habet :

« Sicut se habet natura Dei, ita et ejus operatio; id est, cum illa natura infinita sit et increata et æterna, ita etiam se habet operatio; ibi enim oportet operationem ejusdem ordinis ac dignitatis esse ac ipsa natura, non autem ut accidit in omnibus aliis rebus, quarum unaquæque est essentia quædam, illius vero operatio, quamvis sit substantialis, in genere accidentis venit; ad cujus evidentiam dicendum essentiam Dei esse *formaliter infinitam*, ejus vero operationem *non esse quidem formaliter infinitam*, cum plura esse infinita non sit possibile; *esse autem infinitam ex eo quod unam et eamdem existentiam habeat cum essentia, quæ est infinita.* Unde divina essentia et divina operatio, in seipsis consideratæ, inter se differunt sicut infinitum a non infinito; siquidem non ex ratione operationis bonitas Dei habet ut infinita sit, sed propter essentiam. Essentiæ Dei autem infinitam esse congruit per se et propter se. Ex eo vero quod unum et eumdem existentiæ modum habent, divina simplicitate hoc requirente, ambæ sunt unum infinitum et unus Deus, *formali distinctione ibi nec rerum separationem nec compositionem efficere valente, quatenus natura divina super subjecto unico et simplicissimo, fundatur...* Quis sensum habens dicet infinitum et finitum cogitatione tantum distingui, cum utrumque non finxerit anima, sed sine ea existant et ut talia distinguantur et, quod majus est, aliquo modo contradictorie? Ergo neque divina essentia et divina operatio, qua essentia et qua operatio, ratione distinguentur, ex quibus uni quidem infinitum, alteri vero finitum, si in se sumantur, congruit; sed *formaliter et ex natura rei distinguentur;* cæterum unum quid erunt simplicissimum, quantum ad existentiam nempe, etsi hujus nullum occurrit exemplum in rerum natura [1]. »

1. Cf. *loc. cit.*, p. 215, 217, 220, 221. De lumine thaborico non ita prius senserat Scholarius, eo tempore scilicet quo adhuc laicus aulæ imperialis prædicator exstabat, ut colligere est ex iis, quæ habet in *Sermone in Domini transfigurationem*, paulo ante concilium Florentinum, ut videtur, prolato. Ibi enim hoc lumen appellat quasi quamdam *imaginem ac repercussionem* divinitatis occultæ, ὥσπερ ἀπήχημά τι τῆς ἐνυπαρχούσης ἀοράτου θεότητος διὰ τοῦ σώματος παραδόξως διαδιδόμενον, dicitque claritatem hujusmodi, etsi circa corpus Christi semper elucentem, non fuisse eamdem, qua Salvator circumfusus est post suam resurrectionem, quippe qui tunc adhuc haberet carnem passibilem et terrestrem. Λόγος εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεταμόρφωσιν. 10. *Œuvres complètes*, t. I, p. 157-158. Quædam tamen ambigua occurrunt paulo inferius, 14, p. 160.

Hæc sane non luce clariora sunt; videtur tamen Scholarius *ad distinctionem formalem ex parte rei* Scoti ejusque discipulorum appropinquare. Ab ipso Scoto certe ille mutuatus est hanc *distinctionem formalem ex parte rei* de qua in loco laudato loquitur (ἡ εἰδικὴ διάκρισις — εἴδει τε καὶ τῇ τοῦ πράγματος φύσει διακριθήσονται). Sed Scotus de lumine thaborico nunquam locutus est, nec locutus fuisset sicut Scholarium audimus in hac prima dissertatione, quippe qui a publica Ecclesiæ suæ doctrina de hoc lumine quasi coactus talia scripserit. A genuinis tamen Palamæ discipulis etiam in hac prima dissertatione haud dubie recedit, ubi dicit distinctionem quæ inter essentiam Dei et ejus operationem intercedit, esse quidem realem, πραγματικήν, sed tenuiorem ac debiliorem ea, quæ divinas personas ab invicem distin-

1. *Ibid.*, p. 225-226 : « Ἡ οὐσία τοῦ Θεοῦ ἄπειρός ἐστιν εἰδικῶς, ἀλλ' ἡ τούτου ἐνέργεια εἰδικῶς μὲν οὐκ ἔστιν ἄπειρος... τῷ δὲ μίαν μετὰ τῆς οὐσίας ὕπαρξιν ἔχειν, οὔσης ἀπείρου, ἄπειρός ἐστιν, ὥστε ἡ θεία οὐσία καὶ ἡ θεία ἐνέργεια, ᾗ μὲν αὐτά, τῷ ἀπείρῳ καὶ οὐκ ἀπείρῳ διενηνόχατον... τῷ δὲ τὸν αὐτὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον ἔχειν, τῆς θείας τοῦτ' ἀναγκαζούσης ἁπλότητος, ἕν τε ἄπειρόν εἰσιν ἄμφω καὶ εἷς Θεός, τῆς εἰδικῆς διακρίσεως οὔτε διαίρεσιν ἐκεῖ πραγμάτων οὔτε σύνθεσιν δυναμένης ἐργάζεσθαι, ἄτ' ἐφ' ἑνὸς ὑποκειμένου καὶ ἁπλουστάτου τῆς θείας φύσεως ἱδρυμένης... Ὥστε οὐδὲ ἡ θεία οὐσία καὶ ἡ θεία ἐνέργεια, ᾗ οὐσία καὶ ᾗ ἐνέργεια, λόγῳ διακριθήσεται, ὧν τῇ μὲν τὸ ἄπειρον, τῇ δὲ τὸ πεπερασμένον ᾗ τοιαίσδε προσήκουσιν, ἀλλ' εἴδει τε δηλονότι καὶ τῇ τοῦ πράγματος φύσει διακριθήσονται. »

guit [1]. Hoc nunquam dixerant Palamitæ, qui utramque distinctionem passim similem habent. Notandum, præterea, Scholarium Acindynistis tribuere quod meram *rationis ratiocinantis* distinctionem ponant inter essentiam Dei et ejus operationem. Non longe ergo ejus distinctio distare videtur *a distinctione virtuali cum fundamento in re.*

Hanc fuisse nostri theologi mentem clarius adhuc colligitur ex iis, quæ in sua altera dissertatione docet. Ibi enim de lumine thaborico omnino tacet, et postquam diversas distinctionis species lucide exposuit, ad hanc tandem devenit conclusionem :

« Divinæ personæ re magis distinguuntur quam nos nunc dicimus divinas operationes inter se et ad divinam essentiam distingui. Ibi enim per oppositionem, sive relative distinguuntur; hic vero absque ulla oppositione; et quanquam operationes divinæ res non sunt sicut tres hypostases, at vero quid rei sunt et in re. Si ergo major et fortior distinctio divinam unitatem ob ejus summam simplicitatem et infinitatem non lædit, quomodo hæc minor distinctio causa erit compositionis, nihil horum, quæ ad compositionem requiruntur, in hac distinctione occurrente? Sunt ergo reales ambæ distinctiones, quatenus differunt eorum, quæ nostra cogitatione tantum distinguuntur; inter se vero differunt oppositione et non oppositione. *Concludentes igitur dicimus singulas Dei operationes, quæ propriis nominibus indicantur, esse res in Deo non secundum eumdem conceptum, quo dicimus unamquamque divinarum personarum rem esse, multo minus secundum conceptum quo dicimus divinam essentiam rem esse, qui est modus rei fortior; sed secundum tenuiorem rei conceptum, quatenus scilicet aliquid rei est etiam in re, ad discriminationem, ut dictum est, secundorum intelligibilium, quæ conceptus mentis et entia rationis dicuntur* et sunt, non rei, quatenus potius sunt opera intellectus humani sapientis, et in ipso existunt. Si ergo unaquæque divinarum operationum sic est res quædam in una et simplicissima re, quæ est essentia divina; si uniuscujusque ratio diversa est, quid sit ipsius esse manifestans, merito igitur re inter se distinguuntur, et non inter se tantum, sed etiam ab ipsa essentia, quæ res est eis communis, et cum eis res simplicissima, atque re et formaliter seu, quod idem est, quidditate distinguuntur, non autem ex sola nostra cogitatione habent quod inter se distinguuntur, sed ex objectiva et certa veritate, quæ harum nominibus in Deo respondet. Ideo, qui sola ratione, id est humana cogitatione hæc inter se distingui asserunt, a vero aberrant [1]. »

1. *Ibid.*, p. 215 : « Ταύτην δὲ τὴν διάκρισιν τίς ἀγνοεῖ πολύ μὲν τῆς διακρίσεως ὑπερηρμένην ἐκείνης, ᾗ προσεῖχον οἱ περὶ Βαρλαὰμ καὶ Ἀκίνδυνον, τουτέστιν ἥτις ἐν ὅροις στρέφεται πεποιημένοις ὑπὸ τοῦ νοῦ, ἣν δὴ κυρίως ἴσμεν λόγου διάκρισιν, τῆς δὲ πραγματικῆς ἐκείνης αὖθις ἀδρανεστέραν, ᾗ τὰ θεῖα διακρίνονται πρόσωπα. »

His verbis Scholarius Scoti discipulum, potius quam Palamæ, se prodit. Cæterum in aliis suis scriptis de thesibus proprie palamiticis altum servat silentium; nec unquam illum invenimus de gratia increata vel de donis Spiritus Sancti increatis loquentem. E contra, non uno loco docet objectum beatitudinis supernaturalis esse Dei visionem et contemplationem immediatam [2], nulla mentione facta de lumine; et in sua *Confessione fidei* expresse asserit : « Quidquid in Deo est, et ex Deo est naturaliter, Deus est, quia in Deo accidens non est [3]. » Item, quanquam sancto Thomæ Aquinati crimini vertit quod Barlaamita fuerit ante Barlaamum, attamen in compendiis ambarum Summarum Doctoris angelici, quæ sibi ipsi propria manu confecit, plurimos articulos, quibus Aquinas omnem distinctionem realem

1. *Œuvres complètes*, t. III, p. 238-239 : « Συμπεραίνοντες τοίνυν φαμέν, ὡς ἑκάστη τῶν θείων ἐνεργειῶν, αἳ τοῖς οἰκείοις δηλοῦνται ὀνόμασιν, πρᾶγμά ἐστιν ἐν τῷ Θεῷ, οὐ κατ' ἐκείνην τὴν ἔννοιαν καθ' ἣν φαμὲν ἑκάστην τῶν ὑποστάσεων πρᾶγμα εἶναι, οὐδ' ἔτι μᾶλλον ὡς λέγομεν τὴν θείαν οὐσίαν πρᾶγμα εἶναι, ὅς ἐστι τρόπος τοῦ πράγματος ἰσχυρότερος, ἀλλὰ κατὰ λεπτοτέραν τοῦ πράγματος ἔννοιαν, ὅτι δηλονότι τί τοῦ πράγματός ἐστι κἀν τῷ πράγματι πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν δευτέρων νοητῶν, ἅπερ ἐπίνοιαι καὶ ὄντα τοῦ λόγου λέγονται καί εἰσιν, οὐ τοῦ πράγματος, ὡς ἔργα μᾶλλον ὄντα τοῦ ἀνθρωπείου καὶ σοφοῦ νοῦ καὶ ἐν αὐτῷ ὄντα. »

2. Cf. *Œuvres complètes*, t. I, p. 399, 415, 445 : « Τὴν μακαρίαν τάξας ζωὴν [ὁ Θεὸς] ἐν τῇ εἰλικρινεῖ καὶ ἀμέσῳ τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν θείων γνώσει συνισταμένην », p. 415. — « Τοῦτο δ' ἔστιν ἡ μακαρία ζωή, ἐν τῇ γνώσει τῆς ἀληθείας συνισταμένη καὶ τῇ ἀμέσῳ τοῦ Θεοῦ καὶ νοερᾷ θεωρίᾳ ὑπερφυῶς ὡς ἐφικτὸν διδομένη », p. 445.

3. *Œuvres complètes*, t. III, p. 456 : « Πᾶν ὅπερ ἐστὶν ἐν τῷ Θεῷ καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ φυσικῶς Θεός ἐστι, διότι οὐκ ἔστιν ἐν τῷ Θεῷ συμβεβηκός. »

præter illam, quæ est inter personas, a Deo removet, accurate, nulla adjecta adnotatione, paucis contrahit, dum omnes articulos, qui de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio sunt, omittit, utpote doctrinæ Ecclesiæ byzantinæ contradicentes [1].

ARTICULUS IX

De palamismo ut doctrina fidei in Ecclesia byzantina publice recepta et omnibus imposita.

Ut ex iis jam patet, quæ in articulo secundo de palamiticæ controversiæ historia retulimus, palamismus primum quidem tanquam impia hæresis et nefanda blasphemia ab Ecclesia byzantina rejectus est et non semel damnatus; postea vero, favente et vim adhibente Joanne Cantacuzeno imperatore, in eadem Ecclesia civitatem adeptus est, et tanquam fidei doctrina ab omnibus tenenda et profitenda publice receptus est. Jam ante synodum palamiticam anni 1351, novatores suam doctrinam inseruerant primæ professioni fidei episcoporum ordinandorum, ut constat tum ex actis ipsius synodi [2], tum ex quibusdam euchologiis manuscriptis, ubi additio his verbis concipitur :

« Amplector et recipio sacras synodos in percelebri templo sanctæ Dei Verbi Sapientiæ necnon in palatii divinitus custoditi templo congregatas adversus Calabrum Barlaamum et Acindynum ei consentientem eorumque asseclas, qui communem et divinam Patris et Filii et Spiritus Sancti gratiam necnon lumen futuri sæculi, quo et justi sicut sol fulgebunt, et quod Christus splendens in monte demonstravit; et generatim omnem virtutem et operationem divinitatis personis trinæ, et quodcumque aliquo modo a divina natura differt, creatum esse decernunt, dividuntque isti impii unicam divinitatem in partes creatas et increatas; et eos qui pie profitentur divinissimum illud lumen et omnem virtutem ac operationem divinam esse increatam, cum nihil eorum quæ naturaliter Deo insunt, ei in tempore obveniat; eos, inquam, ditheitas appellant et polytheitas, quemadmodum Judæi et Sabelliani et Ariani nos nuncupant; nos vero hos et illos tanquam atheos et polytheitas rejicimus, et a fidelium plenitudine, si non resipuerint, absolute resecamus, sicut per præcedentes sacros tomos fecit sancta, catholica et apostolica Christi Ecclesia, etc. [1] »

Palamitæ quidam œcumenicitatem tribuerunt primæ synodo anni 1341, quam expresse approbasse Palamæ theologiam immerito jactabant. Ita Nilus, Rhodi metropolita, in opusculo *De synodis œcumenicis* [2]. Inde a Callisto I, patriarchæ Constantinopolitani, qui novæ doctrinæ omnes addicti fuere, totis viribus adlaborarunt, ut in omnibus metropolibus suæ ditionis necnon in aliis patriarchatibus illam disseminarent atque ut communem fidei regulam imponerent; quod non facile nec statim eis ubique successit. Ita patriarchatus Antiochenus, cujus præsul Ignatius, anno 1344, una cum Joanne Caleca Palamam damnaverat, per plures annos novitatem repulit. Sub finem tamen sæculi XIV, patriarcha Michael II Barlaamum et Acindynum anathematizat in sua fidei professione [3]. Ex Nicephoro Gregora scimus metropo-

1. Cf. *Œuvres complètes de Gennade Scholarios*, t. V : *Résumé de la Somme contre les gentils et de la première partie de la Somme théologique de saint Thomas d'Aquin*, Parisiis, 1931. In commentario opusculi sancti Thomæ *De ente et essentia*, c. XCIV, Scholarius quæstionem palamiticam tangit, distinctionemque realem a Palama propugnatam ad distinctionem Scotistarum reducit, dum purum nominalismum Barlaamo et præsertim Acindyno attribuit. Opinatur sanctum Thomam idem fere sensisse ac Scotus. Cf. *Œuvres complètes*, t. V, p. 281-285. Hunc commentarium conscripsit ante Urbem a Turcis captam.

2. Cf. *Tomum synodalem*, *P. G.*, t. CLI, col. 721.

1. Apud Dmitrievskii, Εὐχολόγια, Kioviæ, 1901, p. 622-623, ex *cod. Sinaitico 1006*, fol. 42v, qui Ecclesiæ Hierosolymitanæ usum refert : « Πρὸς τούτοις στέργω καὶ ἀποδέχομαι καὶ τὰς κατὰ τὴν Κωνσταντινούπολιν συγκροθείσας ἱερὰς συνόδους... κατὰ τοῦ Καλαβροῦ Βαρλαὰμ καὶ τοῦ μετ' ἐκεῖνον τὰ ἐκείνου φρονοῦντος καὶ δόλῳ σπεύδοντος ἐπεκδικεῖν Ἀκινδύνου καὶ τῶν ὁμοφρόνων αὐτοῖς, κτλ. » Incerto tempore, hæc interpolatio in prima fidei professione episcoporum ordinandorum suppressa est.

2. Hoc opusculum habes apud Voel et Justel, *Bibliotheca juris canonici veteris*, Parisiis, 1651, p. 1160. Cf. t. I nostri operis, p. 666.

3. Miklosich et Müller, *Acta patriarchatus constantinopolitani*, t. II, Vindobonæ, 1862, p. 248-249. Professio fidei Michaelis die 7 februarii, anno 1395, data est.

litam Kioviensem rejecisse ac confutasse palamiticos tomos a patriarcha Callisto missos [1]. Postea Ecclesia russica et ipsa palamismum recepit una cum festo Gregorii Palamæ. Aliquamdiu item restiterunt metropoles Latinorum ditioni subjectæ. Sæculo autem xv ineunte, palamismus ubique fere victor evaserat [2], eratque doctrina publica Ecclesiæ byzantinæ ab omnibus tenenda, quippe quæ, ut jam diximus [3], anno 1352, et negative et positive, sub plurium anathematismorum et acclamationum forma, officio Dominicæ Orthodoxiæ adjecta fuerat.

Doctrina his anathematismis et acclamationibus expressa palamismum publicum et authenticum, prout hic ab universa Ecclesia byzantina et græco-russica receptus est, nobis refert. Unde hanc doctrinam nunc paulo attentius examinare ac considerare debemus. Primus anathematismus est de natura luminis, quod in transfiguratione Domini effulsit :

« Iis qui sentiunt et dicunt lumen, quod a Domino in divina ejus transfiguratione effulsit, modo speciem et creaturam et simulacrum, quod ad breve tempus paruerit et mox evanuerit, modo ipsam fuisse Dei essentiam...; non confitentur autem, secundum sanctorum theologiam divinitus inspiratam et pium Ecclesiæ sensum, divinissimum istud lumen neque creaturam esse, neque Dei essentiam, sed naturalem gratiam et splendorem increatum ex ipsa divina essentia inseparabiliter semper procedentem, anathema triplex [4]. »

Eadem luminis thaborici indoles clarius adhuc ac magnificentius in duabus sequentibus acclamationibus declaratur :

« Eorum qui confitentur lumen, quod in monte transfigurationis Dominicæ ineffabiliter resplenduit, esse lumen inaccessum et lumen infinitum, et effusionem incomprehensibilem divini splendoris, et gloriam ineffabilem, et gloriam supremam divinitatis, et Filii gloriam præambulam et æternam, et regnum Dei, et pulchritudinem genuinam et amabilem naturam divinam et beatam circumstantem, et naturalem Dei gloriam, et divinitatem Patris et Spiritus in Filio unigenito refulgentem, sicut sacri ac deiferi Patres nostri dixerunt : Athanasius et Basilius Magni, Gregorius Theologus et Joannes Chrysostomus, et adhuc Joannes Damascenus, et idcirco increatum putant divinissimum lumen istud, æterna memoria ter [1]. »

« Eorum qui credunt lumen Dominicæ transfigurationis increatum quidem esse propter supra dicta, non tamen illud dicunt esse superessentialem Dei essentiam, utpote quæ invisibilis omnino manet et imparticipabilis; Deum enim nemo vidit unquam, nempe ut est in natura, juxta theologorum doctrinam; dicunt vero illud potius esse naturalem splendorem supersubstantialis essentiæ, ab ea inseparabiliter procedentem et ex Dei bonitate mente purificatis apparentem, cum qua gloria Dominus noster veniet in secundo suo et tremendo adventu vivos et mortuos judicaturus, ut docent Ecclesiæ theologi, æterna memoria ter [2]. »

1. *Hist. byzant.*, l. XXVI, c. xxii, *P. G.*, t. cxlix, col. 96-97.
2. Vide apud Miklosich et Müller, *op. cit.*, t. i, p. 501-505, 530, 568, 574; t. ii, p. 267, 295-296, casus conversionis e Barlaamitica et Acindyniana hæresi ad Orthodoxiam Palamæ addictam.
3. Vide supra, p. 69.
4. « Τοῖς φρονοῦσι καὶ λέγουσι τὸ λάμψαν ἀπὸ τοῦ Κυρίου ἐπὶ τῆς θείας αὐτοῦ μεταμορφώσεως φῶς ποτὲ μὲν ἴνδαλμα καὶ κτίσμα καὶ φάσμα ἐπὶ βραχὺ φανὲν καὶ διαλυθὲν παραχρῆμα, ποτὲ δὲ αὐτὴν τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ..., μὴ ὁμολογοῦσι δὲ, κατὰ τὰς τῶν ἁγίων θεοπνεύστους θεολογίας καὶ τὸ τῆς Ἐκκλησίας εὐσεβὲς φρόνημα, μήτε κτίσμα εἶναι τὸ θειότατον ἐκεῖνο φῶς, μήτε οὐσίαν Θεοῦ, ἀλλ'ἄκτιστον καὶ φυσικὴν χάριν καὶ ἔλλαμψιν ἐξ αὐτῆς τῆς θείας οὐσίας ἀχωρίστως ἀει προϊοῦσαν, ἀνάθεμα γ'. »

1. « Τῶν ὁμολογούντων τὸ ἐκλάμψαν ἀπορρήτως φῶς ἐπὶ τοῦ ὄρους τῆς τοῦ Κυρίου μεταμορφώσεως φῶς ἀπρόσιτον εἶναι καὶ φῶς ἄπλετον, καὶ χύσιν ἀπερινόητον θείας αἴγλης, καὶ δόξαν ἀπόρρητον, καὶ θεότητος δόξαν ὑπερτελῆ, καὶ προτέλειον καὶ ἄχρονον τοῦ Υἱοῦ δόξαν, καὶ βασιλείαν Θεοῦ, καὶ κάλλος ἀληθινὸν καὶ ἐράσμιον περὶ τὴν θείαν καὶ μακαρίαν φύσιν, καὶ φυσικὴν δόξαν Θεοῦ καὶ θεότητα Πατρὸς καὶ Πνεύματος ἐν Υἱῷ μονογενεῖ ἀπαστράπτουσαν, ὡς οἱ θεῖοι καὶ θεοφόροι πατέρες ἡμῶν εἰρήκασιν, Ἀθανάσιος καὶ Βασίλειος οἱ μεγάλοι, Γρηγόριος ὁ Θεολόγος καὶ Ἰωάννης ὁ Χρυσοστομος, ἔτι δὲ καὶ ὁ ἐκ Δαμάσκου Ἰωάννης, καὶ διὰ ταῦτα καὶ ἄκτιστον δοξαζόντων τὸ θειότατον τοῦτο φῶς, αἰωνία ἡ μνήμη γ'. »
2. « Τῶν δοξαζόντων τὸ φῶς τῆς τοῦ Κυρίου μεταμορφώσεως ἄκτιστον μὲν διὰ τὰ προειρημένα, μὴ μέντοι γε αὐτὸ εἶναι λεγόντων τὴν ὑπερούσιον τοῦ Θεοῦ οὐσίαν, ὡς ἐκείνης ἀοράτου παντάπασι καὶ ἀμεθέκτου μενούσης· Θεὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, δηλαδὴ καθὼς ἔχει φυσεως, οἱ θεολόγοι φασίν, δόξαν δὲ μᾶλλον αὐτὸ λεγόντων φυσικὴν τῆς ὑπερουσίου οὐσίας, ἐξ

Hæc de lumine thaborico; ex quibus vides quantum momentum hujusmodi quæstioni isti tribuerint, eosque docere 1° lumen esse realiter ab essentia divina distinctum; 2° ab essentia tamen naturaliter procedere et ideo esse increatum, æternum, semper fulgens; 3° idem esse ac gratia deifica; 4° idem esse ac gloria seu objectum beatitudinis sanctorum; 5° essentiam Dei omnino invisibilem semper manere etiam creaturis ad ordinem supernaturalem elevatis.

Post lumen thaboricum, venit doctrina de essentia Dei et ejus operatione in genere. Secundus anathematismus sic se habet :

« Item iisdem, qui sentiunt et dicunt Deum nullam habere operationem naturalem, sed esse tantum essentiam, existimantes idem omnino esse absque ulla differentia essentiam divinam atque operationem divinam, et nullam exstare inter utramque secundum aliquid differentiam, sed eamdem modo essentiam, modo operationem dici; unde et stulte ipsam divinam essentiam prorsus destruunt et ad nihilum redigunt; siquidem nihilum tantum operatione carere ad verbum dicunt Ecclesiæ doctores; jamque hæresi Sabellii laborant, et veterem illius contractionem et confusionem et commistionem de tribus divinitatis hypostasibus nunc circa divinam essentiam et operationem renovare non dubitant, et pari modo eas impie commiscent; non confitentur autem, secundum theologiam sanctorum divinitus inspiratam et pium Ecclesiæ sensum, in Deo esse et essentiam et substantialem naturalemque ejus operationem, ut alii plerique sanctorum et maxime sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi Patres luculente enuclearunt, circa duas operationes Dei, divinam nempe et humanam, et circa duas voluntates divinam operationem totam recolligentes; neque intelligere volentes, sicut divinæ essentiæ et operationis unionem inconfusibilem, ita et inter utramque esse differentiam secundum multa quidem alia, præsertim vero *secundum causam et causatum*,

ἐκείνης προϊοῦσαν ἀδιαιρέτως καὶ ἐπιφαινομένην διὰ φιλανθρωπίαν Θεοῦ τοῖς κεκαθαρμένοις τὸν νοῦν, μεθ'ἧς δόξης ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Θεὸς ἥξει κατὰ τὴν δευτέραν καὶ φρικτὴν αὐτοῦ παρουσίαν κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ὡς οἱ θεολόγοι τῆς Ἐκκλησίας φασίν, αἰωνία γ'. »

imparticipabile et participabile, quorum unum ad essentiam, alterum ad operationem spectat; iis igitur qui talia impie sentiunt, anathema triplex [1]. »

Tertius anathematismus docet « omnem naturalem potentiam et operationem Dei hypostasibus trini esse increatam [2] ». Quartus asserit nullam compositionem fieri in Deo ex iis, quæ ejus essentiæ naturaliter insunt, eosque damnat qui contendunt divinam simplicitatem lædi ac destrui per differentiam essentiæ et operationis [3]. In quinto anathema dicunt iis qui contendunt vocem *divinitas* (θεότης) de sola essentia dici, non autem et de operatione divina [4]. In sexto rejiciunt tanquam impietatem Massalianorum redolentem, eorum sententiam, qui dicunt divinam essentiam participabilem esse, confiteri autem nolunt divinam essentiam incomprehensibilem omnino esse atque imparticipabilem, participabilem vero divinam gratiam et operationem [5].

Eadem de essentia et operatione doctrina iteratur in acclamationibus quæ sequuntur, ubi Gregorius Palamas extollitur tanquam Ecclesiæ Christi defensor et verorum infallibiliumque de Deo dogmatum propugnator, verbis,

1. « Ἔτι τοῖς αὐτοῖς φρονοῦσι καὶ λέγουσι μηδεμίαν ἐνέργειαν φυσικὴν ἔχειν τὸν Θεόν, ἀλλὰ μόνην οὐσίαν εἶναι, ταὐτόν τε καὶ ἀδιάφορον παντελῶς οἰομένοις τήν τε θείαν οὐσίαν καὶ τὴν θείαν ἐνέργειαν, καὶ μηδεμίαν εἶναι τούτων κατά τι διαφοράν... μήτε μὴν νοεῖν βουλομένοις, ὥσπερ ἕνωσιν θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας ἀσύγχυτον, οὕτως εἶναι καὶ διαφορὰν ἀδιάστατον κατά τε ἄλλα καὶ μάλιστα κατὰ τὸ αἴτιον καὶ αἰτιατόν, καὶ ἀμέθεκτον καὶ μεθεκτόν, τὸ μὲν τῆς οὐσίας, τὸ δὲ ἐνεργείας· τούτοις οὖν τὰ τοιαῦτα δυσσεβοῦσιν ἀνάθεμα γ'. »

2. « ἄκτιστον εἶναι πᾶσαν φυσικὴν δύναμιν καὶ ἐνέργειαν τῆς τρισυποστάτου θεότητος. »

3. « Ἔτι τοῖς αὐτοῖς φρονοῦσι καὶ λέγουσι σύνθεσίν τινα ὅλως διὰ ταῦτα γίνεσθαι ἐπὶ Θεοῦ, μὴ πειθομένοις δὲ τῇ τῶν ἁγίων διδασκαλίᾳ μηδεμίαν σύνθεσιν ἀπὸ τῶν φυσικῶν ἐν τῇ φύσει γίνεσθαι διδασκόντων... μὴ ὁμολογοῦσι δέ, κατὰ τὰς τῶν ἁγίων θεοπνεύστους θεολογίας καὶ τὸ τῆς Ἐκκλησίας εὐσεβὲς φρόνημα, μετὰ τῆς θεοπρεποῦς ταύτης διαφορᾶς καὶ τὴν θείαν ἁπλότητα διασῴζεσθαι, ἀνάθεμα γ'. »

4. « Ἔτι τοῖς αὐτοῖς φρονοῦσι καὶ λέγουσιν ἐπὶ τῆς θείας οὐσίας μόνης τὸ τῆς θεότητος ὄνομα λέγεσθαι, μὴ ὁμολογοῦσι δὲ... καὶ ἐπὶ τῆς θείας ἐνεργείας οὐχ ἧττον αὐτὸ τίθεσθαι... ἀνάθεμα γ'. »

5. « Ἔτι τοῖς αὐτοῖς φρονοῦσι καὶ λέγουσι μεθεκτὴν τὴν θείαν οὐσίαν εἶναι... μὴ ὁμολογοῦσι δὲ ... ἄληπτον μὲν εἶναι παντελῶς καὶ ἀμέθεκτον τὴν θείαν οὐσίαν, μεθεκτὴν δὲ τὴν θείαν χάριν τε καὶ ἐνέργειαν, ἀνάθεμα γ'. »

scriptis et agendi ratione magnis Ecclesiæ Patribus ac doctoribus haud impar, sed eorum socius et concentor et commilito et studiosus [1].

His sane verbis tota Palamæ theologia approbatur ac publice effertur tanquam Orthodoxiæ regula. Eadem publica theologi hesychastæ laudatio atque approbatio splendidius adhuc ac magnificentius declaratur in officio ejus festi ab ipso Philotheo Kokkino composito, quod in *Triodio*, ad Dominicam secundam Quadragesimæ, invenies; hanc enim conspicuam diem, contra sacræ liturgiæ receptas regulas, festivitati Palamæ assignarunt [2]. Ibi Palamas appellatur theologiæ tuba, Sancti Spiritus cithara canora, inconcussa Ecclesiæ columna, sapientiæ fluvius, orthodoxiæ propugnaculum, Dei speculum, doctorum cacumen [3]. Nota autem et festum Palamæ et ea quæ in officio Dominicæ Orthodoxiæ palamismum respiciunt, ad omnes Ecclesias ex Ecclesia byzantina exortas transiisse, et adhuc apud illas permanere,

1. « Γρηγορίου τοῦ ἁγιωτάτου μητροπολίτου Θεσσαλονίκης... τῆς κοινῆς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας καὶ τῶν ἀληθίνων καὶ ἀπταίστων περὶ θεότητος δογμάτων σοφῶς καὶ γενναίως ἄγαν προπολεμήσαντος... καὶ κοινωνοῦ καὶ συνῳδοῦ καὶ συμφώνου καὶ σπουδαστοῦ καὶ συναγωνιστοῦ πάντων τούτων ἀναφανέντος καὶ λόγοις καὶ πράγμασιν αἰωνία ἡ μνήμη γ'. » Anathematismos et acclamationes Dominicæ Orthodoxiæ invenies tum in *Triodio* Græcorum, tum in opusculo Theodori Uspenskii, *Sinodik v nedieliu pravoslaviia. Svodnyi tekst s prilogeniiami*, Odessæ, 1893, tum apud Porphyrium Uspenskii, *Khristianskii Vostok. Athon*, t. I, ed. P. Syrku, Petropoli, 1892, p. 780-785.

2. Memoria Palamæ celebratur etiam die 14 novembris, quo e vita cessit.

3. « Τῆς θεολογίας ἡ σάλπιγξ, τὸ σεπτὸν τοῦ Πνεύματος δοχεῖον, ὁ στύλος τῆς Ἐκκλησίας ὁ ἀκράδαντος, ὁ ποταμὸς τῆς σοφίας, ἡ λύρα ἡ παναρμόνιος τοῦ Πνεύματος, ὁ θερμὸς τῆς πίστεως προστάτης, ὁ τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλος, ὀρθοδοξίας ὁ φωστήρ, Ἐκκλησίας τὸ στήριγμα, ὁ στύλος τῆς πίστεως, Θεολόγος δεύτερος, ὁπλοθήκη σεπτὴ θείων δογμάτων, ἀποστόλων ὁμότροπος, ἔσοπτρον Θεοῦ, Πατέρων καύχημα, θεολόγων τὸ στόμα, τῆς σοφίας ὁ οἶκος, τῶν διδασκάλων ἀκρότης, etc. » Cf. *Triodion, ad Dominicam secundam jejuniorum.* In *Encomio* quod conscripsit in Gregorium Palamam, *P. G.*, t. CLI, col. 656 A, Philotheus illum appellat « communis Christi Ecclesiæ defensorem et custodem, liberatorem et salvatorem post primum et unicum Salvatorem : ὁ τῆς κοινῆς Χριστοῦ Ἐκκλησίας καὶ προστάτης καὶ φύλαξ καὶ ῥύστης καὶ σωτὴρ μετὰ τὸν πρῶτον καὶ μόνον Σωτῆρα. »

exceptis tamen anathematismis et acclamationibus, quibus, ut infra dicetur, Ecclesia russica sæculo XVIII valedixit [1].

ARTICULUS X

Palamismus et Occidens catholicus tempore controversiæ.

Per totum tempus, quo controversia palamitica perduravit, unionis tentamina inter Græcos et Latinos quasi continua fuere. Unde Latini diu ignorare non potuerunt graves eventus, quibus Ecclesia byzantina tam vehementer conturbata est. Cæterum Barlaamus, qui jam anno 1341 in Italiam reversus fuerat et ad Avenionem usque perrexerat, romanum Pontificem et alios monere potuit de indole hujusmodi contentionis, quam ipse primum cum Gregorio Palama iniverat. Anno 1355, ut supra diximus [2], Paulus, Smyrnensis tunc episcopus, ut papæ legatus interfuit publicæ concertationi, quæ imperatoris Joannis Palæologi jussu inter Nicephorum Gregoram et Gregorium Palamam habita est. Latinum episcopum ex hac disputatione nullam claram notitiam de nova theologia reportasse certe concludere possumus ex iis, quæ Paulus ipse narrat in quadam epistola ad papam et cardinales scripta post mortem Urbani V († 1370). Ibi enim candide fatetur se adhuc dubium hærere circa veram palamismi naturam, etiam post longa colloquia, quæ de hac quæstione cum Joanne Cantacuzeno Constantinopoli, anno 1367, habuerat, eo scilicet tempore quo ad imperatorem Joannem V Palæologum ab Urbano V legatus fuerat :

« Oportere censui, inquit, quæ inter imperatorem Cantacuzenum et me disputari contigit, scripturæ tradere. Quoniam enim ad dominum papam Urbanum V et ejus cardinales nonnulli Græci retulerunt commemoratum imperatorem Cantacuzenum et Ecclesiam Græcorum multas suo dogmate divinitates inducere supereminentes et remissas, eo quod

1. Vide infra, p. 175 sq.
2. Cf. p. 70.

asserant quæ Deo insunt realiter inter se differre, et unumquodque horum deitatem distinctam in infinitum a divina substantia distare. Cum nosse verum hujus doctrinæ cuperem, Constantinopoli degens, quando ad imperatorem Palæologum a commemorato summo pontifice missus fui, *quæsivimus istud scire, non autem potuimus verbo vel re aliquid certi de hac opinione et impia doctrina comprehendere. Quapropter et coactus sum verbis asperis eos insectari, et velut quibusdam argumentis provocare.* Tandem ipse imperator Cantacuzenus de hac opinione mecum verba fecit. Quamvis autem a principio videretur mihi non recte sentire, qui et ex ejus verbis eum distinctionem realem ponere suspicabar, tamen, post aliquos dies, sermone protracto, dixit se non sentire realem distinctionem inter ea quæ Deo insunt, sed tantum ratione et conceptu mentis. Tunc veluti gavisus dixi bene eum dicere et cum beato Ambrosio convenire. Postea dicta colloquia scriptis mandavit, quibus nonnulla inseruit, quæ dubitationem pariunt utrum rationis tantum, an etiam realem distinctionem esse contendat; quæ profecto scripta summo pontifici ostendam, ut ea vel improbet vel confirmet. Deinde scripsit de lumine quod apparuit in monte Thabor, asserens illud esse increatum et non esse Dei essentiam, sed quamdam divinam operationem; quod ne auditu quidem ferendum est. Nihil enim est increatum præter divinam essentiam, et omne increatum sempiternum est. Nullum porro sempiternum visibile est : quæ enim cernuntur temporanea sunt. Quare si diceret illud visibile lumen symbolum fuisse visibilis et increati luminis, utique recte saperet. Dicere autem lumen, quod corporabilibus oculis visum est, esse increatum omnino extra terminos fidei est et contra omnem rationem [1].»

Hæc Paulus, patriarcha latinus Constantinopolis, qui certe alludit ad illas epistolas Cantacuzeni, de quibus supra locuti sumus. Ipse duas Cantacuzeno scripsit epistolas de palamismo, in quibus totam quæstionem omnino clare dividebat ac proponebat; siquidem in prima quærebat : 1° Si in

1. *Epistolam Pauli* cum versione græca habes in *P. G.*, t. CLIV, col. 835-838. Scripta fuit non ad Urbanum V, ut quidam falso dicunt, sed ejus successori.

Deo idem sit habens et quod habetur; 2° Si operatio Dei ab ejus essentia non solum ratione, sed etiam re distinguatur; præterea adjiciebat comparationem ex sole et ejus radiis desumptam, quam Palamitæ in ore semper habebant, ostendere quidem inseparabilitatem, non autem excludere distinctionem realem, immo illam supponere [1]. Nec minus dilucide de lumine thaborico in secunda argumentabatur in hunc modum :

« Volo discere a te, imperatori aiebat, utrum lumen, quod in Thabor splenduit, quod tu dicis increatum, corporalibus oculis, an spiritualibus tantum ab apostolis visum fuerit; item, utrum unum et idem numero fuerit lumen quod visum fuit oculis corporeis et oculis mentis; adhuc, utrum lumen istud fuerit essentia Dei, an ejus operatio. Etenim divina deitas non potest esse creata; nulla creatura potest esse æterna et angelis inaccessa; nihil creatum potuit esse in Filio et Verbo Dei ante ejus incarnationem; increatum non potest esse creatum sub eadem ratione; non potest esse creatum quod omnem naturam præcellit; non potest esse creatura illud quod Moyses videre quæsivit; non potest esse creatura forma Filii Dei quæ ante mundi constitutionem exstitit. »

Responsiones Cantacuzeni, et etiam Theophanis Nicæni, supra vidimus; ex quibus constat hos duos Palamæ discipulos doctrinæ magistri summam revera retinuisse. Quando autem dicebant operationem Dei ab ejus essentia ratione tantum distingui, ἐπινοίᾳ μόνῃ διαιρεῖσθαι, de separabilitate tantum loquebantur, non vero de distinctione reali minori, quam in Deo ponebant.

Curia romana de doctrina Palamæ certa documenta habere potuit tum a Demetrio Cydone, qui anno 1369 una cum imperatore Joanne Palæologo Romam venit, tum a Joanne Cyparissiota, omnium Palamæ adversariorum validissimo, qui Ecclesiæ catholicæ nomen dedit et aliquamdiu Romæ, in aula pontificia Gregorii XI, demoratus est (1376-1377) [2].

1. *Epistolam Pauli ad Cantacuzenum* habes, una cum epistolis Cantacuzeni, in *cod. Barocc. Oxon. 193*, fol. 307 sq.

2. Cf. A. Mercati, *Giovanni Ciparissiota alla corte di Gregorio XI (novembre 1376-dicembre 1377)*, in *Byzantinische Zeitschrift*, t. XXX (1930), p. 496-501.

Item opus Manuelis Calecæ *De essentia et operatione* multis catholicis certe innotuit. Unde mirum non est quæstionem de palamismo in concilio Florentino memoratam fuisse. Memorata quidem fuit, non vero plenissime examinata nec discussa. Cum enim in vigesima quinta sessione Latini Græcos interrogassent de essentia Dei et operatione, Græci nihil respondere voluerunt, quod facultatem de hac quæstione disputandi ab imperatore non haberent [1]. Consuluerunt ergo imperatorem. Quid autem decreverit ipse, ignoramus. Verisimile omnino est eum disputationem hujusmodi non permisisse, quæ sane unioni haud parum obstitisset. Latinis vero satis fuit hoc a Græcis obtinere, ut palamismo implicite saltem et ex parte renuntiarent subscribendo decreto unionis, in quo dicitur : *sanctorum animas in cælum mox recipi*, et *intueri clare ipsum Deum trinum et unum* SICUTI EST [2]. Ipsi ante decreti compositionem expresse declaraverant : *Admittimus animas vere contemplari essentiam Dei* [3]; quod palamismo certe contradicit. Institerunt autem Latini, ut hanc fidei professionem Græci emitterent, quia Marcus Ephesius, quem novimus rigidum Palamæ discipulum fuisse, Ferraræ, dum de purgatorio disputarent, in tertio suo sermone de hac materia hæc docuerat :

« Divina essentia adspici vel cogitatione concipi vel cognosci ab ulla natura creata neutiquam potest, ne ab ipsis quidem præstantissimis inter supramundanas mentes. Etenim, quod cognoscitur ut in se est, quatenus cognoscitur, a cognoscente comprehendatur oportet. Atqui Deus a nullo comprehenditur (περιλαμβάνεται); est enim natura sua incomprehensibilis [4]. »

1. Cf. Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδος (Dorothei Mytilenensis narratio), ed. Nickes, Romæ, 1864, p. 304 : « τὸ δὲ περὶ τῆς θείας οὐσίας καὶ ἐνεργείας, οὐδ'ὅλως ἀπολογούμεθα. »

2. « καθαρῶς θεωρεῖν αὐτὸν τὸν ἕνα καὶ τρισυπόστατον Θεόν, καθώς ἐστιν. »

3. « Καὶ τὸ θεωρεῖν τὰς ψυχὰς τὴν οὐσίαν Θεοῦ ἀληθῶς προσιέμεθα. » *Acta*, ed. Nickes, *loc. cit.*

4. L. Petit, *Documents relatifs au concile de Florence*, VI : *Marci responsio ad quæstiones Latinorum*, 3, in *Patrologia orientali*, t. XV, p. 157 : « Τὴν θείαν οὐσίαν ὁρᾶν ἢ νοεῖν ἢ γινώσκειν οὐδεμία γενητὴ δύναται φύσις, οὐδ'αὐτοὶ τῶν ὑπερκοσμίων νόων οἱ πρώτιστοι. »

Recitatis haud paucis Patrum testimoniis de Dei incomprehensibilitate, ita prosecutus est :

« Si ergo e doctorum istorum sententia, Dei natura ne ab ipsis quidem angelis spectari potest, et cujusquam obtutum extra Verbum Unigenitum Sanctumque Spiritum plane effugit, fieri nequit ut ullo modo cernatur a sanctis sive in hoc sæculo sive in futuro. Quid igitur rei est, dixerit forte quispiam, quod sancti vident, si Deum secundum essentiam non videant? Illud ipsum quod et angeli vident, et primi quidem inter ipsos : Ineffabili gloria conditoris perfruuntur Seraphim, dum incomprehensibilem ejus pulchritudinem contemplantur [1]. »

Interrogatus autem quidnam esset fulgor ille ex Deo micans, quo sanctos in cælo perfrui dicebat, respondit hoc esse mysterium ineffabile et omnino absconditum, hæc verba laudans Joannis Climaci : « Fulgor est operatio ineffabilis quæ videtur invisibiliter et absque cognitione intelligitur [2]. »

Mirum est autem Græcos, qui post concilium Florentinum omnes fere ad schisma reversi sunt et unioni cum Latinis obstiterunt, de quæstione palamitica generatim tacuisse, nec de essentia beatitudinis secundum Palamæ doctrinam cum Latinis contentionem movisse, nec decreti unionis verba de clara visione Dei sicuti est unquam reprehendisse, cum tamen circa retributionis tempus hoc ipsum decretum erroris arguerint. Ut videtur, illos puduit coram Latinis theologiæ palamiticæ arcana palam explicare; siquidem bene noverant hanc theologiam novitatem redolere nec testimoniis Scripturæ et Patrum facile fulciri posse. In ipsa periodo moderna, rari fuerunt polemistæ qui circa essentiam Dei et ejus operationem Latinos provocare non timuerunt. Cæterum, ut infra videbimus, plerique Græci et Russi, sub latinæ theologiæ influxu, palamismo plus minusve aperte valedixerunt.

1. *Ibid.*, p. 159 : « οὐδ'ἄρα τοῖς ἁγίοις αὕτη θεωρητὴ κατ'οὐδένα τρόπον, οὔτε κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦτον, οὔτε κατὰ τὸν μέλλοντα. »

2. *Ibid.*, 4, p. 161 : « Ἔλλαμψίς ἐστιν ἐνέργεια ἄρρητος ὁρωμένη ἀοράτως καὶ νοουμένη ἀγνώστως. » Cf. *P. G.*, t. LXXXVIII, col. 813. Quod de contemplationis lumine in hac vita dixit Joannes Climacus, Marcus ad gloriam sanctorum transfert.

ARTICULUS XI

De palamismo cum doctrina catholica collato.

Ex palamitica notione Dei innumeri errores, omnes fere hæreses per viam logicæ deductionis erui possunt, ut quidam Palamæ adversarii luculente demonstrarunt [1]. Sublata enim summa simplicitate divini esse eoque in diversa elementa realiter inter se distincta partito, quot et quanta monstra logice parturiuntur! Nostri propositi non est in hoc articulo ad deductiones logicas recurrere, ut omnium hæresum pater demonstretur palamismus, sed imprimis enumerare errores qui in hoc systemate, prout e scriptis Palamæ ejusque asseclarum expositum est, immediate et aperte continentur. Aliquid deinde adjiciemus de visione Dei per oculos corporeos necnon de distinctione palamitica cum distinctione Scoti collata.

I. — Multiplices errores in palamismo inclusi.

1º Fundamentalis error palamismi in eo est quod summam Dei simplicitatem lædit. Hæreticum est enim, aut saltem hæresi proximum aliam in Deo ponere realem distinctionem præter eam quæ personas divinas inter se distinguit; siquidem *in divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio* [2]. Juxta concilium Vaticanum, *Deus est substantia spiritualis omnino simplex* [3]. Professio fidei concilii Tole-

1. Cf. duo documenta anonyma ab Allatio edita in suo opere, *De libris ecclesiasticis Græcorum, dissertatio II*, et in *P. G.*, t. CL, col. 864-876, posita, quibus ostenditur Palamam omnes fere hæreses antiquas ressuscitare. Cf. etiam *Iambos Gregorii Acindyni adversus hæreses Gregorii Palamæ, P. G., ibid.*, col. 843-860, et Nicephorum Gregoram, *Histor. byzant.*, l. XXIV, *P. G.*, t. CXLVIII, col. 1425-1433, doctrinam palamiticam cum mysterio incarnationis et mysterio præsentiæ realis Christi in eucharistia confert, ostendens hæc mysteria cum palamismo logice componi non posse.

2. *Decretum pro Jacobitis*, in concilio Florentino (1441). Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum et definitionum*, ed. 11, Friburgi Br., 1911, n. 703.

3. *Ibid.*, 1782.

tani XV (anno 688), quam orthodoxam probavit Sergius papa I, doctrinæ Palamæ directe opponitur. Dicit enim : « Hoc est Deo esse, quod velle; hoc velle, quod sapere; quod tamen de homine dici non potest. Aliud quippe est homini id quod est sine velle, et aliud velle, etiam sine sapere. In Deo autem non est ita, quia simplex ita natura est, et ideo hoc est illi esse, quod velle, quod sapere [1]. »

Sæculo XII, Gilbertus Porretanus errorem palamismo vicinum sustinuit, docens personas divinas ab essentia divina realiter distingui; item *divinitatem realiter differre a Deo*, quod assimilari potest divinitati superiori et divinitati inferiori Gregorii Palamæ. Hujusmodi doctrina in concilio Rhemensi, Eugenio III approbante, damnata est (1148). In professione autem fidei a concilio promulgata, duæ propositiones occurrunt palamismum directe profligantes :

a) « Credimus nonnisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse...; nonnisi ea divinitate Deum, quæ est ipse.

b) « Credimus et confitemur solum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, et *hujusmodi alia, adesse Deo, quæ sint ab æterno, quæ non sint Deus* [2]. »

Contra Joachimum, abbatem Florensem, qui tritheismum revera docebat, concilium œcumenicum Lateranense IV (1215) speciatim definivit nullam exstare distinctionem realem inter essentiam Dei et unamquamque personam Trinitatis : « Quælibet trium personarum, ait concilium, est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina... Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, sed id quod est Pater est Filius, et Spiritus Sanctus idem omnino [3]. » Palamas autem et Palamitæ dicunt aliud esse essentiam, aliud hypostasim, ἄλλο ἡ οὐσία, ἄλλο ἡ ὑπόστασις; quod est hæreticum.

1. *Ibid.*, 294.
2. *Ibid.*, 389, 391.
3. *Ibid.*, 432.

2° Hæreticum est item, aut saltem hæresi proximum, affirmare gratiam Dei qua deificamur, esse aliquid increatum et æternum. Docet enim Tridentina synodus : « Unica formalis causa justificationis est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ..., justitiam in nobis recipientes unusquisque secundum suam mensuram... Gratia et caritas in cordibus hominum diffunditur per Spiritum Sanctum atque illis inhæret [1]. »

3° Certum ex fide est dona Spiritus Sancti et generatim dona spiritualia in se considerata esse creata, non vero increata, ut docent Palamitæ.

4° Palamas et Palamitæ negant animæ dari ut donum increatum ipsas personas Trinitatis, Spiritum Sanctum, qua personam, animam justi *inhabitare* modo supernaturali; quod sacræ Scripturæ et Patrum doctrinæ aperte contradicit.

5° Illud quod Catholici vocant lumen gloriæ, Palamas dicit esse aliquid increatum [2]; quod in fide erroneum est; nihil enim increatum est præter Deum ipsum.

6° Hæreticum est quod dicunt Palamas ejusque discipuli, scilicet angelos et sanctos in cælo non contemplari ipsam essentiam divinam, seu Deum unum et trinum ut in se est. Contrarium enim expresse definivit Benedictus papa XII (29 junii 1336), paucis mensibus antequam Barlaamus et Palamas de lumine thaborico disputare inciperent :

« Vident, ait definitio, divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in rationi objecti visi se habente, *sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, sicque videntes eadem divina essentia perfruuntur* [3]. »

Eamdem definitionem breviter renovavit concilium Florentinum, docens sanctos « intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est [4] ».

7° Hæreticum est in Deo ponere aliquod lumen increatum, quod non sit ipsa essentia divina. Unde si dicas lumen, quod in facie Christi in monte Thabor illuxit, esse increatum et æternum, dicas necesse est illud esse ipsam essentiam divinam; quod quidem Antipalamitæ expresse docuerunt, ut Barlaami explicationem vitarent [1].

1. *Trident.* sess. VI, 7; Denzinger, *op. cit.*, n. 799, 821, 809.
2. Cf. supra, p. 95.
3. Denzinger-Bannwart, *op. cit.*, n. 530.
4. *Ibid.*, 693.

II. — De visione Dei per oculos corporeos.

Ut supra vidimus, Palamas et Palamitæ negarunt quidem ipsam Dei essentiam oculis corporeis, etiam supernaturaliter elevatis et immutatis, unquam videri posse; docuerunt vero lumen seu Dei gloriam increatam a divina essentia effulgentem etiam oculis corporeis, *supernaturaliter tamen immutatis*, contemplari posse. Inter theologos catholicos nunquam quidem mota est quæstio de visione alicujus increati quod non sit ipsa essentia divina; agitata est vero quæstio de possibilitate visionis ipsius Dei per oculos corporeos. Negarunt sane omnes hoc naturaliter fieri posse. Negaverunt item plerique, etiam in ordine supernaturali, concedentes tantum cum sancto Thoma oculum glorificatum modo quodam indirecto et per accidens posse videre Deum, quatenus vide-

1. Cf. quæ infra dicuntur, p. 151. Quandoque accidit, ut auctores catholici verbis palamiticis (non vero spiritu et sensu palamitico) de lumine transfigurationis loquantur. Ita, v. g., clarissimus auctor asceticus Columba Marmion, in suo opere, *Le Christ dans ses mystères* (47e mille), Parisiis, 1930, p. 270, de lumine thaborico hæc habet, quæ de calamo Palamæ manare alioqui crederes : « D'où lui venait donc cet admirable rayonnement? — De la divinité. *C'était un écoulement de la divinité sur la sainte humanité, une irradiation du foyer de la vie éternelle* qui se cachait ordinairement dans le Christ et faisait, à cette heure, resplendir son corps sacré d'un éclat merveilleux. Ce *n'était pas une lumière d'emprunt, venant du dehors, mais bien un reflet de cette incomparable majesté que le Christ contenait et comprimait* (modi loquendi specifice palamitici!) en lui-même. Par amour pour nous, Jésus, durant son existence terrestre, cachait habituellement, sous le voile d'une chair mortelle, la vie divine; *il l'empêchait de déborder dans une continuelle lumière* qui eût aveuglé nos yeux infirmes; *mais à la transfiguration, le Verbe a donné congé à la gloire éternelle;* il l'a laissée projeter son éclat sur l'humanité qu'il avait prise. » Hæc sane ἀκριβείᾳ theologica prorsus vacant; quæ hic referimus non ut merito auctoris, quem magni facimus, detrahamus, sed in exemplum locutionis metaphoricæ ad litteram non sumendæ.

bit directe quosdam effectus supernaturales a Deo productos et ejus præsentiam certe arguentes, qualis est refulgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis [1]. Sententia affirmativa dici non potest hæretica. Quidam, ut Suarezius, illam habent hæresi proximam; alii, ut Vasquezius, in fide erroneam; quæ potius dicenda est philosophice falsa. Quidam theologi catholici illam expresse tuiti sunt, inter quos est Valentia, qui probabile reputat posse creari oculum corporeum, qui natura sua vel dono aliquo superaddito Deum videre possit. Quidam theologi e schola Carmelitarum calceatorum cum suo magistro Bonæ Spei contenderunt oculum glorificatum posse videre Dei essentiam non quidem *per visionem pure corpoream*, sed per visionem quamdam spiritalem ineffabili modo a visu corporeo exercitam. Allatius, qui non est theologus, rem aperte docet :

« Oculi corporei, inquit, si diviniore vi corroborati, ad altiora eleventur, nil impedit quominus deitatem ipsam et gloriam deitatis, quæ una cum Deo est, videant, idque expertissima ratione confirmatur. Nam beata Virgo, quam modo assumptam canit Ecclesia cum corpore ipso, Deum et divinitatem ipsissimis oculis corporeis, sublevatis tamen et divina vi confirmatis, intuetur. Et post judicium universale, beati, resumptis corporibus, corporeis oculis gloriam deitatis deitatemque ipsam conspicient [2]. »

Oculi ad videndam divinitatem idonei periclitantur sane non esse amplius oculi.

III. — De distinctione palamitica cum distinctione Scoti collata.

Vidimus supra Georgium Scholarium palamismum eo usque temperasse ac mitigasse, ut in *distinctionem formalem a parte rei* a Scoto ejusque discipulis propugnatam revera inciderit. Hæc tamen interpretatio a genuino palamismo

1. Cf. S. Thomam, *Summa theologica*, I p., q. XII, art. 3 ad 2.
2. *De perpetua consensione*, Coloniæ, 1648, p. 836-838, et in *P. G.*, t. CL, col. 906-907. Allatius errat, dum putat Palamam ejusque sectatores docuisse lumen divinum et increatum videri posse oculis corporeis absque aliqua supernaturali elevatione et immutatione. Hanc calumniam Palamitæ in suis scriptis passim repellunt.

satis longe distat. Haud facile sane est dicere in quonam præcise consistat distinctio formalis a parte rei, de qua loquitur Scotus, qui non vult hanc distinctionem esse *vere* realem, quando de Deo agitur. Affirmat quidem in Deo esse aliquam distinctionem inter essentiam Dei et ejus attributa ante omnem mentis nostræ operationem. Dicit tamen de attributis : « Non sunt proprie principiata ab essentia divina, licet essentia divina concedatur aliquo modo habere rationem perfectionis radicalis et fundamentalis respectu eorum[1].» Palamas autem ejusque veri discipuli præcise asserunt essentiam Dei et ejus operationem differre κατὰ τὸ αἴτιον καὶ τὸ αἰτιατόν. Item, Scotus loquens de distinctione attributorum divinorum inter se, alicubi hæc habet : « Melius est uti ista negativa : *Hoc non est formaliter idem*, quam hoc : *Hoc est sic et sic distinctum* [2]. Hanc formidinem transeundi ad distinctionem realem apud Palamitas non invenies, qui in Deo multiplicare non dubitant *aliud et aliud*, ἄλλο καὶ ἄλλο.

Fatendum est tamen esse aliquam affinitatem et similitudinem inter utramque distinctionem. Unde videbimus infra quosdam Græcos modernos distinctionem Scoti cum distinctione Palamæ confudisse. Revera, dum Scotus scribit attributa esse in Deo independenter ab omni consideratione intellectus nostri *secundum suam formalem rationem et quidditatem* et non esse proprie re idem neque cum essentia divina neque inter se, *ex parte rei*, ad distinctionem Palamitarum

1. *In IV Sent.*, l. I, dist. XIII, 17.
2. *In IV Sent.*, l. I, dist. II, q. VII, 44. Cf. articulum *Duns Scot*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. III, col. 1865-1947, a P. Raymundo O. M. Cap. conscriptum. De distinctione attributorum inter se et ab essentia juxta Scotum hæc habet : « L'infinité radicale respecte cette non-identité, en lui laissant toutefois le minimum de réalité possible, exactement ce qui est nécessaire pour maintenir aux perfections leur caractère formel. Elles ne sont ni des parties informantes, ni des parties constitutives de l'être divin. On ne peut les regarder que comme des aspects variés de l'infini dans l'infini lui-même, mais aspects objectifs, indépendants, dans leur réalité, d'une opération intellectuelle contingente. » Credimus hujusmodi conceptum de Deo esse aliquatenus anthropomorphicum, nisi velit dicere Scotus quod dicunt communiter alii, scilicet diversas perfectiones et proprietates, quas in Deo ponimus, habere in infinita perfectione ejus esse verum fundamentum, quod non pendet ab operatione intellectus creati.

appropinquat. Scotismus in hac quæstione est quasi *palamismus in fieri*, cujus radicalis defectus in hoc esse nobis videtur quod velit ponere in Deo aliquid primarium, quod sit essentia Dei et aliquo modo distinguatur a quibusdam secundariis, quæ sint attributa. Porro in Deo revera nihil est primarium vel secundarium, sed ipse est unum quid simplicissimum perfectione infinitum.

Hanc comparationem inter Palamam et Scotum solummodo statuimus quantum ad distinctionem inter essentiam Dei et ejus attributa, non vero quantum ad alias theses palamiticas, quæ a mente Scoti prorsus sunt extraneæ.

ARTICULUS XII

De præcipuis adversariis palamismi necnon de eorum doctrina circa theses palamiticas.

Ut supra vidimus, haud paucos Palamas invenit discipulos, qui ejus doctrinam scriptis propugnaverunt ac propagarunt; verum, omnes fere ex ordine monachorum prodierunt. Qui vero ei infensi fuere, et numerosiores et doctiores exstitere, et ad omnem vitæ ordinem et conditionem pertinebant, ex quibus præcipui fuerunt : Barlaamus, Gregorius Acindynus, Nicephorus Gregoras, philosophus Georgius Lapithes, hieromonachus Niphon, patriarcha Constantinopolitanus Joannes Calecas, Ignatius, patriarcha Antiochenus, Matthæus Ephesius, Prochorus Cydones, hieromonachus, monachus Isaacus Argyrus, Atuemes, Theodorus Dexius et tres Catholici uniti qui inter Byzantinos sæculi XIV scientia ac vita emicuerunt, scilicet Demetrius Cydones Joannes Cyparissiota et Manuel Calecas [1]. Antequam de quibusdam eorum brevem sermonem singulariter faciamus, aliqua notanda veniunt, quæ eos communiter respiciunt.

1. Catalogum quemdam adversariorum Palamæ, in quo tamen desunt clara nomina, invenies in *cod. Vatic. græc. 1096*, fol. 29v, et apud J. Mercati, *op. cit.*, p. 222-223. Codex sub finem sæculi XIV scriptus est.

I. — In Antipalamitas sæculi XIV communes animadversiones.

Si Antipalamitarum doctrina ex solis scriptis palamiticis nobis innotesceret, illos tanquam nefandos hæreticos, immo tanquam atheos haberemus. Quemadmodum enim ipsi Antipalamitæ, deductionis logicæ via, omnibus fere hæresibus et ipso atheismi crimine Palamam onerabant, ita et ille in suos adversarios easdem omnes refundebat, calumniarum et sophismatum ope, ex quibus aliquot habes in articulo septimo. Præcipua criminatio in Antipalamitarum caput sæpius conjecta est criminatio nominalismi. Si Palamitis credas, Barlaamus, Acindynus, Gregoras et alii omnia in Deo confundunt, meram distinctionem quam rationis ratiocinantis nostri vocant, inter essentiam Dei et ejus operationem ponentes, omnia Dei attributa ut synonyma habentes, essentiam divinam operationis et virtutis expertem prædicantes. Eadem via iidem arianismi, eunomianismi et sabellianismi insimulantur; item atheismi, cum essentia operationis expers sit merum nihilum. Arguuntur etiam pelagianismi et massalianismi, quia negant deificam gratiam esse increatam. Hæc enim in *Tomo hagioritico* legimus :

« Quicumque imitatione tantum et habitu, sine deifica Spiritus gratia, perfectam cum Deo unionem fieri asserit, sicut inter eos qui sunt moribus consimiles et sibi invicem dilecti, et deificam Dei gratiam esse habitum rationalis naturæ sola imitatione acquisitam, sed non ineffabilem et supernaturalem illuminationem ac divinam operationem, quæ invisibiliter a dignis videtur et inintelligibiliter intelligitur, hic sciat se in Massalianorum errorem inscium incidisse. Si enim deificatio penes sit naturæ vires et intra ejus limites comprehendi possit, qui deificatur prorsus deus natura erit... Supra naturam igitur est, supra virtutem ac scientiam est deificationis gratia, et omnia hujusmodi infinite ab hoc distant juxta sanctum Maximum. Omnis quidem virtus et Dei imitatio, quam pro viribus assequi possumus, possidentem ad divinam unionem idoneum faciunt; gratia autem ipsam perficit ineffabilem unionem [1]. »

1. *P. G.*, t. CL, col. 1229 : « Ὅστις μόνῃ τῇ μιμήσει καὶ σχέσει, χωρὶς τῆς θεοποιοῦ χάριτος τοῦ Πνεύματος, τὴν πρὸς τὸν Θεὸν τελείαν ἕνωσιν

Cum autem ex ipsis quidam sic argumentarentur : « Si lumen thaboricum fuit increatum, fuit ipsa essentia divina; fuit ipse Deus; si vero non fuit essentia divina, ergo fuit aliquid creatum », Palamitæ eos accusarunt ditheismi et polytheismi, quasi docuissent essentiam Dei et ejus operationes modo increatas esse, modo creatas.

Patet hæc omnia mera fuisse polemistarum convicia. Plerique theologi antipalamitæ doctrinam catholicam de summa simplicitate Dei, de gratia creata, de objecto æternæ beatitudinis expresse tenuerunt ac defenderunt. Docuerunt item lumen thaboricum fuisse quid creatum Deumque non posse videri oculis corporeis etiam supernaturaliter transmutatis et elevatis. Attamen eorum quidam de objecto supernæ beatitudinis obscure locuti sunt, et axioma palamiticum de absoluta invisibilitate essentiæ divinæ etiam in ordine supernaturali admittere visi sunt, non distinguentes inter *videre simpliciter* et *perfecte comprehendere*, et hoc propter quorumdam Patrum dicta de Dei incomprehensibilitate. Fatendum est etiam eos, si quosdam excipias, qui theologiæ scholasticæ Latinorum initiati fuerant, non semper accurate atque cum omni subtilitate explanasse distinctionem rationis, quam vocamus *virtualem*, quæ scilicet vere fundatur in re et in theologia de Deo uno et trino omnino admittenda est[1]. Unde sophismatibus Palamæ ægre quandoque respondebant. Accidit etiam, ut præ difficultatibus silentium servarent;

ἀποφαίνεται τελεῖσθαι, κατὰ τοὺς ὁμοήθεις καὶ ἀγαπωμένους, καὶ τὴν θεοποιὸν χάριν τοῦ Θεοῦ ἕξιν τῆς λογικῆς φύσεως διὰ μόνης μιμήσεως προσγινομένην... οὕτος ἴστω τῇ τῶν Μασσαλιανῶν, ὡς οὐκ οἶδεν, ἀπάτῃ περιπεσών. »

1. In principio sui operis, *De essentia et operatione*, l. I, c. I, *P. G.*, t. CLI, col. 1191, Prochorus Cydones hæc habet : « Omnes qui de essentia Dei et operatione disseruerunt, quærentes utrum aliud, an re idem sint, hoc primum decernere omiserunt, scilicet quotuplex sit operatio : hæc enim multipliciter consideratur. In unaquaque autem demonstratione, investigatio variorum prædicati aut subjecti sensuum multum prodest ad veritatem detegendam, et ad alios decipiendos et ad vitandas aliorum versutias, et ad argumentationem recte ordinandam, incipientes ubi oportet et in debitum finem tendentes, ita ut omnia clare et evidenter pateant, et verba rebus definitis consonent. » Prochorus hic bene indicat præcipuum defectum quo laborant tum Palamas et Palamitæ, tum Antipalamitæ plerique.

quod non est mirandum, cum quæstiones hujusmodi tam altæ sint, tam subtiles et mysterio involutæ. Facilius est enim difficultates movere quam solvere, paucique erant inter Byzantinos qui exercitio acquisiverant hanc expeditam mentis agilitatem, quam in nostris Scholasticis miramur. Unum tamen firmiter tenuerunt Antipalamitæ et contra novatores semper vibrarunt, scilicet Deum esse ens simplicissimum oculis corporeis omnino invisibile, et nihil extra ipsum esse increatum, nihil in eo posse revera distingui quod non sit revera ipsum, ipsum esse omnia quæ dicitur habere.

Non eadem omnino fuit agendi ratio primorum novæ theologiæ adversariorum, eorum videlicet qui Palama adhuc inter vivos degente scripserunt, atque eorum qui in sæculi XIV dimidio floruerunt. Primos, nempe Acindynum, Joannem Calecam, Dexium, Nicephorum Gregoram, videmus magnam adhibere cautelam ne thesibus Palamæ positive respondeant eis opponendo propriam sententiam, sed in traditione antiqua, omni novitate, omni nova explicatione remota, de industria consistere volunt; et ita quidem agunt tum ne Barlaami audaciam imitentur et Barlaamitæ ab aliis audiant, tum ne prohibitionem in fine *Tomi synodici* positam de novis quæstionibus dogmaticis non movendis transgredi videantur. Circa naturam luminis thaborici interrogati, vel respondere recusant, ut fecerunt in synodo anni 1351, vel Patrum verba de illo absque ulla explicatione recitant, vel hoc dilemmate enavigant : Si lumen thaboricum fuit increatum, ipse Deus, ipsa Dei essentia fuit, quia Deus est unum quid et nihil extra ipsum est increatum; si hujusmodi lumen non fuit ipse Deus, ipsa ejus essentia, necessario fuit aliquid creatum. Eodem principio innixi, scilicet quod non sunt plura increata sed unum tantum, ut expresse dixerunt quidam antiqui Patres, docent operationem Dei in suo *termino a quo* seu in Deo consideratam re identificari cum essentia divina, operationes divinas vero pluraliter sumi et dici ex parte *termini ad quem*, id est ex parte effectuum, quos producit extra se Deus operans. Unde a Palamitis versatilitatis et contradictionis arguuntur, quod lumen thaboricum, vel operationem divinam, modo dicant increatam et ipsam Dei essentiam, modo creatam et creaturam.

Qui vero post Joannis Cantacuzeni abdicationem novatoribus contradixerunt, de quæstionibus a Palama motis liberius atque omni timiditate posthabita sermonem fecerunt, de luminis thaborici indole propriam opinionem patefacientes et in Palamæ deliramenta acriori calamo invehentes. Hujus in instituto mutationis principalis causa exstitit Joannis Palæologi imperatoris circa litem abstinentia et indifferentia, ex qua cuique licuit de controversis libere opinari.

II. — De Barlaami doctrina.

Barlaami sententiam de lumine thaborico ex dictis in primo articulo jam ex parte novimus. Monachus Calaber, ut videtur, quæstionem præcipuam in controversia, eam scilicet quæ est de essentia Dei et ejus operatione, ex professo non tractavit, atque de luminis thaborici natura tantum cum Palama directe disputavit. Quanquam ejus scripta adversus hesychastas perierunt [1], bene tamen ex scriptis palamiticis novimus in quonam ejus *hæresis* præcise constiterit. Primum quidem ei exprobrarunt quod modum orandi hesychastarum vituperasset et monachos massalianismi et bogomilismi insimulasset. Reprehendebat siquidem Barlaamus hesychastarum defensorem, quod eorum methodum mechanicam colligendi spiritum intra corpus omnino probasset ac scriptis vindicasset : « Per suas aspirationes et respirationes, aiebat, christianorum mysteria subvertit, et Patres calumniatur, eis adscribens sua placita et opinamenta [2]. » Secundo, Calabri gravior fuit error, quod non solum lumen thaboricum creatum pronuntiaverit, sed dixerit illud 1° sensibile, non spiritale nec inaccessum fuisse; 2° ante Domini transfigurationem non exstitisse, sed eo momento miraculose a Deo creatum fuisse et statim evanuisse atque in nihilum rursus abiisse; 3° dignitate inferius fuisse et angelis et ipsis mentis humanæ cogitationibus. Suam doctrinam hoc argumento firmabat : Apostoli, quando illud lumen viderunt, adhuc imperfecti erant, ipso rationis usu plus minusve carebant, nec divinis illuminationibus et suprasensibilium cognitione dignati fuerant. « Falluntur ergo, concludebat ille, qui putant hujusmodi lumen et verum et inaccessum et super omnem intellectum fuisse, et exinde perniciosissima dogmata in Ecclesiam introducunt [1]. »

1. Post primam synodum anni 1341, Joannes Calecas patriarcha per litteram encyclicam omnia Barlaami scripta contra monachos colligi et ad se deferri jussit, eo sane scopo ut igni traderentur. Vide hanc encyclicam in *P. G.*, t. CLII, col. 1241. Remanent tamen quædam vestigia controversiæ cum Palama in quibusdam ex epistolis Barlaami in *cod. Marciano Ven. 333* asservatis. Cf. supra, p. 51-52.

2. « Ὅτι τὰ χριστιανῶν ἐπιχειρῶν διὰ τῶν εἰσπνοῶν ἀνατρέπειν μυστήρια, συκοφαντεῖ καὶ τοὺς πατέρας ὡς ἅπερ νῦν αὐτὸς ἐκδιδάσκει, ταῦτα κἀκείνους φρονήσαντας πρότερον. » In *cod. Dionysiano Athonensi*, fol. 94.

Habes hic totam Barlaami hæresim, in quam tela conjiciunt Palamitæ omnes, quam Græci quotannis in *Synodico* Dominicæ Orthodoxiæ solemni pompa anathemate configunt. Ipsi Antipalamitæ, ex eis saltem plerique, ab eo recedunt illumque damnant, vel quod naturam luminis definire ausus fuerit [2]; vel quod aliqua de eo dixerit quæ Patrum dictis contradicunt; v. g., quod non fuerit ἀπρόσιτον; vel demum quod ejus dignitatem nimis depresserit, illud infra angelos, immo infra lumen intellectuale humanæ mentis et syllogismos aristotelicos collocando [3]. Ita infelix Calaber ab omnibus fere Byzantinis male audivit, si quosdam fideles discipulos excipias, qui ejus scientiam necnon animi integritatem ac

1. *Ibid.*, fol. 93ᵛ, et *Tomus synodicus*, *P. G.*, t. CLI, col. 682-683 : « Τὸ ἐν Θαβωρίῳ λάμψαν φῶς οὐκ ἀπρόσιτον ἦν, οὐδὲ κατὰ ἀλήθειαν φῶς ὑπῆρχε θεότητος, οὐδὲ ἀγγέλων ὅλως ἱερώτερον ἢ θειότερον, ἀλλὰ καὶ χεῖρον καὶ κατώτερον καὶ αὐτῆς τῆς ἡμετέρας νοήσεως. Πάντα γὰρ τά τε νοήματα καὶ νοούμενα σεμνότερά ἐστι τοῦ φωτὸς ἐκείνου, ὡς τῇ ὄψει διὰ τοῦ ἀέρος προσπίπτοντος καὶ αἰσθητικῇ δυνάμει ὑποπίπτοντος καὶ τὰ αἰσθητὰ μόνα δεικνῦντος τοῖς ὁρῶσιν, ὑλικοῦ τε ὄντος καὶ ἐσχηματισμένου καὶ ἐν τόπῳ καὶ ἐν χρόνῳ φαινομένου, νῦν δὲ διαλυομένου καὶ εἰς τὸ μὴ εἶναι χωροῦντος, κτλ. »

2. Ab hoc enim abstinebant, ut diximus, quidam Palamæ adversarii.

3. Ita, v. g., Isaacus Argyrus in suo opere, *Contra Cantacuzenum*, in *codice Vatic. 1096*, fol. 88ʳ : « Ἃ γὰρ ὁ Θεὸς ποιεῖ, καὶ μάλιστα κατὰ λόγον θαυματουργίας, πάντα νοῦν ὑπερβαίνειν ἐξ αὐτῶν ἐδιδάχθημεν, εἰ καὶ ὁρατά εἰσι σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς. »

modestiam bene noverant; inter quos fuere Demetrius Cydones et Alexius Calokhetes [1].

III. — Gregorius Acindynus et Joannes Calecas.

Post Barlaami ex Oriente discessum, præcipuus Palamæ adversarius exstitit monachus Gregorius Acindynus, qui primum quidem, ut vidimus, hesychastarum propugnatori contra Calabri impetus suffragatus est; mox vero, Palama promisso de corrigenda sua theologia non stante, verbis, consiliis et scriptis novitati omni conatu repugnavit. Haud pauca contra Palamam scripsit, quæ omnia fere adhuc inedita sunt. Illi enim certe abjudicandum est opus *De essentia et operatione* inscriptum, cujus initium sub ejus nomine vulgatum est [2]; pertinet autem ad Prochorum Cydonem, ut infra dicetur. Præcipua ejus opera antipalamitica, si non omnia, invenies in *cod. Monacensi 223*, sæc. xv, 363 fol. Ibi occurrunt : 1º *Duæ fidei confessiones*, ubi novas theses Palamæ aperte rejicit;

2º *Brevis expositio nefandarum hæresum Palamæ* (Ἔκθεσις ἐπίτομος τῶν τοῦ Παλαμᾶ πονηροτάτων αἱρέσεων), ubi hæc inter alia dicit :

« Omne quod Deo inferius est, creatura est, et divinitas sola increata est ac sine principio; et primum quidem Deus est, et post eum creatura; inter utrumque vero medium prorsus nullum; et creaturam præcellit sola divina et increata natura, et nihil ab æterno existit præter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum... Omnia in Deo unum et idem sunt absque ulla differentia præter proprietates hypostaticas [3]. »

3º *Confutatio confessionis fidei Gregorii Palamæ* (Ἡ τοῦ

1. Barlaamum a byzantinis scriptoribus calumniis immerito obrutum fuisse ostendimus in articulo *Barlaam*, in *Dictionnaire d'histoire et de géographie ecclésiastiques*, t. III, col. 817-834.

2. Cf. *P. G.*, t. CLI, col. 1191-1242.

3. *Cod. cit.*, fol. 18ᵛ : « Πᾶν τὸ ἔλαττον Θεοῦ κτίσμα, καὶ μόνον τὸ θεῖον ἄκτιστόν τε καὶ ἄναρχον· καὶ Θεὸς μὲν πρῶτον, μετὰ δὲ τοῦτον κτίσις, διὰ μέσου δὲ τὸ σύμπαν οὐδέν· καὶ μόνη τῆς κτίσεως ὑπέρκειται ἡ θεία τε καὶ ἄκτιστος φύσις, καὶ οὐδὲν προαίωνιον πλὴν Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος ». — Fol. 19ᵛ : « Ταὐτότης μόνη ἐν τῷ Θεῷ καὶ ἀπαραλλαξία πλὴν τῶν κατὰ τὰς τρεῖς θεαρχικὰς ὑποστάσεις ἰδιοτήτων. ».

Παλαμᾶ ὁμολογία ἀνεσκευασμένη). Confessio fidei, quæ hic confutatur, antiquior est illa quæ in synodo anni 1351 lecta est. Acyndinus in hac opella expresse docet septem dona Spiritus Sancti non esse increata nec æterna, et sanctos ineffabili modo ipsa divina essentia frui [1].

4º *Confutatio epistolæ Palamæ ad Acindynum e Thessalonica missæ* (Ἐπιστολὴ τοῦ Παλαμᾶ ἀνεσκευασμένη, ἣν ἀπὸ Θεσσαλονίκης ἀπέστειλεν τῷ Ἀκινδύνῳ). In hac epistola, quæ ante primam synodum anni 1341 scripta est, Palamas totum suum systema exponebat audacioribus formulis, inter quas hæc erat, quam jam citavimus : Ἡ θεοποιὸς δωρεὰ τοῦ Πνεύματός ἐστι θεότης ὑφειμένη, δῶρον οὖσα τῆς ὑπερκειμένης. Acindynus vero iterum hic repetit gratiam esse creatam.

5º *Relatio ad patriarcham Joannem ejusque synodum de origine contentionis inter Barlaamum et Gregorium Palamam*, quam haud semel jam laudavimus. Prima pars est historica; in secunda vero auctor veram exponit doctrinam contra Palamæ novitates.

6º *Altera expositio nefandarum hæresum Gregorii Palamæ* (Ἑτέρα ἔκθεσις καὶ ἀνασκευὴ τῶν τοῦ Παλαμᾶ πονηροτάτων αἱρέσεων).

7º *Quinque dissertationes antirrheticæ adversus Palamam.*

8º *Tertia fidei confessio, ad Annam Palæologinam directa*, quæ in *cod. Barber. 291*, fol. 218-222ᵛ invenitur.

Lumen thaboricum increatum et æternum ab essentia divina distinctum et oculis corporeis visibile omnino rejicit Acindynus. Dicit vero lumen mundi, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, splendorem gloriæ Patris, gloriam increatam et æternam ipsum esse Dei Filium et Verbum [2].

Joannes Calecas patriarcha Acindyni doctrinam fecit suam et Palamam ejusque scripta haud semel damnavit. Paulo antequam e sede deponeretur, apologiam Annæ impe-

1. *Ibid.*, fol. 30ᵛ, 31ᵛ : « Ἡμεῖς δὲ μετὰ τῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ τῆς ἁγίας, ἔργα τοῦ ἁγίου Πνεύματος ταῦτα εἶναι φρονοῦντες ἐν ἡμῖν καὶ δι'ἡμᾶς ἐνεργούμενα — Τοῖς πατράσιν ἡμεῖς ἑπόμενοι, καὶ ἀναλλοιώτως καὶ ὑπὲρ αἴσθησιν καὶ νοῦν καὶ διάνοιαν δέχεσθαι φρονοῦντες τοὺς ἁγίους τὴν ἁγίαν καὶ μακαρίαν οὐσίαν εἰς κοινωνίαν ἁγιασμοῦ. »

2. *Cod. cit.*, fol. 15ʳ : « Τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Πατρός, ἡ ἄκτιστος δόξα καὶ προαιώνιος αὐτὸς ὁ Υἱὸς καὶ Λόγος τοῦ Θεοῦ. »

ratrici obtulit, ex diversorum scriptis confectam, quæ deperiisse videtur. Aliquot tantum ex anathematismis in novatores editis in tomo palamitico synodi mensis februarii anni 1347 servati sunt.

« Præsumentibus dicere gloriam divinitatis Christi ab essentia Dei differre, anathema — Dicere non dubitantibus gratiam divinam increatam esse, et tamen ab essentia Dei differre, anathema — Dicentibus divinitatem increatam oculis corporeis capi posse, anathema [1]. »

IV. — Theodorus Dexius et Nicephorus Gregoras.

Theodorus Dexius ad primam classem Antipalamitarum pertinet, eorum videlicet qui in antiqua traditione stricte manent et omnem novam speculationem circa fidei dogmata repudiant. Hic auctor hactenus vix cognitus erat; nuper vero J. Mercati quatuor ejus opera de quæstione palamitica detegit, ex quibus primum est *Tractatus contra Cantacuzenum et tomum synodi anni 1351*, in *cod. Vatic. 1111*, pars IV, fol. 223-321, contentus, alia vero tria sunt breves apologiæ [2], ubi auctor contra alios Antipalamitas, præsertim contra Isaacum Argyrum, propriam tuetur sententiam de natura luminis thaborici; siquidem circa lumen thaboricum positionem prorsus *agnosticam* tenet et omnem disquisitionem ac subtilitatem de ejus indole reprobat. Ejus sententia est lumen istud nihil aliud fuisse quam ipsum Christum in sua humanitate glorificatum et transfiguratum. Omnem alium loquendi modum, omnem aliam explicationem ut vanam ac curiosam speculationem rejicit, nec concedere vult, ut lumen quod illuxit ab ipso Salvatore distinguatur, et aliud ab ipso dicatur [3]. Adversus Palamitas vero fortiter tenet nihil aliud esse

1. *P. G.*, t. CLII, col. 1280 A : « Τοῖς ἀποτολμῶσι καὶ λέγουσι τὴν δόξαν τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ ἑτέραν εἶναι παρὰ τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, ἀνάθεμα — Τοῖς λέγουσι τὴν θείαν χάριν ἄκτιστον μὲν εἶναι, ἑτέραν δὲ παρὰ τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ, ἀνάθεμα. »

2. Asservantur in *cod. Vatic. 1823*, fol. 258-280. *Tractatus contra Cantacuzenum* absque titulo occurrit in *cod. Vatic. 1111*, sic incipiens : Περιήκει δὴ τὰ τῶν λόγων. Cf. J. Mercati, *op. cit.*, p. 226, 270 sq.

3. Hoc etiam atque etiam repetit tum in *Tractatu contra Cantacuzenum*, tum in tribus apologiis : «Λάμψαν φῶς ἐπὶ τοῦ ὄρους Θαβὼρ

increatum præter divinam essentiam; unde novam Palamæ theologiam appellat ἀθλιολογίαν [1].

Præcipuus Palamæ adversarius, post Acindyni fugam et mortem, exstitit philosophus Nicephorus Gregoras, qui eamdem omnino doctrinam ac ille contra novatorem tuetur. Ejus *Historiæ byzantinæ* major pars controversiæ palamiticæ dicatur [2]. Selectis Patrum testimoniis Palamam refellit; debilior vero est ejus argumentatio ex ratione philosophica petita nec dialectica arte excellit. Ad confutanda Palamæ sophismata opportunas distinctiones non invenit, quas certe novatori opposuissent nostri Scholastici. In summa Dei simplicitate potissimum insistit, jure dicens in creaturis nullum hujus exemplum reperiri, omnem vero creaturam compositam esse essentia et qualitate [3]. Lumen thaboricum habet ut aliquid creatum et sensibile, quod luminis increati, Dei nempe, imago obscura fuit ac pallida adumbratio, in Veteris Testamenti theophaniis haud semel manifestatum [4] ; nec admittit visionem hujusmodi luminis esse beatitudinem sanctorum, cum Joannes apostolus dicat : « Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est [5]. »

αὐτὸν τὸν ἕνα Τριάδος, τὸν τὴν καθ'ἡμᾶς ἀνειληφότα φύσιν Λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς οἴδαμεν — Οἱ τοῦ Λόγου ἀπόστολοι καὶ οἱ θεοφόροι πάντες πατέρες οὐ φῶς ἕτερον φασὶ λάμψαι ἀλλ'οὖν τὸν μεταμορφωθέντα Χριστόν. » Ita in *Tractatu*. In *prima Apologia* autem, *cod. cit.*, fol. 258v, hæc habet : « Ὁ γὰρ ὦπται τοῖς αὐτόπτοις Χριστοῦ σωματικοῖς ὄμμασι κτιστὸν ἀληθῶς καὶ αἰσθητον ἦν· ἦν δὲ ἄρα οὐχ ἕτερον ἢ τὸ θεῖον πρόσλημμα μεταμορφωθὲν καὶ ὡς ὁ ἥλιος λάμψαν. »

1. « Πρῶτον μὲν ἐκεῖνο φαμὲν καὶ ἐξαίρετον, ὡς οὔτε ἐν τῇ Εκκλησίᾳ ἠκούσαμεν πώποτε, οὔτε ἔν τινι τῶν ἀναγινώσκειν παραδεδομένων ἱερῶν βιβλίων διηγορευμένον εὕρομεν φῶς ἕτερον ἄκτιστον παρὰ τὴν θείαν οὐσίαν· ὃ δὴ παρὰ τίνος οὐκ οἴδαμεν ᾄδου ἐρευξαμένου λαθοῦσα ἡ καινὴ θεολογία ἢ ἀθλιολογία, τἀληθὲς εἰπεῖν, πάντ'ἄνω καὶ κάτω πεποίηκε καὶ τῇ γῇ τὸν οὐρανὸν ἀτεχνῶς ἀνέμιξεν. »

2. Cf. *P. G.*, t. CXLVIII-CXLIX.

3. Cf. *Hist. byzant.*, l. XXXI, *P. G.*, t. CXLIX, col. 321 D, 324 A : « Ἐκείνῃ μόνῃ τῇ θείᾳ καὶ ἁπλουστάτῃ φύσει προσήκει, ἑτέρᾳ δὲ οὐδεμιᾷ τῶν κτιστῶν ἁπασῶν... πᾶσα κτίσις σύνθετός ἐστιν ἐξ οὐσίας καὶ ποιότητος.»

4. « Οἱ ἀπόστολοι... οὔτε θεότητα εἶδον ἄκτιστον, οὔτε Θεόν, ἀλλά τι τῶν ὄντων καὶ γινωσκομένων. » *Op. cit.*, l. XXXIII, c. XIII, *P. G.*, *loc. cit.*, col. 384-385.

5. *Ibid.*, col. 376-381.

V. — Prochorus Cydones.

Prochorus Cydones, Demetrii frater, linguæ ac theologiæ latinæ peritus, in operibus sancti Thomæ bene versatus, Scholasticæ nostræ armis palamismum configit, quod nullus alter inter Byzantinos ante eum fecerat. Ejus de hac materia præcipuum opus, Acindyno hactenus falso tributum, et ex *cod. Vatic. græc. 1435* a J. Mercati ei nuper restitutum, inscriptum : Περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας, ex excerptis *Summarum* Aquinatis totum fere confectum est ac concinnatum [1]. Clarissimis ac subtilibus Doctoris Angelici distinctionibus omnia solvit ac dirumpit palamitica sophismata, ita ut magnam inter Palamitas perturbationem commoverit. Philotheus Kokkinus pronuntiat eum esse Barlaamo multo pejorem, desperansque de ejus reditu ad orthodoxiam palamiticam, in synodo anni 1368 sententiam excommunicationis et depositionis a sacerdotio in eum promulgavit [2].

VI. — Isaacus Argyrus.

Doctissimus monachus Isaacus Argyrus, etsi Latinorum theologiam ignoraverit, Palamæ tamen novitates dilucidis argumentis ac copiosis Patrum testimoniis obruit in suis scriptis polemicis, quæ J. Mercati doctis nuperrime revelavit. Sunt autem : 1° *Longa confutatio cujusdam operis Cantacuzeni* nondum editi, in *cod. Vatic. 1096* asservata, circa annum 1370 composita [3]; 2° Opusculum *De Dei participatione* (Περὶ διακρίσεως μετοχῆς Θεοῦ ἐν τέσσαρσι τρόποις) [4]; 3° *Solutio cujusdam difficultatis palamiticæ de paternitate et filiatione*

1. Hujus operis minima pars tantum edita est, ut supra diximus, p. 154 .De aliis scriptis antipalamiticis Prochori nondum editis vide J. Mercati, *op. cit.*, p. 19-28.
2. Cf. *tomum* hujus synodi in *P. G.*, t. CLI, col. 693-716, ubi citantur plures propositiones ex scriptis Prochori selectis, ex quibus constat illum omnes theses palamiticas suis syllogismis evertisse.
3. Fol. 65-147; incip. : Ὡς ἀπόλοιτο, φησίν, ὁ θεολογικώτατος νοῦς. In *cod. Vatic.*, opus sine inscriptione et nomine venit. J. Mercati, *op. cit.*, p. 236-242, rationibus omnino probabilibus ostendit illud ad Argyrum pertinere.
4. In *cod. Vatic. 1096*, fol. 171 sq.

(Περὶ τῆς ἐν τῇ μακαρίᾳ Τριάδι λεγομένης πατρότητος καὶ υἱότητος) [1]; 4° *Contra Theodorum Dexium de natura luminis thaborici* (Τῷ μοναχῷ κὺρ Γεδεὼν τῷ ζωγράφῳ) [2]. Isaacus de natura luminis thaborici idem sentit ac Barlaamus, quem tamen reprehendit quod dixerit hujusmodi lumen esse angelis et nostris cogitationibus dignitate inferiorem [3].

« De hoc lumine, inquit, Ecclesiæ sententia est illud fuisse claritatem et primigeniam naturalemque pulchritudinem quacum a Deo primus homo creatus est, quam et mandati transgressione amisit una cum immortalitate, impassibilitate, levitate et subtilitate, ut in hanc ignobilem, tenebrosam, crassiorem et mortalem carnem condemnatus delaberetur; quam Christus nobis restituit et in gloriosa resurrectione habebunt sanctorum corpora [4]. »

Hujusmodi claritatem Christi corpus inde a conceptione absconditam et quasi compressam nequaquam habuit, quippe quod fuit corpus passibile et mortale ante resurrectionem; sed eam Verbum incarnatum circa suam humanitatem in monte Thabor ad tempus miraculose creavit, ut suæ divinitatis gloriam hoc signo demonstraret [5].

VII. — Joannes Cyparissiota et Manuel Calecas.

Inter palamismi confutatores primas certe obtinet Joannes Cyparissiota tum argumentorum copia ac varietate, tum sententiarum pondere ac perspicuitate. Utraque theologia,

1. In *cod. Vatic. 1102*, fol. 25-31.
2. In *eodem cod. Vatic. 1102*, fol. 35-45v.
3. Cf. supra, p. 153, n. 1.
4. In *cod. Vatic. 1102*, fol. 36v : « Ἔστι τοίνυν περὶ τούτου δόξα τῆς Ἐκκλησίας, ἣν καὶ ἡμεῖς προσθεύομεν, ὡς τὸ ἐπὶ τοῦ προσώπου τοῦ Κυρίου λάμψαν φῶς κατὰ τὴν θείαν ἐκείνην μεταμόρφωσιν ἡ λαμπρότης ἣν καὶ τὸ ἀρχέτυπον καὶ φυσικὸν κάλλος, μεθ'οὗ παρὰ Θεοῦ ὁ πρῶτος δεδημιούργηται ἄνθρωπος, ὃ καὶ ἀπώλεσε παραβὰς τὴν ἐντολήν, ὡς μὴ ὤφελε, καθάπερ δὴ καὶ τὸ ἀθάνατον, ἔτι τε τὸ ἀνενδεές, τὸ κοῦφόν τε καὶ λεπτόν, εἰς τὴν ἀμαυρὰν ταυτηνὶ καὶ ἐζοφωμένην καὶ παχυτέραν καὶ θνητὴν καὶ ἀντίτυπον, κατὰ τὸν θεολόγον Γρηγόριον, μεταπεσεῖν σάρκα κατακριθείς. » Idem repetit in *cod. Vatic. 1096*, fol. 71r.
5. In *cod. Vatic. 1102*, fol. 37r, 38r, et in *cod. Vatic. 1096*, fol. 71v : « Περὶ τὴν σάρκα, ἡνίκα μεταμεμόρφωται ὁ Σωτήρ, δημιουργικῶς παρὰ τῆς ἡνωμένης αὐτῇ καθ'ὑπόστασιν τοῦ Λόγου θεότητος γεγονός. »

positivam dico et speculativam, apud eum congruenter conveniunt. Nihil de erroribus, nihil de sophismatibus vel de falsis testimoniorum Patrum interpretationibus, quæ in scriptis Palamæ ejusque discipulorum occurrunt, prætermittit; omnia accurate examinat, æqua lance ponderat, copiose confutat. Præcipuum ejus opus contra palamismum inscribitur : Παλαμιτικαὶ παραβάσεις *(Palamiticæ transgressiones)*, in quinque libros distributum. Primus liber, quatuor constans λόγοις seu dissertationibus, systema palamiticum exponit, ejus multiplices errores detegit, illius exordia narrat, ostenditque Ecclesiam palamiticam non posse esse veram Christi Ecclesiam. Hujus primi libri sermones I et IV edidit Combefisius [1]. Sermones II et III et sequentes libri integri nondum editi sunt. Liber secundus, in octo sermones partitus, tomum synodalem anni 1351 fuse confutat. Liber tertius, octo item sermones habens, de lumine thaborico ab omni parte disserit quæstionemque exhaurit. In libro IV tribus sermonibus constante, examinantur anathematismi *Synodico* Dominicæ Orthodoxiæ inserti. In quinto libro demum, omnium longissimo, quem omnium primum auctor composuit, et in quinque sermones divisit, refellitur Nilus Cabasilas argumentis speculativis. Huic Palamæ discipulo Cyparissiota exprobrat quod non minus quam quatuor φύσεις in Deo posuerit, scilicet essentiam communem (ἡ κοινὴ οὐσία), hypostasim (ἡ ὑπόστασις), operationem (ἡ ἐνέργεια); denique ipse Deus, nempe Pater et Filius et Spiritus Sanctus [2].

Alterum magnum opus Joannis inscribitur : Ἔκθεσις στοιχειώδης ῥήσεων θεολογικῶν (*Expositio elementaria eorum quæ de Deo a theologis dicuntur)*. In decem decades dividitur estque amplus de Deo uno et trino tractatus, irenice quidem compositus, semper tamen respectum habens ad palamiticos errores, positivus fere totus, ut ex ipso titulo apparet [3]. In

1. Illos invenies in *P. G.*, t. CLII, col. 663-778.
2. Integrum opus occurrit in optimo *codice Parisino 1246*. Liber V etiam in *codice Laurentiano V*, 16.
3. Hujus operis latinam versionem confecit ac edidit Franciscus Turrianus, Romæ, 1581; quam recusam habes in *P. G.*, t. CLII, col. 737-992.

eo auctor de natura luminis thaborici fuse disserit, præsertim in decade sexta. Ejus doctrina de hac quæstione cum sententia Isaaci Argyri congruit, ut ex ejus conclusione videre est :

« In divinis luminibus symbolicis præcipua est apparitio luminis facta in divinissima transfiguratione vultus Domini, quæ decorem corporis Christi post resurrectionem gloriosi facti tanquam in imagine repræsentabat; et symbolum erat divinitatis quæ in eo latebat, pulchritudinemque Adæ ante peccatum significabat, eamque jam naturam nostram in humanitate Christi recuperasse; quo lumine justi post resurrectionem resplendebunt [1]. »

Inter ultimos Palamæ confutatores venit Manuel Calecas qui in opere Περὶ οὐσίας καὶ ἐνεργείας [2], cum sueta sibi sobrietate ac claritate ingeniique acumine per theologiam scholasticam expolito novam theologiam primum breviter exponit, deinde argumentis præsertim positivis convellit, præcipuas absurditates in ea reconditas perspicue manifestans.

ARTICULUS XIII

De doctrina palamitica in Ecclesia græco-russica a sæculo XVI ad nostra usque tempora.

I. — Prænotamina.

Ut in articulo nono ostendimus, jam inde ab annis 1351 et 1352, palamismus ut doctrina fidei in Ecclesia byzantina publice receptus est et Orthodoxiæ incorporatus eodem sane titulo ac antiquæ conciliorum œcumenicorum definitiones. Iisdem anathematibus perculsi sunt Barlaamus, Acindynus et alii Palamitarum adversarii, quibus alii hæretici priorum sæculorum; iisdem acclamationibus et laudibus honorati Gregorius Palamas aliique novæ theologiæ coryphæi, quibus veteres fidei defensores contra Icomachos aliosque hæreticos.

1. *P. G.*, t. CLII, col. 864.
2. *Ibid.*, col. 283-428.

Exinde quis, ut videtur, jure colligere posset, et a priori ponere palamismum ab eo tempore in Ecclesia græco-russica semper viguisse et tanquam immutabile dogma ac fidei regulam ab ea servatum fuisse ac propugnatum. Ita sane contigisset, si Ecclesia illa infallibilitatis privilegio gauderet, si vero magisterio infallibili donaretur; verum, contrarium omnino accidit. Servavit quidem Ecclesia græca proprie dicta quidquid in liturgiæ provincia sæculo XIV pro palamismo constitutum est, scilicet 1º solemne festum Gregorii Palamæ, secunda jejuniorum Dominica celebratum cum officio in ejus honorem a Philotheo composito, ubi tam mirificis laudibus effertur; 2º Eam officii Dominicæ Orthodoxiæ partem, quæ *Synodico* jam a sæculo IX existenti tunc adjecta est, iisque constat anathematismis et acclamationibus, de quibus supra fuse locuti sumus. Ex hac parte nihil immutatum est, ita ut, sub aspectu juridico et publico, hæc Ecclesia declaranda sit, nostris adhuc diebus, palamismo addicta. Si vero tum theologorum græcorum opera inde a sæculo XVI conscripta, tum theologiæ dogmaticæ compendia hodie ad clericorum eruditionem publice recepta, tum etiam ipsos catechismos ad populi instructionem vulgatos perlegeris, in *non paucis* invenies sententias palamismo expressis verbis contradicentes.

In Ecclesia russica autem, inde a sæculo XVIII, officium Dominicæ Orthodoxiæ penitus mutatum est, ita ut in novo officio nulla amplius palamismi mentio occurrat. Ad theologos autem russicos quod attinet, jam a sæculo XVII theologiæ palamiticæ valedixerant, ut doctrinam apud Catholicos communiter receptam amplecterentur. Retinuit tamen Ecclesia russica festum Gregorii Palamæ; quod sane cum doctrina antipalamitica in ea jam a multo tempore publice recepta aperte pugnat.

Habuit tamen palamismus, etiam in periodo moderna, præsertim inter Græcos, aliquot asseclas, qui anathematismorum Dominicæ Orthodoxiæ haud penitus obliti præcipuas Palamæ theses retinuerunt. Sunt etiam qui nonnisi ex parte genuinum palamismum retinent; quos Semipalamitas vel etiam Palamitas mitigatos merito appellabis. Alii de quæstionibus specifice palamiticis omnino ambigue loquuntur, præsertim ubi agitur de beatitudinis supernaturalis objecto. Multi de iisdem altum servant silentium.

Ut vera palamismi sors et historia in Ecclesia græco-russica inde a sæculo XVI clare delineantur ac sufficienter manifestentur, præsentem articulum in quatuor sectiones dividimus. Loquemur :

1º De theologis græcis qui palamismum neglexerunt et sententias illi oppositas aperte tuiti sunt;

2º De theologis græcis qui palamismum sive ex toto, sive tantum ex parte docuerunt;

3º De officio Dominicæ Orthodoxiæ apud Russos necnon de doctrina Russorum circa theses palamiticas;

4º De theologis quum græcis tum russis qui de supernaturalis beatitudinis objecto ambigue locuti sunt.

II. — De theologis græcis qui palamismum negligunt eique contradicunt.

Jam sæculo XV invenimus Georgium Scholarium ita temperasse ac mitigasse doctrinam palamiticam, ut hæc sub hac nova forma nec verbis, nec sententiis doctoris hesychastarum respondeat. Inde vero a sæculo XVI, multi theologi græci, illi præsertim qui in catholicis universitatibus sacris disciplinis studuerant, de palamismo parum vel nihil curarunt, et doctrinam apud Catholicos communiter receptam amplexi sunt; inter quos primus nobis occurrit Meletius Pigas, patriarcha Alexandrinus. Hic in suo opere Ὀρθόδοξος διδασκαλία, Vilnæ, anno 1596 edito, haud uno loco Palamæ thesibus contradicit. Docet enim :

1º Unamquamque personam Trinitatis non differe realiter ab essentia divina, sed esse totam essentiam cum proprietate [1];

2º Esse tamen aliquam distinctionem inter operationes Dei ad intra seu processiones et essentiam divinam ut sic,

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. 1769, p. 119 : « Εἰ γὰρ ἑκάστη τῶν ὑποστάσεων ὅλη μὲν αὐτὴ οὐσία ἐστὶ μετὰ τοῦ ἰδιώματος, ἀλλ'οὐκ ἔστιν ἡ οὐσία, ἄπαγε, τῶν τριῶν ὑποστάσεων. »

cum essentia sit communis, processiones vero sint operationes propriæ [1];

3º Illam operationem essentiæ, quæ non est hypostatica, non differe ab ipsa essentia [2];

Ubi vero agit de objecto beatitudinis, videtur quidem primo adspectu in palamismum incidere, quandoquidem asserit essentiam Dei omni creaturæ inaccessam et imparticipabilem esse, beatos autem in cælo proprietates seu *gratias Dei* participare [3]; mox vero suam explanat sententiam dicens :

« Proprietates hujusmodi seu attributa (τὰ προσόντα) considerantur quidem ut essentiæ Dei inhærentia, seu unum quid constituentia, quippe quæ re idem sunt ac natura et essentia Dei propter purissimam simplicitatem; quatenus vero quædam attributa exinde ad nos accedunt et a nobis participantur, vocantur etiam gratiæ [4].

Sæculo XVII, Metrophanes Critopolus, Alexandriæ patriarcha alius, in sua *Confessione fidei* docet *in Deo omnia esse indistincta et communia præter operationes ad intra seu processiones* [5]. Nicolaus Bulgaris in suo *Catechismo sacro*, inter Græcos adhuc pervulgato, dicit :

« Deus secundum solas personas dividitur seu distinguitur... Est totus operatio, et operatio omnem operationem transcendens [6]. »

Nicolaus Kursulas vero (†1652), in *Synopsi sacræ theologiæ*,

1. *Ibid.*, p. 120 : « Κοινὴ γὰρ ἡ οὐσία, αὐτὰ δὲ ἴδιαι ἐνέργειαι. »

2. *Ibid.*, p. 119 : « Διαφέρει γὰρ τῆς οὐσίας ἡ τῆς οὐσίας ἐνέργεια, οὐ πᾶσα δὲ ἐνέργεια, ἀλλ' ἡ ὑποστατική, ὡς τὸ γεννᾶν, τὸ ἐκπορεύειν. »

3. *Ibid.*, p. 224 : « Ἐπειδὴ γὰρ αὕτη ἐκείνη ἡ οὐσία Θεοῦ ἀμέθεκτός ἐστιν οὐσίᾳ πάσῃ κτιστῇ, εἶναί τινας ἰδιότητας τῆς θεότητος ὑπονοοῦμεν, ὧν μετέχοντες οἱ τοῦ Θεοῦ ἐκλεκτοὶ καὶ θεοὶ γίνονται καὶ βασιλείας οὐρανῶν κληρονόμοι. »

4. *Op. cit.*, p. 225 : « Θεοῦ μὲν οὐσίᾳ ὡς ἐνόντα ἐνθεωρεῖται, εἴτ' οὖν ἓν ὄντα, καὶ ταὐτὸ φύσει καὶ οὐσίᾳ Θεοῦ καὶ ὀντότητι διὰ τὴν ἀκραιφνεστάτην ἁπλότητα. »

5. Kimmel, *Monumenta fidei Ecclesiæ orientalis*, t. II, Ienæ, 1851, p. 38 : « Τὰ τῆς θεότητος, πλὴν τῶν ἐνδοτέρων, ἀδιόριστά ἐστιν... πάντα κοινὰ καὶ ἀδιόριστα. »

6. Ἱερὰ κατήχησις, Venetiis, 1681, p. 81 et 127 : « Ὁ Θεὸς κατὰ μόνα τὰ πρόσωπα διαιρούμενος... εἶναι ὅλος ἐνέργεια καὶ ἐνέργεια πάσης ἐνεργείας ἐξῃρημένη. »

de visione beatifica puram doctrinam catholicam diserte exponit ac propugnat, sequentes theses ponens ac variis demonstrans argumentis :

« 1º Fieri potest, ut intellectus creatus supernaturaliter elevetur ad visionem Dei secundum essentiam. *Thesis est dogma orthodoxum contra Armenos et quosdam alios opinantes divinam naturam minime videri, sed tantum claritatem quamdam ab ea procedentem* [1].

« 2º *Possibile non est, etiam de potentia Dei absoluta, corporeis et sensibilibus oculis Deum videri* [2].

« 3º Ponendum est tanquam dogma orthodoxum quod lumen naturale intellectus Deo videndo impar est, atque alio lumine supernaturali indiget a Deo indito, quod theologi vocant lumen gloriæ [3]. »

Contra quosdam Thomistas sustinet Dei visionem non immediate ex lumine gloriæ procedere, sed ex animæ vitali operatione [4]. Demum, postquam diversas opiniones de objecto beatitudinis exposuit, ad hanc devenit conclusionem :

« Ponendum est beatos debere clare videre non solum divinam naturam et essentiam, sed etiam personas Trinitatis [5]. »

Dositheus, patriarcha Hierosolymitanus, Palamitis quidem suffragabatur, quippe qui et Latinorum acerrimus adversarius erat, et haud pauca Palamitarum scripta edidit;

1. Σύνοψις τῆς ἱερᾶς θεολογίας, Zacynthi, 1862, p. 27 : « Δυνατόν ἐστιν ὑπερφυῶς ἐγείρεσθαι τὸν κτιστὸν νοῦν πρὸς τὴν κατ'οὐσίαν ὅρασιν τοῦ Θεοῦ. Ἡ θέσις ὀρθόδοξον δόγμα κατὰ τῶν Ἀρμενίων καί τινων ἑτέρων (scilicet Palamitas omnes) τὴν θείαν φύσιν δογματιζόντων μηδαμῶς ὁρᾶσθαι, ἀλλὰ μόνον λαμπρότητά τινα ἀπ'ἐκείνης προερχομένην. » Vides quomodo Palamas non solum deseritur, sed etiam ut heterodoxus impugnatur.

2. « Οὐχ οἷόν τε τὸν Θεὸν ὁρᾶσθαι, οὔτε μὴν δυνάμει Θεοῦ απολελυμένῃ, σωματικοῖς καὶ αἰσθητοῖς ὀφθαλμοῖς. » *Ibid.*, p. 29. Thesis directe antipalamitica.

3. *Ibid.*, p. 38 : « Θετέον ὅτι δόγμα ἐστὶν ὀρθόδοξον μὴ ἱκανὸν εἶναι πρὸς τὴν ὅρασιν τοῦ Θεοῦ τὸ φυσικὸν τοῦ νοῦ φῶς, ἀλλὰ δεῖσθαι καὶ ἑτέρου ὑπερφυοῦς καὶ θεοδωρήτου φωτός, ὃ φῶς τῆς δόξης οἱ θεολόγοι καλοῦσιν. »

4. *Ibid.*, p. 40-41.

5. *Ibid.*, p. 50 : « Θετέον ὅτι οἱ μακάριοι ὁρᾶν ὀφείλουσιν ἐναργῶς οὐ μόνον τὴν θείαν φύσιν καὶ οὐσίαν, ἀλλὰ καὶ τὰς ὑποστάσεις τῆς ἁγίας Τριάδος. »

verum quis credat eum oblivioni mandasse palamismum, dum suam *Confessionem fidei* conscripsit? Dicit enim in c. VIII :

« Profitemur sanctos, non solum dum in terra degunt, nostros apud Deum esse intercessores ac mediatores, sed et maxime post mortem, quando *sublatis speculis clare contemplantur sanctam Trinitatem*, cujus lumen infinitum eorum menti nostra ostendit [1]. »

Sæculo XVIII, ut videbimus infra, palamismus inter Græcos mirum in modum reviviscit; sæculo vero XIX et nostris diebus, iterum relinquitur; cujus facti testes habemus :

1° Plerosque catechismorum auctores, ubi de objecto beatitudinis tractant; alias enim quæstiones ad palamismum spectantes plerumque prætermittunt. Ita Constantinus Œconomus, quanquam alibi Palamæ multas dat laudes, de beatitudine dicit : « *Excelsa et beatissima divinitas menti nostræ se ostendet tunc cum omnibus suis infinitis perfectionibus*, et alias res videbimus in clarissimo divinæ sapientiæ speculo [2]. » Constantinus G. Koïdakis docet beatitudinem consistere in visione Dei sicuti est, facie ad faciem [3]. Secundum Nectarium Kephalam, « per divina attributa multis notionibus unicam nobis ignotam notionem essentiæ Dei definimus [4]. » — « Neque nos homines, ait Damascenus Christopulus, neque angeli ipsi Dei essentiam investigare possunt... Deus enim, secundum sacram Scripturam,

1. Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 435 : « τῶν ἐσόπτρων λυθέντων, καθαρῶς ἐποπτεύουσι τὴν ἁγίαν Τριάδα· τὸ ἄπειρον ἐκείνης φῶς τούτων ἐν τῷ νῷ τίθησι τὰ ἡμέτερα. »

2. Κατήχησις ἡ ὀρθόδοξος διδασκαλία, Athenis, 1868, p. 76 : « Ἡ ὑψίστη καὶ μακαριωτάτη θεότης θέλει φανῆν τότε μὲ ὅλας αὐτῆς τὰς ἀπείρους τελειότητας. »

3. Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Athenis, 1906, p. 70. Ita etiam Menas D. Khamudopulus, Ὀρθόδοξος χριστιανικὴ κατήχησις, Athenis, 1893, p. 96 : « Θὰ βλέπωσι τὸν Θεὸν πρόσωπον πρὸς πρόσωπον καὶ καθώς ἐστι. »

4. Ἱερὰ κατήχησις, Athenis, 1899, p. 30-31 : « Διὰ τῶν θείων λοιπὸν ἰδιωμάτων ὁρίζομεν διὰ πολλῶν ἐννοιῶν τὴν μίαν ἄγνωστον περὶ τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ ἔννοιαν. » Inde patet nostros de Dei proprietatibus et attributis conceptus esse subjectivos; objective vero Deum esse ens simplicissimum.

lumen habitat inaccessibile; quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest. Hæc essentia vero nobis innotuit per revelationem [1]. »

2° Chrestum Andrutsum, qui e Græcis nostri ævi solus compendium completum theologiæ dogmaticæ edidit. Suam sententiam de Dei attributis his verbis exprimit :

« Attributa divina (αἱ ἰδιότητες ἤτοι τὰ προσόντα τοῦ Θεοῦ) non introducunt in divinam essentiam aliquid secundarium vel accidentale, sed sunt expressiones essentiæ Dei, quæ revera identificantur cum divina essentia. Manifestum est hujusmodi proprietates non transmutare essentiam divinam in aliquid quod sit compositum ac multipartitum, quandoquidem non sunt distinctiones in ipsa Dei essentia, sed exprimunt relationes simplicis essentiæ Dei ad multitudinem entium finitorum eorumque conditionem... Vera de Dei proprietatibus doctrina sistit media inter realisticam conceptionem et nominalisticam, has proprietates habens non ut objectivas distinctiones in divina essentia, neque ut mera nomina, sed tanquam subjectivas repræsentationes realium relationum Dei infiniti ad mundum finitum... Objective consideratæ, hujusmodi proprietates, cum sint ipsa essentia Dei secundum diversos aspectus et varias relationes, ab invicem physice separari non possunt, neque quæstio moveri potest utrum sibi ipsis cognatæ sint, an se invicem excludant [2]. »

1. Ὀρθόδοξος κατήχησις, Athenis, 1881, p. 24 : « Ἐφανερώθη δὲ ἡμῖν διὰ τῆς ἀποκαλύψεως. » De objecto beatitudinis hic auctor, p. 51, obscure loquitur modosque loquendi palamiticos inscius, ut conjicimus, usurpat : « Καὶ διὰ τῆς ψυχῆς καὶ διὰ τοῦ σώματός των θέλουσιν ἀπολαύσει τοῦ φωτὸς καὶ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. » Cæterum hæc addit : « Ὁ τρόπος καθ'ὃν θέλουσιν ἀπολαύσει τῆς μακαριότητος ταύτης εἶνε ἄγνωστος εἰς ἡμᾶς. »

2. Δογματική, Athenis, 1907, p. 44, 46-47 : « Ὅτι δὲ αἱ ἰδιότητες τοῦ Θεοῦ δὲν μεταποιοῦσι τὴν θείαν οὐσίαν εἴς τι σύνθετον καὶ πολυμερές, εἶνε φανερόν. Αἱ θεῖαι ἰδιότητες δὲν εἶνε διακρίσεις ἐν τῇ θείᾳ οὐσίᾳ αὐτῇ, ἀλλ'ἐκφράζουσι τὰς σχέσεις τῆς ἁπλῆς τοῦ Θεοῦ οὐσίας πρὸς τὴν πολλότητα τῶν πεπερασμένων ὄντων καὶ τὴν κατάστασιν αὐτῶν... Ἡ ἀληθὴς θεωρία τῶν θείων ἰδιοτήτων ἔγκειται ἐν τῷ μέσῳ τῆς πραγματικῆς καὶ τῆς ὀνοματικῆς θεωρίας, μήτε ὡς ἀντικειμενικὰς διακρίσεις ἐν τῇ θείᾳ οὐσίᾳ, μήτε ὡς ψιλὰ ὀνόματα ἐκδεχομένη τὰς θείας ἰδιότητας, ἀλλ'ὡς ὑποκειμενικὰς

Hæc doctrina sane palamismo directe contradicit; in qua nihil quod reprehensionem mereatur invenerunt Andrutsi censores duo, scilicet S. Balanus et C. Dyovuniotes, Atheniensis universitatis professores. Andrutsus item a palamismo recedit circa objectum beatitudinis dicens nos post mortem habituros cognitionem immediatam essentiæ divinæ et Deum visuros sicuti est [1].

3º Palamismum in Ecclesia græca nostris diebus pæne emortuum esse exinde etiam colligitur, quod polemistæ antilatini de hac quæstione jamdudum altum servant silentium, nec Latinos amplius incusant quod distinctionem realem inter essentiam Dei et ejus operationem rejiciant [2].

III. — De theologis græcis qui palamismum sive ex toto, sive ex parte docuerunt.

Retinuit tamen palamismus in periodo moderna quosdam fideles, inter quos invenimus :

1º Damascenum Thessalonicensem monachum († 1577), qui in quodam sermone in Domini transfigurationem loquitur de operatione increata Dei ut ab ejus essentia realiter distincta, habetque lumen thaboricum ut operationem divinam increatam [3];

2º Gabrielem Severum († 1616) in suo opere *De quinque differentiis*, qui Palamæ instar, contra doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti argumentum conficit ex reali differentia inter essentiam Dei et ejus operationem : « Aliud est, inquit, divina operatio, aliud divina essentia. Operatio

παραστάσεις τῶν πραγματικῶν σχέσεων τοῦ ἀπείρου Θεοῦ πρὸς τὸν πεπερασμένον κόσμον. »

1. *Ibid.*, p. 34 : « Ἡ μὲν ἁγία Γραφὴ καλεῖ τὸν Θεὸν ἀόρατον ἐν ἀπροσίτῳ οἰκοῦντα φωτί, τὴν ἄμεσον τῆς οὐσίας αὐτοῦ γνῶσιν παραπέμπουσα εἰς τὴν πέραν τοῦ τάφου ζωήν, ἔνθα ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι. »

2. Adde quod plura theologorum russorum opera, ut, v. g., compendium theologiæ dogmaticæ Macarii, in quibus traditur doctrina palamismo opposita, græce versa sunt et in seminariis usurpantur.

3. Θησαυρός, ed. princ., Venetiis, 1570, homiliarum sylloge nostris adhuc diebus inter Græcos vulgatissima. Cf. Allatium, *De perpetua consensione*, p. 838, et ed. Venet. anni 1848, p. 133.

participatur et cognoscitur; essentia autem nec participatur nec cognoscitur [1]. »

3º Jeremiam II, patriarcham Constantinopolis, in *Responsis II et III ad Reformatos*, qui de processione Spiritus Sancti item agens, ad eamdem palamiticam distinctionem recurrit, quam contra Reformatos quibusdam argumentis statuere tentat [2], dicitque in Deo aliud esse essentiam, aliud hypostasim, aliud operationem [3];

4º Georgium Coressium in suo *Tractatu de processione Spiritus Sancti contra Latinos*, a Dositheo in Τόμῳ καταλλαγῆς edito. Hic omnes fere Palamæ theses ex professo propugnat. Hoc tamen habet sibi proprium, quod illam distinctionem quam Palamas vocabat *realem*, πραγματικήν, distinctioni *reali minori* nostrorum theologorum respondentem, nuncupat distinctionem seu *differentiam rationis :*

« Differentia differentium rerum in eadem re, inquit, *rationis differentia* vocatur, *et non rei*, ut putant Scholastici, qui differentiam (seu distinctionem) diversorum entium, quamvis hujusmodi entia sint in re eadem, appellant realem... Porro distinctio realis non est diversorum entium in eodem subjecto, sed existit inter diversa subjecta. Distinctio vero formalis versatur circa entia diversa in eadem re [4]. »

Hanc distinctionem quam vocat *rationis* vel formalem, εἰδικήν, in Deo multiplicat Coressius; siquidem existit inter essentiam et attributa, inter attributa ipsa, inter personas

1. Περὶ τῶν πέντε διαφορῶν, Constantinopoli, 1627 : Περὶ τῆς α'διαφορᾶς, p. 4-6, 9-10 : « Ἄλλο ἡ θεία ἐνέργεια καὶ ἄλλο ἡ θεία οὐσία· ἡ ἐνέργεια μετέχεται καὶ γινώσκεται· ἡ δὲ οὐσία οὔτε μετέχεται, οὔτε γινώσκεται. »

2. *Responsum II ad Tubingenses*, c. I, ed. Gedeonis Cyprii, Κριτὴς τῆς ἀληθείας, Lipsiæ, 1758, p. 134-135.

3. *Responsum III ad Tubingenses*, c. I, *ibid.*, p. 237-238 : « Ἄλλο φύσις περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, καὶ ἄλλο ὑπόστασις, καὶ ἄλλο ἐνέργεια. »

4. Τόμος καταλλαγῆς, Iasii, 1692, p. 374 : « Ἡ διαφορὰ τῶν διαφόρων ὄντων ἐν τῷ αὐτῷ πράγματι λόγου διαφορὰ κέκληται καὶ οὐ πράγματος, ὡς νομίζουσιν οἱ σχολαστικοί, ἁπλῶς τὴν διαφορὰν τῶν διαφόρων ὄντων, κἂν ᾖ ἐν τῷ αὐτῷ πράγματι, πραγματικὴν προσαγορεύοντες... Οὐκοῦν ἡ πραγματικὴ διαφορὰ οὐκ ἔστι διαφόρων ὄντων ἐν τῷ αὐτῷ ὑποκειμένῳ, ἀλλ'ἐν διαφόροις ὑποκειμένοις, καὶ ἡ εἰδικὴ διαφορὰ περὶ διαφορὰ ὄντα ἐνασχολεῖται ἐν τῷ αὐτῷ πράγματι. »

ad invicem, inter singulas proprietates hypostaticas et essentiam. Nec ideo, inquit, Deus compositus dici potest ex substantia et accidentibus. Per vocem enim *accidens* (συμβεβηκός) intelligit *accidens prædicabile*, non autem *accidens prædicamentale*, quod vocant *proprium*. Hoc expresse declarat : « In natura datur aliquid quod non est neque substantia neque accidens, scilicet *proprium* [1]. »

« Differunt, inquit, relationes a divina essentia ut entia ab ea diversa; non enim identificatur causa cum causato; secus enim divina essentia causata esset quantum ad superiorem essentiam, quæ ejus causa esset... Nullus ex sanctis Patribus dixit essentiam cum proprietate hypostatica identificari; esset enim differentia essentialis in personis, si proprietas hypostatica idem esset atque essentia [2]. »

De attributorum distinctione sermonem faciens, hæc scribit :

« Proprietates essentiales ab essentia differunt. Diversa nomina indicant diversa entia... Sunt ergo in Deo multa entia; omnia tamen in Deo *ratione differunt* (intellige : distinctione reali minori), quandoquidem divinæ essentiæ uniuntur, et non fiunt multæ hypostases; neque sunt unum ens et diversa nomina, ut ratione differre accipiunt Scholastici; siquidem alia est ratio essentiæ, alia ratio potentiæ, alia sapientiæ, etc. [3]. »

Objectionibus Scholasticorum contra hanc distinctionem realem minorem fuse respondet [4]. Deinde thesim propugnat de gratia infusa increata, necnon de donis Spiritus Sancti increatis :

« Si Spiritus Sanctus, inquit, hæc dona habet ab æterno, equidem non sunt creaturæ, et tamen non sunt essentia.

1. *Ibid.*, p. 376-377 : « Ἐν Θεῷ τὸ μὴ ὂν οὐσία προσὸν λέγεται καὶ οὐ συμβεβηκός... κἀν τῇ φύσει δίδοταί τι, ὅπερ οὔτε οὐσία ἐστίν, οὔτε συμβεβηκός, ὡς τὸ ἴδιον. »

2. *Ibid.*, 376-378, 381 : « Διαφέρουσιν αἱ σχέσεις τῆς θείας οὐσίας ὡς ὄντα ἐκείνης ἕτερα· οὐ γὰρ ταυτίζεται τῷ αἰτιατῷ τὸ αἴτιον· ἄλλως εἴη ἂν αἰτιατὴ ἡ θεία οὐσία πρὸς ἀνωτέραν οὐσίαν ὡς αἰτίαν. »

3. *Ibid.*, p. 386 : « Τὰ οὐσιώδη διαφέρει τῆς οὐσίας· διάφορα ὀνόματα δηλοῖ διάφορα ὄντα... Εἰσὶν ἄρα πολλὰ τὰ ὄντα ἐν τῷ Θεῷ, πάντα ὅμως ἐν τῷ Θεῷ λόγῳ διαφέρει, ἐπειδὴ ἑνοῦται τῇ θείᾳ οὐσίᾳ. »

4. *Ibid.*, p. 389-393.

Non enim multæ sunt essentiæ in Spiritu, sed una tantum... Ergo in Deo vel est Deus, vel divina, vel hypostatica, vel increata... Si gratia et operatio Spiritus dimittit peccata, proprium autem Dei est peccata dimittere, creata sane non erit... Si propria Spiritus sunt incommunicabilia creaturæ, quomodo creata erit Spiritus operatio, qua omnia spiritualia efficiuntur [1] ? »

Plura alia addit argumenta indolis similis. Nec minus diserte sustinet doctrinam palamiticam de objecto beatitudinis. Sancti non vident essentiam Dei, sed ejus lumen et gloriam ab essentia effulgentem. Doctrinam theologorum catholicorum docentium sanctos videre essentiam Dei *totam* sed non *totaliter*, id est *comprehensive* (καταληπτικῶς), rejicit pluribus argumentis positivis et speculativis : 1° Distinctionem Scholasticorum ignorant Scriptura et Patres; 2° Impossibile est aliquid videre et illud visu non comprehendere, sicut oculus videns album comprehendit illud album esse; 3° Quomodo quis videre possit vel intelligere et non cognoscere quod videt aut intelligit? Sunt gradus in visione beatifica; atqui essentia Dei est simplicissima et impartibilis, nec suscipere potest majus et minus. Vident ergo sancti aliud, quod non est essentia, scilicet lumen uniucusjusque meritis proportionatum; 4° Sancti videbunt Deum *sicuti est*, non simpliciter sed *secundum quid;* secus non esset differentia in beatis, si æqualiter omnes viderent. Videbunt essentiam, sed per divinum lumen, quod in beatis splendet [2].

Demum integrum caput habet de lumine thaborico increato, illud ponens inter operationes Dei quæ sunt *cum qualitate;* siquidem duplicem in Deo distinguit operationem, scilicet operationem simplicem et sine qualitate, et opera-

1. *Ibid.*, p. 395-396 : « Οὐκοῦν ἐν τῷ Θεῷ ἤ ἐστι Θεός, ἢ θεῖα, ἢ προσωπικά, ἢ ἄκτιστα... Εἰ ἡ χάρις καὶ ἡ ἐνέργεια τοῦ Πνεύματος ἀφίησι τὰς ἁμαρτίας, ἴδιον δὲ Θεοῦ τὸ ἀφιέναι ἁμαρτίας, οὐκ ἔσται πάντως κτιστή. »

2. *Ibid.*, p. 401-403 : « Πῶς δέ τις δύναται ὁρᾶν ἢ νοεῖν καὶ μὴ γινώσκειν ὃ ὁρᾷ καὶ ὁ νοεῖ; Οὐκοῦν οὐχ ὁρῶσι τὴν οὐσίαν τοῦ Θεοῦ οἱ μακάριοι, ἀλλὰ φῶς σύμμετρον τῇ ἀναλογίᾳ τῶν ἰδίων πράξεων... Λέγονται οἱ μακάριοι ὄψεσθαι ὡς ἐστὶ κατά τι... Εἰ καὶ ὄψονται τὴν οὐσίαν, ὄψονται διὰ τοῦ θείου φωτός. »

tionem cum qualitate (ἐνέργειαν μετὰ ποιότητος), ut est splendor solis. Lumen istud est increatum, et vocatur regnum Dei, facies Dei, gloria Dei, divinitas, *pars divinitatis*, lumen ineffabile, virtus divina [1]. Ut probet hoc lumen esse increatum, variis utitur rationibus, inter quas hæc occurrit :

« Si lumen istud est quid creatum in Deo, in Christo erunt non duæ naturæ sed tres, et duæ compositiones, nempe compositio ex carne et divinitate, et compositio ex Dei incarnatione et lumine creato. Fuit ergo increatum illud lumen eique simile quod beati vident [2]. »

Vides Coressium fuisse Palamitam intrepidum et in quibusdam ipsum superasse Palamam. Porro medicus erat Chiensis, et ei aliquid condonandum.

5º Ut jam diximus, sæculo XVIII palamismus in Ecclesia græca novam vitam recuperat; et eum fere locum recipit, quem sæculo XIV adeptus fuerat. Etenim, anno 1727, patriarchæ orientales aliquam fidei professionem sexdecim articulis constantem ad suos fideles miserunt, in qua palamismus ut doctrina ab omnibus tenenda et credenda proponitur his duobus articulis :

« Fideles profiteri oportet divinum lumen in Thaborio monte transfigurationis salvatoris nostri Christi et Dei creatum quidpiam non esse, sed ne meram quidem essentiam Dei — nemo enim unquam Dei naturam essentiamve vidit aut enarravit — sed increatam quamdam naturalemque effulgentiam operationemque ab ipsa divina essentia emissam, qua quidem non tota ipsius Hominis-Dei divina gloria patefacta est, sed prout a discipulis cerni poterat, quibus ut parceret, Salvator non perfectam divinamque invisibilis illius regni gloriam ostendit, ne spectatum admissi vitam amitterent (art. 9) [3]. »

1. *Ibid.*, c. XXII, p. 403-404 : « Ἐκλήθη βασιλεία Θεοῦ, καὶ πρόσωπον Θεοῦ, καὶ δόξα Θεοῦ, καὶ θεότης, καὶ μόριον θεότητος, καὶ φῶς ἀπόρρητον, καὶ θεία δύναμις, ἃ δὴ πάντα δηλοῖ τὸ ἄκτιστον. »

2. *Ibid.*, p. 407 : « Εἰ ἔστι τὸ φῶς ἐκεῖνο κτιστὸν ἐν τῷ Θεῷ, ἔσονται ἐν τῷ Χριστῷ οὐ δίτταὶ φύσεις ἀλλὰ τρίτταί, καὶ δίτταὶ συνθέσεις ἔκ τε τῆς σαρκὸς καὶ τῆς θεότητος, καὶ τῆς θεοσαρκίας καὶ τοῦ κτιστοῦ φωτός. »

3. Mansi-Petit, *Ampl. collectio concil.*, t. XXXVII, col. 901 : « Τὸ θειότατον φῶς τῆς ἐν τῷ Θαβωρίῳ ὄρει μεταμορφώσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν

« Communem Patris, Filii Spiritusque gratiam atque venturi sæculi lumen, quo et justi fulgebunt sicut sol, quemadmodum et Christus in monte lucendo præmonstravit et, ut summatim dicamus, quamlibet divinitatis in tres hypostases divisæ potentiam et operationem, et quidquid quocumque modo a natura divina differt, ea omnia increata esse profitendum est; siquidem nihil eorum quæ Deo naturaliter insunt, initium habuit (art. 10) [1]. »

6º Hujus sæculi theologi celebriores palamismo item adhærent. Ita Sevastus Kymenites († 1702), qui specialem tractatum de essentia Dei et operatione conscripsit nondum editum [2]; Vincentius Damodus in sua *Theologia dogmatica* [3], ejusque discipuli, Eugenius Bulgaris, Theophilus Papaphilus et Athanasius Pariensis. Bulgaris invehitur in multiplices distinctiones a nostris Scholasticis adinventas; ipse vero eadem fere docet ac Coressius, ponens in Deo distinctionem quam vocat ὀντοτικήν, id est in ipso ente existentem, putatque eamdem esse ac eam quam Scotus appellat *formalem a parte rei;* est autem revera distinctio realis minor nostrorum [4]. Ubi removet a Deo quodlibet accidens, συμβεβηκός, hanc vocem intelligit de accidente prædicabili, non autem de *proprio*, quod in Deo ponit :

« Deus, inquit, compositionem habet ex essentia et hypos-

Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ὁμολογεῖν ὀφείλουσι μὴ κτίσμα εἶναι, ἀλλ'οὐδὲ ἁπλῶς οὐσίαν τοῦ Θεοῦ... ἀλλ'ἄκτιστον καὶ φυσικὴν ἔλλαμψιν καὶ ἐνέργειαν δι'αὐτῆς προϊοῦσαν τῆς θείας οὐσίας. »

1. *Ibid.* : « Τὴν κοινὴν χάριν Πατρός, Υἱοῦ καὶ Πνεύματος καὶ τὸ φῶς τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, καθ'ὃ καὶ οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος... καὶ ἁπλῶς πᾶσαν δύναμιν καὶ ἐνέργειαν τῆς τρισυποστάτου θεότητος καὶ πᾶν τὸ διαφέρον ὁπωσοῦν τῆς θείας φύσεως ἄκτιστα εἶναι ὁμολογεῖν, ἅτε μηδενὸς ὄντος προσφάτου τῶν τῷ Θεῷ προσόντων φυσικῶς. »

2. Cf. Papadopulum Kerameus, *Biographia Sevasti Kymenites*, in t. XIII collectionis Hurmuzaki : *Teste greçesti privitoare la istoria romanescă*, Bucarestii, 1909, p. κά.

3. Θεολογία δογματικὴ εἰς τὴν ἁπλῆν διάλεκτον, t. I, *Tractatus I*, c. 1-10. Titulos capitum hujus operis inediti habes in Θεολογικῷ Eugenii Bulgaris, Venetiis, 1872, p. να' sq.

4. Θεολογικόν, p. 86-95 : « Εἰδικὴν ἑτερότητα καὶ ἐκ τῆς φύσεως τοῦ πράγματος προσεῖπεν ὁ Σκότος· ὀντοτικὴν δ'ἂν ἡμεῖς ὀνομάσαιμεν... Αἱ τελειότητες ἐπὶ Θεοῦ τῆς οὐσίας καὶ ἀλλήλων διαφέρουσαι, οὐ μόνον ψιλῷ λόγῳ, ἀλλ'ὀντοτικῶς, καὶ πληθύνονται καὶ διαιροῦνται », p. 93.

tasi, item compositionem ex essentiâ et attributis (τὰ προσόντα). seu coexistentiam quamdam diversarum rerum, quæ maxime extollit et commendat thesauros ejus perfectionum infinitarum, nedum ejus simplicitatem lædat [1]. »

Ad naturam gratiæ quod spectat, videtur quidem cum omnibus Palamitis admittere illam esse increatam [2]. Hoc tamen non impedit quominus dicat gratiam Christi et creatam et finitam [3]; quod doctrinæ Palamæ aperte contradicit. Disserens enim de gratia Christi post Scholasticorum nostrorum vestigia, Bulgaris theoriam de gratia increata oblivioni mandavit.

Athanasius Pariensis vult etiam esse Palamita, et haud pauca dicit, quæ Palamam redolent; verum, ubi de distinctionibus loquitur, implicatur, ita ut quid revera sentiat ægre deteges [4].

7° Sæculo XIX, Palamitam veri nominis inter Græcos vix reperimus. Atheniensis universitatis professor Zikos Rhosis, in tomo primo et unico sui *Systematis theologiæ dogmaticæ*, de Palama ne ullum quidem verbum habet; videtur tamen ad distinctionem palamiticam accedere, ubi de simplicitate Dei sermonem facit :

« Simplicitas essentiæ Dei, inquit, non est simplicitas abstracta neque omnem distinctionem in Deo tollit; *secus enim non esset in Deo realis distinctio personarum et proprietatum* (seu attributorum); sed negative quidem simplicitas divinæ essentiæ excludit tantum omnem compositionem, omnem divisionem et oppositionem in Deo; positive autem est absoluta et congrua unitas in Dei essentia personarum et proprietatum ab invicem distinctarum... Unde hæc simplicitas est talis identitas essentiæ Dei ad seipsam, quæ absoluta sit et

1. *Ibid.*, p. 95 : « Ἔχει γε μὴν τὸ θεῖον τὴν ἐξ οὐσίας καὶ ὑποστάσεως, καὶ τὴν ἐξουσίας αὖ πάλιν καὶ τῶν προσόντον σύνθεσιν. »

2. *Ibid.*, p. 284-285.

3. *Ibid.*, p. 540 : « Ἡ χάρις τοῦ θεανθρώπου κατὰ μὲν τὴν ὀντότητα οὐδαμῶς ἦν ἄπειρος· οὐδὲ γάρ ἔστι τι τῶν δημιουργουμένων κατ'ὀντότητα ἄπειρον. »

4. Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, Lipsiæ, p. 59-65, 84-99, 149-150. De Theophilo Papaphilo vide ejus Ταμεῖον τῆς ὀρθοδοξίας, p. 206-207, ubi docet regnum Dei et beatitudinem esse fruitionem divini luminis.

congrua unitas in diversitate, id est in reali distinctione personarum et attributorum [1]. »

Cæterum iste theologus verbosus est, claritate carens; qui non bene digessisse videtur ea heteroclita multa, quæ apud philosophos et theologos Germaniæ invenit.

Palamæ et palamismi historicus recens, Gregorius Papamikhaïl, huic theologiæ, quam altius nequaquam investigavit, omnino suffragari videtur [2].

IV. — De officio Dominicæ Orthodoxiæ apud Russos necnon de doctrina theologorum Russorum circa theses palamiticas.

Diximus supra [3] metropolitam Kioviensem tomos palamiticos a patriarcha œcumenico post concilium anni 1351 ad se missos primum respuisse et confutasse; quantum vero tempus duraverit hæc Ecclesiæ russicæ repugnantia adversus publicam orthodoxiam Constantinopoli receptam, ignoramus. Unum tantum certum est, videlicet triodia slavica antiquissima, inter quæ primum venit *cod. 667 bibliothecæ synodalis Mosquensis*, sæculo XV non prior, illis anathematismis officii Dominicæ Orthodoxiæ carere quibus hæreses byzantinæ post sæculum IX ortæ profligantur, vel ad eas tantum breviter alludere hæreticorum nomina referendo. In non paucis triodiis, hæreticorum byzantinorum nomina supplentur mentione quorumdam hæreticorum russorum. Ut

1. Σύστημα δογματικῆς τῆς ὀρθοδόξου καθολικῆς Ἐκκλησίας, Athenis, 1903, p. 309 : « Εἶνε τοιαύτη ταυτότης τῆς οὐσίας τοῦ Θεοῦ πρὸς ἑαυτήν, ἥτις εἶνε ἀπόλυτος ἁρμονικὴ ἑνότης ἐν ἑτερότητι, ἢ ἐν πραγματικῇ διακρίσει ὑποστάσεων καὶ ἰδιωμάτων. » Cf. p. 300, 302.

2. Ὁ ἅγιος Γρηγόριος Παλαμᾶς ἀρχιεπίσκοπος Θεσσαλονίκης, Petropoli et Alexandriæ, 1911. Notandum est cultum Gregorii Palamæ semper viguisse et adhuc vigere inter Græcos, quamvis plerique theologi ejus doctrinæ valedixerint; de quo vide opus Francisci Richardi, S. J., inscriptum : *Relation de ce qui s'est passé de plus remarquable à Sant-Erini (Santorin), île de l'Archipel, depuis l'établissement des Pères de la Compagnie en icelle*, Parisiis, 1657. Narrat hic missionarius cultum Palamæ ejusque doctrinam conversioni Græcorum dissidentium ad catholicam fidem haud parum obstitisse.

3. Vide, p. 131-132.

totam ἀκολουθίαν Dominicæ Orthodoxiæ, prout in triodiis græcis legitur, invenias, triodia slavica typis impressa adire debes, quæ ultra sæculum XVII non repetuntur.

Nec ista diu in usu fuere. Sæculo enim XVIII mediante, eo tempore scilicet quo palamismus in Ecclesia græca reflorescebat, Russi, Græcis inconsultis et insciis, officium Dominicæ Orthodoxiæ ex toto mutarunt ac novum promulgarunt. Jam anno 1749, synodo Mosquensi rogante, Gabriel, Krutitzæ metropolita, novum officium concinnare jussus est; qui anno 1752 suum opus Synodo Dirigenti approbandum obtulit. Porro non placuit ejus recognitio, quod prolixior erat et gentilium hæreticorum nomina omnia retinebat. Unde anno 1766, Mosquensis synodus altera, die 23 martii adunata, omnia Dominicæ Orthodoxiæ officia, sive manuscripta, sive impressa colligere jussit, et Gabrieli, Tverensi episcopo, novam redactionem conscribendi curam mandavit. Hæc vero, paucis mutatis, a Synodo Dirigente, die 8 decembris, anno 1766, approbata est; quam anno sequenti, die 19 februarii, Catherina II imperatrix sua auctoritate obfirmavit. Novum officium mox typis mandarunt, hunc præferens titulum : *Posliedovanie v nedieliu pravoslaviia (Officium pro Dominica Orthodoxiæ)*. Brevissimum autem erat; siquidem in locum eorum plurimorum ac longorum anathematismorum, quibus constat Græcorum *Synodicon*, suffecti sunt duodecim anathematismi prorsus novi ac brevissimi, in quibus nulla hæreticorum nomina occurrunt, si excipias nomina duorum seditiosorum, Otrepiev scilicet et Mazepæ [1]; nec ullo verbo alluditur ad hæresim Barlaami et Acindyni, vel ad doctrinam Gregorii Palamæ [2].

Hac via palamismus ex Ecclesia russica expellebatur; non penitus tamen, quandoquidem hæc Ecclesia festum Gregorii Palamæ, quod incerto tempore receperat, una cum officio a Philotheo composito retinuit et adhuc celebrat. Ejus vero

1. Hæc duo nomina ipsa in editione anni 1869 expuncta sunt.
2. De officio Dominicæ Orthodoxiæ apud Russos vide A. Petrovskii, art. *Anathema*, in *Pravoslavnaia bogoslovskaia entsiklopediia* A. Lopukhin, t. I, Petropoli, 1900, p. 679-700; Nic. Grigorovitch, *Rescripta Catharinæ II summo procuratori Synodi Iv. Ivanovitch Mellisseno*, in commentario *Russkii archiv*, t. VIII (1870), p. 751-757.

theologi, inde jam a sæculi XVII fine palamismum ignorarunt eique aperte in suis scriptis contradixerunt. Scimus enim theologos Academiæ Kioviensis sancti Thomæ doctrinam de essentia Dei et ejus attributis docuisse [1]. Qui vero sæculo XVIII Theophanis Procopovitch vestigiis inhæserunt, de Palamæ thesibus nullatenus curant, neque ipsum Palamæ nomen pronuntiant. En, v. g., ea quæ Theophylactus Gorskii habet de Dei attributis :

« Sciendum est omnia attributa Dei tam inter se quam cum essentia Dei esse re ipsa idem, ita ut unumquodque de alio, et unumquodque de essentia Dei, et vicissim essentia Dei de unoquoque eorum prædicari possit, veræque sint enuntiationes istæ : Sapientia Dei est ipse Deus — Sapientia Dei est Dei omnipotentia, etc... Eadem Dei attributa non de essentia Dei tantum, sed et de singulis personis prædicari in recto possunt, ita ut verum sit dicere : Deus Pater est divina sapientia; Deus Filius est divina sapientia, etc. Hinc consequitur personas divinas, quatenus inter se tantum, non autem ab essentia Dei distinguuntur, non distingui etiam ab attributis divinis [2]. »

Nihil sane apertius palamismo adversatur quam verba hujusmodi. Eadem doctrina occurrit in compendio Sylvestri Lebedinskii, et quidem iisdem fere verbis [3], quibus hæc insuper addit :

« Attributa divina, prout conceptibus nostris formantur, multiplicia sunt et a se invicem differentia, sed prout in Deo sunt, ab eo non differunt; unica enim essentia divina omnes illas perfectiones in se complectitur, sive est quælibet earum eminenter... Nihil est in Deo quod non sit Deus [4]. »

Compendia classica sæculo XIX composita ab hac doctrina non recedunt. Ita in compendio Antonii Amphiteatrov, cujus editio græca habetur, hæc legimus :

« Nulla realis proprietatum distinctio in Deo locum habet; nos vero, præ nostri intellectus infirmitate, diversas pro-

1. Cf. Vichnevskii, *op. cit.*, p. 217-218.
2. *Orthodoxæ orientalis Ecclesiæ dogmata*, ed. Petrop., 1818, p. 77.
3. *Compendium theologiæ classicum*, Mosquæ, 1805, p. 113.
4. *Ibid.*, p. 112, 805.

prietates in eo distinguimus. Ipse autem est perfecta unitas et identitas, purissimus et simplicissimus spiritus [1]. »

Et ubi de beatitudinis essentia agitur; expresse dicitur sanctos in cælo *videre Dei essentiam* [2].

De essentia et attributis divinis loquens, Macarius Bulgakov, sicut et catholici theologi, viam mediam tenet inter realismum et nominalismum, quos habet ut duo extrema vitanda. In quadam nota, quasi per transennam dicit realismum propugnatum fuisse in Occidente, sæculo XII, a Gilberto Porretano, in Oriente vero, sæculo XIV, *a quibusdam monachis Athonensibus;* et lectorem remittit tum ad duas homilias Palamæ de Domini transfiguratione, tum ad opera Manuelis Calecæ et Joannis Cyparissiotæ [3]. Vides quam parvi faciat Palamam et Palamitas. Eadem summatim habet in *Enchiridio dogmaticæ theologiæ* a Neophyto Paghida græce verso et inter Græcos vulgato [4]. Totam suam doctrinam his duabus propositionibus contrahit :

1. Essentia et proprietates Dei essentiales ab invicem non distinguuntur, nec distinguuntur inter se in re ipsa, sed, e contra, unum quid in Deo constituunt.

2. Essentia et proprietates essentiales Dei non distinguuntur, nec distinguuntur inter se in re ipsa; distinguuntur tamen in conceptibus nostris; unde non sunt sine fundamento in Deo ipso, ita ut notio unius proprietatis non sit simul notio essentiæ vel notio alius cujuscumque proprietatis [5].

Ad gratiam quod attinet, idem Macarius nihil habet quod palamismum redoleat, sed in omnibus fere loquitur ut Catholicus. De essentia vero beatitudinis dicit : « Justi videbunt

1. *Dogmatica theologia*, ed. græca Valliani, Athenis, 1858, § 22, p. 72 : « Οὐδεμία ἐν αὐτῷ ἔργῳ διαίρεσις τῶν ἰδιοτήτων, ἀλλὰ μόνον ἡμεῖς, διὰ τὴν ἀσθένειαν τοῦ ἡμετέρου νοός, διακρίνομεν ἐν αὐτῷ διαφόρους ἰδιότητας. »

2. *Ibid.*, § 388 : « Ὀψόμεθα τὴν θείαν αὐτοῦ οὐσίαν μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. »

3. *Pravoslavno-dogmaticeskoe Bogoslovie*, t. I, ed. 4, Petropoli, 1883, p. 144-145.

4. Ἐγχειρίδιον τῆς δογματικῆς θεολογίας, Athenis, 1882, p. 29, 60, 312-315.

5. *Pravosl.-dogm. Bogoslovie*, p. 145, 147.

facie ad faciem solum verum Deum in ejus triplici hypostasi [1]. »

Sylvester Malevanskii cum Macario omnino consentit, doctrinamque sancti Thomæ Aquinatis de essentia Dei ejusque attributis expresse laudat [2]. Quædam alia compendia de hac quæstione non ita clare tractant; nihil tamen habent quod palamismum in memoriam revocet [3].

V. — De theologis qui de essentia æternæ beatitudinis ambigue loquuntur.

Inter quæstiones circa quas inter se nunquam plene consenserunt theologi byzantini et græco-russi, illa est quæ beatitudinis supernaturalis objectum respicit. Vidimus Palamam ejusque discipulos sanctis denegasse visionem ipsius essentiæ divinæ necnon trium personarum Trinitatis. Eamdem doctrinam negativam tenuerunt alii tum ante, tum post Palamam, quin palamismo imbuti dici possint, et hoc propter quædam dicta Scripturæ et Patrum antiquorum de invisibilitate et incomprehensibilitate Dei. Ita, ante Palamam, sæculo XII, Michael Glykas in *capite theologico LIX* hæc habet :

« Bona illa, *quæ oculus non vidit*, etc., nihil aliud esse dicuntur, ut didicimus, quam cum Domino esse et ejus gloriam pro cujusque merito contemplari; inde enim illam ineffabilem lætitiam in anima experiuntur [4]. »

In *capite LXXXVII* directe impugnat « eos qui dicere non dubitarunt nos cognituros esse accurate (μετ'ἀκριβείας) essentiam Dei, quando venerit quod perfectum est. Ejus sententia est divinam essentiam manere omnino inaccessam etiam angelis et sanctis in cælo, Domino in Evangelio dicente :

1. *Ibid.*, t. II, p. 663-664.

2. *Op. cit.*, t. II, Kioviæ, 1892, p. 6 sq. et 55-56.

3. Cf. Philaretum Gumilevskii, *op. cit.*, t. I, p. 36-38, qui de essentia et attributis obscure loquitur. Inter errores tamen refert doctrinam Gilberti Porretani, quæ Palamæ sententiæ affinis est. Barlaamo tribuit purum nominalismum.

4. S. Eustratiades, Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς κεφάλαια, t. II, Alexandriæ, 1912, p. 228 : « Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ οἶδε... οὐδέν τι ἕτερον εἶναι λέγονται, ὡς ἐμάθομεν, ἀλλ'ἢ τὸ συνεῖναι τῷ Κυρίῳ καὶ τὴν αὐτοῦ δόξαν ἕκαστον ἀναλόγως θεωρεῖν. » Cf. p. 222 et 225.

« Nemo novit Patrem nisi Filius, et nemo novit Filium nisi Pater [1]. » Recitat etiam quosdam locos sancti Gregorii Nazianzeni et sancti Joannis Chrysostomi.

In periodo moderna quosdam auctores etiam invenimus de eadem quæstione obscure loquentes, vel aliqua ex parte palamismo faventes. Ita *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ prout jacet post Meletii Syrigi correctiones, quem Palamitam fuisse suspicamur. In *quæstione* CXXVI *primæ partis*, beatitudo sanctorum his verbis describitur :

« Lætitia ista et exsultatio non alia erit quam *beatæ Trinitatis contemplatio* et spiritualis chorus una cum angelis agitandus, ut dicit Apostolus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate*, etc. Quamvis dictum sit ad Moysen : *Non potest homo videre faciem meam et vivet*, hoc intelligendum est ante redemptionem, et de corpore hoc corruptibili et nondum glorificato necnon de præsenti vita. Post redemptionem vero, in corpore glorificato, in vita æterna futura, post extremi judicii diem, *lumen gloriæ a Deo dabitur nobis, per quod Dei lumen videbimus*, quemadmodum dicit Psaltes : *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen ;* quo viso omne desiderium sapientiæ ac omnis bonitatis cessabit. In contemplatione enim summi boni cætera omnia bona continentur, bonique illius fruitio omnis lætitiæ complementum est, ut idem Psaltes dicit : *Satiabor, cum apparuerit gloria tua* [2]. »

Istum locum ad suam sententiam trahere Palamitæ satis facile possent. Sunt tamen quædam quæ ei repugnare videntur, ut : *contemplatio beatæ Trinitatis;* item, lumen gloriæ de quo est sermo videtur, esse aliquid creatum animæ infusum ac superadditum; Palamas vero et lumen quo videtur et lumen visum dicebat increata et æterna. Sunt etiam in *Confessione orthodoxa* quædam alia quæ cum genuino pala-

1. *Ibid.*, p. 388-392 : « Αλλ'οὐ δὴ καὶ αὐτὴν ἐννοῆσαι τὴν θείαν οὐσίαν ὁπωσοῦν ἀξιωθήσονται... 'Αλλὰ καὶ οὕτως οὐκ ἂν τὴν θείαν οὐσίαν ἐπιγνῶναι δυνηθείη τίποτε ἄρα κατὰ φύσιν ἐστί. »

2. Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 202-203. Cf. Malvy-Viller, *La confession orthodoxe de Pierre Moghila, métropolite de Kiev. Texte latin inédit*, Parisiis, 1927, p. 72 : « Θέλει δοθῇ ἀπὸ τὸν Θεὸν φῶς εἰς ἡμᾶς μὲ τὸ ὁποῖον θέλομεν ἰδεῖν τὸ φῶς τοῦ Θεοῦ. »

mismo componi non possunt. In *quæstione* VIII, *I p.*, natura Dei cujuslibet creaturæ cognitioni, angelis non exceptis, impervia dicitur [1]. Hoc autem in sensu Palamæ non esse intelligendum inde colligitur, quod in *q.* XI *ejusdem partis* singula Dei attributa seu idiomata pronuntiantur incomprehensibilia, ἀκατάληπτα, sicut et Deus ipse seu essentia divina [2]. Palamas vero dixit essentiam Dei esse incomprehensibilem, comprehensibiles vero ejus operationes et proprietates. Item, quæ de gratia divina in *Confessione* occurrunt illam aliquid creatum esse insinuant [3].

Catechismus Philareti docet essentiam Dei superare cognitionem non solum hominum, sed etiam angelorum; quod omnino vagum est et indeterminatum. Obscuritate etiam laborant ea quæ habet de beatitudinis essentia : Beatitudo « oritur ex *contemplatione Dei in lumine et gloria*, necnon in conjunctione cum ipso. » De gloria autem corporis hæc habet : « Corpus glorificabitur lumine divino, ut corpus Christi tempore transfigurationis ejus in monte Thabor [4]. » Hæc sane quodam colore palamitico induuntur, quamvis nullibi appareant ea quæ ad palamismi essentiam pertinent.

Palamita non est N. Malinovskii. Docet tamen Deum in sua essentia manere semper omnino absconditum et incomprehensibilem etiam beatis in cælo [5]; quod quidem verum est, si agatur de perfecta comprehensione, non vero de simplici visione, quæ plus minusve perfecta esse potest. Ambages hujusmodi apud quosdam theologos dissidentes ideo occurrunt, quod non clare distinguunt inter visionem et comprehensionem proprie dictam, inter cognitionem Dei viribus naturæ perviam et ejusdem cognitionem in ordine supernaturali.

1. *Ibid.*, p. 62 : « Μὰ τί νὰ εἶναι ὁ Θεὸς εἰς τὴν φύσιν του, τοῦτο εἶναι ἀδύνατον νὰ γνωρισθῇ ἀπὸ κἂν ἕνα κτίσμα ὄχι μόνον ὁρατόν, ἀλλὰ καὶ ἀόρατον, ἤγουν καὶ ἀπ'αὐτοὺς τοὺς ἀγγέλους. »

2. *Ibid.*, p. 68 : « Καθὼς ὁ Θεὸς εἶναι ἀκατάληπτος, ἔτζη καὶ τὰ ἰδιώματά του εἶναι ἀκατάληπτα. »

3. Cf. I p., q. XCVIII; II p., q. I. *Ibid.*, p. 170, 203.

4. *Prostrannyi Khristianskii katikhizis*, ed. Mosq., 1916, *ad artic. 12 Symboli*, p. 65.

5. *Ocerk pravoslavnago dogmaticeskago bogosloviia*, t. I, Kamenetz-Podolsk, 1904, p. 538, 539.

ARTICULUS XIV

Conclusio ex historia palamismi dimanans.

Controversia palamitica in suo objecto directe considerata haud magni momenti esse multis forte videbitur. Systema enim palamiticum sub philosophico et theologico aspectu satis frivolum est atque puerile, cum Deum sibi effingat ad modum creaturæ sitque anthropomorphismi aliqua species. Si vero eadem controversia ex consequentiis, quæ pro Ecclesia græco-russica ex ea sponte oriuntur, mature perpendatur, gravis omnino æstimabitur nec illa longa per singula expositione indigna, qua in præcedentibus articulis eam prosecuti sumus. Etenim ex omnibus quæ relata sunt clarissime constat byzantinam et græco-russicam Ecclesiam manifestæ variationis in re dogmatica exemplum dedisse et adhuc omnibus exhibere.

Ex una namque parte in publicis officiis liturgicis solenni ritu anathema dicit iis omnibus, qui præcipua theologiæ palamiticæ capita non recipiunt, nec minus solenni ritu miris effert laudibus Gregorium Palamam, hujus theologiæ doctorem; ex altera vero parte, doctrinam thesibus palamiticis aperte contradicentem in scholis suis theologicis, immo in catechismis tradi non solum patitur ac permittit, sed etiam directe approbat, cum catechismos et theologiæ dogmaticæ compendia, in Russia præsertim, absque prævia permissione et approbatione auctoritatis ecclesiasticæ edere nequeant. Caret ergo ista Ecclesia illa infallibilitatis prærogativa in docendo, qua Christus Ecclesiam a se fundatam instruxit, atque tum novæ fidei definitioni veri nominis ferendæ, tum jam latæ diu servandæ et omnibus imponendæ impar omnino deprehenditur.

Ut ab illa variationis criminatione non solum in palamitica quæstione, sed etiam in multis aliis Ecclesiam suam purgarent, quidam theologi græco-russi nostri temporis hoc effugium adinvenerunt, ut dicerent solas septem priorum conciliorum œcumenicorum definitiones infallibiles esse et tanquam dogmata proprie dicta habendas esse, omnia vero

posteriorum conciliorum decreta inter theologumena seu opiniones theologicas deputanda esse; verum hujusmodi excusatione, quam ex illis multi nullo pacto probare volunt, Ecclesiæ græco-russicæ infallibilitas nequaquam in tuto ponitur ac revera salvatur, sed exinde recte concluditur hanc Ecclesiam jam a sæculo octavo infallibili magisterio de facto privari et omni vento doctrinæ obnoxiam esse, ita ut in eamdem recidamus conclusionem, scilicet Ecclesiam græco-russicam fundamentali veræ Ecclesiæ proprietate carere, et ideo pro Ecclesia a Christo fundata haberi non posse.

Totam hanc palamismi historiam attente consideranti aliud quid mentem subit : Notum est quanta cum acrimonia, quanta cum arrogantia, quanto cum contentionis spiritu polemistæ byzantini, inde a Michaele Cærulario, in Latinos catholicos invecti sint ob illius *Filioque* additamentum ad symbolum, ob azymorum usum aliaque adhuc futiliora, et ob ista omnium Ecclesiarum primam, nempe Romanam, hæreseos insimulare non dubitaverint. Verum, quid nugæ hujusmodi præ lapsu in palamismum, quem sæculo XIV mediante Ecclesia byzantina lamentabiliter passa est? in palamismum, qui ipsam Dei rectam notionem graviter lædit omniumque errorum monstris latam aperit viam? Forsitan, fratrum dissidentium pace opinari licebit ideo Deum hujusmodi lapsum permisisse, ut illorum polemistarum temeritati et arrogantiæ mederetur, sicque a calumniosis dicteriis in omnium Ecclesiarum matrem desisterent atque salutari humiliatione ad unitatis catholicæ centrum se converterent. Quod si hoc divinum consilium hominum malitia effectu suo hactenus caruit, illum utique in posteris etiam nunc adipisci potest, quandoquidem veteris lapsus publica ac manifesta adhuc vestigia manent.

CAPUT TERTIUM

DE OPERATIONIBUS DIVINIS

Prænotamina.

Ex iis, quæ apud theologos byzantinos de divinis operationibus occurrunt, ea potissimum mentionem merentur quæ tum ad præscientiam futurorum liberorum, tum ad providentiam et prædestinationem spectant. Circa providentiam, ut supra diximus, specialem quæstionem movere consueverunt Byzantini de vitæ termino, id est de tempore et genere mortis cujusque hominis; ad quam solvendam haud pauca scripserunt satis obscura et implicata de relatione inter præscientiam et providentiam seu prædefinitionem omnium rerum in mente divina; quæ pro posse clare exponere tentabimus.

Ad easdem quæstiones de præscientia et providentia referuntur etiam ea, quæ de Græco-Russorum modernorum doctrina proferre habemus. Fere nihil nobis exhibent notatu digna theologiæ dogmaticæ compendia hodie usitata; siquidem eorum auctores omnes quæstiones scholasticas variaque systemata apud nostros vulgata de industria prætereunt, eaque tantum habent quæ in catechismis explicatioribus invenire est. Quæstiones vero scholasticas tetigerunt quidam theologi qui sæculis XVII et XVIII vixerunt, nec abs re erit eorum opiniones referre.

Ut jam diximus, quæstionem de prædestinatione proprie dicta ad tractatum de gratia Christi remittimus. Quædam tamen huc spectantia ex necessitate jam adducemus, cum prædestinatio intime connectatur tum cum futurorum liberorum præscientia, tum cum providentia, concursu et gubernatione divina. Capiti quinque damus articulos, scilicet :

1º De præscientia divina juxta theologos epochæ byzantinæ ;

2º De præscientia divina apud Græco-Russos modernos;

3º De relatione præscientiæ divinæ ad prædestinationem et providentiam;

4º De vitæ termino seu : Utrum tempus et modus mortis cujusque hominis a Deo prædefinita fuerint;

5º De concursu divino.

ARTICULUS PRIMUS

De præscientia divina juxta theologos byzantinos.

Deum omnia scire, omnia prævidere, etiam futura libera et secretissimas creaturarum intellectualium cogitationes ac volitiones, uno ore post sacram Scripturam et Patres docent theologi byzantini. Si vero ab illis quæras quomodo Deus omnia sciat, per sanctum Joannem Damascenum tibi respondent :

« Omnia priusquam fierent contuitus est, ante omne tempus ea cogitatu complectens, resque omnes præfinito tempore efficiuntur secundum ejus cogitationem cum voluntate conjunctam, quæ tempori non subest, estque *præfinitio* et imago et exemplar [1]... Sunt in Deo imagines et exempla rerum ab ipso producendarum, nempe consilium ipsius æternum, quod eodem modo semper se habet; siquidem immutabilis Deus omnino est, in quo nulla est transmutatio, aut vicissitudinis obumbratio. Has porro imagines et hæc exempla *præfinitiones* appellat sanctus Dionysius... In Dei enim consilio omnia ab ipso præfinita atque infallibiliter futura, priusquam fierent, haud aliter expressa erant ac si quis, domum ædificare cupiens, mente prius imaginem figuramve ejus effingat [2]. »

1. *De fide orthodoxa*, l. I, c. IX, *P. G.*, t. XCIV, col. 837 A : « Ἐθεάσατο πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ἀχρόνως ἐννοήσας, καὶ ἕκαστον κατὰ τὴν θελητικὴν αὐτοῦ ἄχρονον ἔννοιαν, ἥτις ἐστὶ προορισμὸς καὶ εἰκὼν καὶ παράδειγμα, ἐν τῷ προορισθέντι καιρῷ γίνεται. »

2. *De imaginibus oratio I*, 10, *P. G.*, *ibid.*, col. 1240-1241 : « Εἰσὶ δὲ ἐν τῷ Θεῷ εἰκόνες καὶ παραδείγματα τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἐσομένων, τουτέστιν ἡ βουλὴ αὐτοῦ ἡ προαιώνιος, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἔχουσα... Ἐν γὰρ τῇ βουλῇ

Hæc æterna atque universalis Dei cognitio specialem præ se fert difficultatem quantum ad libertatem creaturarum. Ut ostendant præscientiam divinam minime lædere hanc libertatem, Byzantini solemne habent repetere formulam apud sanctum Joannem Damascenum item sæpe occurrentem, quam ipse ab antiquis Patribus græcis mutuatus est : *Futura libera non ideo in tempore fiunt quia Deus ea ab æterno præscivit, sed ideo Deus ea præscivit quia futura erant*, supposito utique decreto creationis creaturarum libero arbitrio donatarum. Aliis verbis : *Præscientia Dei non est causa liberæ electionis creaturæ, sed electio libera creaturæ est potius causa præscientiæ divinæ*, quatenus scilicet Deus sua infinita virtute cognoscitiva ab æterno vidit liberas creaturarum intellectualium electiones. Hoc expresse docet et explicat Damascenus; hoc post ipsum repetere solent theologi byzantini.

Hujus autem conceptionis fundamentum est notio libertatis creatæ quam sibi effingunt. Juxta illos, libertas creaturæ in hoc præcise consistit quod creatura libero arbitrio donata est causa *vera, principalis* ac *primordialis* propriæ electionis in se consideratæ, seu *actionis liberæ quatenus tali vel tali qualitate afficitur*, id est quatenus est bona vel mala. Potest quidem voluntas libera a gratia Dei præveniri, invitari, excitari, allici ad bonum eligendum, et revera a gratia, quam Deus omnibus offert, ad hoc invitatur, excitatur, allicitur; non tamen ad hanc boni electionem a gratia divina infallibiliter prædeterminatur ac præmovetur, sed ab ipsa voluntate ultimo pendet, ut gratiæ prævenienti consentiat, vel ab ea recedat et in contrarium convertatur. Quando eligit bonum, hoc non facit absque *cooperatione* (συνεργία) gratiæ divinæ; quando vero malum eligit, hoc ab ipsa tantum procedit, absque ulla Dei cooperatione ad hanc electionem ut sic. Potuisset tamen, si voluisset, bonum eligere; et tunc gratia Dei ei adfuisset ad cooperandum. Deus enim est omnis boni principium et causa, et citra illius cooperationem et auxilium impossibile est nos bonum velle vel facere. Quod

αὐτοῦ ἐχαρακτηρίζετο πάντα τὰ ὑπ'αὐτοῦ προωρισμένα καὶ ἀπαραβάτως ἐσόμενα, πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ὥσπερ εἴ τις βούλοιτο οἰκοδομῆσαι οἶκον, ἀνατυποῖ καὶ εἰκονίζει πρῶτον τὸ σχῆμα κατὰ διάνοιαν. »

autem de facto in præsenti rerum ordine eligit in tempore hic vel ille, hoc Deus per infinitam virtutem suam cognoscitivam ab æterno vidit, et juxta hanc visionem seu præcognitionem suæ providentiæ consilium erga unumquemque nostrum ordinavit. Hanc veram eorum mentem esse ex sequentibus textibus patebit :

« Scire oportet, ait Damascenus, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire seu prædeterminare. Præscit enim ea quæ in nostra sunt potestate, ea autem non prædeterminat. Non enim malitiam patrari vult, nec ad virtutem cogit. *Unde prædeterminatio est opus divinæ jussionis cum præscientia conjunctæ. Porro Deus ea, quæ nostri arbitrii non sunt, præfinit secundum suam præscientiam.* Etenim secundum suam præscientiam jam omnia præelegit seu prædecrevit Deus pro sua bonitate et justitia. *Illud quoque sciendum virtutem naturæ nostræ divinitus inditam esse, Deumque ipsum omnis boni principium et causam esse, et citra ipsius cooperationem et auxilium nec bonum velle nec illud facere possumus. Cæterum penes nos est vel in virtute perstare Deumque ad eam vocantem sequi, vel a virtute recedere*, hoc est, in vitio hærere et diabolum, qui nulla vi injecta ad illud nos vocat, ducem sequi [1].

« Postquam Deus prævidit quæ libere ac sponte acturi sumus, id est ea quæ in nostra potestate sita sunt, virtutem dico et vitium, prædeterminat ea quæ a nobis minime pendent. *Ac vis quidem potentis Dei præcognoscitiva causam ex nobis nequaquam habet; quod autem præcognovit ea quæ facturi sumus, hoc a nobis provenit; nisi enim facturi essemus, ne ipse quidem quod futurum non esset, præcognosceret. Porro Dei præscientia certa et infallibilis est; sed ipsa non est causa*

1. *De fide orthodoxa*, l. II, c. xxx, *P. G.*, *ibid.*, col. 969-973 : « Χρὴ γινώσκειν, ὡς πάντα μὲν προγινώσκει ὁ Θεός, οὐ πάντα δὲ προορίζει. Προγινώσκει γὰρ τὰ ἐφ'ἡμῖν, οὐ προορίζει δὲ αὐτά... ὥστε τῆς θείας προγνωστικῆς κελεύσεως ἔργον ἐστὶν προορισμός. Προορίζει δὲ τὰ οὐκ ἐφ'ἡμῖν κατὰ τὴν πρόγνωσιν αὐτοῦ... Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι ἡ μὲν ἀρετὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐδόθη ἐν τῇ φύσει, καὶ αὐτός ἐστι παντὸς ἀγαθοῦ ἀρχὴ καὶ αἰτία, καὶ ἐκτὸς τῆς αὐτοῦ συνεργίας καὶ βοηθείας ἀδύνατον ἀγαθὸν θελῆσαι ἢ πρᾶξαι ἡμᾶς. Ἐφ'ἡμῖν δέ ἐστιν ἢ εμμεῖναι τῇ ἀρετῇ καὶ ἀκολουθῆσαι τῷ Θεῷ πρὸς ταύτην καλοῦντι, ἢ ἀποιφοιτῆσαι τῆς ἀρετῆς. »

cur omnino fiat id quod futurum est; quin potius, quia hoc vel illud acturi sumus, ideo prænoscit. Multa autem prænoscit quæ ipsi minime grata sunt, quorumque propterea minime auctor est. Sicut nec medicus idcirco morbi causa est, quia futurum prænovit, ut quis in morbum incidat; sed ægrotatio quidem ab alia causa profiscicitur, quæ morbum parit; medici vero præscientia ex ipsius arte oritur; ita id quoque quod a nobis futurum est, ex Deo causam non habet, sed causa est libera nostra voluntas. Atque libertas haud quaquam mala est, si veluti nobis et ad quem usum concessa est, ea utamur.

« Quod autem prænoscat Deus, id præscienti ejus potentiæ adscribendum est [1]. »

Damasceni effatum de præscientia divina apud Photium invenimus; in *Quæstione enim* XCVII *ad Amphilochium* hæc habet :

« Non ideo fit aliquid, quia hoc prævisum fuit vel prædictum; sed quia libero arbitrio ea acturi erant mali quæ non debuissent, ideo infallibilem ac omnia inspicientem Dei oculum aufugere non potuerunt. Unde beatus Petrus non quia Dominus prædixit, ideo abnegavit, sed quia in abnegationem delapsurus erat, ideo Magister et præscivit et palam prædixit [2]. »

Michael Psellus, philosophus doctissimus, docet Deum secundum propriam facultatem novisse quæ fiunt et quæ futura sunt; hanc autem Dei scientiam res non mutare : Adam, inquit, propria electione in sinistram partem inclinavit, ejusque electio quoad nos indefinita erat; Deus vero

1. *Dialogus contra manichæos*, 79, *P. G.*, t. XCIV, col. 1577 : « Καὶ ἡ μὲν προγνωστικὴ δυνατοῦ Θεοῦ οὐκ ἐξ ἡμῶν ἔχει τὴν αἰτίαν· τὸ δὲ προγνῶναι ἃ μέλλομεν ποιεῖν, ἐξ ἡμῶν· εἰ γὰρ μὴ ἐμέλλομεν ποιεῖν, οὐδὲ αὐτὸς προεγίνωσκε, καὶ μὴ ἐσόμενον. Καὶ ἡ μὲν πρόγνωσις τοῦ Θεοῦ ἀληθής ἐστι καὶ ἀπαράβατος, ἀλλ'οὐκ αὐτή ἐστιν ἡ αἰτία τοῦ γενέσθαι πάντως τὸ ἐσόμενον· ἀλλ'ὅτι μέλλομεν ποιεῖν τόδε ἢ τόδε προγινώσκει. Προγινώσκει δὲ πολλὰ ἃ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ἀρεστά, καὶ οὐκ αὐτὸς αἰτία τούτων. »

2. *P. G.*, t. CI, col. 612 : « Οὐ γὰρ διότι προέγνωσται ἢ προείρηται, διὰ τοῦτο διαπέπρακται, ἀλλ'ἐπεὶ αὐθαιρέτῳ κρίσει πράξειν ἔμελλον ἃ μὴ ὤφειλον, τὸ ἀλάθητον καὶ πανεπίσκοπον ὄμμα τοῦ Θεοῦ λαθεῖν οὐκ ἔσχον τὸ δύνασθαι. »

definite noverat quod indefinitum erat [1]. Nihil ei indefinitum est; ejus vero cognitio non est causa eorum quæ fiunt [2].

Eamdem doctrinam luculente exponit Nicolaus Methonensis in tribus dissertationibus *De vitæ termino*, ubi specie et verbis tantum, non autem re et sententiis sancto Joanni Damasceno contradicere videtur. Docet enim, sicut et Psellus, omnia quæ fiunt, sive sint necessaria, sive sint contingentia, ut futura libera, item possibilia omnia, Deo et in Deo definita esse seu præfinita. Omne enim quod sub cognitionem cadit, quod cognoscibile est, definitum sit, habeat suum ὅρον, id est suum terminum, suum limitem, suam definitionem, oportet; siquidem quod omnino indefinitum est, etiam quantum ad cognitionem, est merum nihil. Unde, sicut omnia Deo præcognita sunt, ita etiam ipsi omnia præfinita sunt; quod primo adspectu cum verbis Damasceni supra relatis pugnare videtur. Hæc autem contradictio in superficie est et tota in verbis, quandoquidem Nicolaus duplicem distinguit præfinitionem seu prædeterminationem, eam scilicet quæ in ordine mere ideali exstat et ad solam præcognitionem seu præscientiam spectat, atque eam quæ, præter præscientiam, includit etiam interventum positivum divinæ voluntatis sive ad operandum, sive saltem ad cooperandum, si agatur de bonis actibus creaturarum libero arbitrio donatarum. Ita argumentatur :

« Si non est finis seu terminus (= ὅρος) [3], neque est præ-

1. Ἀποκρίσεις συνοπτικαὶ καὶ ἐξηγήσεις πρὸς ἐρωτήσεις διαφόρους καὶ ἀπορίας γραφεῖσα πρὸς τὸν βασιλέα κῦρ Μιχαὴλ τὸν Δοῦκαν, in *cod. Monac. 384*, fol. 32 sq., quæstio XVII : « Ὁ Θεὸς κατὰ τὴν οἰκείαν ἰδιότητα οἶδε καὶ τὰ γινόμενα καὶ τὰ γενησόμενα, καὶ πάλιν οὐκ ἀλλοιοῦται τὰ πράγματα, ἐὰν ἐκεῖνος κρειττόνως αὐτὰ ἐπίστηται. » Cf. Th. Uspenskii, *Synodik v nedieliu pravoslaviia*, Odessæ, 1893, p. 50-51. Cf. *P. G.*, t. CXXII, col. 697-700.

2. Ἀντιγραφὴ πρὸς ἐρώτησίν τινος μοναχοῦ περὶ ὁρισμοῦ τοῦ θανάτου, in *P. G.*, t. CXXII, col. 917 C : « Οὐδὲν ἀόριστον τῷ Θεῷ. Οὐκ αἰτία τῶν γινομένων ἡ γνῶσις. »

3. Τὸν ὅρον sic definit : « Est ratio secundum quam proprie se prodit cognitio qualiscumque ad unumquodque ens applicata, et in seipsa circumscribens id quod unumquodque ens revera est : « ὁ λόγος καθ'ὃν οἰκείως προβάλλεται πρὸς ἕκαστον τῶν ὄντων ἡ ὁπωσοῦν ἐπιβάλλουσα γνῶσις καὶ ὅπερ τί ἐστιν καθ'ἑαυτὴν περιγράφουσα. » In *Tractatu I de vitæ termino*, in editione A. Demetracopuli : Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη,

cognitio; quod enim est indefinitum neque præcognitum est. Si non est præcognitio, neque est providentia; siquidem quomodo providebit, si non præscit? Si non est providentia, non est creatio. Si creatio non est, neque Deus est. Si vero Deus est, ut revera et est et credimus, et creator omnium sua providentia omnia complectens, qui omnia præscivit, ut fert eloquium, antequam fiant, est etiam finis in quibus est alterum et alterum [id est, in creaturis libero arbitrio donatis, quæ unum vel aliud eligere possunt]. Igitur si divina providentia et præscientia omnia pervadit, etiam finis (ὁ ὅρος) per omnia vadit. Opera ergo necnon ad illa motus et cogitationes animæ, vitaque tota et mors nostra Deo definita sunt ac præcognita. *In ipso enim vivimus et movemur et sumus.* Et hominum cogitationes ipse novit, et cordis secreta, et imperfectum nostrum [id est id quod de nostro nondum perfectum est et postea fiet] ipsius oculis prævisa sunt [1]. »

« Omnia alia dupliciter definita sunt, præscientia scilicet et causa (seu causalitate). Ex iis vero quæ a nobis pendent quæcumque prima nostrum causa indigna [id est peccata nostra] effinguntur, hæc solo præscientiæ termino præconcepta sunt, a quo et definita est merces his congrua [2].

Lipsiæ, 1866, p. 224. Brevius : Ὅρος est definitio rei intellectu percepta. Jure autem notat Nicolaus ὅρον cognosci secundum modum cognoscentis. Modus intellectus divini non est idem ac modus intellectus humani vel angelici.

1. « Εἰ μὴ ἔστιν ὅρος, οὐδὲ πρόγνωσις· οὐ γὰρ προέγνωσται τὸ ἀόριστον· εἰ μὴ πρόγνωσις, οὐδὲ πρόνοια· πῶς γὰρ μὴ προγινώσκουσα προνοήσεται; Εἰ μὴ πρόνοια, οὐδὲ δημιουργία· εἰ μὴ δημιουργία, οὐδὲ Θεός. Εἰ δὲ ἔστι Θεός, ὥσπερ δὴ καὶ ἔστι καὶ πιστεύομεν, καὶ δημιουργὸς πάντων, καὶ προνοίᾳ τὰ πάντα περικρατῶν, καὶ προειδὼς τὰ πάντα, κατὰ τὸ λόγιον, πρὶν γενέσεως αὐτῶν, ἔστι καὶ ὅρος ἐν οἷς θάτερον καὶ θάτερον. Εἰ τοίνυν διὰ πάντων διήκει ἡ θεία πρόνοια καὶ ἡ πρόγνωσις, διὰ πάντων καὶ ὁ ὅρος χωρεῖ. Τά τε οὖν ἔργα, τά τε πρὸς αὐτὰ κινήματα καὶ διανοήματα τῆς ψυχῆς, ἥ τε ὅλη ζωὴ καὶ ὁ θάνατος ἡμῶν ὥρισται τῷ Θεῷ καὶ προέγνωσται. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καὶ ἐσμέν. Καὶ αὐτὸς γινώσκει τοὺς διαλογισμοὺς τῶν ἀνθρώπων καὶ τῆς καρδιάς τὰ κρύφια, καὶ τὸ ἀκατέργαστον ἡμῶν τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ προεώραται. » *Tractatus III de vitæ termino*, Demetracopulus, *op. cit.*, p. 264-265.

2. « Τὰ μὲν ἄλλα πάντα δίχως ὡρίσθαι τῇ τε προγνώσει καὶ τῇ αἰτίᾳ, τῶν δ'ἐξηρτημένων τοῦ ἐφ'ἡμῖν, ὅσα τῆς πρώτης ἡμῶν αἰτίας ἀνάξια καταπλάττεται, ταῦτα μόνῳ προειλῆφθαι ὅρῳ τῆς προγνώσεως, ὑφ'οὗπερ ὡρίσθαι καὶ τὰ τούτων ἐπίχειρα. » *Ibid.*, p. 265.

« Deus, omnium causa, super omnem cognitionem excellentem sortitus est præcognitionem; seipsum enim sciens et omnium causas creatrices, providentes et conservatrices, quæ in ipso sunt, sibi ipsi objiciens, ita omnia novit melius quam omnia ipsa sunt secundum incomparabilem atque inenarrabilem excellentiam [1]. »

Sicut Damascenus, Nicolaus docet Deum esse omnis boni principium, omni actioni bonæ creaturarum cooperari, voluntatem creatam ad virtutem excitare, eique conferre prima boni exordia ac media :

« Omnium bonorum causa, inquit, in Deum referenda est; nullius vero mali neque Deus neque divina definitio, sed principium malorum libero creaturæ arbitrio tribuendum [2]... Si quis bonum elegerit, statim accipit Deum cooperatorem; si vero malum, primum malorum adinventorem invenit secum facientem [3]... Hujus liberi motus in bonum Deus nobis auctor ipse est atque prima dat initia : *Nemo enim*, Salvator ait, *venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* [4]. »

Demum effatum Damasceni de divina præscientia repetit : « Quia hoc erit, ideo et præcognitum est ac prædictum; consequenter etiam prædefinitum est. Igitur, quia vetus ille Adam de vetito ligno manducaturus erat, idcirco hoc a Deo præcognitum fuerat atque prædeterminatum; minime vero quia præcognitum fuerat, ideo manducavit [5]. »

1. *De vitæ termino tractatus I, loc. cit.*, p. 225. « Ἑαυτὸν γὰρ εἰδώς, κα τὰς ἐν ἑαυτῷ τῶν πάντων αἰτίας δημιουργικάς τε καὶ προνοητικὰς καὶ συνοχικὰς προβαλλόμενος, οὕτως οἶδε τὰ πάντα κρειττόνως ἢ τὰ πάντα εἰσὶ καθ'ὑπεροχὴν ἀσύγκριτον καὶ ἀνέκφραστον. »

2. *Ibid.*, p. 232.

3. *Ibid.*, p. 233 : « Εἰ μὲν οὖν τὴν ἀρετὴν ἕλοιτο, σύνεργον αὐτίκα λαμβάνει καὶ τὸν Θεόν· εἰ δὲ κακίαν, τὸν πρῶτον τῆς κακίας ἐφευρετὴν εὑρίσκει συμπράττοντα. »

4. *Ibid.*, p. 234 : « Θεὸς δὲ ὁ καὶ ταύτης ἡμῖν τῆς ἐπὶ τὸ καλὸν αὐθαιρέτου κινήσεως αἴτιος αὐτὸς καὶ τὰς πρώτας ἀφορμὰς δίδωσιν. »

5. *Ibid.*, p. 232-233 : « Οὐκοῦν ὅτι τόδε τι ἔσται, διὰ τοῦτο καὶ προέγνωσται καὶ προείρηται, ἀκολούθως δὲ καὶ προώρισται. Ὅτι γοῦν καὶ ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος Ἀδὰμ ἔμελλε τοῦ ἀπηγορευμένου ξύλου φαγεῖν, διὰ τοῦτο καὶ προέγνωστο τοῦτο τῷ Θεῷ καὶ προώριστο· οὐ μὴν ὅτι προέγνωστο, διὰ τοῦτο ἔφαγε. » Vides præscientiam semper præcedere, postea prædefinitionem sequi secundum præscientiæ dictamina. Hanc prædeterminationem in ordine executionis, quæ præscientiam subsequitur, negare

Consentit etiam cum Damasceno Michael Glykas, ad præscientiam divinam quod attinet, et etiam quantum ad sensum vocis ὅρος vel προορισμός, quam intelligit de actu voluntatis, quo Deus positive decernit aliquid facere ut a se directe volitum et effectum. Unde verba Damasceni repetit : *Deus prænoscit ea quæ a nobis pendent, non vero ea præfinit.* Nec vult ut *præfinita* vel *prædeterminata* a Deo dicantur quæ ab eo simpliciter fieri permittuntur [1].

Josephus Bryennius item formulam damascenianam repetit : « Deus nihil præfinit eorum, quæ in nostra sunt potestate, nec divina præscientia tollit nostram libertatem; siquidem non quia præcognoscit, agimus, sed quia agimus, ideo prænoscit; neque quod a nobis patratur malum ex eo quod ab eo prævidetur originem ducit; neque quæ in nobis est virtus inde principium sumit [2].

Inter theologos byzantinos Georgius Scholarius omnium amplissime ac luculentissime de præscientia divina, providentia et prædestinatione in quinque tractatibus disseruit [3]. Quæ de præscientia habet a Damasceni doctrina non recedunt, quamvis aliqua dissensio in verbis appareat. Scholarius enim, sicut et Nicolaus Methonensis, docet omnia a

non vult Damascenus quando dicit Deum non prædeterminare ea quæ sunt in nostra potestate; intelligit enim prædeterminationem quæ præscientiam antecederet Deumque haberet auctorem primarium ac voluntarium.

1. De vitæ termino et præfinitione rerum a Deo quatuor capita habet Michael Glykas, scilicet, c. xxxv, xxxvi, xxxvii et xciii. S. Eustratiades, Μιχαὴλ τοῦ Γλυκᾶ εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς κεφάλαια, Athenis et Alexandriæ, 1906, 1912, t. i, p. 376-461; t. ii, p. 436-444. Theologus iste est infimæ notæ, et a vera Patrum doctrina haud raro aberrat : « Ἡ τοῦ Θεοῦ πρόγνωσις οὐκ ἔστι προορισμός, καθάπερ οἱ πλείους ᾠήθησαν », t. i, p. 386. — « Μὴ λέγε, κατὰ τοὺς πολλούς, ὅτι τὰ κατὰ παραχώρησιν τοῦ Θεοῦ γινόμενα προωρισμένα τυγχάνουσι παρ'αὐτοῦ », t. ii, p. 442.

2. *Opera omnia*, ed. E. Bulgaris, t. ii, Lipsiæ, 1768 : *Serm. iv in crucifixionem*, p. 317 : « Ὁ Θεὸς οὐδὲν προορίζει τῶν ἐφ'ἡμῶν, καὶ ἡ θεία πρόγνωσις οὐκ ἀναιρεῖ τὸ ἡμῶν αὐτεξούσιον· καὶ γὰρ οὐχ ὅτι προγινώσκει, πράττομεν, ἀλλ'ὅτι πράττομεν προγινώσκει· καὶ οὔτε ἡ παρ'ἡμῶν τελουμένη κακία ἐκ τοῦ παρ'αὐτοῦ προορᾶσθαι τὸ αἴτιον ἔχει, οὔτε ἡ ἐν ἡμῖν ἀρετὴ ἐντεῦθεν τὴν ἀρχὴν τοῦ γίνεσθαι κέκτηται. »

3. *Œuvres complètes*, t. i, Parisiis, 1928, p. 390-460, et in *P. G.*, t. cl, col. 1105-1126, 539-565, 1125-1156.

Deo esse præfinita, quemadmodum et præcognita sunt; præscientiæ tamen primas tribuit dicitque præfinitionem fieri secundum præscientiæ proposita. Eo notabilior est hujus theologi de præsenti capite doctrina, quod Latinorum theologiam optime noverat operaque sancti Thomæ, Scoti aliorumque pervolutarat :

« Cognoscit Deus, inquit, omnia entia et eorum operationes; cognoscit et hominum non opera tantum, sed etiam cogitationes, et ea novit in seipso ut unica ac prima omnium causa, omnia complectente propter naturæ, scientiæ et potentiæ infinitatem; atque ea noscit suo modo; cognoscibile enim est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde et cognoscit futura tanquam præsentia, contingentia vero necessario; ita enim sunt in ipso; attamen hæc sua natura sunt futura et contingentia... Rerum humanarum cognitio et ad earum proprium finem definitio, quatenus sunt in cognoscente et definiente Deo, cognitio et definitio et sunt et vocantur seorsum, utpote rerum præsentium; quantum autem ad res quæ fiunt et definiuntur, dicuntur præcognitio et prædestinatio. Prædestinatio autem in genere sumpta dividitur in prædestinationem proprie dictam et in reprobationem; prima est eorum qui finem consequentur; secunda eorum qui finem amittunt... *Est autem ordine prior præscientia, posterior autem hæc specialis ac proprie dicta prædestinatio; supponit vero prædestinatio præscientiam tanquam suum principium, quod ordine eam præcedit... Igitur divina prædestinatio non est causa antecedens gloriæ eorum qui salvantur; habet enim præeuntem sibi præscientiam, sine qua prædestinatio esse non potest. Sed neque præscientia est causa antecedens* (seu quæ omnium prima venit); *sed quia secundum proprios initiales motus eorum qui hoc electuri erant, bonum eis obventurum erat necnon finis eorum dispositionibus congruus, ideo hoc præscivit qui omnia novit antequam fiant. Præscivit etiam se cooperaturum eis, postquam præcognovit eos ex seipsis tales futuros esse; præscivit item se destinaturum eos qui se ad finem destinari ex seipsis cupituri erant, qui ad hoc sane Deo maxime opus habituri erant;* quemadmodum item quos præscivit proprio arbitrio a fine recessuros et ideo nec ipsum cooperaturum habituros

(quomodo enim cooperetur eis qui cooperatorem nolunt?) merito tales reprobavit [1]...

« Si impossibile est non fieri ea quæ Deus præscivit ut futura, attamen hæc ita fieri non absolute necessarium erat; potuissent enim non fieri ita, *cum sui fieri primum principium habeant humanam electionem. Cum autem futura essent ita ex ipsorum*, hominum dico, *voluntate, ita, quod ad Deum attinet, prænoscebantur divinæ cognitionis excellentia.* Igitur, sicut Deus prænoscendo non cogit, sic nec prædestinando vel reprobando; cooperatur tantum ad bonum iis qui primi illud præelegerunt, quemadmodum ad contrarium non cooperatur sane, sed eos qui sponte a fine declinaverunt derelinquens, pergere sinit [2]. »

Hæc et plura alia, quæ eumdem sensum præ se ferunt, habet Scholarius in suis dissertationibus. In hanc doctrinam convenire asserit sanctos Patres, inter quos laudat Dionysium Magnum, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Joannem Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum Alexandrinum, Theodoretum, Maximum Confessorem, et super omnes Joannem Damascenum [3].

1. Περὶ τοῦ θείου προορισμοῦ τρίτον, 11-12, *Œuvres complètes*, t. I, p. 435-437 : « Γινώσκει ταῦτα ἐν ἑαυτῷ ὡς μιᾷ καὶ πρώτῃ πάντων αἰτίᾳ καὶ πάντα δι'ἀπειρίαν περιεχούσῃ φύσεώς τε καὶ γνώσεως καὶ δυνάμεως, καὶ γινώσκει τῷ ἑαυτοῦ τρόπῳ... Ὅθεν καὶ γινώσκει τὰ μέλλοντα μὲν ὡς παρόντα, τὰ δὲ ἐνδεχόμενα, ἀναγκαίως· οὕτω γάρ εἰσιν ἐν αὐτῷ· οὐδὲν ἧττον μέντοι ταῦτα τῇ ἑαυτῶν φύσει μέλλοντά ἐστι καὶ ἐνδεχόμενα... Οὐκ ἔστιν οὖν αἰτία προηγουμένη τῆς τῶν σῳζομένων δόξης ὁ θεῖος προορισμός· ἔχει γὰρ ἑαυτοῦ προηγουμένην τὴν πρόγνωσιν, ἧς ἄνευ οὐκ ἂν ὁ προορισμὸς εἴη. Ἀλλ'οὐδὲ ἡ πρόγνωσις προηγουμένη ἐστὶν αἰτία, ἀλλ'ἐπείπερ ἔμελλε κατ'ἰδίας ἀφορμὰς τῶν αἱρησομένων τὸ ἀγαθὸν συμβαίνειν αὐτοῖς καὶ τὸ τοιούτοις οὖσιν ἐπακολουθοῦν τέλος, διὰ τοῦτο προέγνω ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὸ γενέσεως αὐτῶν, καὶ προεγνωσμένοις ὅτι τοιοῦτοι τὸ ἀφ'ἑαυτῶν ἔσονται καὶ ἑαυτὸν συνεργήσοντα προῄδει. »

2. *Ibid.*, 13, p. 437 : « Εἰ καὶ ἀδύνατον τοίνυν μὴ γενέσθαι ἃν ἃ προέγνωκεν ὁ Θεὸς ὡς ἐσόμενα, ἀλλ'οὐχ ἁπλῶς ἀνάγκη γενέσθαι ταῦτα οὕτως· ἠδύναντο γὰρ ἂν μὴ γενέσθαι οὕτω, τὴν ἀνθρωπίνην προαίρεσιν ἀρχὴν ἔχοντα πρώτην τοῦ γενέσθαι· ἐσόμενα δὲ τὸ ἀφ'ἑαυτῶν οὕτω, φημὶ δὲ τῶν ἀνθρώπων, τό γε εἰς Θεὸν ἧκον οὕτω προεγινώσκοντο θείας περιουσίᾳ γνώσεως· Οὐκοῦν ὥσπερ οὐκ ἀναγκάζει προγινώσκων ὁ Θεὸς, οὕτως οὐδὲ προορίζων ἢ ἀποδοκιμάζων, συνεργεῖ δὲ μόνον πρὸς τἀγαθὸν τοῖς πρώτοις τοῦτο προελομένοις. »

3. Cf., *ibid.*, 14, p. 439; Tract. IV, 1, *ibid.*, p. 440.

ARTICULUS II

De præscientia divina apud Græco-Russos modernos.

Græco-Russi moderni Byzantinorum doctrinam de præscientia divina generatim retinent eosdemque loquendi modos adhibent. Cum autem hæc doctrina scientiæ, quam Molinistæ *mediam* vocant, aliquatenus sit affinis, quidam ex ipsis Molinistarum systemati, si non semper verbo, re saltem suffragati sunt.

Quid de hac quæstione senserint theologi Kiovenses sæculi XVII et primi dimidii sæculi XVIII, pro quibus maxima auctoritas erat sanctus Thomas, certe decernere non possumus, cum eorum cursus theologici inediti remanserint, nec eos adeundi via exstitit. Ex paucis, quæ in *Confessione Petri Moghilæ* occurrunt, conjicere licet eos quosdam loquendi modos Latinorum cum genuina doctrina Joannis Damasceni miscuisse. Legimus enim in *q. XXX, I^æ p.* :

« Præscientia, prædestinatio et providentia in divinis sunt actus diversi. Etenim providentia respicit res creatas; præscientia vero et prædestinatio (seu præfinitio) sunt in ipso Deo ante esse omnium creaturarum, quamvis diverso modo. Præscientia est ipsa cognitio futurorum absque præfinitione specierum (τῶν εἰδῶν), id est, quin definiatur utrum hoc vel illud futurum sit. Atqui *præfinitio est secundum præscientiam determinatio specierum quoad bonum*, non vero quoad malum; sin esset ad malum, esset contra genuinam bonitatem divinam. Quapropter haud immerito possumus dicere secundum nos, *quod in Deo prior sit ordine præscientia, deinde prædestinatio* seu præfinitio. Post creationem vero succedit providentia rerum creatarum... Ejusmodi consideratio tantum fieri debet de ipso homine, quoniam cæteræ creaturæ (angelis exceptis, qui sunt in statu certo) ad hanc considerationem prædestinationis non pertinent [1]. »

Confessio cum Damasceno convenit, quatenus docet

1. Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 95-96; Malvy-Viller, *op. cit.*, p. 20-21 : « Εἰς τὸν Θεὸν πρῶτον εἶναι εἰς τὴν τάξιν ἡ πρόγνωσις, δεύτερον ὁ προορισμός, ἔπειτα μετὰ τὴν κτίσιν ἀκολουθεῖ ἡ πρόνοια τῶν κτισμάτων. »

præscientiam præire præfinitioni seu prædestinationi; ab eo autem recedit, quatenus in præfinitione divina omnes actus bonos hominum includit; Damascenus vero, ut vidimus, extra præfinitionem divinam ponit τὰ ἐφ'ἡμῖν, id est quidquid a libera nostra voluntate pendet, sive bonum sit, sive malum, quamvis dicat Deum ad bonum cooperari et ad illud voluntatem invitare. Cæterum in *q. XXVI* ejusdem partis, ad verba Damasceni auctor nos remittit.

« Illa tantum prædeterminat Deus secundum sapientiam justitiamque suam, quæ in nostra potestate non posita sunt ut fiant. Sed ea bona quæ a nostra pendent voluntate præcognoscit [1], concurrens ipse secundum beneplacitum suum cum nostra voluntate; hic autem concursus liberi arbitrii naturam non tollit [2]. »

Nicolaus Kursulas, qui circa multa cum Thomistis sentit, expresse tamen admittit scientiam mediam Molinistarum, difficultates quæ contra hanc scientiam moveri solent, fuse solvens [3]. Porro a modo loquendi sancti Joannis Damasceni in multis recedit, v. g., dum dicit Deum ab æterno prædeterminasse omnes causarum secundarum effectus, quanquam ejus sententia cum doctrina Damasceni revera congruit, quia loquitur de prædeterminatione præcognitionem futuribilium subsequente. Eam item libertatis creaturarum notionem habet, quam apud Damascenum et Georgium Scholarium invenimus, involutam tamen explicationibus ex Scholasticarum promptuario desumptis :

« Dicendum, inquit, Deum ab æterno prædeterminasse omnes causarum effectus, sed hoc non fecisse ante eorum

1. Textus græcus, qui solus a patriarchis orientalibus approbatus fuit, habet : προγνωρίζει. Versio latina hujus textus a Malvy-Viller edita, p. 18, fert : *prædestinat.* Obiter notamus haud paucas differentias in singulis occurrere inter textum græcum et hanc latinam versionem. Textus græcus semper inspiciendus est.

2. Kimmel, *ibid.*, p. 90; Malvy-Viller, p. 18.

3. *Op. cit.*, t. I, p. 87-97 : « Πότερον ὁ Θεὸς ἔχει τὴν μεταξὺ γνῶσιν περὶ τὰ ἐξ ὑποθέσεως ἀντικείμενα; (= *futuribilia*). Respondet : « Οἱ δὲ φρονοῦντες ὀρθότερον ξυγχωροῦσι τὴν τοιαύτην ἐπὶ Θεοῦ μεταξὺ γνῶσιν τῶν ἐξ ὑποθέσεως ἐσομένων ἤτοι τῶν ἐνδεχομένων μελλόντων πρὸ πάσης ψήφου καὶ ἀποφάσεως θείας... Ταύτην τὴν δόξαν ἡμεῖς ὡς ἀληθεστέραν καὶ τῇ θείᾳ Γραφῇ ἁρμοδιωτέραν ἀποδεχόμεθα. » P. 88.

cognitionem in propriis causis, præsertim in causis contingentibus et liberis. Unde omnia determinavit sed diverso modo; siquidem quædam determinavit per suam operationem, quædam vero per suam permissionem, non ea impediendo... Prius enim per necessariam scientiam cognoscit quomodo unumquodque ex contingentibus proprio motu fertur ad agendum; deinde ipse decernit quid velit et quid nolit fieri... Ipse Deus enim, cui nemo resistere potest, voluit animam humanam remanere in propria potestate et facere quod voluerit; idcirco cooperatur eamque movet ad actum, ubi ipsa per negativam prædeterminationem disposita fuerit ad ipsum actum. Negativam prædeterminationem dico non aliquam positivam voluntatis divinæ operationem, sed hoc quod Deus, ante suam motionem et cooperationem, eam sinit moveri, aut non moveri ab aliquo objecto propter aliquam rationem ei occurrente; statim autem ac in motum sic processerit, a divino auxilio et cooperatione adjuvatur [1]. »

Eugenius Bulgaris disputationes Scholasticorum de divisione et medio scientiæ divinæ bene novit, de quibus pronuntiat eas esse vacuas logomachias, cum omnes admittant Deum omnia cognoscere, etiam futuribilia, et quidem in eodem medio, id est, in seipso [2]. Ubi autem quærit quomodo

1. « Ῥητέον, ὅτι ἀπ'αἰῶνος προδιώρισεν ὁ Θεὸς τὰ ἀποτελέσματα τῶν αἰτιῶν πάντα, ἀλλ'οὐ πρὸ τῆς αὐτῶν γνώσεως ἐν τοῖς ἰδίοις αἰτίοις, μάλιστα τοῖς ἐπίσης ἐνδεχομένοις καὶ αὐτεξουσίοις· τοιγάρτοι διώρισε πάντα, ἀλλὰ διαφόρως· τὰ μὲν γὰρ διώρισε διὰ τῆς αὐτοῦ ἐνεργείας, τὰ δὲ διὰ τῆς αὐτοῦ παραχωρήσεως καὶ μὴ κωλύσεως... Πρότερον γὰρ γινώσκει διὰ τῆς ἀναγκαίας γνώσεως ὡς ἕκαστον τῶν ἐπίσης ἐνδεχομένων ἀφ'ἑαυτοῦ φέρεται πρὸς τὴν πρᾶξιν· εἶτα αὐτὸς ἀποφαίνεται τί θέλει καὶ τί μὴ θέλει γενέσθαι... Αὐτὸς γὰρ ὁ Θεὸς, ᾧ οὐδεὶς ἀντιστῆναι δύναται, ἠθέλησε τὴν ψυχὴν τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ αὐτῆς μένειν ἐξουσίᾳ καὶ πράττειν ὃ βούλεται· διὸ αὐτῇ συνεργεῖ καὶ κινεῖ πρὸς τὴν πρᾶξιν, ὅταν αὐτὴ διατεθῇ διὰ τοῦ ἀποφατικοῦ προδιορισμοῦ πρὸς αὐτὴν τὴν πρᾶξιν. Φημὶ δὲ προδιορισμὸν ἀποφατικὸν οὐκ ἐνέργειάν τινα τῆς θελήσεως θετικήν, ἀλλὰ τὸ πρὸ τῆς θείας κινήσεως καὶ συνεργείας ἐᾶν αὐτὴν κινεῖσθαι, ἢ μὴ ἐᾶν κινεῖσθαι ὑπὸ τοῦ αὐτῇ διά τινος λόγου ὑποπίπτοντος, πρὸς ὃ κινηθεῖσα εὐθὺς συμβοηθεῖται ὑπὸ τῆς θείας βοηθείας καὶ συνεργείας. » *Op. cit.*, t. I, p. 111.

2. Θεολογικόν, p. 150 : « Ἡ τοίνυν ἅπασα ἔρις ἐν φωναῖς ψιλαῖς προφανῶς κεῖται. »

Deus cognoscat futura libera vel futuribilia, decreta prædeterminantia Thomistarum rejicit utpote necessitati Calvinistarum et Jansenianorum affinia [1], probabilem ducit Cajetani explicationem circa realem coexistentiam futurorum liberorum æternitati Dei [2], potiorem tamen existimat sententiam eorum qui opinantur Deum futura libera cognoscere in gratia quam hominibus dare proposuit. Cum enim futuribilia cognoscat, ab æterno præscivit tum eos qui ejus gratiæ cooperaturi erant, et inde justificandi, tum eos qui suum consensum negaturi, et ideo reprobandi [3].

Eadem fere sentit ac Bulgaris, ejus discipulus Athanasius Pariensis : « Divina scientia, inquit, dicitur causa efficiens eorum quæ existant; non tamen eorum quæ libere fiunt, id est actiones nostras, Deus est causa; siquidem cum nos fecerit ratione præditos, liberum arbitrium, quod nobis ab initio donavit, non necessitate cogit; et sane a malis omnino alienus est; ad bona autem sua gratia cooperatur, humanam confortans infirmitatem [4]. »

De divisione scientiæ divinæ apud Scholasticos trita durius loquitur : Hujusmodi divisiones, ait, non sunt theologorum, sed delirantium commenta, cum scientia divina sit una et simplicissima [5].

Græci recentiores ad formulas Damasceni simpliciter redeunt. Deus, ait Mesoloras, omnia præcognovit, sed non præfinivit nisi ea quæ non sunt posita in nostra potestate [6]. Zikos Rhosis, postquam errorem Deistarum aliorumque philosophorum et theologorum qui liberorum futurorum cogni-

1. *Ibid.*, p. 156 : « Οἶμαι ταύτην τὴν τῶν Θωμιστῶν δόξαν τῇ τῶν Καλβινιστῶν ἀνάγκῃ προσεγγίζειν. »
2. *Ibid.*, p. 156 : « ἥτις δόξα πολὺ τὸ πιθανὸν κέκτηται καὶ τῷ ἱερῷ Αὐγουστίνῳ προσανατίθεται. »
3. *Ibid.*, p. 157 : « Εὐσεβὴς ἡ δόξα καὶ λίαν ὀρθὴ δοκεῖ, καίτοι τοῖς περὶ τὸν Θωμᾶν δεινῶς ἀπαρέσκουσα. » Sicut omnes fere Orientales, ut infra videbimus, Bulgaris prædestinationem post prævisa merita propugnat et tanquam errorem rejicit prædestinationem ante prævisa merita.
4. *Op. cit.*, p. 104.
5. *Ibid.*, p. 106 in nota : « ληρεῖν σαφῶς ἐθέλουσι, οὐ θεολογεῖν. »
6. *Op. cit.*, p. 192-193 : « Προορίζει τὰ μὴ ὑποκείμενα ἡμῖν. »

tionem Deo denegant, ut libertatem humanam in tuto ponant, ad tractatus Scholarii de providentia et prædestinatione lectorem remittit [1]. Andrutsus ut superfluam habet scientiam mediam [2]. Ut autem omniscientiam divinam cum libertate creaturarum conciliet, ad verba sancti Joannis Damasceni supra relata provocat, quæ in hunc modum explicat :

« Deus, inquit, futura cognoscit, ea videns ut præsentia, ejusque cognitio nullum influxum in ea exercet. Sicut homo aliquid videns hic et nunc eveniens vel postea eventurum, non creat illud, ita et Deus omnia videns extra tempus, prævidet, vel potius videt ea tanquam evenientia sive ex necessitate, sive ut ex voluntate libera procedentia. Talis Dei cognitio nullatenus ea lædit, sed e contra ita eveniunt ac si nemo illa observaret. Equidem dum Deus actiones humanas cognoscit, ab illis determinatur; hæc autem cognitio non est creatrix, sed receptiva ac passiva; aliis verbis, res cognoscuntur a Deo, quia existunt, ipso quodammodo ea contemplante dum eveniunt; non existunt autem quia a Deo cognoscuntur, quasi eorum existentia a cognitione Dei penderet. Ita actiones hominum non pendent a cognitione Dei, ut ex necessitate eveniant; sed cognitio Dei pendet ab ipsis, Deo, ut ita dicam, passive vidente opera ex libertate humana procedentia. Hæc autem determinatio divinæ cognitionis a libertate humana dependentis absolutam Dei perfectionem non tollit, quia Deus revera homini tribuit facultatem seipsum determinandi; omnia vero ita dirigit, ut libertas humana scopo finali mundi nequaquam noceat. Cæterum existentia mali nullo alio modo explicari potest præter Patrum sententiam, qui docent Deum illud cognoscere quatenus a libertate humana procedit, non vero ut

1. *Op. cit.*, p. 323-324, 367-370. Sicut Scholarius, Zikos Rhosis docet omnia in Deo ab æterno prædefinita esse, quod specietenus cum dictis sancti Joannis Damasceni pugnare videtur.
2. Δογματική, p. 65 : « Ἡ παρεμβολὴ τῆς ὑποθετικῆς ταύτης γνώσεως εἶνε ὅλως περιττή· ἀφ'οὗ ὁ Θεὸς γινώσκει τὰ πραγματικὰ καὶ τὰ δυνατά, τὰ ἀπραγματοποίητα, τὰ ἐπὶ ὅροις πραγματικὰ (= futuribilia) τῆς scientiæ mediæ ὑπάγονται ἤδη εἰς τὰ δύνατὰ τὰ μὴ εἰς πραγματικότητα χωροῦντα. »

objectum suæ cognitionis; secus enim malum necessarium esset, et Deus ejus creator extaret [1]. »

Hæc Andrutsus, cujus verba in explicando hoc capite haud plene felicia ac congrua forsan quis inveniet; abstrahunt enim a quibusdam difficultatibus, de quibus theologus græcus nullam suspicionem habere videtur. Putamus tamen ea quoad sensum a vera sancti Joannis Damasceni mente non recedere.

Inter theologos russos unum tantum invenimus qui aliquid notabile proferat, scilicet Theophylactus Gorskii. Hæc in suo compendio classico scribit :

« Infallibilitas hæc prævisionis divinæ neutiquam hominum libertatem tollit, si consideremus liberas hominum actiones esse partem hujus mundi, totum autem rerum complexum a Deo uno intuitu fuisse cognitum antequam existeret; si, inquam, consideremus in hac ipsa rerum compage Deum simul vidisse omnium hominum actiones liberas, *vidisse vero eas non ut futuras, sed ut sibi semper præsentes, et hac sua visione non formasse hominum actiones, sed ut jam formatas in statu possibilitatis supposuisse. Cum ergo decerneret hujus mundi existentiam, cujus omnes nexus possibiles ab omni æternitate cognoverat, fieri haud poterat quin liberas hominum actiones præsciret antequam ederentur. Manet omnino in hominis potestate id quod prævidetur non agere.* Quæ ex Genesi, VI, 7; XXII, 12, 21; Num., XIX, 23 et aliis locis opponuntur dubia, partim ex eo quod prædictiones fuerint conditionatæ, partim ex eo quod Scriptura de Deo sæpe loquatur humano more, refutari possunt [2]. »

Quanquam Gorskii de molinistarum systemate omnino tacet, eum tamen ab illo aliquid hic mutuari satis aperte constat.

1. *Ibid.*, p. 66-67 : « Οὕτω δὲ αἱ πράξεις τοῦ ἀνθρώπου δὲν ἐξαρτῶνται ἐκ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ, ὅτε ὤφειλον νὰ συμβῶσι κατ'ἀνάγκην, ἀλλ'ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ ἐξαρτᾶται ἐξ αὐτῶν, τοῦ Θεοῦ παθητικῶς οὕτως εἰπεῖν θεωμένου τὰ ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας τοῦ ἀνθρώπου προϊόντα ἔργα. Ἀλλ'ὁ περιορισμὸς οὗτος τῆς θεογνωσίας, ἐξαρτωμένης ἐκ τῆς ἐλευθερίας τοῦ ἀνθρώπου, δὲν αἴρει τὸ ἀπόλυτον τοῦ Θεοῦ, διότι ὁ Θεὸς παρεχώρησεν ἀληθῶς τῷ ἀνθρώπῳ τὴν δύναμιν τοῦ προσδιορίζειν ἑαυτόν, διευθύνει δὲ τὰ πάντα οὕτως, ὥστε νὰ μὴ δύναται ἡ ἀνθρωπίνη ἐλευθερία νὰ παραβλάψῃ τὸν τελικὸν τοῦ κόσμου σκοπόν. »

2. *Op. cit.*, ed. Petrop., 1818, p. 83-84.

ARTICULUS III

De relatione præscientiæ divinæ ad prædestinationem seu rerum præfinitionem et ad providentiam.

Ex iis quæ in duobus præcedentibus articulis dictum est jam colligere quis possit quænam sit relatio inter præscientiam, prædestinationem seu prædeterminationem rerum et ipsam providentiam juxta theologos byzantinos et Græco-Russos modernos. Haud parva tamen oritur obscuritas ex diversa significatione, quam vocibus *prædestinatio*, προορισμός, et *providentia*, πρόνοια varii auctores tribuunt. Unde non abs re erit in præsenti articulo omnia pro posse perspicue explanare.

I. — De significatione vocum: προορισμός, πρόνοια, apud Joannem Damascenum.

Secundum Joannem Damascenum, vox προορισμός, id est *præfinitio, prædeterminatio, prædestinatio* sensu *proprio*, etsi *generali*, accepta, designat actum divinæ voluntatis, quo Deus ab æterno decernit facere quidquid *positive* et *propria electione* in tempore facit. In hoc sensu revera congruit cum *providentia proprie dicta*, πρόνοια, quamvis πρόνοια importet respectum ad executionem eorum, quæ positive ac propria electione Deus facere decrevit. Providentiam enim Joannes ita definit :

« Providentia est cura quam Deus habet de iis quæ sunt, seu voluntas Dei, per quam res omnes convenienti ratione reguntur. Si autem providentia est Dei voluntas, omnino necesse est omnia, quæ secundum providentiam fiunt, secundum rectam rationem, optime et convenientissime fieri, ita ut meliori modo prorsus existere non possint [1]. »

Hac definitione posita, facile intelligis Damasceni formu-

1. *De fide orthodoxa*, l. II, c. XXIX, *P. G.*, t. XCIV, col. 964 A : « Πρόνοιά ἐστι βούλησις Θεοῦ, δι'ἣν πάντα τὰ ὄντα τὴν πρόσφορον διεξαγωγὴν λαμβάνει. »

las : *Deus non præfinit seu non prædestinat ea quæ in nostra voluntate posita sunt* [1]. *Quæ a nobis pendent non pertinent ad providentiam, sed ad nostrum liberum arbitrium* [2]. Etenim liberas actiones creaturæ Deus non *eligit propria electione*, sed eliguntur a voluntate creata. Si hujusmodi actiones malæ sint, Deus ad earum productionem nullo pacto *positive* concurrit; si vero bonæ, eas quidem approbat et ad eas positive concurrit, sed non *facit solus*. Unde extra prædeterminationem divinam et providentiam proprie acceptam a sancto doctore ponuntur.

Præfinit autem Deus et providet secundum suam præscientiam, id est : sua decreta, suum consilium de rerum et hominum gubernatione ordinat ac disponit secundum ea quæ videt in sua præscientia [3]; quod præsertim intelligitur de ejus agendi ratione erga singulos homines; siquidem uniuscujusque hominis vita tota et mors præfiniuntur a Deo, ratione habita actuum liberorum uniuscujusque per præscientiam prævisorum, et in ordine executionis item per providentiam, diriguntur. Unde *prædestinatio* seu *præfinitio*, ὁ προορισμός, juxta Damascenum, complectitur omnes Dei præfinitiones tum circa bonos, tum circa malos post prævisa eorum merita vel demerita per præscientiam præcognita : Ὁ προορισμός, inquit, *est judicium et sententia de iis quæ futura sunt* [4]. In ordine autem executionis, Deus providet et gubernat secundum hoc judicium seu consilium ab æterno præfinitum.

Exinde vides Damascenum omnino ignorare aliquam prædestinationem seu præfinitionem ante prævisa hominum merita. Prædestinatio semper dirigitur per præscientiam futurorum liberorum illamque consequitur. « Postquam Deus

1. *Ibid.*, l. II, c. xxx, col. 972 A : « Προγινώσκει τὰ ἐφ'ἡμῖν, οὐ προορίζει δὲ αὐτά. »
2. *Ibid.*, l. II, c. xxix, col. 964 C : « Τὰ ἐφ'ἡμῖν οὐ τῆς προνοίας ἐστὶν ἀλλὰ τοῦ ἡμετέρου αὐτεξουσίου. »
3. « Προορίζει τὰ οὐκ ἐφ'ἡμῖν κατὰ τὴν πρόγνωσιν αὐτοῦ. » *De fide orthodoxa*, l. II, c. xxx, col. 972 A. — « Προνοεῖται ὁ Θεὸς κατὰ αὐτοῦ πρόγνωσιν ἁπάντων. » *Dialogus contra manichæos*, 78, col. 157 CD.
4. « Προορισμός ἐστι κρίσις καὶ ἀπόφασις ἐπὶ τοῖς ἐσομένοις. » *Dialogus contra manichæos*, 78, col. 1577 A.

præscivit quæ libere ac sponte acturi sumus, id est, ea quæ in nostra potestate sita sunt, virtutem dico et vitium, prædeterminat seu prædestinat ea, quæ a nobis minime pendent [1]. »

Hæc quidem dicuntur de prædestinatione necnon de providentia stricte sumpta, quatenus sunt *actus positivi solius Dei*. Sensu autem largiori acceptæ, voces προορισμός, πρόνοια complectuntur etiam ea quæ Deus permittit, vel facere omittit, vel ea ad quæ *positive* concurrit. Deus enim multa mala permittit; suam gratiam denegat aliquibus hominibus in quibusdam circumstantiis, seu eos dereliquit; ad actus bonos positive concurrit. In hoc sensu, omnia quæ in præsenti rerum ordine fiunt, *prædestinata* seu *præfinita* dici possunt, *atque sub providentia cadunt*. Hoc inferre licet ex sequenti loco operis *De fide orthodoxa :*

« Quæ providentiæ subsunt, partim ex beneplacito Dei sunt, partim ex permissione. Secundum beneplacitum fiunt ea omnia quæ citra controversiam bona sunt. Permissionis vero species multæ sunt. Sæpe enim hominem justum in calamitates sinit incidere, ut latentem in eo virtutem aliis prodat, uti Job accidit. Nonnunquam aliquid iniqui fieri permittit, ut per eam actionem, quæ iniquitatis speciem habet magnum aliquid et mirandum patietur : sic per crucem hominibus salutem procuravit. Quin alio quoque modo virum pium affligi permittit, ne a recta conscientia excidat, vel ob potestatem gratiamque divinitus sibi concessam in superbiam prolabatur, velut in Paulo contigit. Ad alios erudiendos deseritur quis ad tempus, ut alii, calamitosum ipsius statum considerantes, documentum inde capiant, quemadmodum in Lazaro et divite... Sinitur denique aliquis in obscenum facinus interdum proruere, ut hac ratione gravius aliquod vitium depellatur... *Illud autem scire oportet rerum agendarum electionem quidem in nobis sitam esse, probarum vero actionum finem Dei cooperationi adscribendum esse, qui juste cooperatur, secundum suam præscientiam, iis*

1. *Ibid.*, 79, col. 1577 AB : « Προειδὼς ὁ Θεὸς τὰ ἐσόμενα ὑφ'ἡμῶν ἑκουσίως, ἤγουν τὰ ἐφ'ἡμῖν, ἀρετήν φημι καὶ κακίαν, προορίζει τὰ οὐκ ἐφ'ἡμῖν. »

qui recta conscientia bonum eligunt; malarum, e contra, Dei derelictioni, qui item secundum suam præscientiam juste deserit [1]. »

II. — De earumdem vocum significatione apud alios theologos byzantinos.

Ut ex iis videre licet, quæ in primo articulo hujus capitis attulimus, ex theologis byzantinis quidam, ut Michael Glykas, Josephus Bryennius, vocibus προορισμός et πρόνοια eumdem sensum proprium ac strictum tribuunt quem generatim habet apud sanctum Joannem Damascenum : Deus non proprie præfinit ea quæ in campo humanæ libertatis posita sunt, nec circa ea suam providentiam exercet. Alii vero, qui rem magis philosophice tractare voluerunt, hunc loquendi modum dereliquerunt, quin a genuina doctrina Damasceni recederent. Cum enim quidam inscite dicerent tempus mortis uniuscujusque hominis non fuisse a Deo præfinitum, sed indefinitum remanere, jure illi docuerunt nihil Deo esse indefinitum, cum indefinitum sub cognitionem non cadat sitque merum nihilum. Hanc universalem rerum præfinitionem in ordine ideali, seu quantum ad cognitionem Dei, non sane negat Damascenus, sed eam aperte supponit, cum asserat Deum omnia futura ab æterno tanquam præsentia cognovisse. Omnia ergo *in Deo* sunt præfinita seu prædestinata. Omnia etiam futura sub aliquo respectu sunt *a Deo* præfinita, quatenus omnia decreto suæ voluntatis creatricis aliquando fieri voluit; sed quædam ipse solus ac propria electione facit; quædam cum creaturis liberis facit, eas adjuvando et cum eis cooperando; quædam demum fieri tantum permittit. Hæc vero omnia sub ejus providentia cadunt. Sub hoc aspectu quæstionem considerarunt ac tractarunt Michael Psellus, Nicolaus Methonensis ac præsertim Georgius

1. *De fide orthodoxa*, l. II, c. XXIX, col. 965-968 : « Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὅτι ἡ μὲν αἵρεσις τῶν πρακτέων ἐφ'ἡμῖν ἐστι· τὸ δὲ τέλος, τῶν μὲν ἀγαθῶν, τῆς τοῦ Θεοῦ συνεργίας, δικαίως συνεργοῦντος τοῖς προαιρουμένοις τὸ ἀγαθὸν ὀρθῷ συνειδότι, κατὰ τὴν πρόγνωσιν αὐτοῦ· τῶν δὲ πονηρῶν, τῆς ἐγκαταλείψεως, τοῦ Θεοῦ πάλιν κατὰ τὴν πρόγνωσιν αὐτοῦ δικαίως ἐγκαταλιμπάνοντος. »

Scholarius, qui de providentia et prædestinatione tam præclare disseruit. Hic, quanquam expresse docet omnia *in Deo et a Deo* esse prædestinata seu præfinita, attamen voci προορισμὸς sensum omnino specialem ac strictum præfigit, a theologia latina mutuatum; siquidem, juxta illum, προορισμὸς solos ad gloriam æternam electos seu præfinitos directe respicit. Cæterum hæc prædestinatio ad solos electos restricta in linea manet theologiæ Damasceni doctoris, cum non fiat nisi secundum præscientiam, id est post prævisa merita. Προορισμὸς seu prædestinatio malorum proprie vocatur ἀποδοκιμασία, *reprobatio*, quæ sane fit etiam secundum præscientiam, id est post prævisa demerita.

Ad πρόνοιαν autem quod attinet, idem Scholarius huic voci sensum omnino generalem tribuit, ita ut providentia sit prorsus universalis atque se extendat ad omnia quæ sunt, nullo excepto. Providet autem omnibus non eodem modo, nec eodem gradu. Quando autem agitur de hominibus, hæc providentia a præscientia dirigitur. Quamvis Deus de omnibus curam agat, etiam de malis ac reprobis, speciali tamen benevolentia ac protectione circumdat prædestinatos, quos præscivit ad ultimum finem feliciter perventuros, eorumque totam vitam ad hunc finem disponit. Præter hanc significationem prorsus generalem voci πρόνοια tributam, aliam indicat Scholarius in sequenti loco, ubi totam suam *terminologiam* de præsenti quæstione in unum collegit :

« Genericum nomen curæ divinæ ad omnia se extendentis est *administratio* et *gubernatio*, διοίκησις καὶ κυβέρνησις. Quatenus autem versatur circa entia, hoc genericum nomen, nempe διοίκησις et κυβέρνησις retinet. Quatenus vero viventia generationis via ad existentiam producta (= τὰ γενητά) respicit, speciatim vocatur *providentia*, πρόνοια καὶ προμήθεια. Cum autem quæ generatione oriuntur dividantur in naturam humanam et rationalem et in naturam rationis expertem, πρόνοια, quatenus respicit alia γενητά, hoc nomen genericum πρόνοια proprie servat; quatenus vero spectat naturam humanam, proprie vocatur *prædestinatio*, προορισμός... Porro duplici in hominibus vita existente, item hujus vitæ duplici fine, ordinatio Dei circa totam sortem meliorem, quæ post ex hac vita discessum aliquos manet, vocatur proprie generico

nomine *destinatio Dei*, ὁρισμὸς τοῦ Θεοῦ ; *prædestinatio* vero, προορισμός, appellatur quatenus hæc destinatio in cognitione Dei ab æterno est ante rerum existentiam, et qui hujus sortis sunt vocantur *destinati* et *prædestinati*, ὡρισμένοι καὶ προωρισμένοι. Quæ vero circa pejorem sortem est ordinatio Dei dicitur *reprobatio*, ἀποδοκιμασία, et qui hanc juste patiuntur dicuntur reprobati, ἀποδεδοκιμασμένοι [1]. »

Vides in præsenti loco Scholarium nobis exhibere τὸν προορισμὸν καὶ τὴν ἀποδοκιμασίαν tanquam partem providentiæ, quia prædestinationem et reprobationem considerat in ordine executionis. Proprie tamen loquendo, prædestinatio venit ante providentiam, si per providentiam intelligas executionem consilii divini seu divinam gubernationem; quod in alio loco theologus byzantinus aperte dicit :

« Prædestinatio in genere sumpta dividitur in prædestinationem proprie dictam et in reprobationem; prima est eorum qui finem assequuntur; secunda eorum qui ab eo recedunt. Tum prædestinati ad vitam æternam, tum ab ea rejecti diverse quidem, utrique tamen divinæ providentiæ ordinationi obnoxii sunt. Est autem ordine prior præscientia, posterior autem hæc prædestinatio proprie dicta, et prædestinatio supponit præscientiam tanquam ejus principium ordine anterius [2]. »

1. Tractatus IV, *De divina prædestinatione*, 7. *Œuvres complètes*, t. I, p. 444-445 : « Ἐπεὶ δὲ καὶ τὰ γενητά καθόλου διαιρεῖται εἴς τε τὴν ἀνθρωπίνην καὶ λογικὴν καὶ εἰς τὴν ἄλογον φύσιν, ὅσον μέν ἐστι τῆς θείας προνοίας περὶ τὰ ἄλλα τῶν γενητῶν ἰδίως τῷ τοῦ γένους ὀνόματι καλεῖται πρόνοια, ὅσον δέ ἐστι περὶ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν, προορισμὸς ἰδίως καλεῖται. »

2. Tractatus III, *De divina prædestinatione*, 12. *Œuvres complètes*, *ibid.*, p. 436 : « Οἵ τε γὰρ προωρισμένοι εἰς τὴν αἰωνίαν ζωήν, οἵ τε ἀπ'αὐτῆς ἀποδεδοκισμασμένοι διαφόρως μέν, ἀλλὰ καὶ ἄμφω τῇ διατάξει τῆς θείας προνοίας ὑποπεπτώκασι. » Nota tum providentiam tum prædestinationem dupliciter considerari posse, scilicet prout existunt in mente divina seu in ordine intentionis, et prout ad effectum in tempore deducuntur, seu in ordine executionis. In ordine ideali, providentia et *prædestinatio large sumpta, seu* ut est *rerum præfinitio in mente divina* idem omnino sunt. In eodem ordine, prædestinatio stricte sumpta, seu prout respicit electos ad gloriam, est pars providentiæ. Idem dicendum in ordine exsecutionis. Haud raro evenit, ut byzantini theologi modo de ordine ideali, modo de ordine exsecutionis loquantur, quin de hoc lectorem expresse moneant. Inde haud parva obscuritas eorum dictis quandoque inhæret.

III. — De providentia et prædestinatione apud Græco-Russos modernos.

Apud Græco-Russos modernos permanet aliqua diversitas in determinanda significatione vocum *providentia* et *prædestinatio*. Pauci significationes damascenianas retinent, vel pro libitu plus minusve extendunt. Ita, ut supra vidimus [1], *Confessio Petri Moghilæ* in quadam quæstione dicit Deum *prædestinare* seu *præfinire* tantum res bonas et non *prædestinare ea quæ a nobis pendent* [2]; paulo post vero, in alia quæstione vocem προορισμὸς definit determinationem præviam eorum omnium quæ ad consilium salutis hominum pertinent et bona sunt. Ab hac præfinitione excluduntur mala, quæ a Deo in præsenti rerum ordine permittuntur [3]. Vox vero πρόνοια de executione consilii divini intelligitur. Athanasius Pariensis vocem προορισμὸς ad solos electos restringit; dicit vero τὴν πρόνοιαν non complecti ea quæ in nostra sunt potestate [4]. Generatim tamen prævalet harum vocum significatio quæ inter theologos catholicos communis est, quam, ut vidimus, Georgius Scholarios suam jam fecerat. Inter theologos qui omnino perspicue definiunt providentiam citari potest Sylvester Lebedinskii :

« Providentiæ nomen, inquit, per se nihil aliud sonat nisi præeuntem rerum futurarum cognitionem; *providere* enim Latinis est futura conjectare vel certo scire. Græce appellatur πρόνοια, a προνοέω, quod est : *mente prævideo*. Nomen *providentiæ* accipitur pro ipso æterni divini consilii seu decreti exercitio, et præsupponit seu includit cum præscientiam (πρόγνωσιν) tum decretum (πρόθεσιν) Dei; vocatur alias actualis providentia. Tria ergo includuntur in providentia : præscientia, decretum et actuale ejus exercitium seu ipsa certa rerum tractatio. Providentia sic accepta duplex

1. P. 195.
2. I p., q. XXVI. Cf. p. 196.
3. I p., q. XXX. Cf. p. 195.
4. *Op. cit.*, p. 118 : « Τὰ ἐφ'ἡμῖν οὐ τῆς προνοίας ἐστὶν ἀλλὰ τοῦ ἡμετέρου αὐτεξουσίου. »

est : *communis*, qua res omnes tractantur, et singularis, qua peragitur negotium salutis humanæ. *Providentia Dei communis est actio Dei externa, qua totum mundum singulasque res in eo contentas, maximas, medias, minimas et earum motus, actiones, passiones curat ac tractat ad gloriam suam* [1]. »

Idem auctor distinguit tres gradus providentiæ, scilicet 1° *conservationem*, quæ est rerum in sua existentia sustentatio (sic), ne pereant; 2° *cooperationem*, quæ est actio Dei causis naturalibus in agendo concurrens; 3° *gubernationem*, quæ est singularium rerum earumque vicissitudinum ad quosdam fines et tandem ad ultimum, id est ad gloriam Dei sapientissima directio [2]. Eamdem providentiæ notionem tradit Macarius Bulgakov [3]. Alii compendiorum auctores, ut Philaretus Gumilevskii [4] et Andrutsus [5], concursum divinum includunt in ipso actu conservationis. De ipso concursu quædam infra subjiciemus.

ARTICULUS IV

De vitæ termino seu : Utrum tempus et genus mortis cujusque hominis a Deo prædefinita fuerint.

Celebris illa quæstio, quæ tum ad præscientiam divinam, tum ad providentiam spectat, jam a Patrum ævo agitari cœpit, a Byzantinis vero potissimum discussa est. Solutio quidem ex sanæ philosophiæ et theologiæ principiis omnino obvia est. Responsio non potest esse nisi affirmativa. Etenim :

1° Deus ab æterno omnia futura tanquam præsentia cognovit; ergo et tempus et modum mortis cujusque hominis;

2° Cum providentia Dei sit prorsus universalis et ad res omnes, etiam minimas, se extendat, certe ab ejus dominio

1. *Op. cit.*, p. 209-210.
2. *Ibid.*, p. 211-212.
3. *Bogoslovie*, t. I, ed. cit., p. 516.
4. *Op. cit.*, t. I, p. 149.
5. Δογματική, p. 113-116.

non excluditur mors hominum, de quibus Deus specialem curam habet, ut Scriptura docet;

3° Nihil in tempore fit quod ab æterno a Deo non fuerit et præcognitum et præfinitum. Nihil enim in executione divini et æterni consilii de præsenti rerum ordine casu obvenit, sed a Deo omnia singula, etiam minima, volita fuerunt sive voluntate beneplaciti et approbationis, sive voluntate permissiva. Ergo et mors et circumstantiæ mortis cujusque hominis a Deo præfinita sunt et aliquo modo volita.

Hæc sane magni Ecclesiæ doctores viderunt et expresse docuerunt, inter quos Scholarius citat Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Joannem Chrysostomum, Augustinum, Joannem Damascenum [1]. Basilius Magnus præsertim quæstionem perspicue solverat his verbis :

« Singula nobis a prudente Domino et bono ad nostram utilitatem irrogantur. Divitias enim aufert male utentibus, ut instrumentum, quo injustitiam perpetrabant, discutiat. Morbum immittit iis quibus utilius est habere membra præpedita quam motus paratos expeditosque ad peccandum. *Inducuntur quoque mortes, expletis vitæ terminis, quos unicuique ab initio constituit justum Dei judicium, quid cuique nostrum conducat longe prospicientis.* Jam vero fames, siccitates, imbres nimii, plagæ quædam sunt urbium ac gentium communes, mali immoderantiam punientes. Quemadmodum igitur beneficus est medicus, sive labores, sive dolores inferat corpori (nam cum morbo pugnat, non cum ægrotante), sic bonus est Deus, qui privatis pœnis inflictis omnium saluti consulit [2]. »

Hujusmodi quæstionem, quæ sæculo VIII inter controversias classicas theologiæ byzantinæ computabatur, Joannes Damascenus speciali mentione dignam non judicavit, sed ad eam in *Dialogo contra manichæos* obiter alludit, severe

1. *De providentia et prædestinatione*, tractatus I, 2; tractatus III, 14. *Œuvres complètes*, t. I, p. 414, 439.
2. *Homil. quod Deus non est auctor malorum*, 3, *P. G.*, t. XXXI, col. 333 : « Θάνατοι δὲ ἐπάγονται, τῶν ὅρων τῆς ζωῆς πληρωθέντων, οὓς ἐξ ἀρχῆς περὶ ἕκαστον ἔπηξεν ἡ δικαία τοῦ Θεοῦ κρίσις, πόρρωθεν τὸ περὶ ἕκαστον ἡμῶν συμφέρον προβλεπομένου. »

loquens de iis qui Basilii sententiæ non stabant, et negabant mortem singulorum hominum esse ab æterno a Deo præfinitam :

« Deus mutationi obnoxius non est, atque ex præcognitione, non ex postera agnitione judicat. Si igitur in diem judicat et definit, in diem quoque quod fit, cognoscit; quin etiam, ut quidam aiunt, nescientes quid dicant, pœnitentia ducitur, immo vitæ annos adjicit. Si enim pœnitentia ducitur ut annos addat, profecto et voluntatem et cognitionem variabilem habet, quod tamen Deo indignum est. Quod si annos Ezechiæ adjectos ex Scriptura objiciatis, hoc scitote Deum non sic eos adjecisse, quasi id ignorasset aut non prœfinisset; quin potuis ea quæ ad Ezechiam spectabant, et præscierat et præfinierat; verum pro sua providentia, ut saluti nostræ consuleret, sermonem ita composuit, quo quanta esset pænitentiæ vis declararet [1]. »

Ita etiam senserunt theologi veri nominis, ut sanctus Germanus Constantinopolitanus in *Dialogo de vitæ termino*, qui Basilii sententiam invictis argumentis tuetur contra adversarium vitæ terminum, ὅρον, a Deo fuisse immutabiliter præfixum. negantem [2]; Michael Psellus, Nicolaus Methonensis et Georgius Scholarius in specialibus dissertationibus, quas in articulo primo indicavimus. Scholarius præsertim quæstionem istam omni ex parte investigat, atque illustrat, bene ostendens quomodo divina providentia ad omnia se extendat, mundum universum et omnes homines regat, ad fines ab æterno præfinitos creaturas omnes dirigat, sive per se, quando scilicet per miraculosos suæ potentiæ interventus

1. *Dialogus contra manichæos*, 80, *P. G.*, t. XCIV, col. 1577-1580 : « Ἀλλ'αὐτὸς μὲν καὶ προέγνω καὶ προώρισε τὰ κατὰ τὸν Ἐζεκίαν. »

2. *De vitæ termino*, in *P. G.*, t. XCVIII, col. 89-132. Hic dialogus venit inter *Amphilochianas* Photii sub n. CXLIX usque ad verba : Ἔτι λαλεῖται, col. 129 C. Photius opus Germani ad verbum exscripserit. Hergenröther, *Photius von Konstantinopel*, t. III, p. 612-622, hunc dialogum fuse resolvit, nec improbabile reputat illum esse genuinum Photii fetum, p. 612, n. 14. De vitæ termino iterum agit Photius in *q. CCXL ad Amphilochium*, *P. G.*, t. CI, col. 1032-1040, ubi oppositam sententiam propugnat. Hergenröther, *ibid.*, p. 622, putat hanc quæstionem fine mutilam esse et hac ratione a contradictione Photium vindicat.

rerum cursui naturali se immiscet; sive per leges naturales a se positas; sive per actionem creaturarum libertate donatarum, cujus effectus et significationes per præscientiam novit, et in certo temporis puncto cum certo circumstantiarum nexu voluntate beneplaciti vel voluntate permissiva fieri decrevit. Omnes enim causæ secundæ, tum illæ quæ ad unum determinatæ sunt et in proprium finem necessitate feruntur, tum illæ quæ libero arbitrio gaudent, sunt quasi instrumenta causæ primæ, quæ ad executionem æterni sui consilii eis utitur, quin liberum arbitrium tollat vel lædat. De eis vero, qui sive tempus, sive modum mortis cujusque hominis præfinita fuisse negant, hoc fert judicium :

« Anastasium Sinaitam sanctum quidem virum fuisse non infitias ibo; theologi vero appellatione illum non decorabo, neque quemquam eorum, qui cum illo sentiunt, utpote qui genuinam theologorum mentem assequi non possunt... Neque cum Ecclesiæ doctoribus conciliare quæras sive Anastasium, sive alium quempiam ex simplicioribus qui postea vixerunt et præ ignorantia a sacræ theologiæ regula declinaverunt; sed cum reverentia eos præterire tibi sit satis... Scientia enim scientiarum est theologia, et altitudine prima sapientia, quæ ideo et ultima post omnem sapientiam humanam acquiritur [1]. »

Anastasius Sinaita inter eos utique venit qui oppositam sententiam tenuerunt; sed plures ante illum eam amplexi fuerant, scilicet Diodorus Tarsensis, qui quædam de hac quæstione inter se pugnantia profert [2]; pseudo-Justinus in *Responsione XXXIII ad orthodoxos* [3]; pseudo-Athanasius in

1. Tractatus IV, *De provid. et prædest.*, *loc. cit.*, p. 440-441 : « Ὅθεν οὐδὲ συμβιβάζειν τοῖς διδασκάλοις τὸν Ἀναστάσιον χρή, καὶ εἴ τις ἄλλος τῶν ἁπλουστέρων τε καὶ ὑστέρων ὑπ'ἀγνοίας τοῦ τῆς ἱερᾶς θεολογίας ἀποχωροίη κανόνος, ἀλλὰ παριέναι δεῖ μόνον αὐτοὺς εὐλόγως... Ἐπιστήμη γὰρ ἐπιστημῶν ἐστιν ἡ θεολογία καὶ πρώτη μὲν σοφία τῷ ὕψει, ἐσχάτη δὲ διὰ τοῦτο καὶ τελευταία τῇ μετὰ πᾶσαν ἀνθρωπίνην σοφίαν αὐτῆς ἐπιτεύξει. »

2. Cf. excerpta ab Scholario prolata in tract. III, *De providentia loc. cit.*, p. 429, 432, 433, 434. Notum est Diodorum magnum volumen scripsisse *Contra fatum*, de quo vide Photium, *Bibliotheca*, cod. CCXXIII, *P. G.*, t. CIII, col. 829-877. Τὸν ὅρον vitæ negavit Diodorus, ne τῆς εἱμαρμένης propugnatoribus suffragari videretur.

3. *P. G.*, t. VI, col. 1280.

Responsione CXIII *ad Antiochum* [1]. Post Anastasium, τὸν ὅρον vitæ negarunt Photius in *quæstione* CCXL *ad Amphilochium* [2]; Michael Glykas in *Capitibus quatuor de difficultatibus sacræ Scripturæ supra notatis* [3]; Nicephorus Blemmides in *Tractatu* nondum edito (in *cod. Vatic. 723*, fol. 212 sq. : 'Απόδειξις ὅτι οὐχ ὥρισται τοῦ καθ'ἕκαστον ἡ ζωή. Inc. : « 'Εγὼ μέν, ὦ φιλολόγοι »); Josephus Bryennius in *sermone* IV *de Salvatoris crucifixione* [4]. Hi omnes non negabant Deum ab æterno præscire tempus et modum mortis uniuscujusque hominis, sed dicebant Deum non *constituisse finem vitæ decreto immutabili et ineluctabili tanquam necessario eventurum sive per immediatum ipsius Dei interventum, sive per causas omnino necessarias.* Cæterum non una fuit omnium explicatio, non eædem difficultates, ob quas τὸν ὅρον repudiabant. Ita pseudo-Justinus negat mortem præfinitam esse, quia Ezechiæ lethaliter ægrotanti Deus plures addidit annos. Ergo, inquit, terminus vitæ Ezechiæ non erat præfinitus; siquidem, quod a Deo definitum est, id nec vi movere nec transgredi quis potest [5].

Pseudo-Athanasius non præcise negat vitæ terminum, sed dicit vitæ terminum a voluntate Dei pendere, qui dies addit cui voluerit, aufert vero a quo auferre libuerit, omnia agens ad uniuscujusque utilitatem [6].

Anastasius Sinaita ita respondet :

« Terminus vitæ aut annorum numerus non est cuilibet homini præfixus, sed hæc omnia in voluntate et actione Dei posita sunt, quando jubet et prout jubet. Illis vero qui omni modo contendunt prædefinitionem annorum apud Deum omnibus hominibus certam et immotam esse, hoc reponimus hinc consequi Deum aliquid mutilum et defectuosum fecisse, quod vel cogitare absurdum est. Iterum, si cujuslibet vita

1. *P. G.*, t. XXVIII, col. 668.
2. Cf. p. 210, n. 2.
3. Cf. p. 192, n. 1.
4. *Opera*, ed. Bulgaris, t. II, p. 318.
5. *Loc. cit.* : « Τὸ γὰρ παρὰ Θεοῦ ὡρισμένον, ἀδίαστόν τε καὶ ἀπαράβατον. »
6. *Loc. cit.* : « Ὅρος τῆς ἑκάστου ζωῆς ἐστιν ἡ κέλευσις καὶ ἡ βουλὴ τοῦ Θεοῦ. »

fixo et immutabili termino circumscribitur, *nullus ergo æger opem sanctorum imploret, nullus medicos advocet.* Nam quod Deus prædefinivit, id omnino fiet [1]. »

Addit præterea Anastasius ex præfinitione mortis argumentum desumi posse contra voluntatem salvificam universalem Dei : « Si Deus, inquit, omnem hominem vult salvum et neminem perire, quare, præcognita Juliani transgressioris apostasia et Judæ Iscariotæ negatione, non præstituit illis breviorem terminum vitæ? Mortui enim ante lapsum in perniciem, salvati fuissent. » Concludit terminum vitæ cujusque hominis esse incomprehensibilem jussionem Dei [2]. Vides verborum ambiguitatem et sententiarum inconsequentiam.

Photius, in *quæst.* CCXL *ad Amphilochium*, ideo negat finem vitæ esse statutum, quia Deus mortem non fecit : « Mortem operata est non Dei præscientia sed mandati transgressio... Totum Vetus Testamentum alium terminum secundum propositum (κατὰ πρόθεσιν) non agnoscit nisi unum illum, qui prævaricationi statuitur : *In qua hora comederitis, moriemini...* Quod si magnum Basilium afferant, male illum intelligunt qui id de eo opinantur. Ubique enim ita docet ex nobis existere mortem, non autem ex Deo [3]. »

Michael Glykas mortem hominum non esse præfinitam ex eo deducit quod tota vita nostra in hoc mundo necessitatibus ac legibus naturæ obligata sit, et quod a nostro libero arbitrio, a nostra libera agendi ratione aliquatenus pendeat vitæ brevitas vel longitudo. Hoc ex medicinæ usu, ex varia climaterica indole regionum, ex mortibus casualibus et immaturis, etc., colligit. Cæterum concedit Deum aliquando per miraculum cursum naturæ sistere et immutare posse.

1. Quæstio LXXXVIII, *P. G.*, t. LXXXIX, col. 713-716 : « Ὅρος οὐκ ἔστι παντὸς ἀνθρώπου προγεγραμμένος, ἢ ἀριθμὸς ἔτων, ἀλλ'ἡ βουλὴ καὶ ἡ πρᾶξις τοῦ Θεοῦ, ὅτε κελεύει καὶ ὡς κελεύει. »
2. *Ibid.* : « Οὐκοῦν, ὡς προεῖπον, καλῶς ἔχει λέγειν, ὅτι ὅρος τῆς ἑκάστου ζωῆς ἐστιν ἡ ἀκατάληπτος κέλευσις τοῦ Θεοῦ. » In fine dicit verba sancti Basilii de præfinitione mortis, quæ supra retulimus, intelligenda esse de divina sententia, quæ sic se habet : *Pulvis es, et in terram reverteris.*
3. *P. G.*, t. CI, col. 1031-1040.

Nec vult, ut præfinita dicantur quæ Deus tantum permittit, quin ea ullo modo approbet [1].

A sancto Germano discimus quosdam verba Basilii de mortis præfinitione ad eos tantum retulisse qui morte naturali obeunt, non vero ad eos qui sive ex hominum malitia, sive ex casuum et calamitatum necessitate præsenti vita decedunt [2]. Hanc autem distinctionem intulerunt, ne peccatum vel injustitiam Deo tribuere viderentur, et ut ejus providentiam excusarent.

Alterius distinctionis adinventor est Marcus Ephesius, qui docet Deum omnia quidem prænoscere, non præfinire autem nisi ea, quæ ad vitam et mortem justorum pertinent; sortem vero peccatorum et impiorum, sicut et brutorum, naturæ cursu gubernari; quod etiam ad divinam providentiam pertinet [3]. Si illi credas, Basilii verba non omnes homines, sed solos justos respiciunt. Hanc solutionem nequaquam probavit Scholarius [4]; quæ tamen reduci potest ad specialem providentiam qua Deus justos prosequitur, de qua etiam Scholarius ipse quædam habet.

1. De capitibus Glykæ circa hanc quæstionem, cf. supra, p. 192, n. 1 : « Τὰ τῆς ζωῆς ἡμῶν οὐχ ὑπόκειται πήξει καὶ ὅρῳ. » Cap. XXXVI, *loc. cit.*, t. I, p. 407 — « Φυσικῷ λόγῳ πρόσεστι ἡμῖν ἡ γέννησις, ἡ αὔξησις καὶ αὐτὸς ὁ θάνατος. » Cap. XXXVII, *ibid.*, p. 418. — « Λέγειν οὐκ εὔλογον ὅτι ἀδύνατον ἄνθρωπον ἀποθανεῖν, εἰ μήγε τὸ προωρισμένον ἀπὸ γενέσεως αὐτῷ καταλάβῃ τέλος. » *Ibid.*, p. 425.

2. *De vitæ termino*, 2, *P. G.*, t. XCVIII, col. 92 B.

3. Duas responsiones scripsit Marcus de hac quæstione. In prima, nondum edita, hæc habet : « Πάντα μὲν προγινώσκει ὁ Θεός, οὐ πάντα δὲ προορίζει, ἀλλὰ μόνα τὰ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν καὶ δικαίων· τούτων γὰρ καὶ τὸν βίον ἅπαντα καὶ τὰς πράξεις καὶ αὐτὸν τὸν θάνατον ὁ Θεὸς προορίζει· τὰ δὲ τῶν ἀσεβῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ὑπὸ τῆς φύσεως διοικοῦνται καθάπερ καὶ τῶν ἀλόγων ζῴων, οὐκ ἄνευ δὲ ὅμως τῆς τοῦ Θεοῦ προνοίας χαριζομένης αὐτοῖς τὸ ἁπλῶς εἶναι δι'ἀγαθότητα μόνην καὶ τὴν ἐπιστροφὴν αὐτῶν καὶ μετάνοιαν ἀεὶ προσμενούσης. » E *codice Parisino 1218*, fol. 131r. In altera, *Ad hieromonachum Isidorum* περὶ ὅρων τῆς ζωῆς, *P. G.*, t. CLX, col. 1193-1200, eamdem sententiam fusius exponit ac variis probat argumentis, sententiæ oppositæ rationes etiam adducens : « Τοῖς ἀρίστοις τε καὶ οἰκειοτάτοις τῶν πιστῶν ὁ Θεὸς οὐ τὴν τελευτὴν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ κατὰ τὸν βίον ἅπαντα προορίζει, » col. 1198 D. Videtur Marcus hic restringere τὸν προορισμὸν ad magnos sanctos, non vero ad omnes salvandos.

4. Cf. Tract. III, *De prædestinatione*, *loc. cit.*, t. I, p. 427-429.

Inter theologos epochæ modernæ unum tantum invenimus qui quæstionem de vitæ termino ex professo moverit — et quod omnino mirum est — responsionem negativam dederit : est Sylvester Lebedinskii, cujus verba referre juvat :

« *An Deus absoluto suo decreto constituerit unicuique et tempus et genus mortis ?* Nos respondemus ad hanc quæstionem *negative*, his ducti rationibus : 1° Quia Deus in præmium pietatis promittit longitudinem vitæ (Exod., XX, 12; XXIII, 26; Deut., IV, 39, 40; Ps. XC, 15, etc.); 2° Impiis minatur Deus vitæ diminutionem (Deut., IV, 25, 26; Ps. LIV, 24, etc.); 3° Ob alias causas piis etiam vita diminuitur, scilicet quibus nocituram longævitatem prævidet Deus (IV Reg., XXII, 20; Is., LVII, 1); 4° Pii orant pro longitudine vitæ suæ et alienæ (Ps. CI, 25; Num., XVI, 22, etc.); 5° Exemplis piorum et mandato Dei tenemur vitare mortis pericula (Gen., XXVII, 43, 44; Exod., II, 15; Matth., II, 13; X, 23, etc.) [1]. »

His et similibus rationibus non probari tempus et genus mortis cujusque hominis non fuisse a Deo præfinita aperte constat. Inde tantum colligitur Deum in suis decretis exsequendis uti non solum causis necessariis et legibus naturæ a se constitutis, sed etiam causis liberis, quarum actiones ab æterno infallibiliter prævidit et positive voluit, aut saltem permisit.

ARTICULUS V

De concursu divino.

De concursu divino ad operationes creaturarum in ordine naturali vix aliquid habent theologi byzantini, si Georgium Scholarium excipias, qui circa hanc quæstionem quædam a theologis latinis mutuatus est [2]. De concursu vero in ordine

1. *Op. cit.*, p. 212-213.

2. Cf. Tract. I, *De providentia et prædestinatione*, *loc. cit.*, p. 392-393, 403 : « Causæ secundæ Dei virtute omnia operantur, non solum quatenus eis semel contulit virtutem operandi, sed etiam quatenus eamdem virtutem continuo illis confert, ἀλλὰ καὶ τῷ διηνεκῶς τὴν αὐτὴν δίδοσθαι. — Omnium creaturarum virtutes, δυνάμεις, instrumentales sunt, ὀργα-

supernaturali per gratiam, quem voce συνεργία,, *cooperatio*, communiter designant, sæpe loquuntur; quorum doctrina in tractatu de gratia exponetur.

Necessitatem divini concursus in genere communiter docent moderni compendiorum auctores; quem aliqui, ut jam diximus [1], ad conservationem referunt, alii vero ab ipsa conservatione distinguunt. Hanc necessitatem quidam, ut Macarius [2] et Zikhos Rhosis [3], adstruunt tum contra deistas, divinæ providentiæ negatores, tum contra occasionalistas. Cæterum naturam ejus definire non tentant, voce συνεργία (russice *çodiestvie*) illum indicantes; nec ullum habent verbum de controversiis apud theologos catholicos circa hanc quæstionem agitatis.

Sæculo XVII, Nicolaus Kursulas de concursu divino in suo compendio haud pauca refert e penu nostrorum Scholasticorum hausta. Varias opiniones exponit. Sententiam Thomistarum de prædeterminatione physica actuum liberorum rejicit tanquam libertatis destructivam necnon doctrinæ sacræ Scripturæ et sancti Joannis Damasceni contrariam. Opinio Scoti illi magis arridet; eam tamen habet ut divinam causalitatem insufficienter servantem; cui anteponit doctrinam sancti Thomæ prout illam e nostris quidam intelligunt; siquidem dicit :

« Dicendum est illam divinam motionem non ita movere nostram voluntatem, ut illam necessario ad unum prædeterminet, sed ut maneat ad utrumque indifferens, seu, ut ait Damascenus (*De fide orth.*, l. II, c. XXVI), peræque contingens, « et possit hoc facere, vel illud, quod huic opponitur; hujus autem vel illius electionem facit mens nostra, quæ est actionis principium [4]. »

νικαί, respectu virtutis primi agentis. » De homine hæc habet, p. 403 : « Συντρέχει πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον ἥ τε προαίρεσις αὐτοῦ ἑκάστου καὶ ἡ ἐκ Θεοῦ συνεργία, ὅτι καὶ ἡ θέλησις ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ ἡ πρᾶξις ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστι. »

1. Cf. p. 208.
2. *Op. cit.*, t. I, p. 515, 523 sq.
3. *Op. cit.*, p. 349-354.
4. *Op. cit.*, t. I, p. 110 : « Ῥητέον ὅτι ἡ κίνησις ἐκείνη ἡ θεία κινεῖ μέντοι τὴν ἡμετέραν θέλησιν οὐχ ὥστε πρὸς ἓν αὐτὴν προδιορίζειν ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ὥστε μένειν ἐπίσης ἐνδεχομένην, τουτέστιν, ὡς ὁ θεολόγος ἔφη Δαμασκηνός, ἐπίσης ἐνδεχόμενόν ἐστιν ὁ αὐτό τε δυνάμεθα καὶ τὸ ἀντικείμενον αὐτῷ· ποιεῖται δὲ τούτου τὴν αἵρεσιν ὁ νοῦς ὁ ἡμέτερος, καὶ οὗτός ἐστιν ἀρχὴ πράξεως. » Cf. *ibid.*, p. 107-109, et locum supra laudatum, p. 197. Alludit ad verba sancti Thomæ, Iª-IIæ, q. IX, art. 6, ad 3 : Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum. Et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat sese ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. »

Sæculo XVIII, Theophylactus Gorskii, ad scholam Theophanis Procopovitch pertinens, de concursu divino fuse disserit ejusque naturam ita explicat :

« Etsi res creatæ propria quadam vi atque potentia aliquid efficiendi agendique polleant, Deus tamen ad omnes simul atque singulas illarum actiones et motus concurrit, ea quidem ratione, ut una eademque sit actio a Deo atque rebus creatis profluens [1]...

« In actionibus civiliter bonis ita concurrit divina providentia, ut non solum sustentet naturam agentem ac vires agendi largiatur, sed etiam eas actiones præcipiat, probet ac juvet; interdum ad illas homines etiam non renatos peculiariter excitet, easque præter intentionem illorum a quibus fiunt, ad fines ultimos transferat (cf. Is., XLV, 1, 3).

« Actiones spiritualiter bonas ita præcipit ac probat Deus, ut per Spiritum Sanctum eas ipse efficiat ac operetur, cum alias ex nobis tanquam ex nobis non simus idonei aliquid boni cogitare, nedum facere (II Cor., III, 5). Postquam autem renati sumus, ita agimur, ut etiam agamus, id est, voluntas hominis per vires non naturæ, sed Spiritus Sancti gratia sibi concessas cooperetur, et est instrumentum cooperativum [2]. »

De concursu autem ad actiones malas idem auctor hæc habet :

« Actiones hominum malas Deus nec præcipit, nec vult, nec adjuvat, nec ad eas impellit, sed, e contrario, peccatum quodvis toto animo exsecratur, damnat, severissimis legibus prohibet, gravissimis pœnis ulciscitur... In malis autem actionibus concurrit : 1° *præsciendo* vel potius *sciendo* ac *videndo;* nihil enim effugit oculos ejus sole clariores (Eccli.,

1. *Op. cit.*, ed. Petrop., 1818, p. 131.
2. *Ibid.*, p. 133.

XXIII, 28); quæ tamen præscientia absolutam aliquam necessitatem malis actionibus non adfert...; 2° *naturam hominis sustentando;* in ipso enim movemur (Act., XVII, 28)... Fit autem hoc propter Filii intercessionem, et hæc Dei bonitas invitat ad pœnitentiam... Distinguendum autem accurate inter *motum* seu *actionem ipsam*, et *actionis vitium*. Actio ut actio non est peccatum; alias omnes actiones essent peccata; sed vitium et defectus in actione est peccatum. Vitium vero istud et defectus non est a causa universali, sed a causa proxima, videlicet hominis voluntate; 3° eas *permittendo*. Non enim vult Deus peccatum, et tamen non impedit; quæ est permissio (cf. Rom., I, 24; Act., XIV, 16)... Referendi huc septem modi vel potius causæ finales permissionis divinæ, quas recenset sanctus Damascenus. 4° *Deserendo*. Quando enim homo resistit Spiritui Sancto et ruit in scælera, Deus gratia sua hominem deserit, vel etiam datam subtrahit (cf. I Reg., XV, 26; XVI, 14). Duas desertionis species constituit sanctus Damascenus : alteram vocat *dispensativam* et *correctoriam...;* alteram nominat *finalem...;* 5° *Satane tradendo*. Deus enim tanquam justus judex homines a se aversos diabolo tanquam exsecutori divinæ justitiæ tradit, a quo ad varia scelera impelluntur (cf. Jerem., XIV, 14; III Reg., XXII, 20); 6° *metas præfiniendo:* sæpe enim in medio impietatis ac scelerum cursu metas objicit impiis (Is., VIII, 10; historia Jobi); 7° Denique concurrit Deus in malis actionibus *bonum ex illis eliciendo* (cf. Is., X, 5; Gen., L, 20) [1]. »

Dum alii theologi concursum divinum voce συνέργεια, id est *cooperatio*, communiter designant, Zikos Rhosis illum vocat ἐπενέργεια, id est *influxus*, *actio superposita*.

« Operatio providentiæ Dei, inquit, in gubernandis hominibus est interna et externa. Quatenus est interna, est influxus ejus (ἐπενέργεια) in hominem, per quem Deus dirigit cogitationes et volitiones ejus (Proverb., I, 1, 2). Per hanc autem directionem cogitationum et volitionum hominis, liberum arbitrium illius non tollitur, sed excitatur tantum, illuminatur et confortatur ad rectam operationem. Huic interno influxui in spiritum hominis Deus conjungit etiam influxum

1. *Ibid.*, p. 133-136.

(ἐπενέργειαν) externum per externas circumstantias et fortunæ vicissitudines, quas ad hominis instructionem disponit [1]. »

1. *Op. cit.*, p. 356 : « Ἡ ἐνέργεια τῆς προνοίας τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ διευθύσει τῶν ἀνθρώπων εἶνε ἐσωτερικὴ καὶ ἐξωτερική. Ὡς ἐσωτερικὴ μὲν εἶνε ἐπενέργεια αὐτοῦ εἰς τὸν ἄνθρωπον, δι' ἧς ὁ Θεὸς διευθύνει τὰ φρονήματα καὶ τὰ βουλήματα αὐτοῦ.

TRACTATUS DE SANCTISSIMA TRINITATE

PRÆNOTAMINA

Sanctissimæ Trinitatis mysterium ad hanc veritatum revelatarum classem pertinet, quæ inde a primis Ecclesiæ sæculis, multiplicium hæresum ortu variisque disputationibus ansam præbentibus, plene explicatæ sunt ac certis formulis conceptæ. Unum tamen caput huic mysterio intimum in antiqua Ecclesia aliquatenus involutum remansit, illud scilicet quod Filii et Spiritus Sancti mutuam relationem respicit. Docuerunt sane plerique Patres, quum græci tum latini, Spiritum Sanctum Filio uniri per aliquam originis relationem, quam Græci per formulam : *Spiritus a Patre per Filium procedit*, Latini vero per verba : *A Patre Filioque procedit*, plerumque significarunt. Utrum vero Spiritus Sanctus a Filio *eodem titulo*, quo ex Patre, procedat, vix eorum aliquis et ex professo quæsivit et expresse aperire tentavit, si unum excipias Augustinum, qui rem sufficienter illustravit, dum docuit Spiritum a Patre *principaliter* procedere, a Filio vero non separatim a Patre, quasi esset alterum Spiritus principium, sed quatenus Filius a Patre habet, ut de illlo procedat Spiritus Sanctus, unumque sunt Pater et Filius ejusdem Spiritus principium, in actu spirationis non *personaliter* divisi sed in essentia indistincte uniti. Porro Augustini doctrinam ignorarunt Græci, non semper animadverterunt aut bene perpenderunt ipsi Latini, ex quibus fuit diaconus ille roma-

nus, nomine Rusticus, qui sæculo VI ineunte scribebat : *Ego, quia Spiritus quidem non genuit sempiterne, profiteor (nec enim duos dicimus Patres) ; utrum vero a Filio eodem modo, quo ex Patre, procedat, non perfecte habeo satisfactum* [1]. In tomo primo hujus nostri operis fuse enarravimus quomodo illa quæstio de Spiritus Sancti processione Photio Constantinopolitano occasio fuit novam hæresim excogitandi, dum ipse hæreseos crimen Occidentalibus inferre voluit. Diximus etiam hujusmodi litem per totam periodum Byzantinam Ecclesiarum discidio præcipuum fundamentum in re dogmatica præbuisse innumeraque scripta polemica peperisse. Cum autem hujus contentionis historiam ad tempus usque Michaelis Cærularii et Theophylacti Akridensis perduxerimus, restat ut ejus ulteriorem evolutionem inde a sæculo XII ineunte ad nostra tempora prosequamur.

Præter hanc de Spiritus Sancti processione investigationem admodum pauca de Græco-Russorum trinitaria theologia referre habemus. Si enim eorum classica compendia recenti ætate composita inspexeris, vix aliquid mentione dignum invenies præter communes theses positivas de mysterii revelatione tum in Veteri, tum in Novo Testamento, de dogmatis historica evolutione primorum conciliorum œcumenicorum tempore, de personarum consubstantialitate, mutuis relationibus, individuis proprietatibus. Quæstiones scholasticas prorsus omittunt, de vestigiis Trinitatis in rerum natura vel in mente humana jejuna quædam quandoque proferentes. Hæc quidem de theologis recentioribus. Circa finem vero epochæ byzantinæ necnon sæculis XVII et XVIII, ex illis quidam speculationes scholæ haud ignorarunt, de variis systematibus disseruerunt, huic vel illi suffragantes.

Notandum est autem polemicam impugnationem dogmatis catholici de processione Spiritus Sancti ab utroque apud plerosque theologos dissidentes hunc exitum habuisse, ut in negationem veritatum ab antiquis Patribus absque controversia edoctarum, etsi in conciliis œcumenicis haud expresse definitarum, illos sensim induceret. Ita missionis divinæ notionem plerique adulterarunt, a processione æterna illam

1. *Contra Acephalos disputatio, P. L.*, t. LXVII, col. 1237.

omnino separantes. Doni increati largitionem in justificationis actu infitiati sunt, solum donum creatum retinentes; quin etiam quidam eo usque progressi sunt, ut realem distinctionem ponerent inter essentiam divinam et unamquamque personam. Hujusmodi a vera doctrina deflexiones sedulo indicabimus.

Sub tribus capitibus omnia dicenda ordinamus, scilicet :

Caput I : De notione mysterii sanctissimæ Trinitatis apud Græco-Russos;

Caput II : Mysterium Trinitatis et humana ratio in theologia Græco-Russorum;

Caput III : De processione Spiritus Sancti in Ecclesia græco-russica a sæculo XII ad nostra tempora.

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE MYSTERII SANCTISSIMÆ TRINITATIS APUD GRÆCO-RUSSOS

Prænotamina.

Seposita quæstione de processione Spiritus Sancti, doctrina Græco-Russorum de Trinitate cum catholica in præcipuis quidem convenit; in quibusdam vero quæstionibus secundariis occurrunt differentiæ plus minusve graves, si non apud omnes, saltem apud quosdam, vel etiam plerosque theologos. Sicut enim alibi, ita etiam hic exspectanda non est unanimitas inter dissidentes. Hujusmodi autem discrepantiæ referuntur ad quatuor : 1° ad distinctionem personarum ab essentia divina; 2° ad divinæ personæ constitutivum; 3° ad notionem missionis divinæ; 4° ad appropriationem seu ad relationem inter personas et attributa communis essentiæ. Quædam insuper addenda erunt de modo loquendi de hoc mysterio. Unde hujus capitis quinque erunt breves articuli, scilicet :

1° De distinctione personarum ab essentia divina;

2° De constitutivo personæ divinæ necnon de distinctione personarum ab invicem;

3° De notione missionis divinæ, seu de relatione inter processiones et missiones;

4° De appropriatione, seu de relatione inter personas et attributa divina;

5° De modo loquendi de hoc mysterio.

ARTICULUS I

De distinctione personarum ab essentia divina.

Secundum doctrinam catholicam, tres personæ divinæ ab invicem quidem realiter distinguuntur, unaquæque tamen earum singillatim sumpta non *re*, sed *virtualiter* tantum ab

ipsa essentia divina differt ac distinguitur, ita ut in veritate profitendum sit Patrem esse essentiam divinam, Filium esse eamdem divinam essentiam, Spiritum Sanctum item esse eamdem. Hanc doctrinam, quam antiqui Patres sive implicite sive æqualibus terminis tradiderunt, concilium Lateranense IV contra Joachimum abbatem expresse definivit his verbis :

« Credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quæ veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres simul personæ ac sigillatim quælibet earumdem; et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia *quælibet trium personarum est illa res; videlicet substantia*, essentia seu natura divina... et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater qui generat, et Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit [1]. »

De indole distinctionis, quæ inter unamquamque personam et naturam divinam intercedit, Byzantini ex professo cogitasse non videntur ante controversiam palamiticam. Palamitæ omnium primi, ut suam sententiam de distinctione reali inter essentiam divinam et ejus operationem firmarent, ejusdem generis distinctionem inter essentiam et personas divinas posuerunt, quasi realis distinctio inter personas ipsas existens similem necessario induceret distinctionem inter unamquamque personam et essentiam, immo vero inter unamquamque personam et ejus proprietatem hypostaticam similem docuerunt distinctionem. De hac Palamitarum doctrina jam supra locuti sumus [2], nec est cur dicta repetamus. Quotquot autem inter dissidentes palamismo valedixerunt, distinctionem hujusmodi tanquam gravem errorem rejecerunt, inter quos nominandus est N. Kursulas, qui eumdem errorem in Scoto ejusque discipulis expresse confutat, quasi eorum distinctio formalis a parte rei palamiticæ distinctioni æquiparanda esset :

« Hæc opinio Scoti, inquit, tanquam fidei orthodoxæ exi-

1. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum et definitionum*, n. 432.
2. Cf. supra, p. 74.

tiosa ab aliis theologis repudiatur ; eamdem enim realem distinctionem ponit (quamvis hoc non dicat) inter divinam essentiam et personam, quam ponit inter tres personas ad invicem. Nos sane personas inter se realiter distingui docemus, quatenus diversam habent oppositionis et relationis et processionis rationem ad invicem, quamvis ab invicem revera separari nequeant [1]. »

Eidem errori affinis est thesis Photianorum circa processiones divinas, qui post suum magistrum docent Filium et Spiritum Sanctum *a sola persona* Patris procedere, nequaquam vero ab ejus essentia, quasi persona Patris re aliud esset ab essentia divina. Huic axiomati photiano in tomo primo responsum dedimus [2]; cui synodus Constantinopolitana, anno 1285, contra Joannem Veccum in Blakhernarum palatio congregata [3], publice suffragata est sequentibus anathematismis :

« Iisdem, qui contendunt unam essentiam et divinitatem Patris et Filii existentiæ Spiritus causam esse, quod nemo sanæ mentis unquam dicere vel sentire visus est, condemnationis sententiam inferimus [4]. »

« Iisdem, qui contendunt Patrem causam esse Sancti Spiritus non ratione hypostasis, sed ratione naturæ, atque exinde et ipsum Filium causam Spiritus necessario faciunt, quippe qui eamdem ac Pater naturæ rationem habet... condemnationis sententiam inferimus [5]. »

1. *Op. cit.*, t. I, p. 236-240 : « Ἀλλ' αὕτη ἡ δόξα τοῦ Σκότου ὡς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ἀναιρετικὴ παρὰ τῶν λοιπῶν ἀποδοκιμάζεται θεολόγων· τὴν αὐτὴν γὰρ πραγματικὴν διάκρισιν (κἂν μήτε λέγῃ) τίθησι μεταξὺ τῆς θείας οὐσίας καὶ τοῦ προσώπου ἣν τίθησι μεταξὺ τῶν τριῶν προσώπων. » P. 237 Rationibus Scotistarum per singula respondet auctor.

2. P. 196-199.

3. De hac synodo vide V. Laurent : *Les signataires du second synode des Blakhernes*, in *Échos d'Orient*, t. XXVI (1927), p. 129-149.

4. « Τοῖς αὐτοῖς διϊσχυριζομένοις ὡς ἡ μία οὐσία καὶ θεότης Πατρὸς καὶ Υἱοῦ τῆς τοῦ Πνεύματος ὑπάρξεως ἐστὶν αἰτία.... τὴν προαναγεγραμμένην ψῆφόν τε καὶ καταδίκην ἐπάγομεν. » Ex *cod. Dionys. Athon. 150*, fol. 50. Cf. *P. G.*, t. CXLI, col. 241 B.

5. « Τοῖς αὐτοῖς διατεινομένοις ὅτι ὁ Πατὴρ αἴτιος τοῦ ἁγίου Πνεύματος οὐ τῷ λόγῳ τῆς ὑποστάσεως, τῷ δὲ λόγῳ τῆς φύσεως, κἀκ τούτου καὶ τὸν Υἱὸν ἀναγκαίως αἴτιον ἀποφαινομένοις τοῦ Πνεύματος, κτλ. » *Ibid.* Cf. *P. G.*, t. CXLI, col. 241 D.

Hujusmodi thesi omnes fere polemistæ post Photium adhæserunt, ut dogma catholicum impugnarent. Quidam tamen oppositam sententiam tenuerunt; inter quos invenimus Nicetam Seidem in quodam opusculo polemico de processione Spiritus Sancti nondum edito :

« Quid est, inquit ille, procedere (τὸ ἐκπορεύεσθαι)? Num cogitasti verbum significare missionem (τὸ ἀποστέλλεσθαι)? — Minime, sane respondebis. Quid ergo? — Habere existentiam *ab essentia Patris*, ex qua et Filius habuit nativitatem [1]. »

Quot vero et quantas absurditates ex palamiticis distinctionibus logice fluant, dilucide aperit Manuel Calecas in suo opere : *De processione Spiritus Sancti ad eos qui dicunt Filium Dei non esse ex substantia Patris* [2]. Ad hoc enim adducti sunt theologi photiani post magistrum, ad testimoniorum Patrum, Spiritum Sanctum esse ex substantia Patris et Filii, vel ex essentia Filii asserentium, vim declinandam, ut docerent hujusmodi dictiones significare solam consubstantialitatem, non originem et processionem, Filium vero, qua hypostasis est a Patre distincta, non ab essentia Patris, sed ab ejus persona et hypostasi existentiam habere; et similiter de Spiritu Sancto, nempe eum ex sola hypostasi Patris procedere, quamvis dicatur ex essentia Patris et Filii, vel ex essentia Filii simpliciter. Palamitæ vero hanc doctrinam tanto libentius arripuerunt, quod eorum distinctioni reali inter essentiam et hypostasim congrueret; quos in hunc modum confutat Calecas :

« Quoniam substantiam ab hypostasi contradistinguunt, dicentes alteram non esse alteram, hypostasim non esse substantiam manifesto concedent. Quod enim substantiæ opponitur substantia non est. Atqui quod non est substantia,

1. « Τί δέ ἐστι τὸ ἐκπορεύεσθαι; μὴ τὸ ἀποστέλλεσθαι νενόηκας τὴν λέξιν σημαίνειν; Οὐδαμῶς, πάντως φήσεις. Ἀλλὰ τί; Τὸ ἐξ αὐτῆς τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας ἔχειν τὴν ὕπαρξιν, ἐξ ἧσπερ δὴ καὶ ὁ Υἱὸς ἔσχε τὴν γέννησιν ». Λόγος σχεδιασθεὶς πρὸς Ῥωμαίους καὶ δύο ταῦτα ἀποδεικνύων. ὅτι τε αἰδεσιμώτερα τὰ νέα τῶν παλαιῶν, καὶ ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνον, οὐχὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, ἐκπορεύεται τὸ ἅγιον Πνεῦμα. In *cod. Atheniensi 483*, fol. 157v.

2. Πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός. *P. G.*, t. CLIV, col. 863-958.

utique non est substantia; quod autem non est substantia est ἀνούσιον; quod autem est ἀνούσιον non subsistit (ἀνυπόστατόν ἐστι); unde hypostasim Patris non subsistentem ponunt [1].

« Hoc idem sentire se ostendunt ex iis, quæ de essentia et operatione disputant. Ibi enim Deum in substantiam et operationem dividentes, et aliud essentiam ponentes, aliud operationem, et hanc ab essentia distinguentes, eam esse ἀνούσιον καὶ ἀνυπόστατον decernentes, manifestum est quod etiam hoc loco hypostasim ab essentia distinguentes, hypostasim ad ordinem operationis pertinere statuent. Dicunt enim omnia quæ in Deo sunt, essentiam esse vel operationem; accidens enim neque ipsi admittunt, sed operationem non subsistentem esse putant ἀνυπόστατον, adeo ut hypostasim, quam aliud ab essentia esse contendunt, et non substantialem neque subsistentem esse secundum suas positiones fateri cogantur [2]. »

« Cum igitur ex his quæ dicunt, ostensum sit hypostasim et operationem non subsistere..., secundum ipsos, hypostasis erit non substantialis, substantia autem non subsistentialis (ἀνυπόστατος); et quoniam theologi de divina generatione Filii loquuntur indifferenter, nunc illum ex substantia Patris generari dicentes, nunc vero ex hypostasi, si revera aliud est substantia, et aliud hypostasis, juxta modum ab ipsis adversariis intellectum, alterutrum erit : aut duos filios ex Patre generari ipsis fatendum erit, aut Filii generationem non unam esse ac simplicem [3].

« Præterea, quoniam proprietates constituere hypostases dicuntur, ut paternitas hypostasim Patris; quippe apud theologos persona et hypostasis idem est; concedent ex non subsistente esse subsistens, ipsam videlicet Patris personam, quam subsistere fides fatetur [4]. »

1. *Ibid.*, c. I, col. 866 BC : : « Τὸ γὰρ ἀντικείμενον τῇ οὐσίᾳ οὐκ ἔστιν οὐσία, καὶ ἡ οὐσία πρὸς τὸ μὴ ὂν οὐσία ἀντίκειται. Ἀλλὰ τὸ μὴ ὂν οὐσία οὐκ ἔστιν οὐσία· ὃ δὲ οὐκ ἔστιν οὐσία, ἀνούσιον· τὸ δὲ ἀνούσιον, ἀνυπόστατον. »
2. *Ibid.*, col. CD.
3. *Ibid.*, col. 868 B.
4. *Ibid.*, col. 868 CD : « ὁμολογήσουσιν ἐκ τοῦ μὴ ὑφεστῶτος τὸ ὑφεστώς, αὐτὸ δηλαδὴ τὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός. »

Alia absurda deducit Calecas, quæ notare supersedemus, cum ejus opus adire cuique liceat.

ARTICULUS II

De constitutivo personæ divinæ necnon de distinctione personarum ab invicem.

Byzantini de constitutivo personæ divinæ nullam speculationem habent, sed post Patres græcos repetunt divinas hypostases esse diversos existendi modos, τρόπους ὑπάρξεως, in una essentia divina tribus communi. Passim quidem in eorum scriptis reperies in Deo esse relationes, sed ad notionem relationis ut sic non attendunt; immo quidam ex eis tibi dicent nomen *Spiritus*, Πνεῦμα, non esse nomen relativum [1]. Personas communiter considerant sub aspectu *proprietatum*, ἰδιωμάτων, non sub aspectu relationum, easque proprietates hypostaticas enumerant, quas Patres græci posuerunt.

In periodo moderna, sæculis scilicet XVII et XVIII, quidam Scholastici veri nominis tum apud Græcos, tum apud Russos

1. Ita Germanus II in *Responsione synodali ad Confessionem fidei papæ necnon ad Fratres Minores ab eo missos* (Ἀπάντησις πρὸς τὴν ὁμολογίαν τοῦ Πάπα καὶ πρὸς τοὺς ὑπ'ἐκείνου σταλέντας. Φρεμενουρίους καὶ λοιπούς περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος) : « Λέγεται ὁ Υἱὸς προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, ὅτι ἡ σχέσις τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ τῶν ἅμα ἐστὶ καὶ τῶν πρός τι· ὁ δὲ λόγος τοῦ Πνεύματος οὐκ ἔστι τῶν πρός τι. Εἰ γὰρ ἐρεῖς ὁ Λατῖνος ὅτι τῶν πρός τι ἐστί, πῶς ἡ τριὰς ὅλη πνεῦμα λέγεται; ζητήσεις γὰρ καὶ τὸν ταύτην πνέοντα, καὶ ἀντὶ Τριάδος ἔσται τετράς. Ὅτι γοῦν οὐκ ἔστιν ἡ σημασία τοῦ Πνεύματος τῶν πρός τι, διὰ τοῦτο εἴρηται ὁ Υἱὸς προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ Πνεῦμα ἐκ τοῦ πρώτου: Dicitur Filius *immediate ex primo*, quia relatio Patris et Filii eorum est, quæ sunt simul et ad aliud. Ratio autem Spiritus non ad ea pertinet quæ sunt ad aliud. Si enim dixeris, o Latine, quia est ex iis quæ sunt ad aliud, quomodo Trinitas tota dicitur spiritus? Quæres enim et illum qui eam spirat, et loco Trinitatis quaternitas erit. Quoniam igitur significatio Spiritus non est eorum, quæ sunt ad aliud, ideo Filius dictus est esse *immediate ex primo*, Spiritus vero *ex primo*. » Hanc Germani dogmaticam epistolam invenies ad calcem *Chronici Georgii Frantzis*, ab Altero editam, Vindobonæ, 1796, p. 139 sq.

meridionales occurrunt. Hi doctrinam sancti Thomæ de personis divinis, de processionibus, de relationibus necnon de notionibus generatim amplectuntur, ea tantum excludentes quæ cum processione Spiritus Sancti *a Patre solo* componi non possunt. Axioma Latinorum : *In divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio*, sibi appropriant, sed illud ad suum conceptum accommodant dicendo : *In divinis nihil est absolutum quod omnibus tribus personis non competat, et nihil relativum quod uni et soli non competat* [1]; quod dogmati catholico de processione Spiritus Sancti ab utroque viam præcludit.

Inter Scholasticos illos primas tenet N. Kursulas, qui in suo compendio omnes theses thomisticas de relationibus divinis, de personis necnon de processionibus contra sententias oppositas quorumdam aliorum (Scoti, Durandi, etc.) multis argumentis propugnat. Per ordinem enim docet in Deo esse relationes reales numero quatuor; quasdam esse invicem oppositas et ideo inter se realiter distingui, alias simpliciter dispares, quæ ab invicem realiter non distinguuntur; personas constitui per relationes; quinque esse notiones hypostaticas (γνωρίσματα) ex relationibus fluentes [2]. Posita autem quæstione de constitutivo personæ divinæ, hæc tria statuit :

1º Si personæ divinæ realiter et absolute considerentur, neque per relationes, neque per processiones solas, sed per utrasque distinguuntur et constituuntur [3];

2º Si eædem virtualiter considerentur, similiter et per relationes et per processiones constituuntur et distinguuntur. Etenim inter relationem et processionem non adest virtualis

1. Ita Hilarion Negrebetskii, theologiæ professor in Academia Kioviensi anno 1733-1734, in tractatu manuscripto de Trinitate juxta exemplum alumni Dionysii Novakovitch in monasterio serbico Grgetegensi asservatum. Cf. S. Salaville, *Manuscrits latins de Denys Novakovitch au monastère serbe de Grgeteg*, in *Échos d'Orient*, t. XXVII (1928), p. 175-187.

2. *Op. cit.*, p. 226-246.

3. *Op. cit.*, t. I, p. 242 : « Πραγματικῶς καὶ ἀπολελυμένως θεωρούμενα, οὔτε διὰ τῶν σχέσεων, οὔτε διὰ τῶν προόδων μόνων, ἀλλὰ δι 'ἀμφοτέρων διακρίνονται καὶ συνίστανται. »

distinctio, sed tantum distinctio rationis. Utraque ergo ex æquo constituit hypostasim [1];

3º Si comparetur processio cum relatione, quatenus sola ratione distinguuntur, valde probabile est, juxta Thomæ sententiam, relationem magis esse idoneam quam processionem ad personam constituendam. Processio enim minus idonea existimatur, quatenus consideratur ut via et fluxus, vel etiam ut actio transiens, et consequenter præsupponit personam jam constitutam. Operatio enim supponit personam; relatio vero concipitur ut permanens et ut terminus in facto esse, et consequenter magis idonea, quanquam neutra seorsum, sed utraque simul ad integram personæ constitutionem concurrere debet [2].

Inter recentes theologos solum invenimus Zikum Rhosim qui existentiæ modos antiquorum dicat esse « tres diversas relationes Dei ad seipsum » :

« Hypostasis, inquit, est modus existentiæ unius essentiæ seu unius Dei in relatione ejus ad seipsum... Tres isti modi existentiæ unius essentiæ Dei sunt tres diversæ relationes Dei ad seipsum. Divina essentia et totalitas divinorum attributorum in unaquaque trium personarum existit, quatenus omnia attributa divina seu proprietates unicuique earum tribuuntur. Unde persona aliqua in Deo concipienda non est tanquam proprietas quædam seu attributum : ita Filius non est attributum (ἰδίωμα) Patris. Similiter hypostasis concipienda non est secundum rationem quantitatis, tanquam pars totius majoris sive divinæ essentiæ, sive unius cæterarum personarum [3]. »

Ad distinctionem autem personarum ab invicem quod

1. *Ibid.*, p. 243 : « Δυνάμει τά θεῖα πρόσωπα θεωρούμενα, ὡσαύτως συνίστανται καί διακρίνονται διά τε τῶν σχέσεων καὶ προόδων. »

2. *Ibid.*, p. 243-244 : « Πιθανόν ἐστι λίαν κατὰ τὴν τοῦ Θωμᾶ δόξαν πεφυκέναι μᾶλλον τὴν σχέσιν ἐπιτηδείαν ἢ τὴν πρόοδον πρὸς τὴν τῆς ὑποστάσεως σύστασιν. »

3. Σύστημα δογματικῆς, p. 245-246 : « 'Η ὑπόστασις εἶνε ἔνθεν μὲν τρόπος ὑπάρξεως τῆς μιᾶς οὐσίας ἢ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ ἐν τῇ πρὸς ἑαυτὸν σχέσει αὐτοῦ... ἔνθεν δὲ τρόπος ὑποκαλύψεως αὐτοῦ ἐν τῷ κόσμῳ... Οἱ τρεῖς οὗτοι τρόποι τῆς ὑπάρξεως τῆς μιᾶς οὐσίας τοῦ Θεοῦ εἶνε τρεῖς διάφοροι σχέσεις τοῦ Θεοῦ πρὸς ἑαυτόν. 'Η θεία οὐσία καὶ τὸ σύνολον τῶν θείων ἰδιωμάτων ὑπάρχει ἐν ἑκάστῃ τῶν τριῶν ὑποστάσεων. »

attinet, Græco-Russi communiter negant hanc distinctionem necessario fundari super relatione originis opposita. Ad realem personarum distinctionem sufficit juxta illos — et in hoc cum Scotistis conveniunt — diversitas originis ab uno eodemque principio. Unde docent Spiritum Sanctum realiter a Filio distingui, quamvis ab eo Spiritus Sanctus suam originem vel existentiam non habeat, quia modus procedendi Spiritus a Patre non est idem ac modus procedendi Filii ab eodem. Filius enim procedit a Patre per generationem, Spiritus vero ab eodem per spirationem seu processionem stricte dictam (ἐκπόρευσις). Hanc positionem inde a sæculo XII ineunte contra Latinos tenuerunt. Cum enim Petrus Grossolanus, Mediolanensis episcopus, Eustratio Nicæno objecisset : « Si ex Patre sunt ambo, Filius et Spiritus Sanctus, et hoc ab eo differunt et distinguuntur, quod ex eo sunt, ipse autem ex nemine est, non est autem Spiritus ex Filio, differentia Filii et Spiritus ad invicem nullo pacto inveniri poterit [1] », respondit theologus græcus : « Differunt inter se Filius et Spiritus, quia ambo ex Patre sunt aliter et aliter, ille scilicet per generationem, hic vero per processionem [2]. »

Eamdem responsionem semper dederunt polemistæ antilatini; qui post elapsum sæculum XIII, sancto Thomæ thesim Grossolani propugnanti Scotum ejusque discipulos opponere consueverunt. Ipse N. Kursulas, qui sententias thomisticas fere semper amplectitur et dogmati catholico de processione Spiritus Sancti ab utroque haud obscure favet, quamvis illud aperte docere non audeat, positionem Scotistarum expresse propugnat his verbis :

« Posito quod Spiritus Sanctus a solo Patre procedat, adhuc et ita a Filio realiter distingui potest; quod sic probari

1. « Εἰ ἐκ τοῦ Πατρός, φησίν, ἄμφω ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα, καὶ τούτῳ αὐτοῦ διαφέρετον, ὅτι ἐξ αὐτοῦ, αὐτὸς δὲ ἐξ οὐδενός, οὐκ ἔστι δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ, οὐκ ἔσται διαφορὰν εὑρεῖν πρὸς ἄλληλα τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος. » Apud Eustratium Nicænum, Ἔκθεσις τῆς γεγονυίας διαλέξεως ἐνώπιον τοῦ αὐτοκράτορος κυρίου Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ πρὸς Γροσσολάνον Μεδιολανῶν περὶ τῆς τοῦ παναγίου Πνεύματος, ἐκπορεύσεως πρὸ τῶν ἀντιρρητικῶν ῥηθεῖσα, in Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη Andronici Dematrocopuli, Lipsiæ, 1866, p. 89.

2. *Ibid.* Demetracopulus, *op. cit.*, p. 90 : « Ἐπεὶ ἐκ Πατρὸς ἄμφω ἄλλως καὶ ἄλλως, ὡς τὸ μὲν γεννητῶς, τὸ δὲ ἐκπορευτῶς. »

potest. Filius enim per solam filiationem a Sancto Spiritu sufficienter distingui potest; nam unumquodque a cæteris distingui natum est per quæ in suo esse constituitur. Atqui Filius per solam filiationem in sua hypostasi constituitur. Ergo per solam filiationem distinguitur. Nec dicas nunc eum per filiationem distingui, quatenus filiatio oppositionem processionis habet inter Filium et Spiritum; quamvis enim talis oppositio non esset, sufficit processio diversa et quasi separata Filii per generationem, Spiritus per processionem [1].

« Adhuc demonstratur : Si oppositio necessaria esset ad distinctionem Filii et Spiritus Sancti, oporteret eam relativam esse. Atqui, etiamsi procedit Spiritus Sanctus a Filio, talis relationis oppositio non existit. Etenim, etiam sic, filiatio, qua filiatio, non opponitur relative Spiritui Sancto. Ergo relationis oppositio necessaria non est ad distinctionem..... Paternitas et spiratio passiva seu processio realiter distinguuntur, et tamen relative non opponuntur. Similiter generari et spirari sunt productiones diversæ et ab invicem distinctæ, et tamen relative non opponuntur [2]. »

ARTICULUS III

De notione missionis divinæ necnon de relatione inter processionem æternam et missionem temporalem.

Doctrina Græco-Russorum de missionibus divinis a doctrina inter catholicos theologos communiter recepta haud parum differt. Primum quidem apud theologos dissidentes subtiles distinctiones et accuratas definitiones, quæ apud nostros occurrunt, non invenies : v. g., non clare distinguunt

1. *Op. cit.*, t. I, p. 252-253 : « Θετέον οὖν, ὅτι ὑποκειμένου τοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, ἔτι καὶ οὕτω δύναται πραγματικῶς διακρίνεσθαι τοῦ Υἱοῦ... ὁ γάρ τοι Υἱὸς δύναται ἀρκούντως διὰ τῆς υἱότητος μόνης διακρίνεσθαι τοῦ ἁγίου Πνεύματος. »

2. *Ibid.*, p. 253-254 : « Εἰ γὰρ ἔδει ἀντίθεσιν εἶναι πρὸς τὸ διακρίνεσθαι τὸν Υἱὸν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἔδει ταύτην εἶναι σχετικήν· ἀλλὰ κἂν ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, ἡ τοιαύτη τῆς σχέσεως ἀντίθεσις οὐκ ἔστι· καὶ γὰρ καὶ οὕτως ἡ υἱότης, ᾗ υἱότης, οὐκ ἀντίκειται σχετικῶς τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. »

inter missionem visibilem et missionem invisibilem; objectum seu scopum missionum non præcise decernunt. Tota eorum de natura missionum speculatio polemicam habuit originem; siquidem, quando de missionibus divinis agunt, hoc unice fere sibi proponunt, ut vim argumenti enervent, quod ex missionibus catholici theologi conflant ad probandum Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere et existentiam habere. In hoc eis præivit ipse Photius non quidem in scriptis ubi ex professo agit de processione Spiritus Sancti, sed in *Quæstionibus amphilochianis* CLIX et CLXXXVIII, ubi argumenti Latinorum fundamentum plane evertit docendo unamquamque personam Trinitatis, Patre non excepto, et alias mittere et ab aliis indifferenter mitti; quod ut statuat, ad quosdam textus Scripturæ provocat : Is., XLVIII, 16 : *Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus* — Is., LXI, et Luc., IV, 18 : *Spiritus Domini super me..... evangelizare pauperibus misit me* [1]. Post ipsum, theologi byzantini eamdem sententiam de personis missis et mittentibus communiter tenuerunt, iisdem Scripturæ textibus innixi; nec ab eo recedunt plerique moderni.

Graviter ergo adulterant Græco-Russi notionem missionis, quatenus negant missionem importare nexum necessarium cum processione ad intra, hanc imitari, manifestare et quasi reproducere ad extra. Duplicem siquidem communiter distinguunt processionem; unam ad intra, quæ ab æterno est, ex qua in suo esse hypostatico constituuntur personæ divinæ; alteram ad extra, quam vocant temporalem, quæ est ipsa missio. Processio temporalis tribus personis communis est. Terminus ad quem hujus processionis est is effectus temporalis in creatura productus, qui utique tribus personis communis est, sicut quælibet operatio ad extra. Quantum autem ad *terminum a quo*, processio temporalis seu missio simplicem manifestationem externam personæ missæ a persona mittente significat. Hæc manifestatio externa nullam necessariam relationem habet ad processionem ad intra; est quid prorsus accidentale et extrinsecum, ad ordinem historicum pertinens [2].

1. Cf. t. I, p. 207-210.
2. Nullum locum theologorum referimus. Exceptis enim quibusdam theologis russis, de quibus infra agetur, dissidentes omnes negant hunc necessarium nexum inter processionem æternam et processionem temporalem seu missionem.

Cæterum, circa ipsam indolem hujus externæ manifestationis inter se non conveniunt. Includitne ista manifestatio realem largitionem personæ missæ a persona mittente creaturæ factam, ita ut, præter donum gratiæ creaturæ justificatæ collatum, fiat etiam communicatio doni increati, id est ipsius personæ divinæ, quæ novo modo novoque titulo in creatura existere incipiat ? Huic quæstioni non unum dederunt responsum : *Ante controversiam palamiticam, plerique, NON OMNES, docuerunt in missione ipsam personam divinam creaturæ communicari. Post hanc controversiam, plerique NON OMNES, tenuerunt personam divinam nullo pacto dari vel communicari, et nihil aliud in missione viderunt quam operationem tribus personis communem, qua creaturæ communicatur gratia, quæ, juxta Palamæ systema supra expositum, increata pronuntiatur, habeturque ut quædam effulsio æterna et increata divinæ essentiæ. Ipsa hæc operatio est manifestatio Patris et Filii et Spiritus Sancti, et non tantum personæ missæ vel mittentis.*

Primi polemistæ, post Photium et Michaelem Cærularium, nihil solennius habuerunt, quam ut Latinis exprobrarent, quod processionem æternam cum missione seu processione temporali confunderent; non tamen illorum plerique negarunt quod tam luculente docent græci Patres, nempe quod in missione persona divina ipsa, præter gratiam et dona, hominibus communicatur. Vide in tomo primo hujus operis verba Nicetæ philosophi [1], Euthymii patriachæ [2], auctoris opusculi *Contra Francos* [3], Michaelis Pselli [4], et præsertim Theophylacti, qui probe distinguit inter dona Spiritus Sancti et ipsam Spiritus personam. Ut enim Latinorum argumentum everteret, ex insufflatione Christi in discipulos post resurrectionem desumptum, sequentia scripsit :

« Insufflat autem, et dat eis Spiritum Sanctum, non per-

1. P. 291-292.
2. P. 298.
3. P. 300.
4. P. 303.

fectum donum Spiritus Sancti nunc eis tribuens (hoc enim in Pentecoste daturus erat), *sed ad susceptionem Spiritus idoneos eos reddens...* Post Ascensionem autem, *cum ipse Spiritus descendisset*, et signorum et aliorum charismatum virtutem eis largitus est..... Si tunc dedit discipulis Spiritum, quando insufflavit, quomodo postea dixit eis : *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti super vos non post multos hos dies;* vel quomodo in Pentecoste credimus factum descensum Spiritus, si quidem in vespera diei Resurrectionis dedit illum [1]? »

Sæculo XII, multi polemistæ Theophylacti verba repetunt. Ita, v. g., Eustratius Nicænus [2], Nicolaus Methonensis [3], Nicetas Nicomediensis [4], Michael Glykas [5]; sæculo XIII, Germanus II [6]. Mystici auctores item de donatione personæ Spiritus Sancti et personarum divinarum inhabitatione in anima justi sæpissime loquuntur, inter quos nominandus est

1. *Comment. in Joannem*, c. XX, 19-23, *P. G.*, t. CXXIV, col. 297; *Epist. ad Nicolaum*, 4, *P. G.*, t. CXXVI, col. 228; *In Joan.*, c. III, 32-34, *P. G.*, t. CXXIII, col. 1224. Cf. t. I, p. 306-307, 309-310.

2. Λόγος πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, κατασκευάζων ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ, οὐχὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται. Apud A. Demetracopulum, Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη, p. 47-71, speciatim p. 67-68.

3. Περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, syllog. 36, apud Demetracopulum, *op. cit.*, p. 373.

4. Apud Anselmum Havelbergensem, *Dialogi*, l. II, c. XIII, *P. L.*, t. CLXXVIII, col. 1182 D : « Spiritus Sanctus participatus, non participans; replens non repletus; continens, non contentus; *hæreditatus post Christum ab apostolis.* »

5. Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς, Soph. Eustratiades, t. I, c. XXX, p. 338, 346-347.

6. Papadopulus Kerameus, Ἀνέκδοτος συνοδικὸς ὅρος θεσπισθεὶς ὑπὸ τῆς ἐν Νυμφαίῳ συγκροτηθείσης συνόδου τῷ 1233 ἔτει, Constantinopoli, 1882, p. 20 : « Εἰ τότε ἔδωκε τὸ Πνεῦμα, πῶς ἔλεγεν ὅτι « λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς »; ἢ πῶς ἐν τῇ Πεντηκοστῇ πιστεύομεν γενέσθαι τὴν κάθοδον τοῦ ἁγίου Πνεύματος; » Documentum primum editum in Ἐκκλησιαστικῇ Ἀληθείᾳ, 1882; iterum ab Hier. Golubovitch, *Disputatio Latinorum et Græcorum seu Relatio apocrisariorum Gregorii IX de gestis Nicææ in Bithynia et Nymphææ in Lydia*, 1234, in *Archivo franciscano historico*, t. XII (1919), p. 466-470. *Loc. cit.*, p. 469.

Symeon, Novus Theologus, qui non solum docet animam sanctam esse templum Spiritus Sancti, sed insuper contendit hujus inhabitationis animam necessario consciam esse, nec fieri posse, ut quis manentes in se habeat personas Trinitatis quin earum præsentiam intime experiatur [1].

Quidam tamen polemistæ, etiam ante Palamam, negare jam incipiunt personam Spiritus Sancti animæ justæ revera dari illo modo speciali, qui infusionem charitatis et gratiæ comitatur. Si illis credas, non persona divina, sed ejus dona tantum communicantur, vocemque *Spiritus* in illis sacræ Scripturæ vel Patrum locis, ubi sermo est de missione, donatione, inhabitatione Spiritus Sancti, de ipsis donis spiritualibus interpretantur. Suam sententiam firmant testimonio pseudo-Chrysostomi, qui in quadam homilia *De Spiritu Sancto*, ab ipso Photio olim citata, hæc habet :

« Si autem audieris dicentem : « Mittam vobis Spiritum « Sanctum », ne secundum divinitatem accipias; Deus enim non mittitur. Nomina sunt hæc operationem significantia, eo quod omnis qui mittit, in illa mittit loca in quibus non est... Igitur cum dicit : « Mittam vobis Spiritum Sanctum », donum dicit Spiritus; et ut discatis donum mitti, Spiritum autem non mitti, Salvator dicit apostolis : « Manete in Jeru- « salem, donec induamini virtute ex alto. »... Scriptura dicit : « Deus effudit donum Spiritus Sancti. » Divinitas non effunditur, sed donum. Propter hoc, ut demonstraretur quia hoc, quod effunditur non est Spiritus Sanctus, sed Spiritus Dei gratia, dicit David Christo : « Effusa est gratia in labiis tuis. » Gratia, non qui largitur gratiam, effunditur [2]. »

1. Cf. ejus *Sermonem de iis qui putant inconscie habere in seipsis Spiritum Sanctum* : Περὶ τῶν οἰομένων ἀγνώστως ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ab J. Hausherr editum, in commentario *Orientalia christiana*, t. IX (1927), p. 173-209, præsertim p. 198-201 : Ἰδοὺ οὖν ἐδιδάχθης, ὅτι καὶ μένει καὶ κατοικεῖ εἰς ἀτελευτήτους αἰῶνας. Vide etiam Theodorum Andidensem, *Commentatio liturgica*, 31, 32, 39, *P. G.*, t. CXL, col. 460, 468 : « Χωρητός ἐστιν ὁ Λόγος εἰς πᾶσαν ψυχὴν τὴν ἀξίως ἑτοιμάσασαν ἑαυτὴν εἰς κατοικίαν αὐτοῦ· προς ἣν οὐκ αὐτὸς μόνος, ἀλλὰ καὶ τὸν Πατέρα ἔφησε σὺν αὐτῷ ἐλεύσεσθαι καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσεσθαι », col. 468 A.

2. *P. G.*, t. LII, col. 825-826 : : « Θεὸς οὐκ ἀποστέλλεται. Ὀνόματά ἐστι ταῦτα τὴν ἐνέργειαν σημαίνοντα... Ἡ δωρεὰ πέμπεται, τὸ δὲ Πνεῦμα

Sæculo XII, hæc verba laudat Andronicus Camaterus in sua Ἱερᾷ Ὁπλοθήκῃ, ut ostendat non personam Spiritus, sed ejus charismata tantum hominibus tribui; quem confutat Joannes Veccus, illi opponens tum aperta Christi Salvatoris in Evangelio verba, tum aliorum Patrum græcorum, præsertim vero sancti Cyrilli Alexandrini testimonia, quorum evidentia luce clarior[1]. Huic quæstioni idem Veccus dicat suam octavam *Epigraphen*, hanc præmittens monitionem :

« Cum quidam, audientes Spiritum Sanctum ex Filio existere, emanare et provenire, non divinam naturam Spiritus ex divina essentia et natura Filii emanare et effluere, inaudita interpretatione contendant, sed de spiritali dono dignis adveniente hoc accipere consueverunt... hac ratione hujusmodi donum concipientes, quasi sejunctum ac divisum a divina Spiritus natura intelligeretur, præsentes scripto mandatæ auctoritates collectæ sunt, ex quibus quilibet cognoscere poterit... ipsum Spiritum Sanctum, unum de Trinitate Trinitatisque completivum, qui est divina natura et perfectus Deus sicut Pater et Filius, revera indicari, ubi ille dicitur prodire, et exsilire et existere ex Filio[2]. »

Gregorius Palamas et ejus discipuli missionibus divinis suam doctrinam de reali distinctione inter essentiam Dei et ejus operationem aptant in hunc modum : Cum divina essentia et ipsæ personæ divinæ sint ex se prorsus inaccessæ,

οὐκ ἀποστέλλεται. » Hanc homiliam suspicamur Severiani Gabalensis esse. Huic nostræ opinioni suffragantur quidam codices. Cf. etiam Theophylactum, *Expositio in Act. apostolorum*, c. II, *P. G.*, t. CXXV, col. 451 B. Notandum est Scholam Antiochenam ad hanc missionis divinæ interpretationem propensionem habuisse, ut patet ex Theodoreto, Nestorio et aliis.

1. J. Veccus, *In Camateri animadversiones*, *P. G.*, t. CXLI, col. 419-428.

2. *P. G.*, t. CXLI, col. 673. Si Philotheo Kokkino fides adhibenda, *Contra Gregoram Antirrhet.*, VI, *P. G.*, t. CLI, col. 915-920, Georgius Cyprius, patriarcha Constantinopolitanus, eamdem ac Camaterus de Spiritus Sancti missione sententiam tenuerit; quod tamen non apparet ex ejus scriptis editis. Fuit tamen sub aliquo respectu Palamæ præcursor Gregorius ex sua de manifestatione æterna Spiritus per Filium doctrina. Cf. B. De Rubeis, *Dissertatio I in Georgium Cyprium*, *P. G.*, t. CXLII, col. 109-110.

imparticipabiles et incommunicabiles, missio personæ divinæ intelligi non potest nisi de operatione Trinitati communi, speciatim vero de hac operatione, quæ nomen habet *gratia*. Cum autem operatio ista, sicut et omnes aliæ Dei operationes, sit aliquid divinum, increatum et æternum, a divina natura realiter quidem distinctum, ab ea vero revera inseparabile, sequitur missionem aliquo pacto vocari posse *processionem* (πρόοδον) *æternam*. Hujusmodi autem æterna processio, quæ in tempore manifestatur, est solummodo *secundum operationem*, κατὰ τὴν ἐνέργειαν, *non secundum naturam*, κατὰ τὴν φύσιν, *nec secundum subsistentias seu personas*, κατὰ τὰς ὑποστάσεις. Respicit creaturas, *est ad extra;* non respicit personas nec processiones ad intra. Duplex ergo distinguenda est processio æterna, una secundum subsistentiam personarum in essentia divina; altera secundum operationem essentiæ, quæ tribus personis communis est. Ubi Scriptura dicit unam personam ab alia mitti, hoc nullatenus significat personam missam creaturæ communicari, creaturam inhabitare speciali modo ac titulo; hoc enim omnino impossibile est. Hujusmodi missio nihil aliud indicat quam manifestationem externam et temporalem illius operationis æternæ et increatæ, quæ *gratia* vel *dona Spiritus* appellatur; quæ quidem tribus personis communis est, communicatur autem animabus dignis, vel potius eas attingit, ad eas se extendit, sicut lux cujusdam solis æterni, quæ certo temporis momento novam regionem, novas res prius in tenebris positas illuminat.

In hac speculatione seu conceptione, sequentes locutiones Scripturæ vel Patrum : *Spiritus Sanctus a Filio mittitur, prodit, profunditur* vel *effunditur, ex Filio est, elucet*, etc., significant quidem aliquam *processionem æternam* Spiritus Sancti a Filio, sed non in ordine ad existentiam personalem Spiritus. Hujusmodi processio fit tantum secundum operationem, κατὰ τὴν ἐνέργειαν, in ordine ad sanctificationem creaturæ, et ut talis non potest non esse tribus personis communis. Quatenus autem respicit creaturam, seu quantum ad terminum ad quem, potest etiam dici *processio temporalis*. In se spectata est revera quædam *ostensio* et *manifestatio trium personarum* sub aspectu quo personæ manifestari et

cognosci possunt, nempe per æternam earum operationem, quæ creaturas attingit easque sanctificat.

Hæc est genuina notio missionis divinæ in theologia palamitica. Audi Palamam missionem Spiritus Sancti in sua *Confessione fidei* describentem :

« Spiritus in se subsistens, a Patre procedens et per Filium missus, *id est manifestatus*, causa et ipse omnium creaturarum, utpote in ipso perfectarum, idem Patri et Filio in honore æqualis præter innascibilitatem et generationem. Missus est autem a Filio ad proprios discipulos, id est *manifestatus est*. Quomodo enim alio modo mitteretur, cum ab eo non separetur? Aut quomodo aliter mihi advenire possit, cum ubique sit præsens? Ideo non solum a Filio, sed etiam a Patre et per Filium mittitur, et a seipso venit ad sui manifestationem. *Opus enim commune missio, id est manifestatio Spiritus. Manifestatur autem non secundum essentiam :* Nemo enim unquam Dei naturam vidit aut enarravit; *sed secundum gratiam et virtutem et operationem, quæ Patri et Filio et Spiritui Sancto communis est* [1]. »

In sua secunda dissertatione *De processione Spiritus Sancti contra Latinos* idem hæc habet :

« Filius dat Spiritum Sanctum, sed secundum donum et gratiam et operationem; non dat ipsam personam Spiritus Sancti; a nemine enim hæc accipi potest... Mitti et dari, quando de Deo agitur, nihil aliud est quam manifestari [2]. »

Eamdem doctrinam tenent genuini Palamæ discipuli. Eam fuse exponit Philotheus Kokkinus in *Antirrhetico* VI *contra Nicephoram Gregoram* docentem tres personas Trinitatis animam justi inhabitare :

« Si tres divinæ hypostases, ut dicis, unumquemque eorum,

1. *P. G.*, t. CLI, col. 766 : « Κοινὸν γὰρ ἡ ἀποστολή, δηλονότι ἡ φανέρωσις τοῦ Πνεύματος. Φανεροῦται δὲ οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν · οὐδεὶς γάρ ποτε Θεοῦ φύσιν ἢ εἶδεν ἢ ἐξηγόρευσεν, ἀλλὰ κατὰ τὴν χάριν καὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἐνέργειαν, ἥτις κοινή ἐστι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος. » Cf. ejusdem *Homiliam* VIII *de fide*, *P. G.*, *ibid.*, col. 100 D.

2. Λόγος δεύτερος περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, Constantinopoli, 1627, p. 54, 61 : « Δίδωσι Πνεῦμα ἅγιον, ἀλλὰ κατὰ τὴν δωρεὰν καὶ τὴν χάριν καὶ τὴν ἐνέργειαν, οὐκ αὐτὴν τήν ὑπόστασιν τοῦ παναγίου Πνεύματος · παρ'οὐδενὸς γὰρ αὕτη λαμβάνεσθαι δύναται... Οὐδὲν ἄλλο τὸ πέμπεσθαί τε καὶ δίδοσθαι ἐπὶ Θεοῦ ἢ τὸ φανεροῦσθαι. »

qui Deo digni sunt, inhabitant, deiformes singuli multo superabunt hoc divinum templum, quod modo incomprehensibili propter nos habitavit Unigenitus Dei Filius, quatenus illud unum tantum Trinitatis in seipso secundum hypostasim unitum habuit [1]... Participatur Spiritus non secundum essentiam, non secundum personam; hoc enim a theologia prorsus alienum est; sed secundum divina charismata et operationes... Ex his omnibus didicisti Spiritum Sanctum in dignis habitare secundum operationem, non secundum hypostasim. Ejus operatio, non ejus persona, in illis habitat, Dei templa eos efficiens; et per divinam operationem et gratiam totum Spiritum inhabitantem habent. In omni enim dono totus Spiritus, utpote operans, secundum analogiam adest [2]. »

In suo longo *Tractatu contra Latinos*, Macarius Ancyranus præsenti quæstioni quatuor capita dicat, quorum tituli doctrinam in eis propugnatam sufficienter exprimunt :

C. LXXVI : Quod Spiritus Sanctus in die Pentecostes in apostolos effusus non erat ipse divina persona, sed donum et gratia et operatio ejus, quæ etiam dicitur Spiritus Sanctus.

C. LXXVII : Quod aliud est Spiritus Sanctus, Trinitatis una persona, et aluid illius, vel potius communis Patris, Filii et Spiritus Sancti largitio et gratia et virtus et operatio.

C. LXXVIII : De dissonantia, quam quidam in orationibus Magni Basilii die Pentecostes recitatis inveniunt, et quod Spiritus in Pentecoste effusus non erat una persona Trinitatis, sed ejus donum et gratia; hæc enim dividitur.

C. LXXIX : Adhuc, quod Spiritus Sanctus, una persona sanctissimæ Trinitatis et semper sibi est idem, et invisibilis et aliis incommunicabilis; et quod ejus gratia et donum, quæ,

1. *P. G.*, t. CLI, col. 893.

2. *Ibid.*, col. 901, 902 : « Μετέχεται γοῦν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ κατὰ τὴν οὐσιάν, οὐ κατὰ τὴν ὑπόστασιν..., ἀλλὰ κατὰ τὰ θεῖα χαρίσματα καὶ τὰς ἐνεργείας... Ἔμαθες διὰ τούτων πάντων ὅτι ἐνεργητικῶς, ἀλλ'οὐχ ὑποστατικῶς, δηλονότι ἡ ἐνέργεια, ἀλλ'οὐχὶ ἡ ὑπόστασις τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐστιν ἡ τοῖς ἀξίοις ἐνοικοῦσα καὶ Θεοῦ ναοὺς τούτους ἐργαζομένη, καὶ ὅτι διὰ τῆς θείας ἐνεργείας καὶ χάριτος ὅλον αὐτοῖς ἐνοικεῖ τὸ Πνεῦμα. Παντὶ γὰρ χαρίσματι, φησίν, ὅλον ὡς ἐνεργοῦν ὑπάρχει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. »

sicut Spiritus Sanctus, ita et Deus dicitur, quandoque et videtur et dividitur et ab omnibus participatur [1].

Josephus Bryennius in hac quæstione Palamæ plane consentit :

« Nemo sanæ mentis, inquit, opinatur personam Spiritus sive ex Patre, sive ex Filio, sive et ab utroque procedere, et ita hominibus advenire; cum enim natura Deus sit, non solum sub hoc respectu omni naturæ creatæ invisibilis est, sed etiam Cherubim ipsis secundum naturam imparticipabilis est [2]. »

Theologorum et polemistarum epochæ modernæ maxima pars huic sententiæ palamiticæ suffragatur, etiam illi qui in cæteris theologo hesychastarum contradicunt. Nihil in missione vident quam operationem sanctificatoriam ad extra tribus personis communem, et uni vel alteri personæ *propter rationes nobis ignotas* a sacra Scriptura peculiariter tributam. Post pseudo-Chrysostomum et Palamam repetunt personam divinam, quatenus Deus est, nullatenus mitti, dari vel communicari posse, missionem vero dici solummodo quantum ad effectum ad extra in creatura productum, quatenus persona missa, *consentientibus et cooperantibus aliis*, aliquid gratiose incipit operari. Ita præsertim docet Adamus Zernikavius, polemistarum græco-russorum, qui in epocha

1. Κατὰ Λατίνων. Apud Dositheum, Τόμος καταλλαγῆς, p. 132-139 : « Ὅτι τὸ κατὰ τὴν Πεντηκοστὴν ἐκχυθὲν Πνεῦμα ἅγιον εἰς τοὺς ἀποστόλους οὐκ αὐτὸ ἦν τὸ θεαρχικὸν πρόσωπον, ἀλλ' ἡ δωρεὰ καὶ χάρις καὶ ἐνέργεια αὐτοῦ, Πνεῦμα ἅγιον καὶ αὐτὴ λεγομένη.

« Ὅτι ἄλλο Πνεῦμα ἅγιον, τὸ ἓν πρόσωπον τῆς Τριάδος, καὶ ἄλλο ἡ τούτου, μᾶλλον δὲ ἡ κοινὴ Πατρὸς, Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος δωρεὰ καὶ χάρις καὶ δύναμις καὶ ἐνέργεια.

« Περὶ τῆς δοκούσης τισὶ διαφωνίας ἐν ταῖς κατὰ τὴν Πεντηκοστὴν εὐχαῖς τοῦ μεγάλου Βασιλείου, καὶ ὅτι τὸ κατὰ τὴν Πεντηκοστὴν ἐκχυθὲν Πνεῦμα οὐ τὸ ἓν πρόσωπον τῆς Τριάδος, ἀλλ'ἡ τούτου δωρεὰ καὶ χάρις· αὐτὴ γὰρ καὶ μερίζεται.

« Ἔτι, ὅτι τὸ μὲν Πνεῦμα ἅγιον, τὸ ἓν πρόσωπον τῆς ἁγίας Τριάδος, ἀεί τε ταὐτὸν αὐτό ἐστιν ἑαυτῷ, ἀόρατόν τε καὶ πρὸς τοῖς ἄλλοις ἀκοινώνητον· ἡ δὲ τούτου χάρις καὶ δωρεά, ὡς Πνεῦμα ἅγιον, οὕτω καὶ Θεὸς λεγομένη, ἔστιν ὅτε καὶ ὁρᾶται καὶ μερίζεται καί παρὰ πάντων μετέχεται. »

2. Λόγος η' περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος. *Opera omnia*, ed. E. Bulgaris, t. I, Lipsiæ, 1768, p. 344 : « Οὐδεὶς ὑγιαίνων τὰς φρένας δοξάζει τὴν τοῦ Πνεύματος ὑπόστασιν... ἐπιδημεῖν τοῖς ἀνθρώποις. »

moderna fuerunt, in quæstione de processione Spiritus Sancti absque controversia princeps; cujus dicta plerique recentiores nunc longius, nunc brevius resumunt. Latinis concedit quidem ille, contra Photium et multos alios, Patrem nunquam mitti, quod Filii et Spiritus Sancti principium est; at vero Filium ab Spiritu Sancto mitti contendit secundum Is., XLVIII, 16 (quem locum de ipso Filio intelligit), Is., LXI, 1, et Luc., IV, 18; missionem autem refert ad solam operationem ad extra tribus personis communem : « Certum est, inquit, Spiritum Sanctum non aliter quam ratione donorum, id est secundum gratiæ operationes mitti... Venire et mitti dicitur ubi sua charismata seu suas gratiosas operationes perficere incipit [1]. »

In suo *Tractatu de processione Spiritus Sancti*, Theophanes Procopovitch Zernikavii præcipuas conclusiones ratas habet; e suo penu tamen quasdam profert explicationes, ex quibus sequentes notare juvat. Primum quidem, sicut Zernikavius, tenet Patrem non mitti. Cur autem non mittatur, plures rationes adinvenit : 1° quod gratiosa opera in reparatione humani generis Patri *peculiariter* non tribuantur. « Ergo ad ista opera Pater *quasi* non progreditur adeoque nec mitti aut missus esse dici potest. Concipimus enim Patrem quasi offensum a nobis regem sedere nobisque majestatis illius reis æternum supplicium decernere, Filium autem mediatoris munus obire; et ubi ille Patrem pro nobis placavit, Spiritum Sanctum concipimus circa conversionem et instructionem nostram occupatum esse... 2° Ad operationem autem, quæ

1. *De processione Spiritus Sancti a solo Patre.* Tractatus VIII, in versione græca Eugenii Bulgaris, t. II, Petropoli, 1797, p. 1-69 : « Βέβαιον ἄρα, ὅτι τὸ ἅγιον Πνεῦμα οὐκ ἄλλως ἢ τῷ λόγῳ τῶν δωρεῶν, ἤτοι κατὰ τὰς διὰ τῆς χάριτος ἐνεργείας ἐστὶ πεμπόμενον... Ἐπεὶ τοίνυν τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ὡς πάντα ἐν πᾶσιν ἐνεργῶν, κατὰ τὴν οὐσίαν τὴν ἑαυτοῦ οὐδαμόθεν ἀπέστι, κἀντεῦθεν οὐδαμόσε κατὰ τὴν αὐτοῦ οὐσίαν δύναται πέμπεσθαι, τὸ ἅγιον ἄρα Πνεῦμα ἐρχεσθαί τε καὶ πέμπεσθαι λέγεται ἔνθα τὰ ἑαυτοῦ ἐκχέειν χαρίσματα, ἤτοι τὰς ἑαυτοῦ κατὰ χάριν ἐνεργείας ἄρχεται ἀποτελεῖν ... Ὡς ἥδιστα μὲν ἡμεῖς ἐκεῖνο συνομολογοῦμεν τὸ τὸν αἰτίαν τοῦ εἶναι μὴ ἔχοντα μηδὲ πέμπεσθαι, καὶ τὸ τὸν πεμπόμενον τὴν αἰτίαν ἔχειν τὴν ἐξ ἧς παράγοιτο ἐξ ἀνάγκης. Ψευδές γε μὴν τὸ (ἐντεῦθεν)... συνάγεσθαι καὶ τὸν πεμπόμενον ἐξ ἀνάγκης παρῆχθαι παρὰ τοῦ πέμποντος. Πέμπει δῆπου τὸν Υἱὸν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. » P. 51, 54, 67.

Patri peculiariter seu singulariter tribui solet, hoc est ad creationem, rursus non potest dici missus esse Pater, quia missio præsupponit esse illam rem, ad quam quis mitti dicitur... Ergo ex defectu termini ad quem, ut loquuntur, creatio non potest dici *missio*, atque adeo neque Pater, dum creat, mitti ad hoc recte diceretur; 3° Alia ratio subit, itidem in usu loquendi Scripturæ sacræ fundata. Filius venit nomine Patris, tanquam mediator noster ab ipso ad hoc destinatus, Joan., v, 43... Spiritus autem Sanctus venit in nomine Filii, Joan., xiv, 26 [1]. »

Singularem autem rationem profert cur Spiritus Sanctus a Filio mittatur : videlicet quia Filius meritis suis obtinuit, ut nobis Spiritus Sanctus daretur [2].

« Dicitur autem Filius a Spiritu Sancto missus, tum quod ad opus a Filio susceptum consensit Spiritus Sanctus eique uti Deo Deus idem cooperatus est; et quia opus hoc proprie terminabatur ad secundam personam, ideo Filius, qui est persona secunda, dicitur *missus*, Spiritus autem Sanctus, ut et Pater, *mittens;* tum etiam quia Spiritui Sancto peculiariter tribuitur quod ipse Christum ut hominem illustraverit et corroboraverit ad negotium œconomiæ salutis nostræ [3]. »

Fatetur Procopovitch aliquot Patres putasse personam missam a persona mittente ortum suum et esse æternum derivare; verum hanc opinionem rejicit ut falsam [4]. Totum autem suum de missione conceptum breviter sic contrahit : « Respectu termini ad quem, missio nihil aliud est *nisi gratiosi operis inceptio*, et cum mitti aliqua persona ad aliquem dicitur, intelligendum est illam *incipere in ipso operari hoc quod antea non operabatur*. Respectu autem relationis mittentis et missi, missio rationem suam habet in operationibus temporariis, quæ peculiariter tribuuntur personæ uni, et in consensu alterius personæ cooperantis illi. Persona cui operationes istæ non sunt peculiares dicitur *mittens;* cui vero

1. *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, Gothæ, 1772, p. 14-15.
2. *Ibid.*, p. 16.
3. *Ibid.*, p. 18.
4. *Ibid.*, p. 11 : « Nobis persuadere non possumus opinionem istam esse legitimam. Neque enim ex Scriptura ullum pro se afferre potest argumentum. »

peculiariter eædem operationes tribuuntur, dicitur *missa* [1]. »

Eamdem fere missionis notionem in plerisque compendiis classicis recentioris ætatis invenire est [2]. Quidam tamen theologi moderni, quamvis negent nexum necessarium inter processiones ad intra et missiones, vel si aliquo modo admittunt, in sensu catholico non explicent, ad evidentem sacræ Scripturæ, Patrum et etiam primorum Byzantinorum doctrinam de missione et communicatione ipsius personæ, et non tantum donorum spiritualium, redeunt. Ita Theophylactus Gorskii, postquam definitionem missionis a Procopovitch datam protulit *(Mitti Spiritum a Filio*, inquit, *nihil aliud est nisi consentiente Filio dona tribuere fidelibus, quæ missio opus est ad extra omnibus sanctissimæ Trinitatis personis commune*), insufflationem Domini in discipulos post resurrectionem ita explicat :

« Nihil per insufflationem hanc aliud denotatur nisi vel dona Spiritus Sancti apostolis data, *vel ipsum etiam in persona Spiritum Sanctum missum a Filio et datum discipulis* [3]. »

Eadem contradictio in compendio Sylvestri Lebedinskii, ad mentem et sæpe secundum verba ipsa Theophanis Procopovitch concinnato, occurrit. Repetit enim Sylvester magistri definitiones et explicationes; in insufflatione Domini, v. g., nihil aliud videt nisi exhibitionem et largitionem donorum Spiritus Sancti [4]. Hoc autem non impedit quominus sequentia scribat :

1. *Ibid.*, p. 19-20. Cf. p. 167-169.
2. Compendia classica de missionibus divinis ex professo non tractant, sed de eis tantum aliqua proferunt, ubi agunt de processione Spiritus Sancti contra Latinos. Cf., v. g., Macarius Bulgakov, *op. cit.*, t. I, p. 273-275, 283; Malinovskii, *op. cit.*, t. I, p. 173, 179, qui distinguit duplicem processionem, *æternam* et *temporalem*. Temporalis processio Spiritus Sancti, seu ejus *manifestatio* (ἔκφανσις, ἔκλαμψις), est non solum a Patre sed etiam a Filio, quatenus Spiritus Sanctus — et hoc nomine ipsam Spiritus personam intelligere videtur auctor — in mundum mittitur non solum a Patre, sed etiam a Filio, potius per Filium. *Pater Spiritum mittit tanquam a se ab æterno procedentem; sed Filius eum mittit, ut Deus-Homo, qui a Patre eum accepit et meritis suæ passionis hoc jus acquisivit, ut illum hominibus mitteret et communicaret.*
3. *Op. cit.*, ed. 1818, p. 105-106.
4. *Compendium theologiæ classicum*, ed. 2, Mosquæ, 1805, p. 172-176, 177-178.

« Communicatur et donatur hominibus non essentia Spiritus Sancti, sed operationes gratiosæ vel *præsentia gratiosa*. Spiritus Sanctus dicitur possideri ab homine mortali non possessione violentiæ et auctoritativa, sed tantum *possessione præsentiæ* et communicativa; *possidere Deum est ipsum gratiose præsentem et inhabitantem habere* [1]. »

Vides quomodo hic auctor in unum conflet et negationem palamiticam et affirmationem sacræ Scripturæ et Patrum de inhabitatione personarum divinarum in anima justi.

Græcus Zikos Rhosis communicationem personæ divinæ in missione docere videtur. Scribit enim :

« Quandoquidem Spiritus, utpote consubstantialis, Filii proprius est, ideo a Filio discipulis datur, qui ab eo procedat [2]. »

Theologi Kiovienses primi dimidii sæculi XVIII ad doctrinam Palamæ et Procopovitch potius inclinant, si de eorum communi sententia judicare licet ex iis, quæ unus ex illis, videlicet Hilarion Negrebetskii, de personis divinis in publicis lectionibus tradebat :

« In divinis, inquit, respectu nostri Filius et Spiritus Sanctus habent rationem doni. Patet ex definitione, quia uterque, Filius et Spiritus Sanctus est res Patris per originem, et Pater utrumque nobis liberaliter donavit... Porro Spiritus Sanctus non est donum ita nobis datum a Patre sicut Filius, qui hypostatice assumpsit naturam humanam, *sed tantum donum effective, quatenus scilicet varia dona operatur in nobis et est distributor donorum*. Et quamvis opera sanctissimæ Trinitatis sint communia ac indivisa, sicut communis est ac indivisa essentia et divinitas, tamen sacra Scriptura per quamdam appropriationem peculiariter divisionem donorum attribuit Spiritui Sancto; immo et ipsam eidem tribuit rationem doni, tum quia donum proprie spectat ad voluntatem et amoren (nemo enim censetur donare qui dat invitus, nisi qui dat ex amore et charitate, Spiritus autem Sanctus et per voluntatem existit et ei peculiariter convenit amor et charitas); tum quia persona Spiritus Sancti et divinitas *peculiariter nobis innotuit per hanc effectionem et distributionem donorum*, ut in die Pentecostes et postea sæpius per manuum impositionem apostolorum, ut liquet ex *Actibus apostolorum* [1]. »

1. *Ibid.*, p. 171.
2. *Op. cit.*, p. 256 : « Ἐπειδὴ ὡς ὁμοούσιον εἶνε ἴδιον τοῦ Υἱοῦ, διὰ τοῦτο δίδοται παρὰ τοῦ Υἱοῦ εἰς τοὺς μαθητὰς χωρὶς νὰ ἐκπορεύηται ἐξ αὐτοῦ. »

Cum quæstione de missionibus divinis intime connectitur illa quæ ad ordinem personarum Trinitatis spectat, utrum scilicet hujusmodi ordo, prout in fontibus Revelationis exprimitur, in processionibus ad intra fundamentum necessarium habeat, an sit tantummodo extrinsecus solamque manifestationem historicam personarum ad extra respiciat; de qua quæstione sermo erit in capite tertio, ubi de processione Spiritus Sancti.

ARTICULUS IV

De appropriatione, seu de relatione inter personas et attributa divina et opera ad extra.

Notum est Patres græcos ignorasse doctrinam de *appropriatione* prout a theologis latinis proponitur, nec distinguisse, inter attributa divina vel opera ad extra, ea quæ uni personæ præ cæteris conveniunt ratione proprietatis hypostaticæ illius personæ; siquidem diversa est eorum conceptio de relatione inter personas divinas et attributa essentialia vel opera ad extra. Juxta illos, singula attributa, singula opera ad extra ita tribus personis sunt communia, ut unicuique personæ omnia tribuantur sub speciali ratione formali, quæ cum speciali modo existendi uniuscujusque personæ intime connectitur. Aliis verbis : Unumquodque attributum, unumquodque opus ad extra proprium characterem et quasi *speciale sigillum* præ se fert uniuscujusque personæ. Singula attributa vel opera tribus quasi colorantur coloribus, qui tribus personis respondent : Pater concipitur ut totius esse fons originalis; Filius ut ars et ratio Patris; Spiritus Sanctus ut terminus, finis et perfectio omnium Dei operum. Hujus

1. *Cursus manuscriptus, ex exemplo Dionysii Novakovitch*, fol. 244 v.-245 r. Cf. p. 230, n. 1.

speculationis formula est : *Pater omnia operatur per Filium in Spiritu Sancto* [1].

Ad hunc conceptum vix animum attenderunt theologi græco-russi tum antiqui, tum recentiores. De eo prorsus tacent pleraque compendia classica [2]. Unum tantum invenimus qui hanc quæstionem ad mentem Patrum græcorum satis ample retractaverit, sub aspectu tamen speciali, qui in theoria psychologica Trinitatis fundamentum habet. Theologus ille est Zikos Rhosis, cujus sententia ex sequentibus locis ejus operis sufficienter patebit :

« Per æternam, quæ in Deo est, distinctionem necnon simul per unitatem eorum, quæ ab invicem distinguuntur, in eo existit una Dei essentia, et omnes determinationes seu attributa ejus in tribus formis seu hypostasibus, videlicet quasi in *forma physicæ, in forma intellectualis seu logicæ, et in forma voluntariæ seu moralis hypostaseos*... Unde Deus primum quidem existit tanquam Pater seu tanquam infinitum secundum absolutam necessitatem subsistens, in quo sunt secundum absolutam ejus naturæ necessitatem omnes ejus essentiæ determinationes; secundo, tanquam Filius, in quo omnes naturales determinationes divinæ essentiæ in Deo ut Patri secundum absolutam physicam necessitatem existentes, depinguntur seu concipiuntur absolute tanquam intellectuales seu logicæ determinationes divinæ essentiæ, quatenus Filius ab æterno generatur ex Patre estque intellectus absolutus seu æternum Dei Verbum, in quo Deus intelligit secundum absolutam logicam intellectionem determinationes hujusmodi tanquam objectum intelligibile seu objectum suæ absolutæ intellectionis. Demum tertio, Deus existit tanquam Spiritus Sanctus, in quo divinæ essentiæ determinationes,

1. De hac Patrum græcorum sententia vide Th. de Régnon, ***Études sur la sainte Trinité***, t. I, Parisiis, 1892, p. 346-365 : « Chaque personne agit personnellement, chaque personne est *principium quod*, chaque personne crée et fabrique tout personnellement. Mais l'œuvre est unique; l'opération elle-même est une non seulement dans son terme, mais dans son origine, parce que le Fils et l'Esprit sont la nature même du Père, parce que le Verbe et la Sagesse sont les mains mêmes du Père. » P. 353.

2. Quæstionem vix tangit Andrutsus, Δογματική, p. 76-77.

quæ in Patre *ut physicæ*, in Filio autem *ut intellectuales* sive *logicæ* subsistunt, ponuntur etiam tanquam *libere volitæ* seu *morales determinationes*, quatenus in Spiritu Sancto a Patre procedente determinationes, quæ in Patre *physice*, et in Filio *logice* subsistunt, ponuntur *libere* tanquam morales determinationes, ut objectum libere volitum seu ejus dilectionis objectum. Per has tres formas seu hypostases Deus est absolute a se operans, sui conscius et libertate donatus, seu infinite a se determinatus, tanquam causa simul et causatum sui ipsius [1]...

« Bonum, verum, justum, etc., secundum perfectum suum conceptum, subsistunt primum quidem in Deo Patre tanquam ex necessitate et ab æterno effecta ut naturale bonum, justum, etc.; secundo, in Deo Filio ut logice et ab æterno concepta seu ut ideæ absolutæ boni, veri, justi, etc.; tertio, in Deo Spiritu Sancto ut libere et ab æterno volita [2]...

« Sicut Dei essentia in unum conjungit tres personas, quæ in ea subsistunt, hæc autem vicissim in eis subsistit, ita et unaquæque trium personarum in unum conjungit attributa ei congruentia. Unde persona Patris in unum conjungit attributa Dei physica seu physicas determinationes ejus essentiæ; persona Filii seu Verbi, logica attributa seu logicas determinationes; persona vero Spiritus Sancti attributa moralia seu morales determinationes. *Quemadmodum autem tres personæ in invicem circumincedunt* (περιχωροῦσιν), *ita ut in unaquaque earum subsistant aliæ duæ et sint ab invicem inseparabiles, ita etiam attributa unicuique personarum congruentia sejungi nequeunt ab attributis cæteris personis convenientibus*, ut, v. g., vita æterna et virtus, quæ secundum

1. Σύστημα δογματικῆς, p. 293-394 : « Διὰ τῆς ἐν τῷ Θεῷ ἀϊδίου διακρίσεως ἅμα καὶ ἑνότητος τῶν ἀπ'ἀλλήλων διακρινομένων ὑπάρχει ἐν αὐτῷ ἡ μία οὐσία τοῦ Θεοῦ καὶ ἅπαντες οἱ προσδιορισμοὶ ἢ τὰ ἰδιώματα αὐτοῦ ἐν τρισὶ μορφαῖς ἢ ὑποστάσεσιν, ἐν μορφῇ οἱονεὶ φυσικῆς, νοητικῆς ἢ λογικῆς καὶ βουλητικῆς ἢ ἠθικῆς ὑποστάσεως. »

2. *Ibid.*, p. 295 : « Ὅθεν τὸ ἀγαθόν, τὸ ἀληθές, τὸ δίκαιον, κλπ., κατὰ τὴν τελείαν αὐτῶν ἔννοιαν ὑφίστανται πρῶτον ἐν τῷ Θεῷ Πατρὶ ὡς ἀναγκαίως καὶ ἀϊδίως ἐνεργούμενα... δεύτερον δὲ ἐν τῷ Υἱῷ ὡς λογικῶς καὶ ἀϊδίως νοούμενα ἢ ὡς ἀπόλυτοι ἰδέαι... καὶ τρίτον ἐν τῷ Θεῷ ἁγίῳ Πνεύματι ὡς ἐλευθέρως καὶ ἀϊδίως βουλητά. »

absolutam necessitatem in Deo qua Patre subsistunt, inseparabiles sunt ab idea absoluta earum in Filio concepta necnon ab earum volitione in Spiritu Sancto. Similiter et bonum, justum, etc., non sunt solum volitione, sed etiam natura et intellectione bonum, justum, etc... *Per tres personas in una Dei essentia concinne in unum copulatur multitudo attributorum, quæ secundum tres personas ad invicem in unam essentiam congruenter unitas sunt simul physica, logica et moralia attributa, concinne copulata invicem et tribus personis, per eas autem et uni absolutæ essentiæ Dei* [1]. »

Quod autem spectat ad doctrinam Latinorum de appropriatione, illi Græco-Russi qui theoriam psychologicam de Trinitate, prout a sancto Thoma delineatur, receperunt, ejusdem de nominibus appropriatis explicationem libenter admiserunt; ita, v. g., egerunt Kiovienses, sæculis XVII et XVIII. Alii autem nomina et opera appropriata ad Latinorum quidem modum enumerarunt; rationem vero hujusmodi appropriationis non dederunt, sed ut quid mysterio plenum proposuerunt. Ita Procopovitch ejusque discipuli :

« Cur quædam actiones, ait Procopovitch, Filio, quædam Patri et quædam Spiritui Sancto *peculiariter* tribuantur? Si theologorum morem loquendi spectemus, non aliam adferre rationem possunt nisi quod quædam actiones frequentius in Scriptura tribuantur huic, aliæ frequentius illi personæ. Si quærere ultro pergas cur Scriptura alias operationes huic, alias alteri tribuat frequentius, de Filio quidem, cui peculiariter tribuitur humani generis redemptio, facilis responsio est, quod scilicet ille humanam carnem susceperit, et semetipsum homo factus tanquam λύτρον pro nobis redimendis dederit. At vero de Patre, cui creatio, et de Spiritu Sancto, cui

1. *Ibid.*, p. 302-303, 304-305 : « Διὰ τῶν τριῶν ὑποστάσεων ἐν τῇ μιᾷ οὐσίᾳ τοῦ Θεοῦ συνάπτεται ἁρμονικῶς εἰς ἓν καὶ ἡ πληθὺς τῶν ἰδιωμάτων, ἅτινα κατὰ τὰς τρεῖς πρὸς ἀλλήλας ἁρμονικῶς εἰς μίαν οὐσίαν ἑνουμένας ὑποστάσεις εἶνε συγχρόνως φυσικά, λογικὰ καὶ ἠθικὰ ἰδιώματα ἡνωμένα ἁρμονικῶς πρὸς ἄλληλα καὶ πρὸς τὰς τρεῖς ὑποστάσεις, δι'αὐτῶν δὲ καὶ πρὸς τὴν μίαν ἀπόλυτον οὐσίαν τοῦ Θεοῦ. Οὕτω, λ.χ., ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ δὲν εἶνε μόνον φυσικὸν ἰδίωμα τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ λογικὸν καὶ ἠθικόν, καθόσον δὲν ἐνεργεῖται μόνον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ Πατρὸς... ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ, κτλ. »

illustratio, motio, sanctificatio singulariter tribuuntur, nihil video quid possim respondere. Sintne quædam in his hypostasibus reales et propriæ rationes, ob quas tales actiones ad illas terminentur, necne, pie cogitare possumus, at pro certo statuere nec valemus nec debemus, cum nihil tale in sacra Scriptura reperiamus, et ex humano cerebro oracula elicere stultissimum sit [1]. »

Sylvester Lebedinskii ad verbum repetit hanc Procopovitch animadversionem [2].

ARTICULUS V

De modo loquendi de hoc mysterio.

De regulis recte loquendi de sanctissima Trinitate nihil habent Græco-Russi in suis compendiis classicis. Apud solum S. Lebedinskii sequentem observationem invenimus :

« Magnum est discrimen inter *trinum* et *triplex*. *Trinum* est quod essentia unum tres habet subsistendi modos; *triplex* est quod e tribus est compositum. Trinum Deum dicimus, sed triplicem dicere christiana religione prohibemur [3]. »

Sæculo XI, in synodo constantinopolitana, quæ Joannis Itali errores damnavit (1082), hujus philosophi sequens locus ut reprehensione dignus notatus est :

« Credo in Patrem increatum et Filium increatum et Spiritum increatum, et sicut Pater est increatus, et Filius et Spiritus, ita et incomprehensibilis est Pater, Filius et Spiritus; et sane et indivisibilis est Pater, Filius et Spiritus; et æternus Pater, Filius et Spiritus; et ideo non tres æterni, sed unus æternus, quandoquidem nec tres increati, neque tres incomprehensibiles, sed unus increatus et unus incomprehensibilis [4]. »

1. *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, c. I, p. 13-14.
2. *Op. cit.*, p. 173-174.
3. *Ibid.*, p. 157.
4. « Πιστεύω εἰς Πατέρα ἄκτιστον καὶ Υἱὸν ἄκτιστον καὶ Πνεῦμα ἄκτιστον, καὶ ὡς ὁ Πατὴρ ἄκτιστος καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα, οὕτω καὶ ἀκατάληπτος ὁ Πατήρ, ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα· καὶ διὰ τοῦτο οὐ τρεῖς αἰώνιοι, ἀλλ' εἷς αἰώνιος, ἐπεὶ οὐδὲ τρεῖς ἄκτιστοι, οὐδὲ τρεῖς ἀκατάληπτοι,

Hujusmodi locutiones tanquam sabellianismum redolentes a synodo jure notatæ sunt :

« Italus, inquit, dixit : *Unus incomprehensibilis*, et *unus æternus*, et *unus increatus*, omisso nomine : *Deus;* quod ab ecclesiastica traditione prorsus dissonum est. *Una* enim *divinitas increata* et intelligitur et dicitur; et *unus Deus in tribus personis* et dicitur et agnoscitur, quia essentiæ identitatem utrumque significat; *unus* autem *increatus*, vel *unus æternus*, non adjecto nomine *Deus*, apud divinam Scripturam non occurrit. Si enim *Deus* in utroque adjiciatur, essentiæ identitatem indicat, ut supra dictum est; *unus* vero *increatus*, vel *unus æternus* tria in unum contrahit et Sabellii dogma firmat [1]. »

Reprehendit etiam synodus locutionem : *Indivisibilis Pater, Filius et Spiritus*, quod indivisibilitas uni essentiæ, divisibilitas vero seu discernibilitas tribus personis congruat [2].

Byzantini dicere solenne habent post quosdam Patres : *Unum* et *tria* (τὸ ἓν καὶ τὰ τρία) : quod rectam interpretationem patitur, si post τρία subaudias vocem πρόσωπα. In hunc fere sensum explanat formulam Photius in *Quæstionibus* CLXXXII *et* CLXXXIII *ad Amphilochium*, bene notans numerum nonnisi improprie et abusive usurpari, ubi de Deo sermo est [3].

ἀλλ' εἷς ἄκτιστος καὶ εἷς ἀκατάληπτος. » *Acta synodi Constantinopolitanæ adversus Joannem Italum* (mense martio 1082), edita a Th. Uspenskii, t. II, Odessæ, 1897, in commentario russico *Izviestiia, Instituti rus. archeol. Const.* p. 30-66, ex *cod. Dionys. Athonensi 120*, f. 711-718v.

1. « Ὁ Ἰταλος εἷς εἶπεν ἀκατάληπτος καὶ εἷς αἰώνιος καὶ εἷς ἄκτιστος, μὴ μνημονεύσας τοῦ « Θεός », ὅπερ ἐστὶ πάντη τῇ ἐκκλησιαστικῇ παραδόσει ἀσύμβατον· μία γὰρ θεότης ἄκτιστος καὶ νοεῖται καὶ λέγεται, καὶ εἷς Θεός ἐν τρισιν ὑποστάσεσιν καὶ λέγεται καὶ γνωρίζεται, ὅτι τὸ τῆς οὐσίας ταὐτὸν καὶ ἄμφω παραδεικνύει· εἷς δὲ ἄκτιστος ἢ εἷς αἰώνιος, μὴ προστιθεμένου καὶ τοῦ « Θεός », παρὰ τῇ θείᾳ Γραφῇ οὐ γνωρίζεται... Τὸ δὲ εἷς ἄκτιστος, ἢ εἷς αἰώνιος συναλείφει τὰ τρία εἰς ἓν καὶ τὸ τοῦ Σαβελλίου δόγμα κρατύνει. »

2. « Τῆς χριστιανικῆς καὶ ὀρθοδόξου τάξεως τὸ ἀμέριστον καὶ τὸ μεριστὸν κατ'ἄλλο καὶ ἄλλο ἐπὶ τῆς τρισυποστάτου ἐκλαμβανομένης θεότητος, καὶ τὸ μὲν μεριστὸν τοῖς προσώποις, τὸ δὲ ἀμέριστον τῇ ἑνιαίᾳ φύσει τῆς θεότητος ἐπισυναπτούσης. »

3. *P. G.*, t. CI, col. 897-904 : « Τὸ ἓν καὶ τὰ τρία ἐπὶ τῆς θεαρχικῆς θεολογούμενα φύσεως οὐκ ἀριθμός ἐστι κυρίως, οὐδ'ἀρχὴ ἀριθμοῦ. »

CAPUT SECUNDUM

MYSTERIUM TRINITATIS ET HUMANA RATIO IN THEOLOGIA GRÆCO-RUSSORUM

Prænotamina.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis, etiam postquam a Deo nobis revelatum est, humanæ rationi prorsus impervium remanere, uno ore docent græci Patres in suis scriptis contra hæreticos rationalismi tabe infectos, qui dogma christianum multimodis olim perverterunt. Hoc tamen non impedit quominus ipsi Patres ad varias comparationes et analogias ex creaturis desumptas passim recurrant, ut arcani divini tenebras aliquatenus minuant viamque ad fidem planam utcumque faciant. In his tamen tentaminibus Græci Latinis inferiores deprehenduntur, præsertim ubi agitur de differentia inter generationem Filii et processionem Spiritus Sancti, quam fides quærens intellectum ex sacræ Scripturæ dictis conjicere valet; siquidem ignorant multiplices analogias, quas sanctus Augustinus in anima humana ad imaginem Dei facta subtiliter detexit et acute explanavit. Unde utriusque processionis differentiam sola fide tenent, nullatenus elucidare tentant, dum e contra Occidentales, Augustino duce, hanc mysterii partem per totum Medium Ævum investigare non desistunt theoriasque trinitarias haud paucas in lucem producunt.

Byzantii, ut vidimus, speculatio theologica, quæ sæculo IX cum Photio, sæculo XI cum Michaele Psello et Joanne Italo initia haud contemuenda habuerat, præ nimio timore errandi mox exstincta est. Cæterum, inde a sæculo XII, theologia trinitaria Byzantinorum ad polemicos impetus contra dogma catholicum de processione Spiritus Sancti ab utroque tota pene conversa est. Polemistæ, nedum aliquid novi ad mysterium aliqua ex parte illustrandum excogitent, ad veterum

Patrum dicta confugiunt, ut victoriam de Latinis reportent. Comparationes et analogias ab antiquis propositas resumunt, intricatis interpretationibus, a vera Patrum mente prorsus alienis, ad suam sententiam detorquent. Ubi autem eis innotescunt speculationes Scholasticæ latinæ, præsertim vero psychologica theoria sancti Augustini prout a sancto Thoma completa est ac expolita, in eas invehuntur tanquam in tentamina temeraria rationalismum redolentia, in hæreticis olim a Patribus reprehensa. Ex illis tamen quidam latinas explicationes amplecti non dubitant, suo dogmati de processione a Patre solo illas utcumque accommodantes.

Utramque agendi rationem apud theologos et polemistas epochæ modernæ invenimus. Habemus enim classem *agnosticorum* seu inimicorum cujusvis speculationis circa mysterium, qui Patrum veterum plenam ignorantiam circa processionum differentiam profitentur; et classem *scholasticorum*, qui Latinorum systemata, præsertim vero thomisticam explicationem, sibi appropriant, quædam in illa mutantes, ut cum eorum doctrina congruere possit. Compendiorum autem classicorum recentioris ætatis auctores non ad *scholasticos*, sed ad *agnosticos* potius pertinent. Scholæ enim speculationes parvi pendunt, in mysterii incomprehensibilitate, insistunt, illud sanæ rationi non repugnare paucis ostendere satis habentes.

Hujus capitis materiam in quatuor articulos distribuimus, videlicet :

1° Mysterium sanctissimæ Trinitatis est rationi humanæ omnino impervium; non tamen ei repugnat, sed multiplici ex parte convenit;

2° Philosophicæ explicationes trinitatis personarum juxta quosdam Græco-Russos;

3° De thomistica theoria processionum in theologia Græco-Russorum;

4° De variis analogiis et comparationibus ad illustrandum mysterium a Patribus usurpatis et a Græco-Russis explicatis.

ARTICULUS I

Mysterium Trinitatis est rationi omnino impervium; non tamen ei repugnat, sed multiplici ex parte convenit.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis, in Veteri Testamento adumbratum, in Novo vero plene revelatum, unum esse ex mysteriis proprie dictis, quæ ratio humana, quantumcumque exculta, in præsenti hominis conditione nunquam perfecte intelligere poterit vel demonstrare, Græco-Russi, sicut et nostri, unanimiter tenent [1]; quin etiam ex eis quidam fidei intellectum quærentis pia tentamina vel severe carpunt vel plus æquo parvi pendunt. Ita Andrutsus, de theoria psychologica augustiniana loquens, pronuntiat eam esse ignoti per ignotum interpretationem mysteriumque ejus elemento supernaturali vacuare [2].

Alii, e contra, jure fatentur hoc mysterium, nedum rationi repugnet, multiplices convenientias præ se ferre, quæ mentem nostram simul pacent et oblectent, quatenus scilicet trinitas personarum in Deo plures solvit difficultates philosopho sponte occurrentes, dum divinum esse perscrutare tentat. Hoc dogma, ait Malinovskii, quæstionibus de personalitate divina, de operatione ac beatitudine æterna Dei, de mundi creatione, in tempore, optimum præbet responsum et hos duos oppositos errores, quos *deismi* et *pantheismi* appellationibus nuncupant, pariter abigit, eas veri particulas retinens, quas in utroque systemate invenire est. Per illud enim novimus Deum unum quidem esse, non vero solitarium; nec in sua æternitate substantiam inertem fuisse priusquam mundus fieret, sed in seipso in summa actuositate summam felicitatem invenire [3].

1. Cf. Gorskii, *op. cit.*, p. 96; Kursulas, *op. cit.*, t. I, p. 184-185; Andrutsus, Δογματική,, p. 89; S. Balanus, Τὸ δόγμα τῆς Ἐκκλησίας περὶ ἁγίας Τριάδος, Athenis, 1911, p. 42-44, etc.

2. Δογματική, p. 90-91 : « Ἡ ἐντεῦθεν ἐξήγησις τῆς ἁγίας Τριάδος εἶνε ἡ ἐξήγησις τοῦ ἀγνώστου διὰ τοῦ ἀγνώστου... Αἱ ἀναλογίαι αὗται στεροῦσι τὸ μυστήριον τῆς Τριάδος τοῦ ὑπερφυοῦς αὐτοῦ περιεχομένου. »

3. *Op. cit.*, t. I, p. 185-187.

Easdem considerationes habet Svietlov; quibus alias haud spernendas adjicit. Merito enim notat Trinitatis mysterium christianam religionem ab omnibus aliis sectis religiosis discriminare necnon cum cæteris dogmatibus christianis intimam connexionem habere, præsertim cum Incarnatione, Redemptione et creaturarum intellectualium sanctificatione. Divini amoris abyssum nobis revelat ostenditque Deum charitatem esse [1].

Addit Philaretus Gumilevskii hoc dogma fraternam charitatem commendare, firmum spei nostræ esse fundamentum, et inde in mores optimum influxum habere [2].

ARTICULUS II

Philosophicæ explicationes Trinitatis personarum juxta quosdam theologos byzantinos.

Nota sunt tentamina, quibus e nostris Scholasticis aliqui tres in Deo personas esse, nec plus nec minus, demonstrare aggressi sunt. Similes temeritates apud quosdam Byzantinos invenimus.

Primus nobis occurrit Photius, qui præsenti quæstioni e suis *Amphilochianis* unam integram dicat : *Quare usque ad Trinitatem procedat Deus, et neque intra circumscribatur neque ulterius extendatur* [3]? Respondet primo numerum *tres* esse perfectionis numerum, verum perfectionis indicium, quatenus in omnibus, quæ perfectione donantur, invenire est tria, scilicet principium, medium et finem. Respondet secundo omnia quæ in Deo contemplamur eumque decent ad tria revocari posse, nempe ad substantiam, ad potentiam et ad operationem, nec ad pauciora, nec ad plura :

« Non enim, inquit, fas est auferre potentiam divinitati, neque operationem, et multo minus substantiam; quin etiam neque licet ista idem facere, et in unam hypostasim contrahere, et rationem unam et eamdem reddere potentiæ et substantiæ, vel potentiæ et operationis, aut operationis

1. *Khristianskoe Vieroucenie*, ed. 3, Kioviæ, 1910, p. 405-412.
2. *Pravoslavnoe dogm. Bogoslovie*, t. I, ed. 3, Petropoli, 1882, p. 115-116.
3. *P. G.*, t. CI, col. 889-898.

et substantiæ. Cum ergo tria sint, ad quæ alia nomina et attributa, quæ Deum decent, referuntur et reducuntur, consentanee Deus nec intra Trinitatem includitur, nec extra Trinitatem dilatatur [1]. »

Et pergit, ostendendo quomodo omnia quæ de Deo prædicantur ad unam ex istis tribus notionibus facile reducantur : « Si quæ vero, in fine ait, nomina divina et notiones non ad unum ex istis tribus pertinent, sed totam pervadunt Trinitatem, horum nihil non solum cum veritatis ratione vel cum theologiæ trinitariæ speculatione non pugnat, verum etiam eorum certam ac irreprehensibilem veritatem confirmat [2]. »

Nec ibi sistit, sed alias affert rationes, quæ personarum trinitatem insinuant. Ejusmodi sunt hæc tria : *intellectus, intelligibile, intellectio :* νοῦς, νοητόν, νόησις; item : *verbum, spiritus et illud ex quo hæc exeunt :* λόγος καὶ πνεῦμα καὶ τὸ ἐξ οὗ ταῦτα πρόεισιν [3]. Præterea, cum binarius numerus rebus creatis congruat, quæ sive materia et forma constant, « sive saltem aliqua elementari dualitate, quæ quamdam cum materia et forma proportionem habet », necesse est, ut natura omnis materiæ expers ac omnium creatrix binarium creaturarum numerum superet ac ternario discernatur. Nec debet ultra trinitatem progredi, ne dispersionis et sectionis vel materiæ, quæ compositionis est principium, particeps fiat [4].

« Insuper, dualitas omnium prima in seipsa fert nihili vestigia. Hæc enim præ cæteris dissolutionis fons exstat, et scissuræ et dispersionis, causamque omnibus præbet cur in seipsis ferant quædam corruptionis primordia. Trinitas vero indivisibilitatem et in unum coalitionem repræsentat [5]. »

1. « Εἰς ποῖα δὲ ταῦτα; εἰς οὐσίαν, εἰς δύναμιν καὶ ἐνέργειαν. Οὔτε γὰρ ὅσιον τῆς θεότητος τὴν δύναμιν ἀφελεῖν, οὔτε μὴν οὐδὲ τὴν ἐνέργειαν, καὶ πολλῷ μᾶλλον οὐδὲ τὴν οὐσίαν. Οὐ μὴν οὐδ'εἰς ταὐτὸν ἔστι καὶ μίαν ὑπόστασιν συναγαγεῖν ταῦτα. » Col. 892.
2. *Ibid.*, col. 892 BC.
3. *Ibid.*, col. 893 B.
4. *Ibid.*, col. 896 CD : « Ἀναγκαῖον τῆς δυαδικῆς συναριθμήσεως τῶν κτισμάτων, ἅτε δὴ χαμαιπετοῦς καὶ προσύλου, τὴν ἄϋλον καὶ ὑπερούσιον καὶ δημιουργὸν τοῦδε τοῦ παντὸς φύσιν ὑπεραναβεβηκέναι. »
5. *Ibid.*, col. 897 BC : « Ἔτι δὲ ἡ δυὰς τά τε ἴχνη τοῦ μὴ ὄντος ἐν ἑαυτῇ πρώτῃ μάλιστα φέρει... Ἡ τριὰς δὲ τὸ ἄτμητον εἰκονίζει πρώτη καὶ ἀσκέδαστον. »

Hæc Photius, omnium Byzantinorum σχολαστικότατος, qui in fidei veritatibus philosophice perscrutandis imitatorem vix habuit. Sæculo xv tamen Marcus Ephesius eamdem quæstionem de personarum trinitate solvendam sibi proponit : *Quare divinitas monas est et trias, et progreditur quidem usque ad trinitatem, non vero ulterius; et quare non est duas?*

Quæstionem insolubilem esse primum respondet. Deinde, ostendit existentiam unius Dei in personarum trinitate non repugnare, quod in Deo nulla sit materia, quæ est discretionis et separationis principium, unum et idem in tribus inseparabiliter subsistere non sinens. Postea convenientiam trinitatis in unitate hac similitudine apud Patres græcos haud semel occurrente commendat :

« Si mens nostra, quæ ad Dei facta est imaginem, verbum habet in ipsa naturaliter manens et ex ea prodiens necnon spiritum una cum verbo prodientem eamque manifestantem, ita et de imaginis exemplari, ipsum Deum dico, credere congruit, nempe Deum et Patrem esse mentem; et eum, qui ex eo naturaliter prodit, esse verbum ; et Spiritum esse spiritum una cum verbo prodientem et manifestantem; verbum autem nostri non simile, quod cito dissipatur ac dissolvitur, ubi ad extra prodierit; item et spiritum non eumdem; non enim fieri potest, ut imago quantum ad omnia archetypi similitudinem referat; verbum vero veraciter verbum et naturalem mentis virtutem — *Christus enim*, ait Scriptura, *Dei virtus* — verbum vivum et manens et per se subsistens proprietatibus, et ideo Filium vocatum, quod modo Deo digno generari creditur; et spiritum ejusdem indolis ac verbum. Hoc modo et unus Deus et tria creditur; siquidem mens, una cum verbo et spiritu ex ipsa prodientibus et eam manifestantibus, una est, quamvis rursus et tria per distinctionem secundum virtutem et operationem; mentis nostræ enim virtutes et operationes sunt verbum et spiritus. In Deo autem hæc existunt per hypostases seu personas. Hypostases enim ex perfecta mente procedentes perfectæ sunt, nempe Dei Verbum et Sanctissimus Spiritus. Et vide miram imaginis ad exemplar differentiam; quod enim ibi est *naturales virtutes*, id est verbum et spiritus, hoc idem hic est *personæ perfectæ et per se subsistentes;* quod vero ibi *habitus et operationes extrinsecus supervenientes* et studio, ut plerumque, acquisitæ ac perfectæ, ut sapientia et ad practicam scientiam bona indoles, hoc idem in divinis est *naturales virtutes* ex ipsa divina natura ab æterno emanantes et ad nos usque pervenientes [1]. »

Necessarium esse ita Deum esse, ait Marcus, a priori demonstrari non potest; bene vero a posteriori, per ea scilicet quæ Deus in mundo fecit ac revelavit, per incarnationem nempe Verbi Dei et opus salutis hominum [2].

Aliam in fine addit rationem trinitatis, quam a Photio mutuari videtur. Monas, inquit, in rerum natura proprie ac simpliciter locum non habet; duas vero numeri principium est, nondum vero numerus; trias vero numerus jam, et perfectus primus. Cum igitur a divina providentia entia distincta fuerint secundum unum esse et plura, in Deo autem absque principio et ab æterno sint rerum rationes, oportebat in eo non esse tantum unum esse, sed etiam numerum, ut, quatenus est unum et super unum, entium unicuique τὸ unum esse largiretur; quatenus vero est tria et super numerum, τὸ plura esse ad creaturas derivaret [3].

1. Διατί ἡ θεότης μονὰς καὶ τριάς ἐστιν, καὶ πρόεισι μὲν μέχρι Τριάδος, οὐ μὴν δὲ περαιτέρω, καὶ διατί μὴ ἔστι δυάς; Hæc dissertatio, nondum edita, in pluribus asservatur codicibus inter quos est *cod. Laurent. Plut. 74, 13*, fol. 262ᵛ-264ʳ : « Εἰ γὰρ ὁ ἡμέτερος νοῦς ὁ κατ'εἰκόνα Θεοῦ γεγονὼς λόγον τε ἔχει φυσικῶς ἐν αὐτῷ μένοντα καὶ ἐξ αὐτοῦ προϊόντα, καὶ πνεῦμα συμπροϊὸν τῷ λόγῳ καὶ συναναφαῖνον αὐτόν, οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ παραδείγματος τῆς εἰκόνος, αὐτοῦ φημὶ τοῦ Θεοῦ, πιστεύειν νοῦν τε εἶναι τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα, καὶ λόγον τὸν ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς προϊόντα, καὶ πνεῦμα συμπροϊὸν καὶ συναναφαῖνον· λόγον δὲ οὐχ οἷον τὸν ἡμέτερον, σκεδαστόν φημι καὶ λυόμενον, ἐπειδὰν εἰς τὰ ἔξω προϊῃ, καὶ πνεῦμα δὲ οὐ τοιοῦτον... Ὁ μὲν γὰρ ἐκεῖ φυσικαὶ δυνάμεις, ὁ λόγος δηλαδὴ καὶ τὸ πνεῦμα, τοῦτο ἐνταῦθα πρόσωπα τέλεια καὶ καθ'αὑτὰ ὑφιστάμενα· ὁ δὲ ἐκεῖ ἕξεις καὶ ἐνέργειαι ἔξωθεν ἐπισυμβαίνουσαι... τοῦτο ἐπὶ τῶν θείων φυσικαὶ δυνάμεις ἐξ αὐτῆς τῆς θείας φύσεως προϊοῦσαι ἀϊδίως καὶ πρὸς ἡμᾶς διαβαίνουσαι. » *Cod. Laurent. Plut. 74, 13*, fol. 263.

2. Ὅτι καὶ ἀναγκαῖον οὕτω τὸν Θεὸν εἶναι. *Cod. cit.*, fol. 263ᵛ : « Καὶ τὸ μυστήριον οὖν τῆς ἁγίας Τριάδος ἡ τοῦ ἑνὸς αὐτῆς, Θεοῦ Λογου, σάρκωσις πιστοῦται τρανῶς καὶ ἡ δι' αὐτῆς γενομένη παγκόσμιος σωτηρία καὶ τῶν ἀνθρώπων ἀνάπλασις. »

3. Ὅτι καὶ ἀνάπαλιν τρία τὸν Θεὸν ὄντα καὶ ἓν εἶναι ἀνάγκη. *Cod. cit.*, fol. 264 : « Ἡ μὲν μονὰς ἄθετος καὶ ἐν οὐδενὶ τῶν ὄντων κυρίως καὶ μόνως· ἡ δὲ δυὰς ἀρχὴ ἀριθμοῦ, οὔπω δὲ ἀριθμός· ἡ δὲ τριὰς ἀριθμὸς

Nec Photius, nec Marcus Ephesius rationalismi proprie dicti criminationem merentur. Non enim speculationes suas tanquam Trinitatis veras demonstrationes proferre intendunt. Idem affirmari non licet de quorumdam recentiorum tentaminibus, qui dogma christianum ad notiones mere philosophicas reducere conantur; de quibus agunt quidam Græco-Russi nostri ævi [1].

ARTICULUS III

De thomistica theoria divinarum processionum in theologia Græco-Russorum.

Inter varias philosophico-theologicas explicationes mysterii Trinitatis a Patribus vel a theologis sæculorum decursu propositas, primas sine controversia tenet theoria psychologica a sancto Augustino non uno tentamine primum adumbrata et a sancto Thoma Aquinate postea expolita et ad unum systema cohærens redacta. Hanc theoriam prorsus ignorarunt græci Patres, saltem ad processionem Spiritus Sancti quod attinet; de processione enim Verbi quædam habent explicationi hujusmodi affinia. Byzantinis autem illa non innotuit, ut videtur, ante finem sæculi XIII, sive per disputationes polemicas cum latinis missionariis vel cum Romani Pontificis legatis, sive per operis sancti Augustini *De Trinitate* versionem a Maximo Planude perfectam [2]. Porro

ἤδη, καὶ τέλειος πρῶτος. Ἐπεὶ οὖν τὰ ὄντα κατὰ τὸ ἓν εἶναι καὶ πολλὰ διακέκριται παρὰ τῆς θείας προνοίας, ἐν τῷ Θεῷ δὲ οἱ λόγοι τῶν ὄντων ἀνάρχως καὶ ἀϊδίως, ἔδει μὴ τὸ ἓν εἶναι μόνον ἐν αὐτῷ, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀριθμόν, ἵνα ὡς μὲν ἓν καὶ ὑπὲρ τὸ ἓν ἑκάστῳ τῶν ὄντων τὸ ἓν εἶναι βραβεύῃ, ὡς δὲ τρία καὶ ὑπὲρ ἀριθμὸν τὸ πολλὰ εἶναι τοῖς οὖσιν ἐποχετεύῃ. »

1. Cf. P. Ia. Svietlov, *op. cit.*, p. 409-412; Vlad. Soloviev, *Tchteniia o Bogoceloviecestvie (Lectiones de Dei humanitate)*; P. Sokolov, *Ucenie o Troïtse v novieichei idealisticeskoi philosophii (Doctrina de sanctissima Trinitate in philosophia idealistica recentiori)*, in commentario *Viera i razum*, an. 1893.

2. Cf. Matthæum ab Aquasparta, *Tractatus de æterna Spiritus Sancti processione ex Patre Filioque*, Quaracchi, 1895, p. 26. Auctor hujus opusculi contra Græcorum errorem compositi, anno 1302 Romæ mortuus, theoriam psychologicam sancti Augustini expresse memorat.

eorum, sicut et modernorum polemistarum, erga hanc theoriam non una fuit positio. Cum enim Latini ad processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio stabiliendam ea uti solerent, plerique illam ut vanum commentum philosophicum omni vi theologica vacuum rejecerunt totisque viribus ostendere conati sunt eam in apertas contradictiones exire. Alii, e contra, hoc latinum adinventum libenter exceperunt; quod suo modo explanarunt, conclusionem, quam Latini pro *Filioque* inde sumunt, respuentes; quin etiam theoriam in commodum sui dogmatis de processione Spiritus Sancti a Patre solo convertentes. Unus autem e præcipuis theologis byzantinis, qui omnium plenissime Scholasticorum occidentalium systemata noverat, scilicet Georgius Scholarius, utramque positionem vicissim tenuit, aliquando quidem theoriam satis dure carpens, in pluribus vero scriptis, immo in sua *Confessione fidei* illam sine ulla exceptione amplectens.

Loquamur primo de theologis qui hujus theoriæ censuram diverse egerunt.

I. — De theoriæ thomisticæ adversariis.

Inter Byzantinos qui theoriæ thomisticæ censuram egerunt, primum invenimus Barlaamum Calabrum adhuc Photianum, in quodam opusculo nondum edito circa processionem Spiritus Sancti, quod inscribitur : Λέγατος ἢ περὶ Πνεύματος [1]. Scriptum est autem occasione legationis Francisci Camerinensis, Bosphori archiepiscopi, et Richardi episcopi Chersonesi, quos Joannes papa XXII, anno 1333, Constantinopolim miserat ad unionem Ecclesiarum promovendam. Opusculum dialogi formam præfert inter Latinum et Græcum. In fine, Latino dicenti Filium generari per modum intellectionis et Spiritum Sanctum procedere per modum charitatis et volitionis [2] Græcus in hunc modum respondet :

« Hujus rationis adinventorem, sive tu sis, sive Thomas aut quilibet alius, miratione dignum virum existimo; verum,

1. Asservatur in pluribus codicibus. *E cod. Paris. 1291*, fol. 204-211, anno 1447 a Syropulo exscripto, quædam excerpta proferimus.

2. « Ὁ μὲν Υἱὸς γεννᾶται τρόπῳ ἐννοίας, τὸ δὲ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἀγάπης τρόπῳ καὶ θελήσεως. » *Cod. cit.*, fol. 207r.

hæc parvum mihi facessit negotium, quod tu omnium optime mihi solves... Adesdum, per Trinitatem ipsam, doce me quamnam ob causam, Filio et Spiritu Sancto eadem quæ Pater, simul et pariter intelligentibus ac volentibus, ex Patris quidem intellectione et volitione producantur duæ personæ; ex horum vero utriusque intellectione ac volitione non proveniant utrinque duæ personæ; aut quare, existente eadem intellectione Spiritus Sancti, quæ et Patris, Filius non dicatur generari per modum intellectionis etiam Spiritus Sancti; aut, quandoquidem sicut Pater cognoscit Filium, ita et Filius Patrem, quare intelligere quidem de ipsis reciprocetur, generare autem non reciprocetur, quamvis idem sit ac generare.

« Et adhuc : Eadem exstante Patris et Spiritus Sancti volitione, quæ Patris et Filii, quare ex communi quidem Patris et Filii volitione Spiritum procedere dicitis, ex seipso autem procedere Spiritum non dicitis ?

« Quod autem in tricas me magis conjicit : Quandoquidem unus in Trinitate Deus eadem vult ac intelligit quæ proprie et simul et eodem modo una singillatim persona, quare etiam ex hac non producuntur duæ aliæ personæ ejusdem naturæ ejusdemque substantiæ? Hæc a tua sapientia discere volo, ut ab ipsa sapiens factus, aliis Græcis persuadeam vera esse quæ circa fidem vos innovastis [1]. »

1. *Ibid.*, fol. 207 v.-208 : « Δεῦρο δή, πρὸς τῆς Τριάδος αὐτῆς, δίδαξον κἀμὲ διὰ ποίαν αἰτίαν, τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος νοούντων τε καὶ θελόντων τὰ αὐτὰ ἅπερ καὶ ὁ Πατήρ, καὶ ἅμα, καὶ ὡσαύτως, ἐκ μὲν τῆς νοήσεως καὶ τῆς θελήσεως τοῦ Πατρὸς ἀναφύονται δύο πρόσωπα, ἐκ δὲ τῆς νοήσεως καὶ τῆς θελήσεως ἑκατέρου τούτων οὐ προέρχονται ἀνὰ δύο· ἢ διατί, τῆς αὐτῆς οὔσης ἐννοίας τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἥτις καὶ τοῦ Πατρός, οὐ λέγεται ὁ Υἱὸς γεννᾶσθαι τρόπῳ ἐννοίας καὶ τοῦ Πνεύματος... Ὃ δὲ ἔτι μᾶλλον ἀπορῶ, ἐπεὶ ὁ εἷς ἐν τῇ Τριάδι Θεὸς τὰ αὐτὰ θέλει καὶ νόει ἅπερ ἰδίως λέγομεν τὸ ἓν πρόσωπον, καὶ ἅμα, καὶ ὡσαύτως, διατί οὐκ ἀναφύονται καὶ ἐκ τούτου ἕτερα δύο πρόσωπα ὁμοφυῆ τε καὶ ὁμοούσια; Ταῦτα ἐγὼ ὑπὸ τῆς σῆς σοφίας μαθεῖν ἀξιῶ, ἵνα σοφὸς παρ'αὐτῆς γενόμενος, τοὺς ἄλλους Γραικοὺς καταπείσω, ὡς ἀληθῆ τυγχάνει ὄντα ἃ περὶ τὴν πίστιν ὑμῖν κεκαινοτόμηται. » Demetrius Cydones, adhuc dubius hærens circa doctrinam catholicam, easdem fere difficultates ac Barlaamus in theoria augustiniana de Spiritu Sancto amore mutuo et nexu Patris et Filii invenit, quas candide exponit in *Epistola ad Barlaamum*, *P. G.*, t. CLI, col. 1287-1288.

Respondet Latinus se paratum esse ad reddendam rationem de omnibus istis; verum hoc non præstat, et auctoritate litem solvere mavult ad papæ magisterium provocando.

Non ita pacifice de thomistica explicatione disserit Macarius Ancyranus in suo longo *Tractatu contra Latinos*, sed postquam Patrum græcorum verba retulit de incomprehensibili differentia inter Filii generationem et Spiritus processionem, Aquinatem et Latinos his insectatur verbis :

« Sanctorum quidem cœtus totus ita theologizat; Thomas autem vanissimus et qui eum sequuntur Latini, dum effutiunt Filium per intellectionis modum generari, Spiritum Sanctum vero per volitionis et dilectionis modum procedere, quantum in ipsis est, Deum increatum ad creaturam deprimunt; intellectionis enim et volitionis vel dilectionis opera et specimina ad creaturam spectant; quæ vero eam superant non modi sunt, absit, generationis Filii et processionis Spiritus. Sed neque Pater alias et aliter vel particulariter aut vult, aut diligit, aliter vero et alias et particulariter Filius vel Spiritus Sanctus, sed una et eadem est intellectio et volitio et dilectio sanctæ Trinitatis [1]. »

Ejusdem theoriæ longiorem censuram habet Josephus Bryennius : « Undenam, ait, Latinis licuit generationem Filii dicere intellectionem, emissionem autem Spiritus pronuntiare dilectionem vel volitionem? Non enim fas est de superessentiali divinitate dicere vel etiam cogitare quæ sacræ Scripturæ tacuerunt... Si Patre Filium cogitante, Filius neque Patrem, neque seipsum, neque Spiritum intelligere posset, neque Spiritus sive Patrem, sive Filium, sive seipsum intelligere posset... Patre et Filio Spiritum Sanctum diligen-

1. « Καὶ ὁ μὲν τῶν ἁγίων ἅπας ὁ σύλλογος τοιαῦτα θεολογῶν· Θωμᾶς δὲ ὁ μάταιος καὶ οἱ ἑπόμενοι τούτῳ Λατῖνοι τῷ κενοφωνεῖν τὸν μὲν Υἱὸν ἐννοίας τρόπῳ γεννᾶσθαι, τὸ δὲ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι θελήσεως τρόπῳ καὶ ἀγάπης εἰς κτίσμα τὸν ἄκτιστον Θεὸν, ὅσον τὸ ἐπ'αὐτοὺς ἧκον, κατάγουσιν· ἐννοίας γὰρ καὶ θελήσεως καὶ ἀγάπης ἔργα τε καὶ ἀποδείξεις ἡ κτίσις, καὶ τὰ ὑπὲρ αὐτῆς, οὐχὶ τρόποι, ἄπαγε, τῆς τοῦ Υἱοῦ γεννήσεως καὶ τῆς ἐκπορεύσεως· ἀλλ' οὐδέ γε ἄλλοτε καὶ ἄλλως ἢ ἰδίᾳ νοεῖ, ἢ θέλει, ἢ ἀγαπᾷ ὁ Πατήρ, ἄλλως δὲ καὶ ἄλλοτε καὶ ἰδίᾳ ὁ Υἱὸς ἢ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλὰ μία καὶ ἡ αὐτὴ νόησις καὶ θέλησις καὶ ἀγάπη τῆς ἁγίας Τριάδος. » Κατὰ Λατίνων, c. LIX, apud Dositheum, Τόμος καταλλαγῆς, p. 100.

tibus, similiter et Spiritus Patrem et Filium diligit. Cum autem ex ipsis procedat, ut isti dicunt, numquid illis existentiam tribuet? Nequaquam sane. Quomodo ergo idem sit diligi et procedere? Ad volitionem autem quod attinet, si Pater et Filius solus vellent (id est, haberent actum volitionis), Spiritus Sanctus vero minime, forsitan mihi persuaderet quis quod docent de significatione volitionis et processionis; si vero vult Pater, vult et Filius, vult etiam pariter Spiritus Sanctus, et simul, et eadem — una enim est voluntas Patris et Filii et Spiritus Sancti — quare ex volitione quidem Patris et Filii una exoritur persona, scilicet Spiritus; ex tribus vero volitionibus, quæ sunt una et eadem volitio, altera non exsurgit persona? Qui enim prima ponit, consequentia sane vel concedet, vel ea repellens tanquam absurda, pudorem sibi adsciscet [1]. »

Sæculo XVII, Georgius Coressius, in systematibus nostrorum Scholasticorum bene versatus, multa urget argumenta contra theoriam psychologicam ab Augustino et Thoma propositam :

« Intelligit seipsum Deus, inquit, sed non ponit intellectionem tanquam personam, sed tanquam attributum divinum. Et cognitio illi causa est diligendi seipsum, et tamen personarum multiplicatio non fit. Cognoscit seipsum Filius, et Spiritus item seipsum tanquam bonum, et cognitio boni causa fit amoris, amor vero non est hypostasis, sed operatio, sicut et generatio et processio, quæ non sunt hypostases, sed hypostases sunt quod generatur et quod procedit [2]. »

1. Apud E. Bulgaris : Θεολογικόν, Venetiis, 1872, p. 279-281 : « Εἰ τοῦ μὲν Πατρὸς νοοῦντος τὸν Υἱόν, ὁ Υἱὸς οὔτε τὸν Πατέρα, οὔτε μὴν ἑαυτόν, οὔτε τὸ Πνεῦμα εἶχε νοεῖν· ἀλλ' οὐδὲ τὸ Πνεῦμα, ἢ τὸν Πατέρα, ἢ τὸν Υἱόν, ἢ ἑαυτό... Εἰ μὲν ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς μόνοι τὸ θέλειν εἶχον, Πνεῦμα δὲ οὐδαμῶς, ἴσως ἄν τις ἔπειθε πρὸς τὸ σημαινόμενον τῆς θελήσεως καὶ τῆς προβολῆς· εἰ δὲ... μία θέλησις Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, διατί ἐκ μὲν τῆς θελήσεως Πατρὸς καὶ Υἱοῦ πρόσωπον ἓν ἀναφαίνει, τὸ Πνεῦμα, ἐκ δὲ τῶν τριῶν θελήσεων, τῆς αὐτῆς οὔσης, ἕτερον οὐκ ἀνίσχει πρόσωπον; ».

2. « Νοεῖ ἑαυτὸν ὁ Θεός, ἀλλ' οὐ τίθεται ὑπόστασιν τὴν νόησιν, ἀλλὰ προσὸν θεῖον· καὶ ἡ γνῶσις αἰτία ἐστὶ τοῦ ἀγαπᾶν ἑαυτόν, καὶ ὅμως οὐ γίγνεται πληθυσμὸς ὑποστάσεων. Γινώσκει ἑαυτὸν ὁ Υἱός, καὶ τὸ Πνεῦμα ἑαυτὸ ὡς καλον, καὶ γίγνεται ἡ γνῶσις τοῦ καλοῦ αἰτία ἀγάπης· ἡ δὲ

« Amor non est hypostasis, sed operatio. Si amor esset hypostasis, quandoquidem Pater amat seipsum, et Filius seipsum, et Spiritus Sanctus seipsum, et unaquæque persona cæteras duas amat..., hoc pacto multæ erunt personæ, quæ iterum seipsas amabunt, sicque processio in infinitum erit [1]...

« Adhuc : Amor apud homines est accidens, in Deo autem attributum, non persona [2]...

« Adhuc : Amor est medius inter amantem et amatum; Spiritus autem Filio non præmittitur; non enim quod posterius est producit quod est prius [3]. »

« Valeat nunc exemplum, scilicet quod Pater intelligit seipsum ac diligit ut optimum, et hac via... amor a solo Patre existentiam habet, et ita Filio communicatur, et fit vinculum Patris et Filii... Si vinculum conjungit et est causa colligationis, Pater et Filius causam habebunt. Iterum : Si vinculum est primum, et postea conjungit, erit sane primum ex Patre quantum ad existentiam [4]. »

Alias ejusdem modi movet difficultates Coressius, quas

ἀγάπη οὐκ ἔστιν ὑπόστασις, ἀλλ' ἐνέργεια, ὡς γέννησις καὶ ἐκπόρευσις, ἅπερ οὐκ εἰσὶν ὑποστάσεις, ἀλλὰ τὸ γεννητὸν καὶ τὸ ἐκπορευτόν. » Ἐγχειρίδιον περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος διορθωθὲν ἐν πολλοῖς καὶ διαιρεθὲν εἰς κεφάλαια καὶ τμήματα παρὰ Δοσιθέου, c. VII, in Τόμῳ καταλλαγῆς, p. 333.

1. *Ibid.*, p. 330 : « Καὶ ταύτῃ ἔσονται πολλαὶ ὑποστάσεις, κἀκεῖναι ἀγαπῶσαι ἀλλήλας, καὶ ταύτῃ ἔσται ἐπ' ἄπειρον ἡ πρόεσις. »

2. *Ibid.* : « Ἔτι, ἀγάπη ἐν μὲν τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ συμβεβηκός, ἐν δὲ τῷ Θεῷ προσὸν καὶ οὐχ ὑπόστασις. »

3. *Ibid.* « Ἔτι, ἡ ἀγάπη ἐστὶ μέση μεταξὺ τοῦ ἀγαπῶντος, καὶ τοῦ ἀγαπωμένου· τὸ δὲ Πνεῦμα οὐ προτάττεται τοῦ Υἱοῦ· οὐ γὰρ τὸ ὕστερον προάγει τὸ πρότερον. » Easdem fere difficultates, quas hic Coressius, sæculo XVI, moverat Meletius Pigas contra sententiam Augustini docentis Spiritum Sanctum esse mutuum amorem et mutuum vinculum Patris et Filii. Verba Augustini Meletius ad missionem seu processionem temporalem detorquere conatur, dicitque Spiritum Sanctum esse communem amorem et vinculum Patris et Filii per suam essentiam : « Τὴν οὐσίαν τοίνυν τοῦ Πνεύματος εἰρῆσθαί μοι νόει ἔρωτα κοινὸν καὶ συνδεσμὸν Πατρὸς καὶ Υἱοῦ. » Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. 1769, p. 114; cf. p. 107-140 passim.

4. *Ibid.*, p. 332 : « Εἰ γὰρ ὁ συνδεσμὸς συνδέει καὶ ἔστιν αἰτία τοῦ συνδέεσθαι, ἕξει καὶ ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς αἴτιον. Ἔτι, εἰ ὁ συνδεσμὸς πρῶτόν ἐστιν, εἶτα δὲ συνδέει, ἔσται πάντως πρῶτον ἐκ τοῦ Πατρὸς κατὰ τὴν ὕπαρξιν. »

referre supersedemus. Sæculo XVIII, alius Græcus, scilicet Eugenius Bulgaris, theoriam evertere conatur sequentibus ratiociniis :

« Nos recte sentimus Patrem, et dum intelligit, emittere Spiritum, et dum diligit, generare Filium, ut neque generationem sine amore ponamus, neque processionem sine verbo seu intellectu suscipiamus; unde, secundum Latinos, sequeretur et Filium generatum procedere, et Spiritum procedentem generari, et ita nulla in divinis personis deinceps servaretur differentia et distinctio. Demum Pater et Filius amant Spiritum, et vicissim ab Spiritu amantur; ergo quarta persona procedere deberet ex hoc altero reciproco amore, et postea quinta et sexta, et sic in infinitum [1]. »

Ex theologis russis Adamus Zernikavius et Theophanes Procopovitch epicheremata a Græcis jam adinventa sub nova forma vicissim iterant. Ex Zernikavio sequens habemus :

« Si dicant Latini ex communi volitione Patris et Filii Spiritum Sanctum procedere, triplicem jam habebunt voluntatem Pater et Filius : primam quidem, illam quæ ratione communis essentiæ eis congruit; secundam, volitionem personalem; tertiam, quæ inter istas duas media venit; quod est absurdum. Quæ enim, mihi dicito, quænam erit harum triplicium volitionum ratio discretiva [2] ? »

Procopovitch in sanctum Thomam litem his verbis infert :

« Unde Thomas habet istos divinarum originum modos ? Utriusque enim processionis modum profitentur se Patres ignorare... Unde igitur scivit, valuit et suffecit distinguere Thomas? Non possum autem satis mirari, imo dolere satis

1. Θεολογικόν, p. 318 : « Τὸν Πατέρα καὶ νοοῦντα ἐκπορεύειν τὸ Πνεῦμα ὀρθῶς φρονοῦμεν, καὶ ἀγαπῶντα γεννᾶν τὸν Υἱόν, ὅπως μηδὲ γέννησιν ἄνευ ἀγάπης θῶμεν, μηδὲ ἐκπόρευσιν ἄλογον ὑπολάβωμεν, ὥσθ'εἴπετ'ἂν καὶ τὸν Υἱὸν κατὰ Λατίνους γεννώμενον ἐκπορεύεσθαι, καὶ τὸ Πνεῦμα γεννᾶσθαι ἐκπορευόμενον, καὶ μηδεμίαν μηκέτι ἐν τοῖς θείοις προσώποις διαφορὰν διασῴζεσθαι καὶ διάκρισιν. »

2. *Op. cit.*, *Dissertatio decima sexta*, t. II, p. 477-514; cf. p. 750-751 : « Εἰ δὲ φαῖεν, ὅτι ἐκ τῆς κοινῆς τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ θελήσεως τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, τριττὴν ἤδη θέλησιν ἕξουσιν ἅμα ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱος· α'. μὲν τὴν αὐτοῖς τῷ λόγῳ τῆς κοινῆς οὐσίας προσήκουσαν· β'. δὲ τὴν προσωπικήν. γ'. δὲ τὴν τούτων μεταξὺ μεσιτεύουσαν, ὅπερ ἄτοπον. » P. 485.

quorumdam nostrorum levitatem, qui istos divinarum originum modos *inter indubitatæ fidei dogmata et certissima oracula habent, nullo alio argumento convicti nisi quod ita ex Jesuitis audierint* [1]. In hos nimirum apprime valet Horatianum illud : *O imitatores, servum pecus!* Dices forte : Tametsi sciamus tales esse originum modos, at adhuc ignoramus quonam modo se illi habeant, et quomodo illa generatio per intellectum perficiatur, atque adeo stare adhuc cum modorum cognitione magnam ignorationem nostram; hoc est scilicet : scimus modos, sed modorum eorum modos nescimus. Quod si quis Doctori Angelico similis in medium prosiliat, seque dicat scire et modorum modos, adhuc erit pius et sobrius, si se profiteatur secundorum modorum modos ignorare. Deinde cum tales originum divinarum modos scire nos profitemur, saltem dicimus nos scire ita de illis originibus ut scimus de nostro intelligere et velle. At hæc de Deo scientia stulta et improba est. Denique Patres fatentur se nescire illum generationis et processionis modum, et infamiam vocant id investigare.

« Imaginationem suam Thomas ex hoc nimirum collegit quod Filius nominetur Λόγος, *sermo Dei, sapientia;* Spiritui vero Sancto bonitas passim tribuatur et charitas, et dicatur opifex charitatis. Sed quid inde? Filius est sapientia : ergo per modum intellectus producitur; Spiritus charitas : ergo per voluntatem? Nulla consequentia. Nam et Pater est sapientia et charitas, et tamen ne producitur quidem. Ista enim sunt attributa substantialia omnibus tribus personis communia. Deinde, concesso quod nomen Λόγος sit personale Filii, habens in ipsa ejus hypostasi rationem sui (quod tamen ἄγραφον est), nondum tamen certum est an etiam per intellectum producatur. Arcana ista sunt occulta, abdita, impervestigabilia.

« Sed demus etiam hisce modis Filium et Spiritum Sanctum produci : minime adhuc sequitur quod volunt Latini. At,

1. Alludit Theophanes ad suos collegas, Academiæ Kioviensis professores, qui ante ipsum (et etiam post ipsum) magistrum in sacra theologia sibi elegerunt sanctum Thomam, cujus doctrinæ in omnibus fere adhæserunt. Cf. quæ infra subjicimus de illorum uno, Hilarione Negrebetskii, p. 276.

inquiunt, cum volumus aliquid, requiritur ut illud cognoscamus; hinc illud vulgare axioma : *Nihil volitum, nisi præcognitum.* Ita est; quid vero inde? Numquid cognitio amorem causat? Minime. Cognitio enim ostendit in objecto bonitatem, et illa bonitas causat in nobis amorem sui, hoc est accendit voluntatem nostram ad amandum objectum illud. Cognitio ergo est veluti fax pellens tenebras, et rem, qualis sit, illustrans; est *conditio sine qua non*, ut loquuntur; at non est causa amoris, si vere et proprie philosophemur. Vana igitur est argumentatio : Filius est cognitio; Spiritus Sanctus amor est; ergo hic ab illo producitur. Si quid hinc inferri posset, hoc nonnisi est : ergo prior est ordine Filius, et præintelligitur Spiritui Sancto sicuti cognitio amori. Et hoc erit quod antea diximus : Spiritum Sanctum per Filium, hoc est, præintellecto Filio procedere a Patre.

« Quæro insuper, cum dicunt Spiritum Sanctum procedere per voluntatem, an voluntatem intelligunt substantialem, an hypostaticam, an mediam aliquam? Si primum, ergo et a se ipso procedet Spiritus Sanctus; si secundum, ergo a duplici voluntate, alia Patris, alia Filii, procedet, non igitur per unicam, ut volunt, indivisibilem actionem, adeoque et duo principia non evitabunt. Si denique tertium, ergo jam tres erunt in Deo voluntates, *substantialis, hypostatica* et ista *media;* imo quinque; nam *hypostaticæ* tres erunt, et Pater et Filius habebunt tres voluntates : substantialem, communem omnibus tribus; mediam, communem duobus tantum, et hypostaticas sibi uterque proprias. Spiritus autem Sanctus duas tantum habebit : substantialem et hypostaticam; et magna ergo disparitas erit Spiritum Sanctum inter et Patrem ac Filium, et mysterium dualitatis invehetur; quæ omnia absurda. Plura sunt, quæ ex ista inani Thomæ imaginatione colligere possemus absurda; sed et hæc sufficiunt [1]. »

Antequam Zernikavius et Procopovitch suos scriberent tractatus de processione Spiritus Sancti, Ecclesia constantinopolitana per Methodium III patriarcham (1668-1671) ad quæsita theologica Russorum publica dederat responsa, ex quibus tria respiciunt doctrinam sancti Thomæ de divinis

1. *Op. cit.*, c. XVIII, p. 397-401.

processionibus. Horum versionem latinam, cujus auctor fuit, ut videtur, E. Renaudotius, hic exscribimus :

« 1. *Primi quæsiti solutio.* — Quod ex Patre per intellectionem generetur Filius et per volitionem procedat Spiritus Sanctus, non solum figmentum est neotericum, sed plures inde sequuntur errores, quales sunt Verbum esse intellectuale, et Spiritum, creaturam; creaturæ namque a Patribus dicuntur quæcumque per voluntatem fiunt a Deo. Etenim etiamsi divinus Augustinus, ad manifestationem ineffabilium in trinitate personarum, imagine intellectus et voluntatis usus sit, non tamen rationem istam simpliciter admisit, sed quatenus per symbola licet processiones in Deo dilucidari. Recentiores autem additamenta super imaginem istam effingentes et processiones in Trinitate intellectione et voluntate revera fieri contendentes, divinam naturam e sua sede dejiciunt, humanæ cognitioni submittentes. Nos igitur vestigiis Patrum sine curiositate inhærentes, generari quidem a Patre Filium, procedere vero Spiritum Sanctum tanquam ab uno principio et fonte clare confitemur. Processionis vero rationem neque nos asserimus, neque aliis unquam assignandam concedemus.

« 2. *Secundi quæsiti solutio.* — Sed novorum dogmatum excogitatores, corruptis et flacidis innixi basibus, personarum distinctionem a differentia intellectus et voluntatis solent derivare et discernunt Filium a Spiritu quod ille intellectu generetur, iste vero volitione producatur. Nos vero cum Patribus omnia censemus esse communia in tota divinitate, et tres personæ inconfuse unimus in unitate naturæ, et rursus indivisibiliter distinguimus terminis istis : in generante nempe, generato et spirato; et hanc esse mentem Ecclesiæ orientalis indubie credimus; quod non solum sacris dictis fulcitur, sed hisce etiam rationibus corroboratur : Primo quidem, quod intellectio et volitio actiones sunt substantiales et in singula persona similiter se habent; generatio vero et spiratio propriæ sunt, prout personarum sunt distinctivæ. Absurdum autem est per substantiales et toti Trinitati communes actiones personas subsistere. Secundo, sufficit ad personarum distinctionem diversitas terminorum. Superflua igitur ac perversæ, dicamus, opinionis est inventio talis modi processionum. »

« 3. *Tertii quæsiti solutio.* — Tertio, recentiores docere audent duplicem esse in Deo sapientiam ac duplex verbum, unum quidem toti divinitati commune et naturale, alterum vero personale, quod est Filius. Solent enim hi contractionibus aut divisionibus confundere sejuncta et inseparabilia discindere juxta pravam cogitationem suam. Nos vero verbum unum et unam sapientiam agnovimus; in tota deitate quæcumque communia a Patribus tradita sunt, suprasubstantiali naturæ communiter attribuentes tribus personis in substantia unitis; quæcumque vero singulæ personæ propria didicimus, incommunicata servantes. Proprium autem est Patris quidem, ut dictum est, ingenitum esse, Filii vero genitum esse, Spiritus vero spiratum esse. Cætera vero omnia similiter toti Trinitati attribuimus, de una nimirum natura dicta, etiamsi aliqua ex his specialius et insignius uni ex personis aptantur, veluti sapientia, de qua maxime quæsitum erat, communis et una indivisibiliter et æqualiter toti competit deitati, Filio tamen tribuitur ut ostensa per ipsum, quare et solus Filius Patris dicatur sapientia [1]. »

Pauci inter recentiores de hac theoria loquuntur, generatim de ea sinistre judicantes. Ita C. Andrutsus, qui hæc habet :

« Omnibus manifestum est ex hac sterili assimilatione nihil trahi posse quod ad divinas processiones illustrandas quomodocumque conferat [2]. »

Malinovskii, postquam thomisticam explicationem exposuit prout in *Catechismo majori* Stantsevitch (Kioviæ, 1889) occurrit, hanc dogmatis explanationem habet ut rationalismi fœtum :

« Hypostatica existentia Filii et Spiritus Sancti, inquit, evanescit. Filius ut conscientia Patris repræsentatur, et Spiritus Sanctus sicut ejus amor; aliis verbis : Conceptus existentiæ personalis et proprietatum transmutatur in conceptum qualitatum abstractarum conscientiæ et amoris in Deo [1]. »

1. Malvy-Viller, *La Confession orthodoxe de Pierre Moghila*, Paris, 1927, p. 163-165.

2. Δογματική, p. 79 : « Παντί που φανερόν, ὅτι ἐκ τῆς ἀκάρπου ταύτης ὡμοιώσεως οὐδὲν δύναται νὰ ἀποφέρῃ τις εἰς διαφώτισιν τῶν θείων προόδων οὕτως ἢ ἄλλως συμβαλλόμενον. »

II. — De theologis qui hanc theoriam probarunt.

Quis credat quamdam psychologicam Trinitatis explicationem, ab illa quam exponunt Augustinus et Thomas, vix discrepantem, apud illum Gregorium Palamam occurrere, quem Ecclesia byzantina, inde a secundo dimidio sæculi XIV, in publicis documentis et officiis liturgicis præclarissimis Ecclesiæ antiquæ doctoribus adæquavit; quem item Ecclesia græco-russica moderna iisdem immodicis effert præconiis? Res tamen ita se habet, ut patet ex sequenti speculatione, quam legere est in uno ex ultimis Palamæ operibus, cujus titulus est : *Physica, theologica, moralia et practica capita* CL [2] :

« Cum Bonitas perfecta, omnem superans perfectionem, sit ens intelligens (νοῦς), quid aliud ex ea velut ex fonte manare possit quam verbum? Et verbum quidem illius verbi non simile, quod nos proferimus; hoc enim non est fetus intellectus, sed corporis est intellectu moti; nec simile verbi, quod nos intus componimus; hoc enim vocem quasi typis in nobis efformat; nec simile verbi quod nos cogitamus, licet sit sine voce ac motibus prorsus incorporeis perfectum; hoc enim est nobis posterius, intervalla requirit et non pauca temporum spatia, discursu procedens et ex principio imperfecto ad perfectum progrediens consectarium; sed secundum verbum intellectui nostro naturaliter insitum, ex quo nos creator ad suam fecit imaginem; *verbum dico, quod est cognitio* (γνῶσις) *cum ipso semper existens, quæ maxime est in supremo intellectu perfectissimæ et omnem perfectionem superantis bonitatis; quæ cognitio nihil imperfecti habet, estque omnia quæ ipsa bonitas est, præter quod ex ea suum esse habet.*

1. *Op. cit.*, t. II, p. 183. Cf. S. Balanum, Τὸ δόγμα τῆς Ἐκκλησίας περὶ ἁγίας Τριάδος, Athenis, 1911, p. 42.

2. Κεφάλαια φυσικά, θεολογικά, ἠθικά τε καὶ πρακτικὰ ρν', *P. G.*, t. CL, col. 1121-1226. Hujusmodi capita nobis exhibent quamdam totius doctrinæ Palamæ summam, quam ex certis indiciis conjicimus scriptam fuisse intra annos 1354-1359. Mortuus est autem Palamas anno 1359, die 14 novembris.

Ideo supremum Verbum et Filius est et ita a nobis appellatur, ut cognoscamus eum esse perfectum in propria et perfecta hypostasi, tanquam ex Patre existentem et nihil a paterna substantia differentem; qui absque ulla dissimilitudine idem est ac ipse, hypostasi excepta, quæ ostendit ipsum Verbum a Patre divino modo genitum [1].

« Cum Bonitas, quæ ex intellegente Bonitate tanquam ex fonte per generationem prodit, sit verbum, verbum autem sine spiritu nemo intellectum habens concipere possit, ideo qui ex Deo est Deus Verbum et Spiritum Sanctum habet secum ex Patre procedentem; spiritum porro non similem spiritus comitantis verbum labiis nostris prolatum, nec similem illius spiritus qui inest, etsi modo incorporeo, nostro verbo immanenti, quod cogitatione parturimus; iste enim spiritus est impulsus quidam nostri intellectus, cum verbo nostro temporaliter se extendens iisdemque indigens intervallis, et ex imperfecto ad perfectionem progrediens. *Ille autem supremi Verbi Spiritus est velut ineffabilis quidam amor* (ἔρως) *Genitoris versus ipsum ineffabiliter genitum Verbum, quo et ipsum Patris amabile Verbum et Filius utitur versus Genitorem, et quem habet ut secum ex Patre procedentem et intime in seipso requiescentem.* Verbum autem, quod per carnem nobiscum conversatum est, nos docuit illius alterius personæ nomen a Patre procedentis, quam non solum Patris, sed et sui ipsius esse discit : *Spiritum veritatis,* ait Scriptura, *qui a Patre procedit,* ut nos cognoscamus non solum Verbum, sed etiam Spiritum ex Patre, non genitum sed procedentem; qui et Filii est, quippe qui ipsum a Patre habet ut spiritum veritatis, sapientiæ et verbi. Veritas enim et sapientia est

1. C. 35, *P. G.*, t. cit., col. 1144 BC : « Ἀλλὰ κατὰ τὸν ἐμφύτως ἡμῖν, ἐξ οὗ γεγόναμεν παρὰ τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς κατ' εἰκόνα οἰκείαν, ἐναποκείμενον τῷ νῷ λόγον, τὴν ἀεὶ συνυπάρχουσαν αὐτῷ γνῶσιν, ἥτις καὶ μάλιστα ἐκεῖ ἐπὶ τοῦ ἀνωτάτου νοῦ τῆς παντελοῦς καὶ ὑπερτελοῦς ἀγαθότητος, παρ' ᾗ μηδὲν ἀτελές, πλὴν τοῦ ἐξ αὐτῆς εἶναι, πάντα ἐστὶν ἀπαραλλάκτως ὅσα ἐκείνη· διὸ καὶ Υἱὸς ὁ ἀνωτάτω Λόγος ἔστι τε καὶ παρ' ἡμῶν καλεῖται, ἵν' ἐπιγνῶμεν αὐτὸν ὄντα τέλειον, ἐν ὑποστάσει τελείᾳ τε καὶ ἰδίᾳ, ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς ὄντα καὶ κατὰ μηδὲν λειπόμενον τῆς πατρικῆς οὐσίας, ἀλλ' ἀπαραλλάκτως τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ ὄντα, εἰ καὶ μὴ καθ' ὑπόστασιν, ᾗ τὸ ἐξ ἐκείνου γεννητῶς θεοπρεπῶς εἶναι παρίστησι τὸν Λόγον. »

verbum Patri congruum, quod Patri de ipso gaudenti congaudet, juxta illud ab ipso per Salomonem dictum : « Ego eram quæ cum eo congaudebam. » Non ait : *gaudebam,* sed *congaudebam;* Spiritus Sanctus enim est hoc gaudium æternum Patris et Filii, quo communiter coutuntur: *unde ab utroque ad dignos mittitur; solius vero Patris est quantum ad existentiam, et ab eo solo procedit quantum ad existentiam* [1].

« Hujus supremi amoris imaginem habet intellectus noster, ad imaginem Dei creatus, erga cognitionem a se et in se jugiter conceptam. Et hic amor in eo et ab eo est ab eoque procedit simul cum verbo intimo; quem iis qui interiora sua inspicere nequeunt, manifestat hominum insatiabilis sciendi appetitus. Sed in illo archetypo, in illa perfectissima et omnem perfectionem superante bonitate, apud quam nihil imperfectum, divinus amor est quidquid est ipsa, absque ulla dissimilitudine, præter quod ab ipsa est; ideo hic amor est et a nobis vocatur Spiritus Sanctus et alius Paraclitus, utpote Verbi comes, ut nos sciamus eum esse perfectum in perfecta et propria hypostasi, nihilque a Patris substantia differre, sed eumdem indiscriminatim esse ac Pater et Filius, quamvis non sit idem secundum personam, quæ ipsum modo divino a Patre procedere nobis demonstrat; utque colamus unum Deum verum atque perfectum, in tribus personis veris ac perfectis, non triplicem, absit! sed simplicem. Neque enim bonitas triplex est neque trias bonitatum, sed suprema bonitas est, Trinitas sancta et veneranda et adoranda, ex seipsa in seipsam jugiter illabens et in seipsa ante sæcula divine subsistens, infinita et a se una circumscripta, et omnia circumscribens et super omnia extensa et nihil extra semetipsam esse patiens [2]. »

1. C. 36, *P. G.*, *ibid.*, col. 1144-1145 : « Ἐκεῖνο δὲ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἀνωτάτου Λόγου οἷόν τις ἔρως ἐστὶν ἀπόρρητος τοῦ Γεννήτορος πρὸς αὐτὸν τὸν ἀπορρήτως γεννηθέντα Λόγον, ᾧ καὶ αὐτὸς ὁ τοῦ Πατρὸς ἐπέραστος Λόγος καὶ Υἱὸς χρῆται πρὸς τὸν Γεννήτορα, ἀλλ' ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς ἔχων αὐτὸν συμπροελθόντα καὶ συμφυῶς ἐν αὐτῷ ἀναπαυόμενον. »

2. C. 37, *ibid.*, col. 1145 : « Τούτου τοῦ ἀνωτάτου ἔρωτος τὴν εἰκόνα καὶ ὁ κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ κτισθεὶς ἡμῶν ἔχει νοῦς πρὸς τὴν παρ' αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ διηνεκῶς ὑπάρχουσαν γνῶσιν, παρ' αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ τοῦτον ὄντα καὶ συμπροϊόντα παρ' αὐτοῦ τῷ ἐνδοτάτῳ λόγῳ· καὶ τούτου

Eamdem theoriam de duplici processione per viam cognitionis et amoris evolvit hesychastarum doctor, ubi ex professo disserit de anima humana quatenus est imago creata increatæ Trinitatis. Sicut Deus, ita et anima nostra intellectu prædita est, habens verbum et spiritum. Est simul νοερά, λογικὴ καὶ πνευματική; cognoscit et amat; quin etiam inter creaturas sola habet intellectum, verbum et *spiritum vivificantem;* spiritum dico *vivificantem*, quia corpus vivificat. Unde sub hoc ultimo respectu divinam imaginem vividius quam angelus exprimit ac repræsentat; angelus enim habet quidem intellectum, et verbum ex intellectu, et amorem intellectus in verbum, qui et ipse ex intellectu est, intellectui et verbo semper adhærens; at vero *spiritum vivificantem* non habet, quatenus non habet corpus cui vitam communicet et servet [1].

Certe speculationem hujusmodi græcis Patribus et byzantinis theologis prorsus ignotam a seipso non adinvenit Palamas, sed illam e latinis hauserit fontibus. Quinam isti? Suspicamur Augustini *librorum de Trinitate* versionem græcam a Maximo Planude editam, vel etiam — et quidem verisimilius — Aquinatis *Summam contra Gentiles* a Demetrio Cydone jam anno 1354 finiente ad integrum græce redditam. Hanc comparare bene potuerit Palamas anno 1355, quo Constantinopolim ex Turcarum captivitate appulsus, coram Joanne V imperatore et Paulo Smyrnensi, papæ legato, de sua theologia cum Nicephoro Gregora disputavit, et hac etiam occasione duas de processione Spiritus Sancti dissertationes contra Latinos conscripsit [2]. Vides ergo quomodo tot objurgationes, tot convicia ob hanc explicationem Trinitatis in Latinos a polemistis olim et recentiori tempore conjecta in ipsum Gregorium Palamam recidant.

δεῖγμα ἐναργέστατον καὶ τοῖς μὴ τὰ ἐνδοτάτω ἑαυτῶν δυναμένοις καθορᾶν, ἡ πρὸς τὸ εἰδέναι τῶν ἀνθρώπων ἄκορεστος ἔφεσις. »

1. C. 38-40, *P. G.*, *ibid.*, col. 1145-1148 : « Ἡ νοερὰ καὶ λογικὴ φύσις τῆς ψυχῆς, μόνη νοῦν ἔχουσα καὶ λόγον καὶ πνεῦμα ζωοποιόν, μόνη καὶ τῶν ἀσωμάτων ἀγγέλων μᾶλλον κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ παρ'αὐτοῦ δεδημιούργηται· καὶ τοῦτ'ἔχει ἀμεταποίητον, κἂν μὴ ἐπιγνῷ τὴν ἑαυτῆς ἀξίαν καὶ τοῦ κτίσαντος κατ'εἰκόνα οἰκείαν ἀξίως φρονῇ τε καὶ πολιτεύηται » col. 1148 B.

2. Notum est sanctum Thomam, in libro IV *Summæ contra Gentiles*, fuse exponere psychologicam analogiam Trinitatis.

Cæterum, fatendum est Palamam, quantum ad hanc quæstionem, admodum paucos inter Græcos imitatores habuisse. Si Georgium Scholarium excipias, de cujus mente mox dicemus, nullum alium byzantinum theologum dissidentem invenimus qui speculationi thomisticæ adeo explicite adhæserit. Pauci sunt etiam in epocha moderna qui eidem suffragati sint; inter quos est ille N. Kursulas, Collegii græci romani alumnus, quem inter theologos græco-russos vix computare licet, quippe qui est latinus fere totus et scholasticus. Doctrinam sancti Thomæ de divinis processionibus non solum expresse probat ac fuse exponit, verum etiam illam ad dogmatis dignitatem evehere videtur :

« Supponatur, inquit, illas operationes immanentes, secundum quas fiunt divinarum personarum processiones, non alias esse præter operationes intellectus et ipsius voluntatis, ita ut per intellectus quidem processionem Filius procedat, per voluntatis vero Spiritus Sanctus. *Hoc dogma* sequens demonstratio firmat : Consentientibus omnibus, processio Filii alia est et diversa a processione Spiritus Sancti. Atqui processio Filii fit per operationem intellectus; ergo processio Spiritus Sancti per operationem voluntatis ex necessitate fieri debet. Minor est evidens ex hoc quod sacra Scriptura Filium appellare solet Verbum et sapientiam... Si ergo Filius generatur per operationem intellectus, Spiritum Sanctum aliter procedere necesse est, id est per ipsius voluntatis operationem; alia enim Dei operatio ad intra non agnoscitur præter intellectionem et volitionem [1]. »

Durandi opinionem confutat necnon sententiam Scoti de fecunda memoria Patris omnem intellectionem præcedente; docet principium immediatum quo processionum esse intellectionem et volitionem non *absolute* sed *relative* consideratas, id est prout relationibus modificantur; relationes quidem ut

1. *Op. cit.*, t. I, p. 198-199 : « Ὑποκείσθω ἔτι τὰς ἐμμενούσας ταύτας ἐνεργείας καθ'ὅς αἱ πρόοδοι γίνονται τῶν θείων προόδων, μὴ ἄλλας εἶναι παρὰ τῆς ἐνεργείας τοῦ νοῦ καὶ αὐτῆς τῆς θελήσεως, ὥστε διὰ μὲν τῆς ἐνεργείας τοῦ νοῦ τὸν Υἱὸν προϊέναι, διὰ δὲ τῆς θελήσεως τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· τουτὶ τὸ δόγμα τοιαύτη ἀπόδειξις βεβαιοῖ. »

sic esse *principium formale immediatum;* intellectionem vero et volitionem ut sic esse *principium formale mediatum et radicale.* Et has quidem theses multis fulcit argumentis, ut subtilissimus quisque Scholasticus [1]; postea, de filiationis et processionis differentia disserens, postquam diversas enumeravit opiniones, sequentem sententiam facit suam :

« Facilius ita ostendere possumus quare Spiritus Sancti processio non sit generatio : quia videlicet Filius secundum formalem processionis rationem accipit divinam intellectionem, quæ essentiæ et naturæ rationem habet; per intellectionem enim formaliter procedit, utpote Verbum Patris et sapientia existens. Spiritus Sanctus autem recipit quidem et ipse eamdem intellectionem, non vero formaliter, secundum formalem processionis rationem, sed quasi materialiter propter divinæ essentiæ identitatem. Non enim procedit per divinam intellectionem formaliter et secundum primam rationem, sed per divinam volitionem; ideo formaliter et secundum primam rationem accipit volitionem, cætera vero accipit propter identitatem volitionis cum ipsis. Non ergo accipit naturam seu essentiam secundum formalem processionis rationem; divina enim volitio non est formaliter natura Dei.. sed secundum probabiliorem sententiam sola intellectio actualis est natura et essentia Dei [2]. »

Vides viri ingenium et argumentandi rationem. Eamdem prorsus invenimus et apud theologos Kiovienses sæculi XVII et primi dimidii sæculi XVIII. Isti enim Scholasticæ latinæ addicti fuerunt, ut ex cursu manuscripto Hilarionis Negrebetskii videre est. Ita autem theoriam thomisticam de processionibus explicant, ut nihil jam in illa occurrat, quod dogmati photiano de processione Spiritus Sancti a Patre solo adversetur. Audi Negrebetskii pro sua doctrina scholastice loquentem :

« Ideo Filius a solo tantum Patre generatur, juxta theologos, quia Pater seipsum tantum comprehendendo generat

1. *Ibid.*, p. 200-214.

2. *Op. cit.*, p. 219-220, 221 : « Οὐκ ἄρα λαμβάνει τὴν φύσιν ἤτοι τὴν οὐσίαν κατὰ τὸν εἰδικὸν τῆς προόδου λόγον· ἡ γὰρ θεία θέλησις οὐκ ἔστιν ἰδικῶς φύσις τοῦ Θεοῦ... Ἡ πιθανωτέρα δόξα διδάσκει μόνην τὴν κατ'ἐνέργειαν νόησιν εἶναι φύσιν καὶ οὐσίαν τοῦ Θεοῦ. »

Filium. Ergo etiam et Spiritus ideo a solo Patre procedit, quia Pater seipsum tantum amando spirat Spiritum Sanctum; siquidem hoc tantum Pater amat amore notionali quod cognoscit intellectu notionali. Et quoniam seipsum tantum cognoscit notionaliter, et per hanc cognitionem generat Filium, ergo seipsum tantum amat notionaliter, et per hunc amorem solus spirat Spiritum Sanctum. Et quamvis Pater amat Filium, et Filius vicissim Patrem, nihilominus hoc intelligi debet de amore essentiali, non notionali, sicut etiam cognoscit Pater Filium et Filius Patrem intellectu essentiali, non notionali; alioqui Filius intellectu notionali cognoscendo Patrem generaret seipsum, aut alium filium [1].

« Amor in divinis dupliciter sumitur : *essentialiter* et *personaliter. Essentialiter* sumitur quatenus significat actum diligendi absolutum, communem et indivisibilem, et sic æqualiter convenit omnibus tribus personis, sicut et deitas, ut in I Joan., IV dicitur: *Deus charitas est; personaliter* autem, quatenus significat terminum amoris per actum diligendi productum; et sic nomen *amoris* speciale et proprium est soli Spiritui Sancto. Omnes quidem personæ divinæ amore essentiali se invicem amant, sed non omnes producunt, quia productio ad intra est actio personalis, non essentialis. Unde si amor ad intra sumatur active in ratione principii productivi, soli proprius est personæ primæ, scilicet Patri, qui communiter dicitur principium, fons et origo in divinis totius sanctissimæ Trinitatis; si vero passive, in ratione termini producti, soli convenit Spiritui Sancto juxta illud : *Dilectio ex Deo est* (I Joan., IV); quæ verba Augustinus *(De Trinitate,* l. XV, c. XVII) exponit de persona Spiritus Sancti, quatenus est Deus de Deo et dilectio de dilectione, sicut et Filius est Deus de Deo, lumen de lumine. Porro, sicut intelligere in Deo est essentiale, commune omnibus tribus personis, sed non omnes personæ per intellectum Verbum seu Filium producunt, nisi solus Pater, ita et amare seu diligere est commune omnibus, sed non producere; quod soli proprium est Patri. Præterea, sicut Filius producitur a Patre ex cognitione essentiæ divinæ, attributorum divinorum et creatura-

1. Ms. *Novakovitch*, fol. 252r.

rum omnium possibilium, non tamen contingenter existentium libere a Deo productarum, sic et Spiritus Sanctus ab æterno a Patre procedit ex dilectione horum omnium, exceptis creaturis contingenter existentibus, quia alioqui non procederet naturaliter et necessario, sed tantum libere, sicque proprie non esset Deus, cujus existentia est necessaria, non libera [1]. »

« *Objectio.* Ipse Spiritus amat Patrem et Filium. Ergo Spiritus Sanctus est principium alius amoris. — *Resp. directe :* Quamvis Pater amat Filium et Filius vicissim Patrem; nihilominus hoc intelligi debet de amore essentiali, non personali; sicut cognoscit Pater Filium et Filius Patrem intellectu essentiali, non notionali; alioqui Filius intellectu notionali cognoscendo Patrem, generaret alium Filium [2]. »

« Spiratio activa est idem quod volitio notionalis. Atqui ubi non est intellectio, ibi nec est volitio juxta illud : Nihil volitum nisi cognitum. Ergo ubi non est generatio, ibi nec spiratio. Consequenter, cum in Filio non sit intellectio notionalis activa seu generatio activa, neque erit volitio notionalis seu spiratio activa. Ergo [3]. »

Hæc Hilarion Negrebetskii, et similia alii Academiæ Kioviensis professores, etiam postquam Theophanes Procopovitch in doctrinam Aquinatis tam acriter invectus fuerat. Recentiori autem tempore, adhuc unus nobis occurrit theoriæ psychologicæ tenax, scilicet Zikos Rhosis, cujus sententiam de divinis attributis in singulas personas distributis supra exposuimus [4]. Hic quidem non est sancti Thomæ discipulus; evolvit tamen aliquam psychologicam Trinitatis theoriam, quæ cum doctoris latini explicatione in quibusdam convenit :

Quatenus est causa sui, ait Rhosis, Deus est Pater, tum ut genitor, tum ut spirator consideratus, qui secundum absolutam necessitatem in sua natura operatur et vivit. Quatenus autem est causatus, seu in sua natura secundum absolutam

1. *Ibid.*, fol. 244.
2. *Ibid.*, fol. 259v.
3. *Ibid.*, fol. 252r.
4. Cf. p. 249.

necessitatem productus, est Filius ab æterno generatus, seu Verbum, et Spiritus Sanctus ab æterno procedens. Pater est Deus sub aspectu physico consideratus; Filius est Deus sub aspectu logicæ intellectionis absolutæ consideratus; Spiritus Sanctus est Deus sub aspectu liberæ volitionis absolutæ consideratus. Qui intellectione operatur in Deo est Verbum ejus æternum; qui vero volitione in eo operatur est Spiritus Sanctus. Porro divinæ essentiæ proprietates seu attributa sunt in Patre sub aspectu physico, in Verbo sub aspectu logico, in Spiritu Sancto sub aspectu ethico seu morali [1].

Hæc sane ab explicatione thomistica longe distant; habemus tamen duplicem processionem, unam per viam intellectus, alteram per viam voluntatis.

III. — De Georgii Scholarii positione erga explicationem psychologicam sancti Augustini et sancti Thomæ.

Georgius Scholarius, inter theologos byzantinos dissidentes ingenio ac scientia primus, tempore ultimus, explicationem theologicam Trinitatis prout a sancto Thoma exponitur, in pluribus scriptis suis explicite probat facitque suam. Nedum in ea detegat aliquid quod reprehensionem mereatur, illam habet ut in ratione et in divina Revelatione simul fundatam. Jam in dissertatione quadam *De Filii Dei incarnatione*, quam in juvenili ætate, ut videtur, conscripsit, ad eam haud obscure alludit, dicens similitudinem Trinitatis in mente humana manifestam esse, et humanæ mentis exemplar in divino intellectu contineri :

« Sicut, inquit, in intellectu humano est intellectus intelligens et intellectus intellectualis, qui est intellectio intellectualis intellectus, et verbum vocatur et intellectus amatus in

1. *Op. cit.*, p. 287-297. Paucis contrahimus doctrinam auctoris, quæ est satis involuta ac confusa et in verbosa expositione diluta : « Τὸ διττὸν ἐν τῷ Θεῷ αἰτιατὸν θεωρούμενον ἐκ τῶν δύο ἄλλων ἀπόψεων αὐτοῦ, ἔνθεν μὲν ἐκ τῆς ἀπόψεως τῆς ἀπολύτου λογικῆς νοήσεως, ἔνθεν δὲ ἐκ τῆς ἀπόψεως τῆς ἀπολύτου ἐλευθέρας βουλήσεως, εἶνε τὸ μὲν νοήσει, τὸ δὲ βουλήσει ἀπολύτως ἐνεργόν. Νοήσει μὲν ἐνεργῶν ἐν τῷ Θεῷ εἶνε ὁ ἀΐδιος Λόγος αὐτοῦ, βουλήσει δ'ἐνεργοῦν εἶνε τὸ ἅγιον Πνεῦμα. » P. 290.

voluntate, ita etiam in divinis est intellectus et verbum et spiritus [1]. »

Post Constantinopolim a Turcis captam, nempe circa annum 1456, cum Scholarius sub Gennadii nomine patriarchalem thronum adhuc teneret, sultanus Muhamedes II colloquium de christiana religione cum eo habuit, rogavitque eum ut dicta scripto mandaret; quod et fecit in duplici opusculo, uno longiore, inscripto : *De sola via ad salutem hominum* [2]; altero breviore sub forma *Confessionis fidei* in articulos digestæ. Porro in utroque theoriam thomisticam de divinis processionibus fuse exponit, ut dogmatis christiani aliquam notitiam mentibus Infidelium ingerat eisque ad fidem accessum complanet. Sufficiat hic transcribere quæ in tertio articulo *Confessionis fidei* feruntur :

« Credimus ex natura Dei oriri Verbum et Spiritum, sicut ex igne lux et caliditas. Et quemadmodum ignis, etiamsi nihil sit quod illuminetur et calefiat ab ipso, tamen ipse per se semper habet lucem et caliditatem, et emittit lucem et caliditatem, ita et ante mundi creationem exstabant Verbum et Spiritus, operationes Dei naturales, quandoquidem Deus mens est, ut supra dictum est; et hæc tria : mens, verbum et spiritus, unus Deus est, sicut in una hominis anima est mens et verbum mente intellectum et voluntas mente percepta, et tamen hæc tria sunt una anima secundum essentiam. Rursus Verbum Dei vocamus sapientiam Dei et virtutem et Filium ejus, quia est progenies ejus naturæ, sicut

1. Εἰ μία οὐσία Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, πῶς ἐνανθρωπήσαντος τοῦ Υἱοῦ, οὐχὶ καὶ ὁ Πατὴρ καὶ τὸ Πνεῦμα συνενηνθρώπησαν, ἢ πῶς τέλειος Θεὸς ὁ Χριστος, μὴ κἀκείνων συνενανθρωπησάντων,7. *Œuvres complètes*, t. III, Paris, 1930, p. 356 : « Ἔτι φανερὸν τῆς Τριάδος τὴν ὁμοιότητα ἐν τῷ ἀνθρωπίνῳ νῷ πεφυκέναι καὶ τοῦ ἀνθρωπίνου νοῦ τὸ παράδειγμα ἐν τῷ θείῳ περιέχεσθαι νῷ, καὶ καθάπερ ἐν ἀνθρωπίνῳ νῷ νοῦς ἐστι νοῶν καὶ νοῦς νοερός, ὅς ἐστιν ἡ νοερὰ τοῦ νοῦ νόησις, καὶ λόγος καλεῖται, καὶ νοῦς ἀγαπώμενος ἐν τῇ θελήσει, οὕτω κἀν τοῖς θείοις νοῦν εἶναι καὶ λόγον καὶ πνεῦμα. »

2. *Œuvres complètes*, t. III, p. 434-452. Hoc opusculum, quod nuper edidimus, confundi non debet cum spurio dialogo inscripto *De via salutis humanæ*, in *P. G.*, t. CL, col. 319-352, recuso post plures alias editiones.

naturae hominis progeniem vocamus filium hominis, et sicut hominis cogitatum est proles animæ ejus.

« Rursus voluntatem Dei vocamus Spiritum Dei ejusque amorem; ipsam autem mentem appellamus Patrem, quia ipse est ingenitus nec sui causam habet, sed est causa Filii et Spiritus. Quoniam igitur Deus non solum res a se creatas intelligit, sed multo magis intelligit et novit seipsum, unde et habet verbum et sapientiam, qua seipsum ab æterno intelligit; item, quia Deus non solum vult et amat res a se creatas, sed multo magis vult et amat seipsum, ideo ab æterno procedunt ex Deo Verbum et Spiritus ejus, et in æternum sunt in ipso; atque hæc duo cum Deo sunt unus Deus [1]. »

Nota hanc Gennadii Confessionem ab aliquibus theologis dissidentibus inter libros symbolicos Ecclesiæ græco-russicæ recenseri. Satis ergo mirum est quod polemistæ antilatini tam duram theoriæ thomisticæ censuram agant.

Nec circa hanc divi Thomæ explicationem in fine vitæ Scholarius sententiam mutavit, immo majori studio ei adhæsit, ut videre est tum ex compendiis utriusque *Summæ* Aquinatis, quæ anno 1464 sibi confecit [2], tum ex *Sermone in Christi Nativitatem*, anno 1467 conscripto, ubi iterum

1. *P. G.*, t. CLX, col. 335-338, et *Œuvres complètes*, t. III, p. 454 : « Ταῦτα τὰ τρία, νοῦς καὶ λόγος καὶ πνεῦμα, εἷς Θεὸς ἐστιν, ὥσπερ ἐν τῇ μιᾷ ψυχῇ τοῦ ἀνθρώπου ἔστι νοῦς καὶ λόγος νοητὸς καὶ θέλησις νοητή, καὶ ὅμως ταῦτα τὰ τρία εἰσὶ μία ψυχὴ κατὰ τὴν οὐσίαν. Πάλιν τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ ὀνομάζομεν σοφίαν τοῦ Θεοῦ καὶ δύναμιν καὶ Υἱὸν αὐτοῦ, διότι ἐστὶ γέννημα τῆς φύσεως αὐτοῦ, ὥσπερ τὸ γέννημα τῆς φύσεως τοῦ ἀνθρώπου καλοῦμεν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καὶ ὥσπερ τὸ νόημα τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ γέννημα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. Πάλιν, ὀνομάζομεν τὴν θέλησιν τοῦ Θεοῦ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καὶ ἀγάπην. » Cf. *De sola via ad salutem hominum*, 14. *Œuvres complètes*, t. III, p. 445-446.

2. Hujusmodi compendia habes in tomo V ejus operum a nobis edito : *Œuvres complètes : Résumé de la Somme contre les Gentils et de la première partie de la Somme théologique de saint Thomas d'Aquin*, Parisiis, 1931. Scholarius ea quæ de divinis processionibus habentur in l. IV *Summæ contra Gentiles* ad verbum fere transfert, brevius referens quæ de eodem argumento in I p. *Summæ theologicæ* occurrunt. Ea sola omittit quæ de processione Spiritus Sancti a Filio directe tractant, hæc duo tantum Aquinati crimini vertens : quod fuerit *Barlaamita* ante Barlaam, et processionem Spiritus Sancti ab utroque docuerit.

exponit analogiam mysterii Trinitatis ex mente humana desumptam [1] :

« Nemo ex iis qui utraque sapientia vere eruditi sunt, inquit, ignorat vel negat unum et solum Deum unum quidem natura esse, tribus vero distingui personis; qui mens est, et cogitationem habet, id est, intellectuale Verbum, et voluntatem item intellectualem seu Spiritum Sanctum. Fieri enim non potest, ut Deus mens non sit, nec ut talis non sit sapiens et bonus... Neque sapiens esse potest absque sapientissima cognitione, nec bonus sine honestissima voluntate; voluntas autem bono solo formatur sicut et sapientia solo verbo intellectuali. Et Deus quidem intelligit seipsum ab æterno; ipse enim est verum; amat vero pariter seipsum; ipse enim est bonum. Intelligens autem seipsum, æternum concipit verbum; volens vero seipsum, æternum producit amorem. Verbum igitur producit intelligendo et seipsum verbo intelligit; et amorem volendo producit et hoc amore seipsum vult et amat. Et hæc duo genimina, hi fetus fecunditatis intellectualis quæ in ipso est, ab eo quidem distinguuntur, quippe qui a producente vere oriuntur, natura autem unum sunt una cum mente eos producente [2]. »

Fatendum est tamen Scholarium augustinianæ ac thomisticæ speculationi aliquando repugnasse, eamque, quamvis moderate, carpsisse, eo scilicet tempore quo a Marco Ephesio moribundo tanquam dux adversariorum unionis designatus, in concilium Florentinum necnon in dogma de processione

1. *Œuvres complètes*, t. I, Parisiis, 1928, p. 223-237.

2. *Ibid.*, p. 227 : « Καὶ νόει μὲν ἑαυτὸν ὁ Θεὸς ἀϊδίως· αὐτὸς γάρ ἐστι τἀληθές· ἐρᾷ δὲ ὁμοίως ἑαυτοῦ· αὐτὸς γάρ ἐστι τἀγαθόν · καὶ νοῶν μὲν ἑαυτόν, ἀΐδιον συλλαμβάνει λόγον· θέλων δὲ ἑαυτόν, ἀΐδιον ἀγάπην προάγει. Λόγον τε οὖν προάγει νοῶν, καὶ ἑαυτὸν νοεῖ τῷ λόγῳ, καὶ θέλων ἀγάπην προάγει καὶ ἑαυτὸν ἀγαπᾷ ταύτῃ καὶ θέλει. Καὶ οἱ συμφυεῖς οὗτοι βλαστοὶ καὶ τόκοι τῆς ἐν αὐτῷ γονιμότητος νοερᾶς διακρίνονται μὲν αὐτοῦ, ὡς ἀληθῶς προάγοντος ἀληθῶς προϊόντα, φύσει δὲ ἕν εἰσι μετὰ τοῦ προάγοντος νοῦ. » Addit Scholarius, « hujusmodi speculationibus plenos esse libros sanctorum doctorum, *qui doctrinam fide acceptam invictis rationibus ex facili demonstrant*, adducentes insuper humile sapientiorum ex Græcis obsequium, qui per humanæ rationis vias veritati Trinitatis nondum splendide manifestatæ testimonium vel inviti perhibuerunt ». Cf. etiam quæ in fine sermonis dicuntur, p. 236-237.

Spiritus Sancti ab utroque, quod contra ipsum Marcum paulo ante acri stylo defenderat [1], invehi incepit; hæc autem repugnantia ab anno 1444 usque ad Urbem a Turcis captam duravit; cujus documentum invenimus in *Primo Tractatu de processione Spiritus Sancti* ab ipso Scholario conscriptum anno 1444-1445 [2]. Hujus operis liber secundus totus censuræ doctrinæ sancti Augustini de imaginibus Trinitatis in creaturis in genere ac præsertim analogiæ ex mente humana desumptæ dicatur. Theologus byzantinus Latinos carpit quod hujusmodi imaginibus ac analogiis, etiam præter Augustini mentem, nimium momentum tribuant, ac inde trahere velint argumentum pro suo dogmate de processione Spiritus Sancti ab utroque. De ipso Augustino dicit quod non sit infallibilis et errare potuerit; quod Platonicorum placitis aliquatenus indulserit; quod speciatim analogiam psychologicam Trinitatis ex thesibus deduxerit aristotelicis [3]; quod in interpretandis sacræ Scripturæ locis ab aliis doctoribus multum discrepet; quod, in particulari, nullibi in sacra Scriptura aperte dicatur Spiritum Sanctum esse amorem, et Augustinus inter Ecclesiæ doctores solus sit qui hoc docuerit et quidem rationibus non necessariis; quod hæc Augustini doctrina de Spiritu Sancto ut amore hypostatico, quo Pater et Filius uniantur, duo principia in Trinitate necessario inducat :

« Ubinam, inquit, in sacris Litteris quis inveniet hoc aperte dici, quod Spiritus Sanctus amor sit mutuus Patris et Filii et ita ab utroque subsistentiam habeat, et quod hoc amore se invicem diligant? Aut in quonam thesaurorum sacrorum loco dogma hujusmodi reconditum cæteros effugit doctores, qui omnia bene perscrutati sunt? Undenam et hoc probabile est ex fidei principiis? Quemadmodum enim Filio præintel-

1. *Responsio ad Capita syllogistica Marci contra Latinos. Œuvres complètes*, t. III, p. 476-528, et *P. G.*, t. CLXI, col. 11-138. Hujus responsionis authenticitas a multis olim in dubium vocata extra omnem controversiam nunc posita est ex ipso testimonio autographo Scholarii : *Adversus Bessarionis orationem*, 10. *Œuvres complètes*, t. III, p. 116.

2. *Œuvres complètes*, t. II, Parisiis, 1929, p. 1-268.

3. « Ταῦτα δὲ ἐκ τῶν Ἀριστοτελικῶν ἀνεβλάστησε θέσεων. » *Op. cit.*, l. II, c. II, p. 48.

ligitur Pater, ita et oportet amorem, quo Pater Filium diligit, amori præintelligi quo Filius Patrem redamat. Atqui Spiritus seipso nullo pacto præintelligi potest. Quid vero impedimento sit quominus se invicem spirent Spiritu, cum Spiritus sit amborum, quemadmodum se invicem diligunt, quoniam Spiritus est amor amborum. Si vero Spiritus quidem sit amborum tanquam ab ambobus spiratus, sit autem amor amborum non tanquam ab ambobus amatus, sed tanquam amor quo se invicem diligant, hujus doctrinæ quis fidejussor probandus ex sacris eloquiis esse potest, non autem ex propria conjectione, de qua nemo certi aliquid asseverabit? Quomodo autem ex hoc quod Spiritus sit amor Patris et Filii, necessario sequetur Spiritum ex Patre simul et Filio existentiam habere et ex utroque subsistere? Forsitan enim se invicem diligunt Spiritu, quod vinculum hujusmodi et amorem illis gignere non sufficiant natura et proprietas [1].

« Sed quis unquam dixit esse Spiritus hoc ipsum esse quod illæ personæ per ipsum se redament? Hoc necessarium non est, quin immo impossibile... Insuper Pater diligit Spiritum non minus quam Filium, sed non illum diligit seipso; non enim subsistentiam bis illi tradit; item neque Filium seipso diligit; ergo aliquo alio. Et si diligit Filio, Filius erit Spiritus, cum Spiritus sit amor; et simul Filius bis subsistentiam recipiet, et generabitur ex Patre solo, et ex Patre ac Spiritu alio modo spirabitur. Si vero aliquo altero Spiritum diligat, alius erit Spiritus et alia persona, et hoc in infinitum. Eadem vero et de Filio Spiritum diligente dicenda [2]. »

Hæc et alia Scholarius polemista antilatinus; quæ mox

1. *Op. cit.*, l. II, c. VII, p. 69-70 : « Ποῦ γὰρ εὕροι τις ἂν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις φανερῶς τοῦτο λεγόμενον, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀγάπη τίς ἐστιν ἀμοιβαία Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ οὕτως ἐξ ἀμφοῖν τούτων ὑφισταμένη καὶ ὡς τούτῳ ἀγαπῶσιν ἀλλήλους; Ἢ ποῦ τῶν ἱερῶν θησαυρῶν κρυπτόμενον τὸ δόγμα τοῦτο τοὺς ἄλλους διέλαθε διδασκάλους, οἳ πάντα καλῶς ἀνηρεύνησαν; Ὡς γὰρ προεπινοεῖται τοῦ Υἱοῦ ὁ Πατήρ, οὕτως ἂν δέοι καὶ τὴν ἀγάπην ἢ τὸν Υἱὸν ὁ Πατὴρ ἀγαπᾷ, τῆς ἀγάπης ἢ ὁ Υἱὸς τὸν Πατέρα ἀνταγαπᾷ, προεπινοεῖσθαι. »

2. *Ibid.* : « Ἀλλὰ τίς εἶπέ ποτε τὸ εἶναι τῷ Πνεύματι τοῦτ'αὐτὸ εἶναι τὸ δι'αὐτοῦ τὰς ὑποστάσεις ἐκείνας ἀνταγαπᾶσθαι; Οὔτε γὰρ ἀναγκαῖον καὶ ἅμα ἀδύνατόν ἐστιν· ... Καὶ πρὸς τούτοις ὁ Πατὴρ ἀγαπᾷ καὶ τὸ Πνεῦμα οὐχ ἧττον ἢ τὸν Υἱόν, ἀλλ'οὐκ ἀγαπᾷ αὐτὸ ἑαυτῷ. »

oblivioni mandavit Scholarius ad theologiam pacificam reversus et Aquinatis rursus fervidus discipulus factus.

ARTICULUS IV

De aliis analogiis et comparationibus ad illustrandum mysterium a Patribus usurpatis et a Græco-Russis explicatis.

Notum est Patres græcos multis uti comparationibus et analogiis ex rebus creatis desumptis non quidem ad demonstrandum Trinitatis mysterium, nec proprie ad illud philosophice explanandum, sed potius ad illud, prout a Deo revelatum est, quasi sensibiliter repræsentandum. Porro bene animadvertendum est eos, ubi hujusmodi comparationes usurpant, non semper sub eadem ratione, sub eodemque respectu mysterium considerare, sed modo hunc aspectum, hanc dogmatis partem, modo illam respicere. Ita, v. g., quandoque contra hæreticos solam personarum consubstantialitatem et Filii ac Spiritus Sancti ex Deo Patre originem significare intendunt, et tunc cum Basilio tibi dicent Filium et Spiritum esse quasi duo brachia seu duas Patris manus, quibus omnia operatur; vel cum Gregorio Nazianzeno eosdem esse geminos unius solis radios; vel cum pseudo-Dionysio duo germina ex Deo nascentia floresve ac supersubstantialia lumina (βλαστοὺς θεοφύτους καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα [1]). Interdum vero processionem Spiritus Sancti a Filii generatione re differre et alium esse utriusque originis ac existentiæ modum declarare volunt, et tunc cum duobus Gregoriis, Nazianzeno [2] nempe et Nysseno [3], necnon cum Damasceno [4], diversum ab Adamo ortum Evæ et Seth

1. *De divinis nominibus*, *P. G.*, t. III, col. 645 B.

2. *Oratio XXXI*, 11, *P. G.*, t. XXXVI, col. 145 B; *Orat. XXXIX*, col. 348 C.

3. *P. G.*, t. XLIV, col. 1329 C.

4. *De fide orthodoxa*, l. I, c. VIII, *P. G.*, t. XCIV, col. 817 A. Cf. Pseudo-Basilium, *Contra Eunomium*, l. IV, *P. G.*, t. XXIX, col. 681 B.

vel Abel in medium producunt. Sæpissime autem ipsum vitæ divinæ processum ad intra et processionum divinarum ordinem ac personarum in ratione originis quasi subordinationem repræsentare sibi proponunt, vel etiam ipsam rationem ipsumque operationis et manifestationis Trinitatis ad extra ordinem, qui juxta ipsorum certissimam doctrinam, ipsum ordinem processionum ad intra imitatur atque reproducit, inculcare in animo habent; et tunc variis illis utuntur comparationibus vel analogiis, quibus Trinitas nobis exhibetur ut sese explicans secundum lineam rectam tribus punctis notatam, quorum primum, ad principium lineæ positum, Patrem significat, totius Trinitatis fontem ac principium sine principio; secundum, in medio positum, Filium indicat a Patre generatum; tertium, ad lineæ terminum, locum tenet Spiritus Sancti, a Patre per Filium procedentis, Trinitatis complementi ac finis. Inde apud illos sequentes formulæ, diagramma hujusmodi figurantes : *Spiritus a Patre per Filium procedit. — Omnia opera ad extra a Patre per Filium in Spiritu Sancto perficiuntur.* Inter hujus tertiæ classis comparationes, præcipuæ ac usitatiores desumuntur : 1º ex sole, radio et luce; vel ex sole, luce et calore; vel ex igne, luce et calore; 2º ex arbore, ramo et fructu; vel ex radice, stipite et ramo; vel ex roseto, rosa et odore; 3º ex fonte, fluvio et mari, vel ex fonte, rivo et lacu; vel ex fonte, fluvio et aqua; 4º ex mente, voce et spiritu seu halitu; vel ex mente, voce et verbo seu dicto (ῥῆμα); vel ex pectore, ore et halitu; 5º ex brachio, manu et digito. Illas comparationes ac analogias usurpando, græci Patres directe intendebant significare ordinem processionum et personarum; item ordinem ac modum manifestationis et operationis personarum ad extra; item, *indirecte*, earum consubstantialitatem seu in essentia unitatem. Eorum vero scopus immediatus non erat, ut ex professo docerent Spiritum Sanctum a Patre per Filium, vel ab utroque procedere. Hæc tamen doctrina sub eorum formulis certe latebat; quod aliunde, id est ex aliis locis operum ipsorum, demonstrari potest.

Porro, ex quo controversia de processione Spiritus Sancti inter Græcos et Latinos exorta est, comparationibus hujusmodi magnum momentum utrinque tributum est. Polemistæ

antilatini in comparationibus et analogiis primi et secundi generis institerunt, eas a vero sensu a Patribus intento detorquentes, quasi istis significaretur Spiritum Sanctum a solo Patre, excluso quolibet Filii interventu, procedere seu existentiam habere. Latini autem, et quidem potiori jure, ad comparationes tertii generis provocare consueverunt, ut ostenderent Filium non excludi, sed vere comprehendi in actu æterno quo Pater emittit Spiritum Sanctum, ita ut utrumque, sub aspectu tamen paulo diverso, verum sit, scilicet quod Spiritus Sanctus *et a Patre per Filium, et a Patre Filioque procedat.* Græci, e contra, præsertim medio ævo, hujusmodi comparationes omni vi demonstrativa pro dogmate catholico carere subtilibus ac contortis interpretationibus ostendere nisi sunt. Hujus falsæ exegeseos quædam exempla ob oculos lectoris ponamus.

Sumamus primum comparationem solis, radii et lucis. Nicetas Maronensis, archiepiscopus Thessalonicensis, in *Dialogo I de processione Spiritus Sancti inter Græcum et Latinum*, hanc comparationem in sensum Latinorum ita explicat :

« Minime duplicem, ait Latinus, dicimus processionem Spiritus (ἐκπόρευσιν), sed unam et eamdem et simplicem; nulla enim in Deo dualitas vel compositio. Neque enim quia ex duobus, ideo processio duplex, sed quia Spiritus est simplex, ideo processio simplex, eadem aliam atque aliam in eodem habens relationem, mediata quidem existens quatenus ex Patre, immediata vero quatenus ex Filio. Quemadmodum enim luminis in aere effulsio, ex sole et ex solis radiis prodiens, et immediate quidem ex radiis, mediate vero ex sole, nempe per radios, tamen ipsa neque duplicitatem quamdam habet secundum suam ipsius existentiam, quum lumen in aere simplex sit et compositionis expers (quænam enim foret ejus compositio et ex quibusnam, quæso, elementis componitur lumen?); neque etiam ipsius progressio (seu processio) duplex est, licet duo sint ex quibus progrediatur, sol scilicet et radius : ita processio ex Patre atque ex Filio simplex est secundum seipsam, licet duæ personæ sint, ex quibus processio fiat, et ipse Spiritus simplex [1]. »

1. *De processione Spiritus Sancti dialogus I*, *P. G.*, t. CXXXIX, col. 192-193.

Latinophroni Nicetæ ita respondet Josephus Bryennius antilatinus :

« Lumen ex sole per quemdam radium ad nos missum, ex sole quidem habet existentiam, nequaquam vero ex radio vel per radium subsistit; ita ut hoc exemplum non sit contra nos, sed magis pro nobis; quod manifesto apparet ex hoc quod lumen per radium nobis communicatur, minime vero ex eo emanat... Insuper nos sentimus ex Patre Filium et Spiritum simul prodire, sicut ex sole radius et lumen; ita hoc exemplum nobis non contrait, sed congruit. Num radius ipse ex seipso profert lumen? Nonne sol? siquidem ex sole radius lumen accipiens, quod ex seipso sol emittit una cum radio, ad nos illud transmittit. Unde luminis causa non est radius qui illud ad nos defert, sed orbis solaris, qui ex propria substantia ambo, radium dico et lumen, emittit. Igitur in vivifica Trinitate, quamvis Filius ad nos transmittat Spiritum, nequaquam huic est causa essendi, qui ejus existentiæ causam habet ipsum Patrem, sicut et Filius [1]. »

Item, apud Nicetam Seidem, Latino dicenti : « Sicut ex sole et radio provenit lumen, et sicut lumen tum a sole, tum a radio emittitur, ita et Spiritus est ex Patre et Filio », respondetur :

« Non ita, fratres, ut dixistis, non ita est; siquidem lumen non ex radio, sed ex sole, et ambo simul; simul enim sol, simul lumen, simul radius. Mittitur autem ad nos lumen ex sole per radium, et *radius per lumen;* se invicem enim comitantur, sicut ex Patre, Filius et Spiritus. Quandoque enim Filius per Spiritum in sinu Virginis splendere dicitur, sicut lumen per radium; interdum vero Spiritus per Filium in

1. *Opera omnia*, ed. E. Bulgaris, t. I, Lipsiæ, 1768, p. 226-227 Λόγος δωδέκατος περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος : « Ὡσαύτως καὶ τὸ ἐκ τοῦ ἡλίου διά τινος ἀκτῖνος πρὸς ἡμᾶς ἐκπεμπόμενον φῶς ἐκ τοῦ ἡλίου μὲν ἔχει τὴν ὕπαρξιν, ἐκ δὲ τῆς ἀκτῖνος, ἢ διὰ τῆς ἀκτῖνος ὑφέστηκεν οὐδαμῶς· καὶ τοῦτο ὑπὲρ ἡμῶν μᾶλλον, οὐ καθ'ἡμῶν τὸ ἀπόδειγμα· καὶ δῆλον ὅτι μεταδίδοται ἡμῖν διὰ τῆς ἀκτῖνος, οὐχὶ πηγάζει ἐκ ταύτης τὸ φῶς... Ἔτι ἡμεῖς δοξάζομεν Υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς ἅμα καὶ Πνεῦμα, ὥσπερ ἐξ ἡλίου φῶς καί ἀκτῖνα· καὶ τὸ παράδειγμα τοῦτο οὐκ ἀντιβαίνει, ἀλλὰ συμβαίνει ἡμῖν. »

variis charismatibus apostolis illuscescere, sicut radii per lumen; ex Patre tamen ambo [1]. »

In photianum sensum item vertit pseudo-Margunius aliam ejusdem comparationis speciem, illam scilicet quæ ex sole ejusque duplici virtute illuminativa et calefactiva desumitur :

« Quemadmodum, inquit, simul et inseparabiliter et una cum virtute illuminativa etiam virtus calefactiva ex sole oritur; et una cum sole tum illuminativa virtus, tum calefactiva; et tota calefactiva in tota illuminativa, et tota illuminativa in tota calefactiva; et sicut calefactiva non habet suum esse ex illuminativa, neque illuminativa ex calefactiva, sed ambæ et simul ex sole : ita una cum Patre et ex Patre simul et Filii generatio et sanctissimi Spiritus processio; neque Filius existentiam habet ex sanctissimo Spiritu, neque prorsus Spiritus Sanctus ex Filio, sed ambo et una et simul ex Patre; et totus Pater in toto Filio et Spiritu Sancto, et Spiritus Sanctus in toto Patre et Filio [2]. »

Comparationem ex mente, voce et spiritu seu halitu, quæ apud Patres sæpe occurrit, ita explanat Nicetas Seides :

« Quemadmodum vox nostra generatur spiritualiter et impassibiliter ex mente nostra, profertur autem per spiritum

1. Λόγος σχεδιασθεὶς πρὸς Ῥωμαίους καὶ δύο ταῦτα ἀποδεικνύων ὅτι τε αἰδεσιμώτερα τὰ νέα τῶν παλαιῶν καὶ ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου, οὐχὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν, ἐκπορεύεται τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Ex *cod. Atheniensi 483*, fol. 158v. : « Οὐδὲ γὰρ ἐκ τῆς ἀκτῖνος τὸ φῶς, ἀλλ'ἐξ ἡλίου καὶ ἅμα ἀμφότερα... πέμπεται δὲ πρὸς ἡμᾶς ἐξ ἡλίου διὰ τῆς ἀκτῖνος τὸ φῶς. »

2. *Dialogus inter Græcum et Latinum de processione Spiritus Sancti*, Constantinopoli, 1627, p. 72-73. Cf. V. Laurent, *La vie et les œuvres de Georges Moschabar*, in *Échos d'Orient*, t. XXVIII (1929), p. 129-158. « Ὥσπερ ἅμα καὶ ἀχωρίστως καὶ ὁμοῦ τῇ φωτιστικῇ δυνάμει καὶ ἡ θερμαντικὴ δύναμις ἐκ τοῦ ἡλίου, καὶ ἅμα τῷ ἡλίῳ ἥ τε φωτιστικὴ δύναμις καὶ ἡ θερμαντική, καὶ ὅλη ἡ θερμαντικὴ δύναμις ἐν ὅλῃ τῇ φωτιστικῇ, καὶ ὅλη ἡ φωτιστικὴ ἐν ὅλῃ τῇ θερμαντικῇ· καὶ οὔτε ἡ θερμαντικὴ δύναμις ἐκ τῆς φωτιστικῆς δυνάμεως ἔχει τὸ εἶναι, οὔθ'ὅλως ἡ φωτιστικὴ δύναμις ἐκ τῆς θερμαντικῆς, ἀλλ'ἄμφω καὶ ὅμου ἐκ τοῦ ἡλίου· οὕτως ἅμα τῷ Πατρὶ καὶ ἐκ Πατρὸς ἅμα ἥ τε τοῦ Υἱοῦ γέννησις καὶ ἡ τοῦ Παναγίου Πνεύματος ἐκπόρευσις· καὶ οὔτε ὁ Υἱὸς ἐκ τοῦ παναγίου Πνεύματος ἔχει τὴν ὕπαρξιν, οὔθ' ὅλως τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ἀλλ' ἄμφω καὶ ἅμα καὶ ὁμοῦ ἐκ τοῦ Πατρός· καὶ ὅλος ὁ Πατὴρ ἐν ὅλῳ τῷ Υἱῷ καὶ τῷ παναγίῳ Πνεύματι, καὶ τὸ πανάγιον Πνεῦμα ἐν ὅλῳ τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ. »

nostrum, quin a mente, qui eam genuit, vel ab spiritu, qui eam manifestat, separetur; neque enim vox profertur sine spiritu, neque spiritus est extra vocem, sed ambo per se invicem producuntur; mens item non aliter seipsam manifestat qualis sit nisi per vocem a se generatam necnon per spiritum ex se ipsa prodientem et vocem comitantem; siquidem vox ad nos pervenit per spiritum prolata ex mente, et inseparabilis in mente manet non minus quam prius, quando in ipsa erat ante suam manifestationem — ita Spiritus Sanctus ex Patre quidem procedit, per Filium vero nobis manifestatur, et vicissim Filius manifestatur per Spiritum; se invicem enim semper comitantur genimen et spiramen, unum ab altero nullatenus separatum, neque ambo a Patre [1]. »

In eumdem fere sensum accipit comparationem ex mente, voce et dicto Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei :*

« Quantum autem ad id quod Spiritus Sanctus verbum seu dictum Filii dicitur, unde et fideles papæ veteris Romæ inferunt ipsum Spiritum ex Filio subsistentiam habere, interrogemus eos utrum aliqua sit differentia inter vocem et dictum, necne? Si non est, qui fit ut Patres non vocarint Spiritum Sanctum vocem vocis seu verbum verbi, sed dixerint vocem Patris, et dictum (ῥῆμα) Filii? Si vero differentia est, quænam est illa? Nonne Patres vocem seu verbum appellantes Filium, ad illud Verbum substantiale et subsistens, quod a Patre ab æterno generatur, respiciunt?

1. *Op.* et *cod. cit.*, fol. 152 : « Οὕτως οὖν καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς μὲν ἐκπορεύεται, διὰ τοῦ Υἱοῦ δὲ ἡμῖν φανεροῦται, καὶ αὖ ὁ Υἱὸς διὰ τοῦ Πνεύματος· συμπαρομαρτοῦσι γὰρ ἀλλήλοις ἀεὶ τό τε γέννημα καὶ τὸ πρόβλημα, ἕτερον ἑτέρου μὴ χωριζόμενον, ἀλλὰ μηδὲ τοῦ Πατρός, ὥσπερ οὖν καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος γεννᾶται μὲν ἐκ τοῦ ἡμετέρου νοὸς ἀσωμάτως καὶ ἀπαθῶς, ἐκφέρεται δὲ διὰ τοῦ ἡμετέρου πνεύματος, μήτε τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν νοῦ χωριζόμενος, μήτε τοῦ ἐκφαίνοντος αὐτὸν πνεύματος· οὔτε γὰρ λόγος ἐκφέρεται χωρὶς πνεύματος, οὔτε πνεῦμα ἐκτὸς λόγου, ἀλλ' ἀμφότερα δι'ἀλλήλων. » Cf. Gregorium Sinaitam, *Capita per acrostichidem*, c. XXXI, *P. G.*, t. CL, col. 1248 D : « Ὥσπερ ἐν ἀνθρώπῳ νοῦς καὶ λόγος καὶ πνεῦμα, καὶ οὔτε νοῦς χωρὶς λόγου, οὔτε λόγος ἄνευ πνεύματος, καὶ ἐν ἀλλήλοις ὄντα καὶ καθ'ἑαυτά· νοῦς γὰρ διὰ τοῦ λόγου λαλεῖ, καὶ λόγος διὰ τοῦ πνεύματος φανεροῦται· κατὰ τὸ ὑπόδειγμα τοῦτο ἀμυδρὰν εἰκόνα φέρει τῆς ἀνωνύμου καὶ ἀρχετύπου Τριάδος ὁ ἄνθρωπος, τὸ κατ'εἰκόνα τέως καὶ περὶ τούτου δηλῶν. »

Dum autem Spiritum Sanctum vocant dictum Verbi seu Filii, significare volunt illum esse Filio consubstantialem et ab eo inseparabilem, ita ut vox seu verbum sit loquendi facultas, dictum autem sit distinctio et explicatio eorum quæ dicuntur. Elucidat enim Spiritus Sanctus et in fidelium cordibus confirmat ea quæ a Voce seu Verbo dicuntur... Hac igitur ratione Spiritus Sanctus dictum Filii seu Verbi dicetur [1]. »

Comparationem præcedenti cognatam habet Eustratius Nicænus in *Tractatu I de processione Spiritus Sancti*, ubi Pater comparatur pectori, Filius ori et Spiritus Sanctus halitui :

« Utrum, inquit, ex imo pectore per os prodit spiritus seu halitus, an primum ex ore, et per illud etiam ex pectore? Quis autem vir veritatis amicus primo anteponet alterum? Procul enim dubio ex pectore tanquam ex principio per os prodit spiritus [2]. »

De analogia autem fontis, fluvii et maris hæc profert Nicetas Seides :

« Si per fluvium mare manifestatur, hoc tamen inde habet esse unde et fluvius, nempe ex fonte. Non enim Spiritus ex Filio procedit, quamvis per eum communicetur; sed utriusque existentia ex Patre est, qui est et primum principium et sine principio et omnium principium [3]. »

In his et similibus imaginibus polemistæ antilatini generatim nihil aliud videre volunt nisi indicium ordinis manifestationis personarum ad extra et consubstantialitatis earum. Quidam tamen, ut infra videbimus, hujusmodi figuris aliquem intrinsecum personarum ordinem subindicari concedunt, minime vero causale vinculum inter Filium et Spiritum Sanctum.

1. *Confessio fidei*, c. I, Kimmel, *op. cit.*, t. II, p. 42-43 : « Πότερον ἔστι τις διαφορὰ μεταξὺ λόγου καὶ ῥήματος, ἢ οὐκ ἔστι;... λόγος μὲν αὐτὴ ἡ δύναμις τοῦ λέγειν, ῥῆμα δὲ ἡ διάκρισις καὶ σαφήνεια τῶν λεγομένων. »

2. Demetracopulus, Ἐκκλησ. βιβλιοθήκη, p. 59 : « Πότερον ἐκ τοῦ βάθους τοῦ ἐν ἡμῖν διὰ στόματος πρόεισι τὸ Πνεῦμα, ἢ πρώτως ἐκ τοῦ στόματος, διὰ δὲ μέσου αὐτοῦ καὶ ἐκ τοῦ βάθους; Καὶ τίς ἂν φιλαλήθης ἀνὴρ τοῦ προτέρου προθήσει τὸ δεύτερον; Πάντως γὰρ ἐκ τοῦ βάθους ὡς ἐξ ἀρχῆς τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ στόματος πρόεισιν. »

3. *Op.* et *cod. cit.* : « Εἰ γὰρ καὶ διὰ τοῦ ποταμοῦ ἡ θάλασσα φανεροῦται, ἀλλ'ἐκεῖθεν ἔχει τὸ εἶναι, καὶ αὐτὴ ἐκ τῆς πηγῆς, ὅθεν δὴ καὶ ὁ ποταμός. »

De figuris et imaginibus Trinitatis apud sanctos Patres ex professo et satis fuse disserit Georgius Scholarius in *Tractatu I de processione Spiritus Sancti*. Latinis crimini vertit vel quod soli analogiæ psychologicæ a sancto Augustino adinventæ, cæteris neglectis, inhæreant; vel quod ad quasdam earum tantum animum attendant, in quibus aliquid, quod eorum dogmati congruat, occurrere putant; cæteras vero silentio premant [1]; vel demum quod imaginibus hujusmodi nimium momentum tribuant [2]. Ipse vero, postquam ex Patrum græcorum doctrina pronuntiavit nullam in rebus creatis inveniri posse imaginem processionis Spiritus Sancti, sequentem defendit positionem :

Patres omnibus imaginibus indiscriminatim usi sunt ad sabellianam confusionem et arianam divisionem convellendas, non vero ad divinas processiones declarandas. Ex nulla vero imaginum hujusmodi potest quis demonstrare Filium esse causam seu principium Spiritus Sancti [3].

Postquam autem varias imagines recensuit singularumque censuram egit, ad hanc devenit conclusionem :

« Ex hujusmodi exemplis nemo necessario concludere potest quod Spiritus Sanctus a Filio existentiam habeat tum propter hujusmodi imaginum indolem, quæ huic scopo omnino impar est; tum quod doctores ad alium usum illas assumpserint; tum quod earum plurimæ contrarium indicare natæ sint, nempe quod Spiritus a solo Patre et immediate existentiam habeat, sicut et Filius, quamvis diverso modo producatur. Et, quod majus est, figuræ quæ hujusmodi opinioni [Latinorum nempe] suffragari videntur, nonnisi per violentam tractationem tanquam a duris dominis paratam hoc præstant; si vero absque partium studio perpen-

1. *Tractatus I de processione Spiritus Sancti*, l. II, c. x, *Œuvres complètes*, t. III, p. 78-79 : « Διονυσίου δὲ λέγοντος βλαστοὺς ἢ ἄνθη ἢ φῶτα τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα, τὸν δὲ Πατέρα πηγαίαν θεότητα... προσποιοῦνται χωφεύειν. »

2. Cf. *Tract. II*, l. I, c. III, *ibid.*, p. 277.

3. *Op. cit.*, *Tract. I*, l. II, c. XII, p. 83-91 : « Πῶς ἐχρήσαντο ταῖς εἰκόσι πάσαις οἱ διδάσκαλοι καὶ πρὸς τίνα χρείαν· ὅτι κατὰ τῆς Σαβελλιανῆς συγχύσεως καὶ κατὰ τῆς Ἀρειανῆς διαιρέσεως, οὐ τῶν προόδων ἕνεκα· καὶ ὅτι ἐξ οὐδεμιᾶς τῶν εἰκόνων τούτων δείκνυσθαι δυνατὸν τὸν Υἱὸν αἴτιον εἶναι τοῦ Πνεύματος. » Est titulus c. XII.

dantur, et ipsæ Patrem tanquam solam Spiritus causam ostendunt, quia, ut dixi, neque doctores ad hunc usum illas assumpserunt, neque legitime assumere potuerunt [1]... Quamvis doctores aliquam rationem causæ in radio relate ad lucem perspicerent, rationem tamen hujusmodi Filio relate ad Spiritum inesse hoc et similibus exemplis indicare noluerunt; quod constat : 1° ex ipso dissertationum argumento; nullibi enim hujusmodi exempla proferunt, ut ex industria demonstrent Filium esse causam et principium Spiritus Sancti, sicut et Pater est Filii principium, vel alio quodam modo; sed confundere hypostases, vel divinam naturam personis partiri volentibus occurrentes, personarum consubstantialitatem et ordinem exemplis istis in tuto ponunt; vel potius rudiorum menti opitulantur, ut veritatem capiant, et adversarios simul redarguunt [2]... Insuper, si Filium Spiritus Sancti causam consequenter hujusmodi exemplis dicere intendissent, eum causam materialem seu instrumentalem fecissent; quæ enim ab his pendent sub genere causæ materialis reducuntur... Filius Dei autem non est causa materialis Spiritus, neque tanquam materialis, neque causa cooperatrix est, neque socia, neque hæc et his similia in divinis locum ullo pacto habent. Quod si dicere verum est Spiritum non sine Filio ex Patre produci, quatenus Filius est ordine in processu prior, at vero hoc dicendum et cogitandum est, postquam omnem cujuscumque rei materialis, qua talis, imaginationem removerimus solamque ordinis et cohærentiæ naturalis rationem reliquerimus. Igitur nec rationem causæ hic concedere prorsus voluissent Patres; quo concesso, necessario simul introduceretur quæstio de modo hujus causæ [3]... Si vero

1. *Ibid.*, p. 84 : « Καὶ τό γε μεῖζον, ὅτι τὰ δοκοῦντα τῇ δόξῃ ταύτῃ βοηθεῖν ὑποδείγματα, βιαίως ἑλκόμενα καθάπερ ὑπὸ πικρῶν δεσποτῶν, οὕτω δοκοῦσι τῇ δόξῃ συνίστασθαι· δικαίως δὲ ἐξεταζόμενα, τὸν Πατέρα μόνον καὶ ταῦτα δεικνύουσι τοῦ Πνεύματος αἴτιον. »

2. *Ibid.*, p. 88 : « Ὅτι δὲ οἱ διδάσκαλοι, εἰ καὶ συνεώρων τινὰ λόγον αἰτίας ἐν τῇ ἀκτῖνι πρὸς τὸ φῶς, ἀλλ' οὐ βουλόμενοι τοῦτον δεικνύναι καὶ τῷ Υἱῷ πρὸς τὸ Πνεῦμα ἐνυπάρχειν, τούτῳ τε καὶ τοῖς ὁμοίοις ἐχρήσαντο παραδείγμασι, δῆλόν ἐστι πρῶτον μὲν ἐξ αὐτῆς τῆς τῶν λόγων προθέσεως. »

3. *Ibid.*, p. 89 : « Πρὸς δὲ τούτοις, εἰ τὸν Υἱὸν ἔμελλον λέγειν αἴτιον τοῦ Πνεύματος ἀκολούθως ἐκείνοις τοῖς παραδείγμασιν, ὑλικὴν ἂν αἰτίαν

hic verius est nuncupare Patrem causam productivam et principium Filii et Spiritus, quam alia quadam causæ appellatione illum designare, nullus deinceps aliis causarum modis relinquitur locus. Si vero, secundum exemplorum hujusmodi similitudinem, possibile esset dicere Filium causam Spiritus, eum vocando causam, quod non sine illo procedit Spiritus [1], hoc sane summæ ac simplicissimæ divinæ naturæ et gloriæ simplicitati nullatenus conferret dicere aliter Patrem esse causam Filii, aliter Filium causam esse Spiritus; tunc enim non eodem modo Pater et Filius producerent Spiritum Sanctum, et Filius modo tanto pejori quam Pater, quanto honorabilius ac superius est causæ productivæ genus sine qua esse non potest illud quod ab ea procedit, illo genere causæ ex quo non sine Filio procederet Spiritus Sanctus [2]. »

Scholario sane concedendum est : 1° Patres græcos, dum hujusmodi imagines et comparationes usurpant, non directe eo spectare, ut ostendant Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere; 2° exempla ista per se sola non sufficere ad certo probandum Patres græcos dogmati catholico de processione Spiritus Sancti ab utroque suffragatos esse; possunt enim diverse explicari et in diversos trahi sensus, de quo nos certiores satis superque reddunt polemistarum elucubrationes. Verum in Patrum comparationibus, de quibus sermo est, catholici haud immerito vident subindicatam ac insinuatam doctrinam de processione Spiritus Sancti ab utroque, quia ex aliis Patrum græcorum effatis certo constat illos hanc doctrinam haud obscure proposuisse, v. g., dum dicunt Spiritum

τοῦτον ἐτίθουν ἢ ὀργανικήν... ἀλλ' ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὔτε ὑλική ἐστιν αἰτία τοῦ Πνεύματος, οὔτε ὡς ὑλικὴ οὔτε συνεργός ἐστι καὶ συναίτιος, οὔτε ὅλως ἔχει ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα χώραν ἐν τοῖς θείοις τινά. »

1. « ὡς λέγοιτ' ἂν αἴτιον τὸ οὐκ ἄνευ αὐτοῦ » : Filius causa Spiritus diceretur eo solo quod non sine Filio Spiritus procedat, sed simul cum eo et non ab eo seorsum.

2. *Ibid.*, p. 90 : « Κἀνταῦθα εἰ ἀληθέστερον τὸν Πατέρα προακτικὴν αἰτίαν καὶ ἀρχὴν τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος ἢ ἄλλως πως λέγειν, οὐδεμία λοιπὸν τοῖς ἄλλοις τῶν αἰτίων τρόποις καταλείπεται χώρα· εἰ δὲ καὶ οἷόν τε ἦν καθ' ὁμοιότητα τῶν παραδειγμάτων ἐκείνων τὸν Υἱὸν τοῦ Πνεύματος λέγειν αἴτιον, ὡς λέγοιτ' ἂν αἴτιον τὸ οὐκ ἄνευ αὐτοῦ, ἀλλ' οὐκ ἂν συνήνεγκε τῇ ἄκρᾳ καὶ ἁπλουστάτῃ ἑνότητι τῆς θείας φύσεως τε καὶ δόξης ἄλλως μὲν αἴτιον τὸν Πατέρα τοῦ Υἱοῦ λέγειν, ἄλλως δὲ τὸν Υἱὸν τοῦ Πνεύματος. »

Sanctum a Patre per Filium ἐκπορεύεσθαι, ab utroque esse vel prodire, a Filii substantia esse, a Filio substantialiter exire, etc. Ob hanc rationem, in harum comparationum completa significatione notio dogmatis catholici comprehenditur, nedum excludatur. Hoc saltem dare deberet theologus byzantinus, scilicet quod hujusmodi comparationes in se consideratæ *ordinem intrinsecum* processionum et personarum divinarum repræsentant prout illum concipiebant græci Patres, ita ut ex ipsis solis Filius appareat tanquam medium necessarium et *conditio sine qua non* processionis æternæ Spiritus Sancti. Hoc minimum concesserunt quidam theologi russi recentes, de quibus infra loquemur.

CAPUT TERTIUM

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI IN THEOLOGIA GRÆCO-RUSSORUM A SÆCULO XII AD NOSTRA TEMPORA

Prænotamina.

Ut in prænotaminibus ad præsentem tractatum jam diximus, quæstionem de processione Spiritus Sancti in theologia Græco-Russorum ab eo tempore tractandam hic sumere debemus, quo in tomo primo nostri operis eam reliquimus, id est post Theophylacti Achridensis ævum seu sæculi XII initio. Porro, ut ex conspectu historico theologiæ dissidentis quem in eodem tomo primo delineavimus, videre est, hujus theologiæ præcipuus labor ac conatus in hoc solum caput omni modo explicandum et omni ex parte versandum impensus est. Tractatus de Spiritus Sancti processione tum apud antiquos Byzantinos, tum etiam apud modernos theologos pene innumeri fuere, ex quibus major pars adhuc inedita manet. Dolendum est autem quod hæc tanta scriptorum copia, si perpauca excipias, eumdem spiret contentionis animum, eodem partium studio vitietur, eadem vincendi, non verum detegendi cupidine parturiatur, ita ut totus fere labor ille ad scientiæ theologicæ incrementum necnon ad veram Patrum græcorum de Trinitate doctrinam explanandam infecundus ac inutilis evaserit.

Præ tanto operum polemicorum congestu, nemo sane a nobis expostulabit, ut de singulis mentionem faciamus, nedum fuse disseramus; siquidem huic per singula tractatuum analysi plura volumina dicanda essent, quæ et lectoribus maximo fastidio essent, nec ad materiam propositam illustrandam admodum conferrent. Hoc enim experientia didicimus, scilicet quod alicui tractatui polemico de processione Spiritus Sancti nihil aliud similius quam alius ejusdem tituli libellus. A Photio enim, qui hanc materiam sub aspectu speculativo plene elaboravit, ad nostra tempora, perpauci fuere theologi, qui ad tritam controversiam aliquid novi de suo penu attulerint; quorum vestigia polemistarum humilioris notæ turba sedulo presserunt, horum luminum ac contentionis ducum argumenta ad verbum haud raro in propriis fetibus, auctorum tacito nomine, exscribentes. Unde ad historicam controversiæ evolutionem inde a sæculo XII delineandam, horum polemicæ antilatinæ principum opera respicere satis erit. Et hoc sane nostrum primum ac præcipuum munus in præsenti capite erit, ut controversiæ progressum inde a sæculo XII sub aspectu historico describamus. Secundum vero huc spectat, ut variorum argumentorum, quæ a polemistis in hac periodo pro dogmate photiano firmando excogitata sunt, aliquam brevem synthesim lectori exhibeamus, præsertim ad partem positivam quod attinet, quam Photius, ut notum est, vix tetigerat. Nec negligendus erit ille quæstionis aspectus, qui ad liturgiam proprie refertur, nempe additio vocis Filioque ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, de qua tanta fere scripserunt polemistæ, quanta de ipsa doctrina hac additione significata. Demum, ad capitis calcem aliquid de tota ista controversia per modum conclusionis adjiciemus, ex quo ejus verum momentum sub aspectu theologico apparebit, veraque Græco-Russorum hodiernorum positio declarabitur.

Totam capitis materiam in tredecim articulos distribuimus, scilicet :

1° Historica evolutio controversiæ de processione Spiritus Sancti a sæculo XII ineunte usque ad Michaelem Palæologum (1100-1261);

2° De disputationibus intestinis quæ occasione unionis Lugdunensis inter Græcos habitæ sunt (1261-1330);

3° De præcipuis dogmatis catholici adversariis, qui ab ortu palamismi usque ad concilium Florentinum fuerunt;

4° De controversia circa processionem Spiritus Sancti in concilio Florentino et post concilium usque ad imperii byzantini ruinam;

5° Conspectus historicus ejusdem controversiæ a sæculo XVI

usque ad Collationes Bonnenses (1874) ex scriptis privatorum theologorum;

6° De processione Spiritus Sancti in Ecclesia græco-russica ex documentis publicæ auctoritatis inde a sæculo XVI editis;

7° De doctrina theologorum recentiorum, præsertim Russorum, inde a Collationibus Bonnensibus;

8° De processione Spiritus Sancti ex libris liturgicis Græco-Russorum;

9° De interpretatione locorum sacræ Scripturæ ad processionem Spiritus Sancti spectantium apud Græco-Russos;

10° De doctrina Patrum circa processionem Spiritus Sancti juxta sententias diversas Græco-Russorum;

11° De argumentis Photianorum ex ratione theologica petitis;

12° De additione vocis *Filioque* ad symbolum ejusque momento in controversia de processione Spiritus Sancti. De additionibus ad symbolum apud Russos;

13° Conclusio totius capitis de processione Spiritus Sancti in theologia Græco-Russorum.

ARTICULUS PRIMUS

Historica evolutio controversiæ de processione Spiritus Sancti a saeculo XII ineunte usque ad Michaelis Palæologi principatum (1261).

Prænotamina.

In hac prima periodo jam delineantur præcipuæ explicationes formulæ apud Patres græcos sæpius occurrentis : *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit*, quæ sequentibus sæculis a diversis theologis expressius propositæ sunt. Notum est Photium de hac formula in sua contra Latinos contentione penitus tacuisse. Primi autem ejus discipuli usque ad Theophylactum inclusive, si quando ad eam alludant, nonnisi de missione temporali Spiritus Sancti per Filium illam intelligunt. A sæculo vero XII, præ frequentiori scriptorum et colloquiorum cum Latinis commercio, Byzantini Patrum

græcorum doctrinam de Trinitate majori cum æquitate ac diligentia investigare inceperunt, et quidam ex ipsis, instigantibus imperatoribus qui ob commoda politica Ecclesiarum unionem parare satagebant, haud ægre detegerunt nullam adesse veram contradictionem inter Latinorum sententiam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio tanquam ab uno principio et Patrum græcorum conceptum de ejusdem processione a Patre per Filium. Inde theologiæ unioni suffragantis (seu τῶν Λατινοφρόνων græcorum) prima fundamenta posita sunt. Illo etiam tempore, primum apparet illa media solutio, quæ nec photiana est nec plene catholica, ex qua illud διὰ τοῦ Υἱοῦ respicit quidem æternam Spiritus processionem, Filii vero mediationem nimis extenuat, *meræ conditionis sine qua non* partes ei tribuens. Cæterum, per totam hanc periodum, polemistarum et theologorum major pars rigido photianismo adhæret, ipsius Photii axiomata, interpretationes, argumenta iterare solita.

Præsentem articulum in quatuor sectiones dividimus. Loquemur :

1° De theologis qui rigidum photianismum plerumque propugnant;

2° De mente Nicetæ Nicomediensis apud Anselmum, Havelbergensem;

3° De theologia Nicetæ Maronensis;

4° De theologiæ Nicephori Blemmidæ vicissitudinibus.

I. — De theologis qui rigidum photianismum plerumque propugnant.

Ut in tomo primo diximus [1], sæculo XI exeunte, regula orthodoxiæ byzantinæ, ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, hæc erat : *Spiritus Sanctus a Patre solo procedit, et per Filium creaturæ communicatur.* Eumdem canonem tenent plerique theologi et polemistæ per totam hanc periodum; qui etiam occurrit in documentis publicæ auctoritatis, ut, v. g., in decreto synodi Nymphææ anno 1234 habitae, post disputationem legatorum Gregorii papæ IX cum Græcis de azymis et processione Spiritus Sancti. Decretum hujusmodi in hæc verba desinit :

1. P. 311.

« Credamus ergo, sicut divini Patres tradiderunt nobis, Spiritum Sanctum ex Patre procedere velut a causa, et per Filium creaturæ dari. Et hæc erit regula orthodoxiæ omni orthodoxo et divinitus afflato homini: impuras vero et vanas voces et dolosa syllogismata in cœnosum hæresum fundum rejiciamus [1]. »

His verbis Filius haud obscure excluditur a quavis participatione activa, vel etiam passiva, in processione æterna Spiritus Sancti, et illud *Per Filium*, διὰ τοῦ Υἱοῦ, Patrum græcorum ad solam missionem temporalem refertur contra manifestam eorum doctrinam in multis locis ubi hanc formulam usurpant. Sed ad hoc plerique polemistæ aut nullo pacto, aut vix attendunt, omnesque tanquam principia inconcussa tenent axiomata photiana, præsertim vero secundum et quartum : *Producere Spiritum Sanctum* (seu προβολή) est *hypostatica Patris proprietas. — Quidquid in sancta Trinitate concipitur aut trium personarum commune est, aut personæ unius proprium.* Hanc argumentandi rationem una cum photiana exegesi locorum sacræ Scripturæ a Latinis prolatorum invenies tum apud illos theologos qui anno 1113 Petro Grossolano seu Chrysolano, Mediolanensi episcopo [2], responsum dederunt [3], tum apud Andronicum Camaterum

1. « Πιστεύωμεν τοίνυν ὡς οἱ θεοφόροι πατέρες παραδεδώκασιν, ὅτι τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς προΐεται ὡς αἰτίου, καὶ δι' Υἱοῦ χορηγεῖται τῇ κτίσει· καὶ οὕτως ἔσται κανὼν ὀρθοδοξίας παντὶ ὀρθοδόξῳ καὶ θεοφορουμένῳ ἀνθρώπῳ· τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀπατηλὰ συλλογίσματα τῷ τῶν αἱρέσεων βορβορώδει πυθμένι ἐκπορρίψωμεν. » Golubovitch, *op. cit.*, p. 470; Papadopulus Kerameus, *op. cit.*, p. 20. Cf. supra, p. 236, n. 6. Nota auctores hujus decreti a Theophylacto pleraque mutuatos esse.

2. Chrysolani brevem *ad Alexium Comnenum orationem probantem Spiritum Sanctum ex Patre et ex Filio procedere* græce et latine habes in *P. L.*, t. CLXII, col. 1007-1016. Ejusdem de eodem argumento longiorem dissertationem latine scriptam continet *Bibliotheca Cassinensis*, t. IV, p. 351-358, Romæ, 1880.

3. Inter eos veniunt : 1° Euthymius Zigabenus, qui in *Panoplia dogmatica*, tit. XIII, breve exscribit opusculum de processione Spiritus Sancti ex Photii *Mystagogia* totum haustum, *P. G.*, t. CII, col. 391-400; 2° Joannes Phurnesius, cujus 'Αντιρρητικὴ ἀπολογία πρὸς τὰ λεχθέντα παρὰ τοῦ Μεδιολανῶν ἀρχιεπισκόπου Πέτρου edita est ab A. Demetrakopulo, 'Εκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη, p. 36-47; 3° Nicetas Seides, cujus

sub Manuele Comneno (1143-1180) [1] tum apud Michaelem Glykam [2], tum apud quemdam Anonymum, qui sæculi XIII

opus supra memoravimus, p. 289, 291; 4° Eustratius Nicænus, cujus dissertationes tres apud Demetrakopulum, *op. cit.*, p. 47-99; 5° Nicolaus Methonensis, de cujus tractatibus tribus de processione Spiritus vide, t. I, p. 409, et Demetrakopulum, p. 359-380. Totus photianus est. Formulam διὰ τοῦ Υἱοῦ ad missionem temporalem refert : « Πνεῦμα τοῖς ἀξίοις παρὰ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ καταπέμπεται. » Apud K. Simonidam, 'Ορθοδόξων 'Ελλήνων λόγοι τέσσαρες, ed. 2, Londini, 1865, p. 31. Comparationibus patristicis utitur, quibus processio æterna per Filium clare innuitur (=mens, vox, spiritus — ignis, splendor, lux — fons, fluvius, aqua — arbor, ramus, fructus); eas vero ab obvia significatione detorquet : « Λόγος μὲν καὶ πνεῦμα ἐκ νοῦ· ἀπαύγασμα δὲ καὶ φῶς ἐκ πυρός· ποταμὸς δὲ καὶ ὕδωρ ἐκ πηγῆς καὶ λέγονται καὶ εἰσίν· ἐκ δὲ τῶν δευτέρων τὰ τρίτα, ἢ ἐκ τῶν τρίτων τὰ δεύτερα οὐδαμῶς... Υἱὸς καὶ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρός· ἐξ ἀλλήλων δὲ οὐδαμῶς. » *Ibid.*, p. 36-37. Cf. p. 26-27.

1. Ejus operis, cujus titulus : 'Ιερὰ ὁπλοθήκη, quædam excerpta a Joanne Vecco confutata habes in *P. G.*, t. CXLII, col. 395-612. Hic polemista pugnantia inter se haud raro profert, ut bene notat Veccus. Dicit, v. g., Spiritum Sanctum *ex Patre solo per Filium procedere :* ὁ τῆς ὑπάρξεως τοῦ παναγίου Πνεύματος τρόπος ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου δι' Υἱοῦ : « Non novi quemquam, ait Veccus, dummodo sit intellectus oculis integer, qui absurdissimum in hisce non agnoscat. Si ponis ex Patre solo esse, quomodo per Filium fuerit? Et si per Filium existit, quomodo ex solo Patre fuerit? » Col. 496 C. Haud pauca ex Patribus affert, quæ dogmati photiano aperte contradicunt, quin hujus contradictionis conscius appareat auctor, qui in propugnanda processione a Patre solo totus est.

2. Processioni Spiritus Sancti suum caput trigesimum ex serie inscripta : Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς, dicat Glykas, ed. Eustratiadis, t. I, p. 335-360. Regulæ orthodoxiæ photianæ adhæret : *Spiritus a Patre solo* ἐκπορεύεται *et per Filium* ἀπόστελλεται, p. 338-339. Processionem a missione omnino separat. Si illi credas, omnia concilia œcumenica dogma photianum docuerint. De Patribus latinis, ex quibus tres tantum recenset, Augustinum scilicet, Hyeronymum et Ambrosium, non curat : major pars, inquit, prævalere solet : « Τῇ ἀληθείᾳ συμφωνούντων αὐτῶν (id est, cæteri Patres), αἰδεσθήσεται Αὐγουστῖνος, σιωπήσει 'Αμβρόσιος, οὐκ ἀντιστήσεται 'Ιερώνυμος », p. 341. — « 'Ο ὑπὲρ ἥλιον ἐκλάμψας ἐν πάσαις ταῖς ἁγίαις συνόδοις ἱερὸς τῶν πατέρων σύλλογος ὥσπερ μιᾷ τῇ γλώττῃ τὴν τοῦ Πνεύματος ἐκπόρευσιν ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐξεβόησε γίνεσθαι », p. 345. Filius ad productionem Spiritus nihil omnino confert : « Τελείου ὄντος τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρός, κατ' οὐδὲν αὐτῷ συμβαλεται ὁ Υἱὸς ἐπὶ τῇ ἐκπορεύσει τοῦ Πνεύματος », p. 356. Processionem a Patre διὰ τοῦ Υἱοῦ prorsus ignorat. De communicatione Spiritus διὰ τοῦ Υἱοῦ creaturæ facta tantum loquitur.

initio post Urbem a Crucigeris captam (1204) scribebat [1], tum apud Nicolaum Mesaritam anno 1214 cum cardinalis Pelagii Albanensis nuntiis disputantem [2] tum demum apud Germanum II patriarcham [3]. Latinis tamen illis opponentibus

1. Hic Anonymus tria opuscula polemica contra Latinos composuit, quorum primum est de processione Spiritus Sancti. Illa edidit Russus Arsenii, *Tri stati neizviestnago greceskago pissateliia naçala XIII vieka*, Mosquæ, 1892. Auctor refellit Hugonem Eterianum, cujus opus *De hæresibus Græcorum* græce redditum fuerat. Incipit : Αἰχμάλωτοι παρ'αἰχμαλώτῳ ἐμοὶ ἐφιζήσαντές τινες ἤροντό με, Arsenii, p. 1-44. Testimonia græcorum Patrum ab Hugone allata et dogmati catholico aperte suffragantia de sola consubstantialitate et personarum conjunctione, vel etiam de temporali missione interpretatur. Ita, v. g., de celeberrimo loco sancti Gregorii Nysseni disserens : « Ὁ Υἱὸς μὲν προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ Πνεῦμα διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου », dicit mediationem Filii nullo pacto importare rationem causæ erga Spiritum, sed effatum personarum ordinem tantum et consubstantialitatem earum significare : « Καὶ ἦν τὸ μὲν πρῶτον κατὰ τὸν λόγον τῆς αἰτίας, τὸ δὲ δεύτερον κατὰ τὸν λόγον τῆς τάξεως ....Επήγαγε· « διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου τὸ Πνεῦμα », δεικνύων τὴν κατὰ φύσιν οἰκείωσιν τοῦ Υἱοῦ πρὸς τὸ συγγενὲς Πνεῦμα, καὶ οὕτω δι' αὐτοῦ τῷ Πατρὶ σύναψιν », p. 12-13.

2. Cf. A. Heisenberg, *Neue Quellen zur Geschichte des lateinischen Kaisertums und der Kirchenunion. III. Der Bericht des Nikolaos Mesarites über die politischen und kirchlichen Ereignisse des Jahres 1214*, Monaci, 1923 (Ex *Sitzungsber. der bayer. Acad. der Wissenschaften, Philos.-philol. und historische Klasse*, an. 1923), p. 36-46. Nicolaus Mesarites Photii argumenta plerumque ad verbum repetit. Ut probet additionem a Græcis factam « a *solo* Patre procedit » esse legitimam, arguit ex additione quæ licite fieri potest quantum ad generationem Filii ex Patre : « Possumus absque errore dicere : « Filius a Patre *solo* generatur », quamvis symbolum simpliciter dicat : « a Patre generatum ». Ergo a pari dicere licet : « Spiritus a *solo* Patre procedit », p. 39-40.

3. Germanus II Photii et Theophylacti dictis adhæret, ut videre est tum ex decreto synodali synodi Nymphææ supra memorato, tum ex longa *Responsione ad Confessionem fidei a papa missam :* Ἀπάντησις πρὸς τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν τοῦ πάπα καὶ πρὸς τοὺς ὑπ'ἐκείνου σταλέντας Φρεμενουρίους (= fratres minores) καὶ λοιποὺς περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, quam edidit Alterus ad calcem *Chronici* Georgii Frantzis, Vindobonæ, 1796. Incipit : Εἴπατε ἡμῖν, ὦ τιμιώτατοι (ann. 1234). Joannes Eugenicus, in *Confutatione decreti Florentini*, Τόμος καταλλαγῆς, p. 250, Germano quosdam anathematismos tribuit, quibus omnem Filii mediationem in processione Spiritus Sancti expresse rejicit : « Τοῖς μὴ ὁμολογοῦσι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς προσεχῶς ἐκπορεύεσθαι ὥσπερ καὶ τὸν Υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς προσεχῶς γεννᾶσθαι, ἀνάθεμα. »

Patrum græcorum testimonia, quibus Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedere, vel physice emitti et profundi, a Filio substantialiter esse, quin etiam ab utroque esse et prodire dicitur, quæstionem de significatione formulæ patristicæ: *a Patre per Filium procedit*, omnino effugere non possunt. Unde ex illis quidem *obiter* concedunt hujusmodi formulam ad ipsam æternam processionem Spiritus Sancti spectare. De indole tamen hujus relationis inter Filium et Spiritum Sanctum aut tacent, aut dicunt eam nihil aliud significare nisi consubstantialitatem, summam conjunctionem et inseparabilitatem personarum. Ita Eustratius Nicænus, in quibusdam suarum dissertationum locis, mediationem Filii in processione æterna Spiritus Sancti non negat Latinisque crimini vertit quod, sicut ipse imaginatur, Filium faciant *primum* principium Spiritus Sancti, Patrem vero habeant ut principium medium et indirectum ejusdem, id est principium non per seipsum, sed per Filium, principium per accidens et secundum aliquid aliud :

« Spiritus Sanctus, inquit, per Verbum procedit sicut splendor lucis per radios... Patres dicunt Spiritum ex Patre per Filium emitti, sicut apud nos spiritus vocis seu pronuntiationis ex mente per loquelam seu vocem procedit, ut ostendant Patrem seu mentem esse primum et proprium utriusque principium; Latini vero Verbum dicunt primum principium Spiritus, per ejus autem mediationem et ipsum Patrem, ita ut Pater non sit Spiritus principium per se neque primordialiter, sed principium per accidens et secundum aliquid aliud [1]. »

His verbis Eustratius non videtur excludere participatio-

1. « Διὰ τοῦ Λόγου τὸ Πνεῦμα προέρχεται, ὡς ἡ ἔλλαμψις διὰ τῶι ἀκτίνων..... Πατέρες ἐκ τοῦ Πατρός φασι δι' Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα προβάλλεσθαν, ὡς ἐφ' ἡμῶν ἐκ τοῦ νοῦ διὰ τοῦ λόγου τὸ πνεῦμα τῆς ἐκφωνήσεως, ὡς δηλοῦσθαι πρώτην καὶ οἰκείαν ἀρχὴν ἑκατέρου τὸν πατέρα καὶ νοῦν· οἱ δὲ πρώτην ἀρχήν φασι τὸν Λόγον τοῦ Πνεύματος, διὰ δὲ μέσου αὐτοῦ καὶ τὸν Πατέρα, ὡς εἶναι τὸν Πατέρα μὴ καθ' αὑτὸν μηδὲ πρώτως, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς καὶ κατά τι ἄλλο ἀρχὴν τοῦ Πνεύματος. » *Dissertatio I* : Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται, κατασκευάζων ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ, οὐχὶ δὲ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται. Demetrakopulus, *op. cit.*, p. 56-57. Vides Eustratium Latinis tribuere sententiam, quam nullatenus illi docent.

nem Filii in æterna processione Spiritus, sed tantummodo negare eum esse hujus processionis principium primum et a Patre independens, quasi Pater esset principium indirectum, secundarium, quatenus nempe generat Filium, qui ipse proprie et immediate et primum emittat Spiritum. Hæc interpretatio alio ejusdem theologi loco firmatur, ubi expresse docet effatum patristicum : *A Patre per Filium procedit*, aliquid aliud præter meram consubstantialitatem significare [1]. In aliis tamen locis Eustratius ut merus Photianus loquitur, ad photiana axiomata haud semel provocans, ita ut, si Filii mediationem in æterna processione Spiritus admiserit, illam ut meram *conditionem sine qua non* habuerit, omnique vi causativa vacuarit [2].

Idem dicendum est de Andronico Camatero, qui in quibusdam locis sui *Sacri Armamentarii* processionem Spiritus a Patre *per Filium* probare videtur, negans tantum processionem *ex Filio* [3]; in aliis vero locis illud διὰ τοῦ Υἱοῦ de simplici consubstantialitate, vel etiam de missione temporali Spiritus, id est de spiritualium donorum largitione intelligit [4].

1. *Ibid.*, p. 61 : « Αὐτοῦ μὲν γὰρ ἔσται ἐξ ἀνάγκης, κἂν δι' αὐτοῦ λέγηται, ἐξ αὐτοῦ δὲ οὐκ ἐξ ἀναγκῆς, ὅτι αὐτοῦ. Εἰ μὲν γὰρ ἀλλότριον τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα ἔλεγέ τις, ἔδει παριστᾶν πρὸς αὐτὸν ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν, ὡς τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμά ἐστιν· ἐπεὶ δὲ τοσοῦτον ἡμῖν τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα οἰκεῖον ὡμολόγηται, ὡς ὁμοούσιόν τε εἶναι αὐτοῦ καὶ τῆς αὐτῷ τε καὶ τῷ Πατρὶ ἐξουσίας, δυνάμεως, βουλήσεως, καὶ πρὸς τούτοις δι' αὐτοῦ ἐκπορεύεσθαι, τί πρὸς ἡμᾶς εἰς ἀντίθεσιν φέρουσι. »

2. Cf. Demetrakopulum, *op. cit.*, p. 68-69, 76.

3. Cf. quæ supra diximus, p. 301, n. 1. Nicephorus Blemmides computat Camaterum inter illos theologos qui processionem æternam Spiritus Sancti ex Patre per Filium tenuerunt, locumque quemdam *Armamentarii sacri* recitat, ex quo constat illum distinxisse inter *processionem ex Filio* et *processionem per Filium. Epistola ad Jacobum, Bulgariæ archiepiscorum de processione Spiritus Sancti*, 5. Apud Lämmer, *op.* et *loc. cit.*, p. 112-115. Joannes Veccus item alios Camateri locos similes laudat, *De depositione sua oratio II*, 14, *P. G.*, t. CXLI, col. 989 B. Verum, ex ipso opere Vecci : *In Camateri animadversiones*, ibid., col. 395-612, aperte constat Camaterum photiana placita cum genuina Patrum græcorum doctrina passim commiscere et eo usque devenire, ut asserat Spiritum Sanctum a *Patre solo per Filium* procedere, quod Veccus absurdissimum jure pronuntiat.

4. Cf. Joannem Veccum, *In Camateri animadversiones*, *P. G.*, *ibid.*, col. 520 CD. : « Ἀκούεις κἀνταῦθα, ait Camaterus de quodam loco

Hanc ultimam interpretationem formulæ patristicæ solam acceptam habet Anonymus sæculi XIII ineuntis [1].

Fuerunt tamen in periodo de qua agimus quidam theologi qui et genuinam Patrum græcorum doctrinam detegerunt et palam in suis scriptis professi sunt; tales tamen numero pauci exstiterunt, quamvis contrarium innuere videatur Nicephoras Blemmides, qui unus ex illis aliquando fuit, in sua *Dissertatione de processione Spiritus Sancti ad Theodorum II Lascarim directa* :

« Spiritus Sancti processionem ex Patre per Filium esse, inquit, multo jam antea in confessis erat, et ad hæc usque nostra tempora a piis hominibus retinebatur, et *tanquam commune dogma in Ecclesia receptum habebatur*. Sed non diu est, ex quo nonnullis aliquid accidit risu, vel potius lamentatione maxima excipiendum; siquidem illud *ex Filio* penitus tollere volentes, una cum eo sustulerunt et *per Filium*, tantorumque sanctorum documenta, si qua captionis ansa dabatur, perverterunt; ubi vero nulla prorsus apparebat, tanquam quæ cum reliquis non convenirent, rejecerunt. Et ubicumque erat *ex Patre* sive προχεῖσθαι, sive προέρχεσθαι Spiritum Sanctum, de processione (ἐπὶ τῆς ἐκπορεύσεως) voces

Cyrilli Alexandrini, πῶς πεφηνέναι μὲν τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς λέγει ὁ ἅγιος, ἐνίεσθαι δὲ παρὰ τοῦ Υἱοῦ καθὼς καὶ παρὰ τοῦ Πατρὸς διὰ τὴν ὁμοτιμίαν τῆς φύσεως καὶ τὸ τῆς οὐσίας ἀδιαίρετον. Τὸ δὲ πηγάζειν αὐτὸν τοῦτο ἐκ τῆς ἰδίας φύσεως μὴ θροείτω σε..... Πρὸς τὴν τοιαύτην ἔννοιαν καὶ τοῦτο συμβίβαζε, ἤγουν τὸ ἐκ τῆς πηγῆς (id est Spiritus ex Patre procedens) διὰ τοῦ Υἱοῦ ἡμῖν τοῦτο πηγάζεσθαι. »

1. *Op. cit.*, p. 35-37. Hic Anonymus nullatenus concedere vult Spiritum Sanctum ex Patre διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Unde Latino objicienti quemdam locum Basilii hanc formulam habentem respondet vel locum corruptum fuisse, vel nimis obscurum; cæterum, Basilium errare potuisse; in aliis locis illum contrarium docuisse; omnes synodos cum Christo docere Spiritum Sanctum *unice* et *immediate* ex Patre ἐκπορεύεσθαι : « Εἶπον μοναδικῶς καὶ ἀμέσως τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι. » Demum, hypothetice concedens locum esse genuinum, varias suggerit explicationes : « Ἢ γὰρ διὰ μόνην ἔμφασιν τῆς συναφείας τὸ διὰ τοῦ Υἱοῦ προσενέπλεξεν ὁ ἅγιος, καὶ τῆς ἀδιακόπου καὶ ἀδιαστάτου συναφείας, καὶ τῆς ἀεὶ ἀλληλενδέτου ἑνώσεώς τε καὶ σχέσεως, ἀναιρῶν ἐντεῦθεν τοὺς τότε μακεδονίζοντας.... ἤ, ἐπεὶ τὸ ἐκπορεύεσθαι εἰς διάφορα ἔσχισται, παραδέδοται δὲ διὰ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα στέλλεσθαι καὶ τὰ κεκρυμμένα ἐς ἡμᾶς προοδεῦσαι δι'αὐτοῦ καὶ φανῆναι καὶ ἐλλάμψαι, εἰς ταῦτα τὸ ἐκπορεύεσθαι ἐληφθείη ἄν, ἀλλ' οὐκ εἰς τὸν τρόπον τῆς ὑπάρξεως. »

acceperunt; ubicumque vero *per Filium*, τὸ δι' Υἱοῦ annexum erat, *effusionem* ibi et *processionem* et si quid aliud his verbis simile, pro dono et munere acceperunt [1]. »

Hi *nonnulli*, ad quos alludit Blemmides, sunt plerique theologi et polemistæ qui post Photium et Michaelem Cærularium vixerunt, quorum scripta ad nos pervenerunt. Eorum vero qui *commune dogma in Ecclesia ab antiquo receptum* inde a Michaele Cærulario expresse propugnaverunt, præter ipsum Blemmidam, unum vel alterum tantum novimus, de quibus nunc loquendum [2].

II. — De mente Nicetæ Nicomediensis apud Anselmum, Havelbergensem episcopum.

Nicetas, metropolita Nicomediensis sub Joanne Comneno (1118-1143), qui unus ex duodecim professoribus Universitatis patriarchalis exstitit, nullam dissertationem de processione Spiritus Sancti nobis reliquit. Ejus tamen de hac quæstione doctrinam ex scriptis duorum Latinorum, scilicet Anselmi Havelbergensis et Hugonis Eteriani, novimus. Apud Hugonem, ut Photianus loquitur [3]. Apud Anselmum vero, quocum publice Constantinopoli, anno 1135, ipso Joanne Comneno præsente, disputavit, primum quidem trita polemistarum argumenta contra Latinos depromit, in fine autem disputationis ad doctrinam catholicam accedit, formulam Patrum græcorum *a Patre per Filium* recte explicans et ad doctrinam sancti Augustini, asserentis Spiritum Sanctum a

1. *Epistola ad Theodorum Ducam Lascarim*, 3. Apud H. Lämmer, *Scriptorum Græciæ orthodoxæ bibliotheca selecta*, t. I, § II, p. 162-163 : « Τὸ δὲ τὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκπόρευσιν δι' Υἱοῦ εἶναι παρὰ Πατρὸς ὁμολογούμενον ἦν ἀνέκαθεν καὶ ἕως ἡμῶν τοῖς εὐσεβέσι, καὶ πρεσβευόμενον καὶ οἷα δόγμα κοινὸν ἀνατεθειμένον τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ· καιρὸς δ' οὐ πολύς, ἐξ οὗ τινες ἔπαθόν τι γελοιότατον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, ἀθλιώτατον κ. τ. λ. »

2. Potest tamen Nicephorus, contra polemistarum Photianorum multitudinem, affirmare processionem Spiritus a Patre per Filium adhuc esse Ecclesiæ byzantinæ dogma commune, cum hæc doctrina in libris ecclesiasticis Græcorum haud semel prædicetur, ut infra dicemus.

3. *De hæresibus Græcorum*, l. II, c. IX, *P. L.*, t. CCII, col. 295 B; l. III, c. XI, col. 360 A.

Patre et Filio procedere, sed a Patre *principaliter*, pertingens.

Anselmo dicenti Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere Nicetas respondet hanc doctrinam in Trinitatem necessario inducere duo principia, quod omnino repugnat [1]. Respondet Anselmus :

« Intendat charitas tua : Spiritum Sanctum dicimus procedere a Patre et Filio, nec tamen exinde concedimus duo esse principia, quia Pater et Filius unum sunt principium, sicut sunt unus Deus. Sicut autem dicimus *Deus de Deo*, nec tamen duo dii, et sicut dicimus tropice lumen de lumine, nec tamen duo substantialia lumina; et sapientia de sapientia, nec tamen duæ sapientiæ : ita profecto dicimus *principium de principio, nec tamen duo principia*... Sicut Pater et Filius unus Deus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum sunt principium, quia videlicet Spiritus Sanctus non aliunde, sed a Patre et Filio, qui sunt unum principium, datur et procedit... Est itaque Pater principium Filii ut causa, et est Pater simul et Filius principium Spiritus Sancti et causa [2]. »

Post varias interrogationes et totidem responsiones, Anselmo dicente : « Par, vel potius idem est Spiritui Sancto a Patre esse, et a Filio esse; et a Patre procedere, et a Filio procedere [3] », Nicetas sponte instat :

« Cum tu argumentando investigas utrum Spiritui Sancto sit idem esse a Patre et a Filio; et iterum inquiris utrum sit ei idem esse et idem procedere, et ita probare niteris quod sicut ei ab utroque idem est esse, item quoque ab utroque sit ei idem procedere : cum hoc, inquam, dicis, hoc nimirum attendere debueras quod, licet Spiritus Sanctus amborum sit et *ab ambobus sit, tamen ab ambobus non videtur æqualiter*

1. Anselmus Havelbergensis, *Dialogi*, l. II, c. I, *P. L.*, t. CLXXXVIII, col. 1165. Nota Anselmum conceptum Patrum græcorum de Trinitate eorumque formulam *a Patre per Filium* prorsus ignorare, col. 1206. Cum autem theologus sit acutus ac subtilis, hanc formulam satis bene explanat, col. 1207, 1208. Post sanctum Augustinum, *De Trinitate*, l. II, c. V, et ob eamdem rationem, nempe ob Is., XLVIII, 16, opinatur Filium mitti non solum a Patre, sed etiam a Spiritu : « Hoc, inquit, solius Patris peculiare est, ne missus dicatur », col. 1176. Ad hanc gravem concessionem non attendit Nicetas.

2. *Op. cit.*, l. II, c. II, III, col. 1166-1168.

3. *Ibid.*, c. XVIII, col. 1190 B.

esse, ideoque nec æqualiter procedere. A Patre quippe est tanquam ab eo qui a nullo est, et qui a nullo habet quod Spiritus Sanctus ejus est, et quod ab eo est; a Filio autem est tanquam ab eo qui a Patre est et qui hoc ipsum a Patre habet quod Spiritus Sanctus ipsius quoque est, et ab eo etiam est; et ita videtur quod Spiritus Sanctus amborum quidem et ab ambobus sit veraciter, non autem quod amborum sit æqualiter vel ab ambobus procedat æqualiter [1]. »

Subjicit Anselmus :

« Habet omnia a Patre Filius, etiam ut sit Deus; est enim de Deo Deus; et habet ab illo, ut etiam de seipso procedat Spiritus Sanctus. Porro Spiritus Sanctus habet ab ipso Patre ut procedat etiam a Filio, sicut procedit a Patre... Nequaquam autem videtur auferre Spiritui Sancto, quantum ad seipsum, æqualitatem existendi et procedendi ab utroque quod alter a quo est et a quo procedit, scilicet Pater, a nullo est; alter vero, a quo similiter est et a quo similiter procedit, scilicet Filius, a Patre est, quia nec prius nec posterius, nec minus vel plus propter hoc ab altero est vel procedit; sed simul et semel ab utroque nullo æqualitatis modo, sed æqualiter, id est cognita sibi æqualitate, æternaliter procedit : *quamvis tamen a nonnullis videatur bene posse dici quod magis proprie sit et procedat a Patre tanquam a prima causa, quam a Filio, cujus est ipsa causa* [2]. »

Respondet Nicetas :

« Omnia hæc concedo, videlicet quod a Filio est Spiritus Sanctus, quod ab eo mittitur, quod de suo accipiat et annuntiet, quod ab illo audiat, quod ab illo loquatur, hæc omnia, docente Evangelio, concedo; sed processionem ejus a Filio, quam Evangelium non docet, ego non doceo nec docere præsumo [3]. »

Postquam autem Anselmus totis viribus conatus est ostendere Græcum timere, « ubi timor non est », hoc tandem fatetur ille :

« Ut tibi verum fatear, *nos et plerique nostrorum sapientes*

1. *Ibid.*, col. 1191 BC.
2. *Ibid.*, c. XIX, col. 1191-1192.
3. *Ibid.*, col. 1193 D.

a vobis non dissentimus in sensu hujus processionis; sed, sicut jam sæpe dixi, verbum hujus processionis hactenus apud nos fuit alienum; *nec horremus processionis sensum, quia rectus est, sed processionis verbum, quod insolitum est.* Multi etiam Græcorum doctores, qui divinas Scripturas exposuerunt, licet eumdem processionis hujus sensum convenientibus verbis satis expresse nobis insinuaverint, tamen hoc verbo *processionis* [agitur sane de verbo ἐκπόρευσις, ἐκπορεύεσθαι] [1] non adeo evidenter usi sunt, nec nobis in usu loquendi reliquerunt [2]. »

Anselmo recitanti quædam testimonia Patrum tum græcorum tum latinorum, Nicetas dicit :

« Quod nostros doctores introducere voluisti, placet mihi; sed quæro si tu auctoritatem illorum quos nominasti, et aliorum nostrorum doctorum, cum sis Latinus, recipias [3]. »

Respondet Anselmus :

« Ego nulli christianorum, Græco, sive Latino, seu cujuslibet gentis fideli christiano, donum Sancti Spiritus intercludo, nullum contemno, nullum abjicio, nec abjiciendum judico; sed omnem hominem recte loquentem et ea, quæ contra apostolicam doctrinam non sunt, scribentem libera mente suscipio et amplector [4]. »

Exclamat tunc Nicetas :

« Videor mihi invenisse hominem latinum vere catholicum. Utinam tales Latini istis temporibus ad nos venirent! Nam si aliqui veniunt, ambulant in magnis et in mirabilibus super se, et nequaquam talia nec tam catholica, nec tam humilia, sed superba et intolerabilia nobis loquuntur. Proinde doctores nostri, cum de fide sanctæ Trinitatis sive de symbolo fidei aliqua conscripserunt, si quando incidenter occasione explanandæ sententiæ dixerunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere [προϊέναι vel προέρχεσθαι debuit certe dicere

1. Nota Anselmum linguam græcam ignorasse nec percipere potuisse illas subtiles sensus differentias, quas græci Patres et theologi byzantini quibusdam verbis *technicis* annexuerunt. Mirum tamen quod theologum græcum sua dexteritate et urbana disputandi ratione ad suam sententiam tandem addixerit.
2. *Ibid.*, c. XXVI, col. 1202.
3. *Ibid.*, col. 1204 A.
4. *Ibid.*

Nicetas, non ἐκπορεύεσθαι] vel profluere (= προχεῖσθαι) non dixerunt hoc ea significatione processionis vel profluxionis (= πρόχυσις), sicut dicitur a Patre procedere [= ἐκπορεύεσθαι]. Nam quod a Patre procedit *proprie procedit;* et quia proprie procedit, proprie quoque procedere dicitur. Quod autem a Filio procedere vel profluere a nobis aliquando dictum invenitur, nullatenus proprie dicitur, quia nec proprie ita procedit vel profluit sicut a Patre; *quippe proprie a Patre tanquam ab eo qui est prima causa et principium sui procedit; a Filio autem, si quando invenitur vel dicitur procedere seu profluere, non ita proprie dicitur vel est, quia quod a Filio est, vel a Filio procedit vel profluit, hoc non est, vel hoc non facit tanquam a prima causa, quia ipse quoque Filius id quod est et quod Filius est, et quod a se Spiritum Sanctum procedentem seu profluentem mittit, hoc non a seipso, sed a Patre tanquam a prima causa et principio;* ideoque, sicut dixi, a Patre tanquam a prima causa Spiritus Sanctus proprie procedere dicitur.

« Hanc itaque processionem Spiritus tam a Patre quam a Filio ita distinxerunt sapientissimi Græcorum, ascribentes proprie Patri primam causam processionis, a quo proprie est et Filius generatione, et a quo Spiritus est processione, Filio autem ascribentes ejusdem Spiritus Sancti processionem non tam proprie, quoniam ipse Filius non est a semetipso, nec est causa suimetipsius, ideoque nec proprie nec prima causa est Spiritus Sancti, ut ab eo proprie sicut a Patre procedat. *Itaque Pater a nullo est, Filius a Patre proprie est, Spiritus Sanctus ab utroque est; a Patre tamen proprie est, quia Pater a nullo est; a Filio autem non ita proprie est, quia Filius non a nullo, sed a Patre est et a Patre habet quod Spiritus Sanctus ab ipso est : et ita concedo Spiritum Sanctum a Patre, qui a nullo est, proprie procedere;* a Filio autem, quia et ipse a Patre est, non ita proprie procedere; et hoc quod distinxerunt, sicut dixi, sapientissimi Græcorum [1]. »

His verbis Nicetas græcorum Patrum conceptum optime explicat, necnon specialem sensum vocibus ἐκπορεύεσθαι, ἐκπόρευσις, a Byzantinis, inde saltem a Joanne Damasceno,

1. *Ibid.*, c. XXIV, col. 1204-1205.

tributum detegit, qui plerosque Latinos Medii Ævi cum Græcis disputantes latuit. Huic theologi græci doctrinæ jure assentit Anselmus, locum Augustini, ubi dicit ille Spiritum Sanctum a Patre *procedere principaliter* opportune recitans. Unde Nicetas jam concludit :

« Satis videmur jam posse convenire, quia et nostri et vestri doctores non inveniuntur usquequaque in hac sententia discrepare, si tamen eorum scripta recte intelligantur, qui vel apud nos, vel apud vos de hac quæstione diligentius scripsisse inveniuntur. Sed quid dicis de hoc quod quidam Græcorum sapientes dicunt Spiritum Sanctum *a Patre per Filium procedere* [1]? »

— « Ignota sunt mihi ista verba, ait Anselmus, ideoque quid super hoc respondeam ad præsens non habeo. » Meminit tamen se legisse talem formulam apud Hilarium; quam recte interpretatur dicens :

« Ista puto satis suscipienda cum præmissa determinatione : quoniam Pater a nullo hoc habens, Filius autem a Patre hoc habens, Spiritum Sanctum uterque a se procedentem emittunt [2]. »

— « Nos quoque, ait Nicetas, si quando his similia in codicibus nostrorum doctorum invenimus, simili determinatione determinamus... Proinde noverit charitas tua, præmissis tot rationibus et suppositis tot auctoribus, me et quoslibet sapientes Græcorum stare tecum in eadem sententia de processione Spiritus Sancti; verumtamen nolo ut putes nos modo per te in hac tua disputatione superatos hoc confiteri, *quoniam sapientes Græci semper hanc sententiam tenuerant, et si quando a sapientibus Latinis hæc eadem quæstio humiliter mota est, quod corde crediderunt, ore confessi sunt,* et omnibus quæ scripta sunt revocatis ad legem charitatis, tam Latini sapientes quam Græci sapientes concorditer in unum consenserunt. *At vero nihil nostra interest quod vel stulti Græci vel superbi Latini inter se dicant et contendant* [3]. »

1. *Ibid.*, c. XXV, col. 1206 CD.
2. *Ibid.*, c. XXVI, col. 1207 AB.
3. *Ibid.*, col. 1208 CD. Vides Nicetam inter *stultos Græcos* recensere omnes polemistas qui inde a Photio et cum ipso Photio processionem

In fine Anselmus Spiritui Sancto gratias agit maximas pro felici exitu disputationis. « Nihil ergo, inquit, jam aliud restat nisi quod a Patre et Filio procedere sine aliqua hæsitatione sicut credis, ita doceas, ita scribas, et cum sancta Romana Ecclesia, quæ mater est omnium Ecclesiarum et quæ hoc docet et scribit, ejusdem fidei concordiam habeas [1]. » Cui respondet Nicetas :

« Assentio omnibus quæ dixisti, et accedo toto animo et toto corpore. Porro verba hæc : *Spiritus Sanctus procedit a Filio*, quoniam hactenus non sonuerunt publice in Ecclesiis Græcorum, nequaquam subito possunt induci, ut sine aliquo scandalo plebis vel aliquorum, minus prudentium publice doceantur, vel scribantur; sed aliquod generale concilium occidentalis et orientalis Ecclesiæ auctoritate sancti Romani Pontificis, admittentibus piissimis imperatoribus celebrandum esset, ubi hæc et nonnulla alia catholicæ Ecclesiæ necessaria diffinirentur, ne forte vos vel nos in vanum curreremus [2]. »

Ita finivit hæc Nicetæ cum Anselmo disputatio, ex qua primum vera litis solutio satis clara prodivit. Paulo post autem Nicetas alius, ex Maronea oriundus, qui sub Manuele Comneno (1143-1180) Thessalonicæ metropolitanam sedem aliquamdiu tenuit, proprio calamo eamdem adhuc apertius proposuit et explicavit in sex dialogis, ubi Latinus unus et Græcus alter, sed semper ex fontibus græcis, argumenta pro utraque doctrina, latina scilicet et byzantina, vicissim proferunt, et in eamdem sententiam tandem conveniunt [3].

æternam Spiritus Sancti etiam *a Filio* vel *per Filium* negaverunt. Si illi credas, tota hæc controversia ex pessimo spiritu contentionis exorta fuerit. *Sapientes* Græci dogma catholicum, saltem quantum ad sensum, revera tenuerint.

1. *Ibid.*, c. XXVII, col. 1209 A.
2. *Ibid.*, col. 1209-1210.
3. Horum dialogorum primum integrum habes in *P. G.*, t. CXXXIX, col. 169-202, cum quibusdam excerptis cæterorum, col. 202-222; secundum, tertium et quartum cum versione latina in commentario *Bessarione* (ann. 1912-1915); omnes in *cod. Vatic. 1115* (sæcul. XIV). Totius operis argumentum breviter contrahit auctor ipse in procemio, col. 169-172.

III. De theologia Nicetæ Maronensis.

Nicetas veram Patrum græcorum doctrinam de Trinitate clare perspexit plenamque significationem formulæ *a Patre per Filium* luculente aperuit. Primum quidem ostendit quomodo Spiritus Sanctus a Patre quidem *mediate*, a Filio vero *immediate* procedat, quamvis non sint re duæ processiones, sed una et eadem processio in Patre et Filio simul perfecta et æqualis :

« Minime duplicem dicimus processionem, ait Latinus, sed unam eamdemque et simplicem, quum et Spiritus simplex sit, utpote Deus; nulla namque in Deo duplicitas est vel compositio. Neque enim quia ex duobus, ideo processio duplex, sed quia simplex est Spiritus, ideo processio simplex, eadem aliam atque aliam in eodem habens relationem, mediata quidem existens quatenus ex Patre est, immediata vero quatenus ex Filio. Quemadmodum enim luminis in aere effulsio ex sole et ex solis radiis prodiens, et immediate quidem ex radiis, mediate vero ex sole, videlicet per radios, tamen neque ipsa duplicitatem quamdam habet secundum suam existentiam, quum lumen in aere simplex sit et compositionis expers...; neque etiam ipsius progressio duplex est, licet duo sint ex quibus progrediatur, sol nimirum et radius : ita et processio ex Patre atque ex Filio simplex est secundum seipsam, licet duæ personæ sint, ex quibus processio fiat... Absurdum non est enti simplici duas inesse proprietates; nam et Pater est tum pater tum spirator, et nulla in ipso compositio. Præterea mediatum et immediatum relationes quædam sunt; diversa vero relatio non importat compositionem... Ex Patre Filius, et ex Filio Spiritus, ideoque et ex Patre Spiritus, ita ut eadem processio immediate quidem sit ex Filio, mediate vero ex Patre; *mediate* vero dico, non quasi tempus sit quoddam intermedium — neque enim Pater prius generat Filium, postea vero per Filium Spiritum emittit — verum quia Pater, Filium generans, per eum quoque emittit Spiritum et non sine Filio Spiritus emissio perficitur... Cæterum Spiritus processio perfecta est ab utraque parte,

sive ex ambobus eam dicas, sive a Patre per Filium, quia est ex perfectis et perfecte [1]. »

Haec Nicetas in *Dialogo primo*. In *Dialogo secundo* insistit in ordine personarum divinarum, qui non est extrinsecus et accidentalis, sed intimus et in natura divina ipsa fundatus. Præterea, ostendit Patrem et Filium unum esse Spiritus principium variaque Photii sophismata evertit :

« Non duo principia dicimus, ait Latinus, quoniam ex ambobus unum dicentes, iterum alterum ad alterum referimus, ut et ita unum sit principium duorum. Si enim diceret aliquis ex duobus quibusdam unum procedere, quorum neuter ex altero esset, tunc omnino duo inducerentur principia. Sed quoniam, duorum ex uno procedentium, alterius processus immediatus est, alterius vero mediatus, etiam sic unum principium est. Ut vero etiam in exemplo appareat sententiæ nihil inesse absurdum, etsi nullum proprium habemus, sumatur rex, dux et miles; vel, si mavis, Adam, Eva, Seth... Seth tanquam ad principia refertur ad Adam et Evam; ex ambobus quippe est; sed quoniam Eva, cum sit ex Adam, refertur et ipsa ad Adam tanquam ad principium, idcirco non duo principia, sed unum. Tu vero ne mihi exempla corripias propter dissimilia, sed propter similia accipe [2]. »

1. *P. G.*, t. CXXXIX, col. 191, 193 C, 196 D, 197 : « Πρῶτον μὲν οὐ διπλῆν φαμεν τὴν ἐκπόρευσιν, ἀλλὰ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν καὶ ἁπλῆν, καὶ ἁπλοῦ ὄντος τοῦ Πνεύματος ὡς Θεοῦ· οὐδεμία γὰρ ἐν Θεῷ διπλόη ἢ σύνθεσις. Οὐ γὰρ διότι ἐκ δυοῖν, διὰ τοῦτο διπλῆ, ἀλλὰ διότι ἁπλοῦν, διὰ τοῦτο ἁπλῆ, ἡ αὐτὴ ἄλλην καὶ ἄλλην ἐν ταὐτῷ τὴν σχέσιν ἔχουσα καὶ οὖσα ἔμμεσος μὲν ὡς ἐκ τοῦ Πατρός, ἄμεσος δὲ ὡς ἐκ τοῦ Υἱοῦ. » Col. 191 B C. — « Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς ὡς ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἀμέσως ἐκπορευόμενον τοῦ γεννωμένου ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι λέγεται. » Col. 197 B.

2. N. Festa, *Niceta di Maronea e i suoi dialoghi sulla processione dello Spirito Santo*, in *Bessarione*, ser. III, t. IX (1912), p. 99 et 279 : « Ἀλλ'οὐ δύο ἀρχάς, ὦ οὗτος, φαμέν, ἐπεὶ ἐξ ἀμφοῖν τὸ ἓν λέγοντες, πάλιν τῶν δύο τὸ ἕτερον εἰς τὸ ἕτερον ἀναφέρομεν, ὡς μίαν καὶ οὕτως ἀρχὴν εἶναι τῶν δύο τὸ ἕν. Εἰ μὲν γὰρ ἔλεγέ τις ἐκ δύο τινῶν τὸ ἓν ἐκπορεύεσθαι, ὧν οὐδέτερον ἦν ἐκ θατέρου, τότε πάντως δύο ἀρχαὶ παρεισάγοντο· ἐπεὶ δὲ τῶν δύο ἐκ τοῦ ἑνὸς προερχομένων, ἡ πρόοδος τοῦ μὲν ἐστιν ἄμεσος, τοῦ δὲ ἔμμεσος, μία καὶ οὕτως ἀρχή. »

Eamdem veritatem in *Dialogo tertio* luculentius explicat Latinus. :

« Sicut in rerum creatione principium et principium et principium sunt Pater et Filius et Spiritus, sed unum omnium principium, ita etiam in Spiritus processione principium Pater, principium et Filius, sed unum principium. Differentia autem hæc est, quod res creatæ posterius ex nihilo ad esse vocatæ sunt, Spiritus autem semper cum Patre et Filio est et semper cum utrisque effulget tanquam ex utroque, hoc est ex Patre per Filium procedit [1]. »

Græco objicienti ex processione Spiritus Sancti a Filio sequi Spiritum esse Patre et Filio inferiorem et aliquo pacto depressum, quatenus scilicet Pater habet tres proprietates hypostaticas, ut ingenitus, genitor et spirator (= προβολεύς); Filius autem duas, ut genitus et spirator; Spiritus vero unam tantum, ut procedens, respondet primum Latinus inæqualitatem quæ est secundum proprietates hypostaticas, seu secundum quod una persona est causa alterius, non inducere inæqualitatem secundum essentiam, sed esse quid circa essentiam vel personam consideratum; quod realem inæqualitatem non importat [2]; postea et hæc subdit :

« Quoad autem numerum proprietatum, nostra sententia, nulla ex tribus personis plus habet aut minus quam cæteræ. Pater enim et genitor et productor (προβολεύς); Filius autem et genitus et projector (προβλήτωρ); Spiritus vero et procedens (ἐκπορευτόν) mediate a Patre, quia per Filium, et procedens immediate a Filio, quia non per alium. Nam si *procedens* dupliciter accipiatur, mediate scilicet et immediate, proinde fit duplex, et ita unaquæque binas proprietates habere invenitur, et nulla majus aliquid, nisi quod unaquæque persona unam habet proprietatem a cæteris duabus illam

1. N. Festa, *op. cit.*, *Bessarione*, 1913, p. 302; 1914, p. 56 : « Ὡς οὖν ἐπὶ τῆς τῶν κτισμάτων δημιουργίας ἀρχὴ καὶ ἀρχὴ καὶ ἀρχὴ ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα, ἀλλὰ μία ἀρχὴ πάντων οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς τοῦ Πνεύματος ἐκπορεύσεως ἀρχὴ ὁ Πατήρ, ἀρχὴ καὶ ὁ Υἱός, ἀλλὰ μία ἀρχή. »

2. *Bessarione*, 1912, p. 97 et 277 : « Ἰδιότης δὲ τὸ αἴτιον, οὐκ οὐσία, ἀλλὰ περὶ οὐσίαν ἢ ὑπόστασιν θεωρούμενον. Λοιπὸν οὐκ ἄτοπον τὸ μεῖζον καθ'ἡμᾶς οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὰς ὑποστατικὰς ἰδιότητας ἀποδίδοσθαι τῷ μὲν Πατρὶ πρὸς τὸν Υἱόν, τῷ δὲ Υἱῷ πρὸς τὸ Πνεῦμα. »

distinguentem, alteram vero, quam cum una personarum communem habet, cum altera vero minime. Quid est quod dico? Pater et genitor et productor est; sed qua genitor, a Filio et Spiritu distinguitur; qua vero productor, commune hoc habet cum Filio, a Spiritu autem distinguitur. Filius, cum et a Patre sit et productor, qua est a Patre, commune hoc habet cum Spiritu; qua vero projector est, a Spiritu distinguitur. Et similiter Spiritus. Quod si Pater, præterquam quod genitor et productor est, etiam *ingenitus* dicitur, at *innascibilitas* (τὸ ἀγέννητον) non est vera proprietas; nam vera proprietas est quæ positionem rei cujusquam, non negationem significat. Secundum igitur proprietatum differentiam, singulæ personæ binas habent relationes, scilicet alterutram ad alterutram cæterarum. Patre ergo duas relationes habente, alteram ad Filium ut patre, alteram ad Spiritum ut productore; oportebat et utramque reliquarum pares habere relationes, Filium scilicet alteram ad Patrem, alteram ad Spiritum; Spiritum autem alteram ad Patrem, alteram ad Filium. Et præter has, nullam aliam relationem invenire est in quavis trium personarum ad reliquas. Unde Pater dicitur Filii pater et Spiritus productor. Spiritus dicitur Dei et Patris spiritus et Filii spiritus. Ergo et Filius, Patris quidem filius, Spiritus Sancti vero omnino est aliquid, productor scilicet. Si igitur Spiritus, cum ad Patrem dicitur, spiritus dicitur Dei et Patris, cum vero ad Filium, non diceretur spiritus Filii, sed aliquid aliud, probabile utique argumentum haberes, ut eadem ratione Patrem quidem Spiritus productorem diceres, Filium vero non productorem, sed aliquid aliud. Nunc vero, si Spiritus est tum Dei et Patris spiritus. tum et Filii spiritus, sicut Pater dicitur productor Spiritus, Filius etiam Spiritus productor dicendus. Nam si verba *pater* et *filius* et *spiritus* relationes ad invicem significant, sicut Pater Filii pater et non alterius alicujus dicitur pater, et Filius Patris filius, et non alterius alicujus dicitur filius, ita et Spiritus; et cujus Spiritus Sanctus est spiritus, ille est productor Spiritus. Sicut igitur Patris spiritus est Spiritus Sanctus, non tanquam Patris (aliter enim Spiritus esset filius), sed tanquam productoris, ita, cum Filii quoque sit spiritus, Filium quoque habebit productorem. Est igitur Pater pater et productor Filii et

Spiritus Sancti; Filius autem filius et productor, Patris illud, hoc Spiritus Sancti; Spiritus vero procedens *a Patre mediate, quia per Filium*, et *procedens a Filio immediate, quia non per alium quemquam*, ne trinitas fiat quaternitas. Itaque nulla ex tribus personis habet ad cæteras, ne in his quidem, aliquid majus vel minus.

« Si vero dicas : « At Pater non genitor tantum, sed etiam « productor et ingenitus »; primum negabam proprietatem esse illud *ingenitum;* ingenitum enim non positionem, sed negationem significat: deinde illud *ingenitum* Spiritui quoque tribuendum; Spiritus enim etiam ingenitus est. Dicas itaque quod etiam *non procedens* (τὸ μὴ ἐκπορευτόν) est Patris, idemque iterum Filii, *procedens* autem (τὸ ἐκπορευτόν) unius est Spiritus. Itaque communes sint negationes differentiarum particularium, et sicut *ingenitum esse* Patris et Spiritus sit — Filius enim genitus —; ita *non procedens esse*, Patris et Filii — Spiritus enim procedens; et *ab aliquo esse* tanquam ex genuino et substantiali principio, rursus Filii et Spiritus; Pater enim non ab aliquo; ut ne in his quidem defectus ulli ex tribus vel excessus esse possit [1]. »

In *Dialogo tertio* convellitur tertium axioma photianum : *Pater quidquid ex se, qua causa, producit, ratione personæ, non autem ratione essentiæ seu naturæ producit.* Græco enim dicenti :

« Necesse est aut a Patris substantia esse quod a Patre procedat Spiritus, aut ab ejus proprietate. Atqui si a substantia, quoniam substantia una et eadem est Patris et Filii et Spiritus, non a Patre et Filio tantum procedet Spiritus, sed etiam a seipso; quod fieri nequit. Si autem ex proprietate,

1. *Ibid.*, p. 97-98 et 277-278 : « Ὁ Πατὴρ καὶ γεννήτωρ καὶ προβλήτωρ ἐστίν, ἀλλὰ καθὸ μὲν γεννήτωρ, διακρίνεται καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος· καθὸ δὲ προβλήτωρ, ἐπικοινωνεῖ μὲν τῷ Υἱῷ, τοῦ δὲ Πνεύματος διακρίνεται· ὁ Υἱὸς τὸ εἶναι ἐκ τοῦ Πατρὸς ἔχων καὶ τὸ εἶναι προβολεύς, κατὰ μὲν τὸ εἶναι ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐπικοινωνεῖ τῷ Πνεύματι, κατὰ δὲ τὸ προβολεὺς εἶναι τοῦ Πνεύματος διακρίνεται· καὶ τὸ Πνεῦμα δὲ ὁμοίως. Εἰ δὲ ὁ Πατὴρ μετὰ τοῦ γεννήτωρ εἶναι, καὶ προβολεὺς ἔτι λέγεται καὶ ἀγέννητος, ἀλλὰ τὸ ἀγέννητον πρῶτον μὲν οὐ κυρίως ἰδιότης ἐστίν· ἡ γὰρ κυρίως ἰδιότης ἐστὶν ἡ θέσιν τινὸς ἀλλ'οὐχὶ ἀναίρεσιν παρεμφαίνουσα. Κατὰ γοῦν τὴν τῶν ἰδιοτήτων διαφορὰν καὶ ἕκαστον ἔχει δύο τὰς σχέσεις ἤγουν ἑκατέραν πρὸς ἑκάτερον τῶν λοιπῶν. »

cum proprietas non sit substantia, sed circa substantiam, quo pacto id quod per se est, scilicet Spiritus, ab eo erit quod non per se est, sed circa aliud consideratur, scilicet a proprietate? Aut igitur ne procedens quidem omnino erit; aut si procedens, non a Patre et Filio tantum, sed etiam a seipso procedet; quod minime fit. »

Respondet Latinus :

« Ratio ista non ostendit Spiritum a Filio non procedere, sed illum nullatenus procedere... Quod dogmati nostro a Patre et Filio Spiritum procedere affirmanti absurdum inesse conaris ostendere, illud vestro quoque dogmati a Patre tantum dicenti inhærebit. Verum dicendum : Neque a substantia sola, neque a proprietate sola procedit Spiritus; neque enim proprietas sine substantia, neque substantia sine proprietate. Reliquum igitur est, ut procedat aut ex substantia secundum proprietatem, aut ex proprietate secundum substantiam : ἢ ἐκ τῆς οὐσίας κατὰ τὴν ἰδιότητα, ἢ ἐκ τῆς ἰδιότητος κατὰ τὴν οὐσίαν. At illud *ex proprietate secundum substantiam* item absurdum; nam ex eo quod est circa substantiam iterum existet substantiale ac per se subsistens; quod fieri nequit et quod sanctorum Patrum nemo dixit. *Ex substantia igitur* — hoc enim Patres quoque dixerunt — *sed secundum proprietatem* (ἐκ τῆς οὐσίας ἄρα, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἰδιότητα); ideo et a seipo non erit. *Proprietas vero Patris generare ex sese Filium, Spiritum vero simul emittere per Filium; sicut Filii proprietas est ex sese immediate proferre Spiritum, dum ipse a Patre generatur, seu generari quidem ex Patre, simul vero et ex sese immediate emittere Spiritum.* Medius enim Filius inter Patrem et Spiritum, Patri Spiritum conjungens, ut Damascenus ait : *Spiritus vero proprietas est a Patre per Filium, et, quod idem est, etiam de Filio vel a Filio procedere; et ita ex utroque prodit Spiritus,* servata unicuique ex tribus integra proprietate, secundum quam unusquisque propriam et peculiarem existentiam suæ personæ habet [1]. »

1. *Bessarione*, 1913, p. 300-301; 1914, p. 55-56 : « Φαίη γὰρ ἄν τις· ἀλλ'οὔτε ἐκ τῆς οὐσίας ἁπλῶς, οὔτε ἐκ τῆς ἰδιότητος μόνης· οὔτε γὰρ ἡ ἰδιότης τῆς οὐσίας χωρίς, οὔτε ἡ οὐσία ἄνευ τῆς ἰδιότητος· λοιπὸν εἴη ἂν ἢ ἐκ τῆς οὐσίας κατὰ τὴν ἰδιότητα, ἢ ἐκ τῆς ἰδιότητος κατὰ τὴν οὐσίαν. Ἀλλὰ τὸ μὲν ἐκ τῆς ἰδιότητος κατὰ τὴν οὐσίαν, καὶ ἄτοπον· ἐκ γὰρ τοῦ περὶ τὴν οὐσίαν πάλιν τὸ οὐσιῶδες καὶ ὑφεστηκός, ὅπερ ἀδύνατον καὶ παρ'οὐδενὸς τῶν πατέρων ῥηθέν· ἐκ τῆς οὐσίας ἄρα· τοῦτο γὰρ οἱ πατέρες εἶπον· ἀλλὰ κατὰ τὴν ἰδιότητα· διὰ τοῦτο οὐκ ἔσται καὶ ἐξ ἑαυτοῦ. Ἰδιότης δὲ τοῦ Πατρὸς τὸ γεννᾶν μὲν ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Υἱόν, τὸ δὲ Πνεῦμα ἅμα προβάλλεσθαι διὰ τοῦ Υἱοῦ· ὥσπερ ἡ ἰδιότης τοῦ Υἱοῦ πάλιν τὸ ἐξ ἑαυτοῦ ἀμέσως προβάλλεσθαι τὸ Πνεῦμα ἐν τῷ γεννᾶσθαι ἐκ τοῦ Πατρός, ἤγουν τὸ γεννᾶσθαι μὲν ἐκ τοῦ Πατρός, ἅμα δὲ καὶ ἐξ ἑαυτοῦ ἀμέσως τὸ Πνεῦμα προβάλλεσθαι· μέσος γὰρ ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Πνεύματος, συνάπτων τῷ Πατρὶ τὸ Πνεῦμα, καθώς φησιν ὁ ἐκ Δαμασκοῦ· τοῦ δὲ Πνεύματος ἡ ἰδιότης τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ, ταὐτὸν δ'εἰπεῖν καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ ἢ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι· καὶ οὕτω πρόεισιν ἐξ ἄμφω τὸ Πνεῦμα, φυλαττομένης ἑκάστῳ τῶν τριῶν τῆς ἰδιότητος ἀκινήτου, καθ'ἣν ἕκαστον ἰδιότροπον ἔχει τὴν ὕπαρξιν τῆς ἑαυτοῦ ὑποστάσεως. »

De additione ad symbolum Græcus et Latinus postea certant, Græco illud *Filioque* Latino exprobranti Latinus vicissim crimini vertit quod ipse additionem faciat saltem mentalem dicendo : A Patre *solo* procedit. Cum vero Græcus recuset : « At *ex solo*, inquit, non dicimus, sed tantum *ex Patre procedens* », subjungit Latinus :

« Si igitur illud *ex solo* non cogitatis, ergo *non ex solo Patre* cogitatis Spiritum procedere; unde aut etiam ex Filio, aut etiam ex seipso, aut etiam ex alio quodam illum cogitatis procedere. Sed quoniam *etiam ex seipso* et est absurdum et contra supposita principia seu præter proprietatem; et illud *etiam ex alio* absurdius est; non enim in Trinitate est quarta persona; Trinitas enim fieret quaternitas, non trias, reliquum manet illud *ex Filio quoque.* Quod igitur vos sentitis, illud non dicentes, nihil plus dicimus; et quodnam est crimen quod nobis tribuentes a nostra communione vosmetipsos segregatis? An fortasse quia , vobis mentem sanctificantibus, nos una cum mente linguam sanctificare volumus? Et vobis quod ratione comprehenditis lingua quoque confiteri nolentibus, nos ore quoque proferimus? *Corde enim creditur ad justitiam,* inquit Apostolus; *ore autem confessio fit ad salutem.* Si vero cogitantes illud *ex solo*, cur illud quod sentitis non dicitis, ut manifesta fiat omnibus quæ a vobis fit additio? Etenim, si minus diserte dicitis illud *ex solo*, at vero, quoniam illud sentitis quod Scriptura non dixit, additionem ergo facitis, et vos causa nobis estis vestræ scissionis, non nos. Vides

illud quod nobis tribuitis in vos a nobis rectissime vertendum esse [1]. »

Dialogus quartus analogiis et imaginibus a Patribus græcis usurpatis ad inculcandum Trinitatis mysterium totus dicatur. Ut ipse Nicetas ait in *Proœmio :* « Latinus ex imaginum analogia quæ ad Spiritus processionem spectant, insinuat; at Græcus imagines istas partim vituperat, partim alias magis congruas contra objicit et retrorsum intorquet. Vicissim Græcum imitatur Latinus, imagines illius respuens, et suas potius aptiores demonstrans. Postea dubitantes admodum sermonem instituunt, mutuoque ambigunt, dum difficultatem solvere nequeunt; aiunt tamen et ostendunt controversiam utrimque consistere non propter aliquam problematis absurditatem, vel quia id sit inverisimile aut impossibile; secus enim numquam concordassent; sed propter rei supernaturalem sublimitatem [2]. Potissimum notanda sunt ea quæ Latinus de significatione præpositionum *ex* et *per* (ἐκ et διά) in hoc dialogo profert. Selectis exemplis ex Scriptura et Patrum scriptis bene ostendit utramque habere eamdem fundamentalem significationem et alterutram pro alterutra sæpe sumi. Subjicit tamen eas interdum aliquam inter se præferre differentiam, quatenus scilicet præpositio ἐκ indicat causam primam in Trinitate, nempe Patrem; διά vero causam mediam notat seu Filium, qui a Patre habet, ut Spiritum una cum ipso emittat :

« Ex Patre enim et Filius et Spiritus; sed Spiritus etiam ex Filio quasi per Filium; et non altera sane et altera processio, neque duæ unius emissiones, sed una et eadem immediate quidem ex Filio, mediate vero tanquam ex Patre per Filium [3]. »

In *Dialogo quinto*, qui brevissimus est, Nicetas varias signi-

1. *Bessarione*, 1913, p. 303-304; 1914, p. 57-58 : « Εἰ δὲ φρονοῦντες τὸ ἐκ μόνου, τί μὴ ὃ φρονεῖτε καὶ λέγετε, ἵνα πᾶσιν εἴη δήλη ἡ παρ'ὑμῶν γινομένη προσθήκη; Εἰ γὰρ καὶ μὴ ῥητῶς λέγετε τὸ ἐκ μόνου, ἀλλ'ἐπεὶ τοῦτο φρονεῖτε ὅπερ οὐκ εἴρηκεν ἡ Γραφή, προστίθετε ἄρα, καὶ ὑμεῖς ἡμῖν αἴτιοι τῆς ὑμῶν ἐστὲ διαστάσεως. »

2. *P. G.*, t. CXXXIX, col. 172 BC.

3. *Bessarione*, 1914, p. 253 : « Ἐκ γὰρ τοῦ Πατρὸς καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ· καὶ οὐχ

ficationes vocum ἐκπόρευσις, ἐκπορεύεσθαι ex sacræ Scripturæ locis colligit et examini subjicit :

« Ubicumque, inquit, verbum ἐκπορεύεσθαι usurpatur, motum aliquem significat, at motum rei, de qua agitur, proprium ac congruum... Spiritus Sancti ἐκπόρευσις duplex est : una quidem, quæ nihil aliud est quam ejus missio a salvatore nostro Christo, seu ejus e cælo ad nos liberrimus adventus et in fidelium animabus inhabitatio; altera vero, quæ est æterna proprietas ejus existentiæ peculiaris, secundum quam dicitur *processus* (ἐκπορευτόν), et ex Patre procedens (ἐκπορευόμενον); quæ omnem transcendit naturam, et omni intellectui ignota est et nullo sermone exprimi potest, sicut et ipsa Filii generatio... Ἐκπόρευσις autem, ubi substantialem existentiam designat, si non dicatur per aliquod medium connaturale, generationem Filii significat... Unde Spiritus ἐκπόρευσις *per Filium* (διὰ τοῦ Υἱοῦ) intelligetur, ut ab immediata processione, id est a generatione, distinguatur, ubi ad aliam causam generato priorem non refertur. Ostensum est autem illud quod est *per aliquid* etiam *ex aliquo* sæpe dici. Congruenter igitur nos illum qui *per Filium* procedit, etiam *ex Filio* procedere dicimus quin a recta sententia deflectamus. Considera igitur quomodo necessario et ex recta ac consequenti ratione Spiritus ex Patre et ex Filio procedat : ex Patre quidem *mediate*, sicut *ex primo principio per Filium;* ex Filio vero *immediate, sicut ex principio proximo... Si vero ab utroque immediate procederet,* duo essent principia [1]. »

ἑτέρα μὲν καὶ ἑτέρα, οὐδὲ δύο προβολαὶ τοῦ ἑνός, ἀλλὰ μία καὶ ἡ αὐτή, ἀμέσως μὲν ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ἐμμέσως δὲ ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ. »

1. *Cod. Vatic. græc. 1115*, XIV s., fol. 33-35r. : « Φημὶ τοίνυν, ὅτι τὸ ἐκπορεύεσθαι, ἐφ'ὧν ἂν εὑρίσκηται λεγόμενον, σημαίνει μὲν κίνησιν οἱανοῦν, πλὴν οἰκείαν τῷ προκειμένῳ πράγματι καὶ κατάλληλον..... Ἐπεὶ ἡ ἐκπόρευσις, ὅτε τὴν οὐσιώδη παρίστησιν ὕπαρξιν, εἰ μὴ διά τινος συμφυοῦς μέσου λέγοιτο, τὴν γέννησιν σημαίνει....., ἡ τοῦ Πνεύματος ἐκπόρευσις διὰ τοῦ Υἱοῦ νοηθήσεται, ἵνα διαστέλληται τῆς ἀμέσου ἐκπορεύσεως, δηλαδὴ τῆς γεννήσεως, ὅτε μὴ εἰς ἄλλο τι αἴτιον πρότερον τοῦ γεννῶντος ἀναφέρεται. Δέδεικται δὲ ὅτι τὸ διά τινος καὶ ἔκ τινος πολλάκις λέγεται, ὡς καὶ ἔκ τινος διὰ τινος. Εἰκότως οὖν καὶ ἡμεῖς τὸ διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορευόμενον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι λέγομεν, καὶ οὐκ ἂν οὕτως λέγοντες

Hæc ultima propositio in *Dialogo sexto* explicatur, qui omnium gravissimus est et ad controversiam dirimendam maxime valet. Ibi enim Græcus et Latinus ex Patrum græcorum scriptis vicissim proferunt testimonia, quæ primo adspectu inter se pugnare videntur. Producit Latinus, inter alios, Gregorii Nysseni tritissimum locum ex *Epistola ad Ablabium de Trinitate,* ubi sanctus ille doctor loquitur de processione mediata et immediata : *Illius quod ex causa est rursus aliud discrimen observamus : unum enim est immediate ex primo, alterum per illud quod immediatum est ex primo* (τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου); item locum Cyrilli Alexandrini in *Libro I ad Palladium de adoratione in spiritu : Spiritus Sanctus Dei et Patris necnon et Filii est, qui essentialiter ex utroque, sive ex Patre per Filium profluit* (τὸ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν, ἤγουν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προχεόμενον Πνεῦμα); item illud sancti Athanasii in *Epistola I ad Serapionem : Cum unus sit Filius, vivens Verbum, unam oportet esse perfectam completamque vitam sanctificantem et illuminantem* (scilicet Spiritum Sanctum), quæ ex Patre dicitur procedere, quoniam a Verbo, quod ex Patre est, indubitanter elucet et mittitur et datur (ἥτις γε ἐκ Πατρὸς λέγεται ἐκπορεύεσθαι, ἐπειδὴ παρὰ τοῦ Λόγου τοῦ ἐκ τοῦ Πατρὸς ὁμολογουμένως ἐκλάμπει καὶ ἀποστέλλεται καὶ δίδοται). Græcus vero potissimum insistit in Damasceni verbis, ubi dicit ille : *Spiritum ex Filio esse non dicimus, Filii tamen Spiritum vocitamus* (ἐκ τοῦ Υἱοῦ δὲ Πνεῦμα οὐ λέγομεν). Respondet Latinus Damascenum dogmati processionis *ab utroque* non esse contrarium. Haud semel enim dixit Spiritum Sanctum *ex Patre per Filium procedere* : Υἱοῦ δὲ Πνεῦμα οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ ἀλλὰ δι'αὐτοῦ ἐκπορευόμενον [1]. Instat Græcus Patrumque

τῆς ὀρθῆς διανοίας ἀποσφαλείημεν. Σκόπει δὲ ὡς ἀναγκαίως καὶ ἑπομένως τῷ ὀρθῷ λόγῳ τὸ Πνεῦμα ἐκ του Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, ἐκ τοῦ Πατρὸς μὲν ἐμμέσως, ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς διὰ τοῦ Υἱοῦ· ἐκ τοῦ Υἱοῦ δὲ ἀμέσως, ὡς ἐξ ἀρχῆς προσεχοῦς. »

1. *Ibid.*, fol. 36-39v. Græcus tentat quod solent polemistæ antilatini, quoties illis objiciunt locos patristicos pro dogmate catholico facientes, nempe eorum authenticitatem in dubium vocare : « Πόθεν γὰρ δῆλον, inquit, εἰ μὴ αἱ προτεθεῖσαι ῥήσεις παραγέγραπται; » Respondet Latinus : « Πόθεν ἔνεσται δῆλον εἰ μὴ καὶ ἡ τοῦ Δαμασκηνοῦ ῥῆσις νενόθευται; » Tunc Græcus subdit : « Εὖ λέγειν δοκεῖς. » Fol. 37v.

locos, ubi Spiritus ex Patre per Filium procedere dicitur, ad missionem temporalem detorquere tentat; quod Latinus facile repellit aliquot Patrum textus recitans, ex quibus absque ulla controversia Spiritum a Patre per Filium ab æterno procedere constat. Deinde ut principium indubium ponens Patres sibi invicem contradicere non posse, fictam repugnantiam dissolvit :

« Adversarentur utique, inquit, hujusmodi testimonia, si de eodem, et secundum idem, et idem significantia ab his quidem rejicirentur, ab illis vero approbarentur. In hunc igitur sensum Christus dixit Spiritum ex Patre procedere, volens, ut videtur, omnia ad Patrem tanquam ad primam causam referre; unde ei quoque Spiritus processionem ei adscribit. Et magnus Athanasius ita locutus est : *Spiritus ex Patre, tanquam a Verbo, quod ex Patre est, procedens.* Nyssenus vero episcopus, cum dixisset Filium *esse immediate ex primo,* ex Patre scilicet, subdit *Spiritum esse per eum qui immediate est ex primo.* Sapiens Cyrillus manifesto fassus est *ex utroque,* Patre nempe et Filio, sed mox interpretans quomodo ex utroque, addidit : *sive ex Patre per Filium.* Damascenus vero Joannes illud *ex Patre* dicens tanquam *ex primo principio et ex prima causa, non ex Filio* ait tanquam ex primo principio, nec prohibuit illud *ex Filio* tanquam *ex eo qui immediate est* seu *per eum qui immediate est.* Idem enim valent præpositiones *Ex* et *Per* (ἐκ et διά), idque et ipsi Scripturæ solenne est, nec fuit a sanctis Patribus ignoratum. Et si illud *ex Filio* tanquam *ex Patre per Filium* accipiatur, et illud *ab utroque,* similiter; et si *ex Patre tanquam ex prima causa;* et si *ex Filio, qui immediate est,* dicatur Spiritus; quod magnus Athanasius, magnus Cyrillus et Gregorius Nyssenus docuere, sapiens Joannes non contradicet, sed et ipse confitebitur eo sensu Spiritum et ex Filio esse. *Per Filium* enim et ipse dicit, utpote præpositionibus *Ex* et *Per* eamdem vim habentibus. Quod si quis dicat eum ex Filio esse tanquam ex prima causa, quod nullus unquam ex sanctis affirmavit, tunc ipse alta voce contradicet [1]. »

1. *Ibid.*, fol. 43v. : « Ἦν ἂν ἐναντία, εἰ πρὸς τὸ αὐτὸ καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ τοῦ αὐτοῦ ὄντα σημαντικὰ παρὰ μὲν τῶν ἀπεβάλλοντο, παρὰ δὲ τῶν ἐνεκρίνοντο... Ὁ σοφὸς Κύριλλος προφανῶς εἴρηκεν « ἐξ αμφοῖν »,

His libenter assentit Græcus hancque conciliationis et compositionis inter Græcos et Latinos proponit viam : Latini, inquit, conciliorum œcumenicorum agendi rationem imitantes, symbolo fidei nihil addant, illamque voculam *Filioque*, quæ tanti scandali causa exstitit, ex eo expungant; Græci vero palam confiteantur Spiritum *a Patre per Filium* procedere, vel etiam *ex Patre et Filio*, vel *ab utroque*, illud *ex Filio* sic intelligentes ut Patres intellexerunt, nempe tanquam *ex principio immediato*, seu *ex Patre per Filium*, non vero tanquam *ex primo principio carente principio :*

« Patres in symbolo illud *Qui ex Patre procedit* dixisse, nec amplius quidquam addidisse, id manifeste clamant singularum synodorum actiones et libri earum Acta continentes; ubique enim sic se habentia circumferuntur, neque illud *ex Filio*, neque illud *non ex Filio* aut *per Filium* præferentes. Vos igitur, o Latine, qui ex Patre et Filio procedere Spiritum sentitis, si ita dicitis eum ex Filio procedere ut ex primo principio, et non ut per Filium, sed sicut procedit ex Patre, duo omnino ponitis principia, et generationem Filii tollitis atque contraria dicitis Damasceno, Athanasio et Cyrillo cæterisque cunctis Patribus ac nobis, quibus gloria est sequi sanctos Patres. Si vero ita dicitis illud *ex Filio* ut *ex Patre per Filium*, et ita illud *ex Patre ut a Filio* (εἰ δὲ οὕτω λέγετε τὸ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὡς ἐκ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ οὕτω τὸ ἐκ

δηλαδὴ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ· ἀλλ'ἑφερμηνεύων πῶς τὸ « ἐξ ἀμφοῖν » εἶπεν, ἐπήγαγεν· « ἤγουν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ». Ὁ μέντοι Δαμασκηνὸς Ἰωάννης τὸ ἐκ Πατρὸς λέγων ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς καὶ πρώτης αἰτίας, « οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ » φησὶν ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, καὶ οὐκ ἀπηγόρευσε τὸ « ἐκ τοῦ Υἱοῦ » ὡς ἐκ τοῦ προσεχοῦς, ἤτοι διὰ τοῦ προσεχοῦς· ταὐτὸν γὰρ δύναται ἡ « διά » πρόθεσις καὶ ἡ « ἐξ »· καὶ τοῦτο σύνηθες καὶ αὐτῇ τῇ Γραφῇ, καὶ τοῖς ἁγίοις πατράσιν οὐκ ἀγνοούμενον. Καὶ εἰ μὲν ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ εἰ ἐξ ἀμφοῖν ὁμοίως, καὶ εἰ ἐκ πρώτης μὲν αἰτίας, τοῦ Πατρός, ἐκ τοῦ προσεχοῦς δὲ τοῦ Υἱοῦ, ἅπερ φησὶν ὁ μέγας Ἀθανάσιος, ὁ μέγας Κύριλλος, ὁ Νύσσης Γρηγόριος, οὐκ ἂν ὁ σοφὸς Ἰωάννης ἀντιφθέγξεται, ἀλλ' ἐρεῖ καὶ αὐτὸς ὅτι οὕτως καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα· διὰ τοῦ Υἱοῦ γάρ φησι καὶ αὐτός, ὡς ἰσοδυναμούσης τῆς διὰ καὶ τῆς ἐξ. Εἰ δὲ ὡς ἐκ πρώτης αἰτίας καὶ « ἐκ τοῦ Υἱοῦ » λέγοι τις, ὅπερ εἶπε τῶν ἁγίων οὐδείς, καὶ ἀντιφθέγξαιτο καὶ μέγα βοήσει. » Hunc locum citat et probat Nicephorus Blemmidas in *Epistola ad Jacobum, Bulgariæ episcopum*, 6. Lämmer, *op. cit.*, t. I, p. 115-117.

τοῦ Πατρὸς ὡς παρὰ τοῦ Υἱοῦ), et Damasceno Joanni consonatis et Athanasio et Cyrillo, et aliis deiferis Patribus consentitis etiam secundum sententiam de Spiritus Sancti processione, atque nobis estis amici et unanimes. Porro oportebat Patrum vestigia sequentes et amice agentes, in symbolo quidem illud *qui ex Patre procedit* pronuntiare, ut fert Patrum ab antiquo traditio, illud vero *per Filium procedere* per alia scripta inculcare, quæ piam horum verborum sententiam exponant, sive per Filium vultis asserere processionem, sive ex Filio secundum eumdem significatum, neque scandalum commune in medium introducere, quod tanti schismatis et divisionis causa existat... Itaque hanc vocis additionem tacete, neque in symbolo in posterum pronuntietis : *Qui ex Patre Filioque procedit*, sed secundum Patres nobiscum dicite : *Qui ex Patre procedit; qui cum Patre et Filio simul glorificatur.* Satis utrisque nobis et vobis consensio in unum per Spiritus Sancti gratiam erit, quandoquidem concordamus, dum pronuntiamus Spiritus processionem *ex Patre per Filium.* Vos enim illud *et ex Filio*, ita dicitis tanquam *ex Patre per Filium;* et quoniam *a Filio*, qui ex Patre est, *ita et a Patre et ex Filio, non tanquam per principium sine principio.* Nos vero *non ex Filio* asserentes, illud *tanquam ex principio sine principio* removemus; siquidem illud *ex Filio* tanquam *per Filium* accipimus et suscipimus [1].

« Cum igitur et apud nos et apud vos illud *ex Patre procedit* pie intelligitur et dicitur, præter quod apud nos non *ex Filio* sed *per Filium*, apud vos vero *et ex Filio* non *per Filium* usurpatur, formularum acceptione utrimque in idem recidente..., sacri symboli textus servandus est inviolabilis secundum sanctos Patres, concordia autem Latinorum et Græcorum in diversis loquendi modis, illam concordiam dico quæ est de formulis *ex Filio* et *per Filium*, per commonitoria ex consensu redacta declaranda est, quæ ostendant tum

1. *Cod. cit.*, fol. 46v. : « Καὶ ὑμεῖς γὰρ τὸ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λέγοντες, οὕτω φατὲ ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ ἐπεὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ τοῦ ἐκ τοῦ Πατρός, οὕτω καὶ παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, οὐχ ὡς δι'ἀνάρχου ἀρχῆς. Καὶ ἡμεῖς οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ φάσκοντες, τὸ ὡς ἐξ ἀνάρχου ἀρχῆς ἀποτρεπόμεθα· τὸ γὰρ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ δεχόμεθα καὶ ἀποδεχόμεθα . »

ambiguitatem et dissensionem quæ hactenus viguit, tum in unum dogma pium unamque sententiam consensum, qui ex communi examine ac pervestigatione eluxit [1]... Si ergo quod nos *per Filium* dicimus, vos idem *ex Filio* dicitis, nullam aliam sensus differentiam in diversis præpositionibus proferendis habentes, has syllabas [scilicet *ex Filio* in symbolo] donate nobis, et plures syllabas nos vobis vicissim donabimus, quæ in commonitorio ostendent communem consensum et conspirationem et syllabarum scandalizantium abrogationem [2]. »

Propositum laudat Latinus eique libenter suffragatur, Græco gratulans quod præter omnem spem non ex contentione, non ex victoriæ cupidine, ut sophista, sed ad cognoscendam illustrandamque veritatem, vel potius ad illam edocendam et significandam dialogum instituerit, ut sapiens distantia ac separata conjungere quærens.

Hæc Nicetas Maronensis, in cujus theologia exponenda paulisper immorati sumus tum quod hæc, sæculo XII mediante, tanquam stella vere nova cælum byzantinum irradiavit, tum quod hactenus theologis nonnisi imperfecte innotuit, tum præsertim quod Byzantinis pacis Ecclesiarum amicis viam terendam præmonstravit, theologiæque unionisticæ, quam in decreto Florentino post tria fere sæcula expresserunt, fundamenta jecit [3].

1. *Ibid.* : « Ὁπότε τοίνυν καὶ παρ'ἡμῖν καὶ παρ'ὑμῖν τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον εὐσεβῶς νοεῖται καὶ λέγεται..., τὴν μὲν τοῦ ἁγίου συμβόλου φράσιν φυλακτέον ἂν εἴη κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ἀπαρεγχείρητον, τὴν δὲ ἐν διαφόροις παραθέσεσιν ὁμοφροσύνην τῶν Λατίνων καὶ τῶν Γραικῶν, φημὶ δὴ τὴν κατὰ τὸ ἐκ τοῦ Υἱοῦ καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ, δι'ὑπομνημάτων σαφηνίζειν προβαινόντων κατὰ συναίνεσιν, καὶ δεικνύντων τήν τε μέχρι τοῦ νῦν ἀμφιβολίαν τε καὶ διχόνοιαν καὶ τὴν ἀπὸ τῆς συνεξετάσεώς τε καὶ συζητήσεως εἰς ἓν εὐσεβὲς δόγμα καὶ νόημα σύμπνοιαν. »

2. *Ibid.* : « Εἰ οὖν καὶ ὑμεῖς, ὅ φαμεν ἡμεῖς διὰ τοῦ Υἱοῦ, ἐκ τοῦ Υἱοῦ λέγετε, μηδεμίαν ἄλλην διαφορὰν νοήματος ἔχοντες κατὰ τὴν τῶν διαφόρων προθέσεων προφοράν, χαρίσατε ἡμῖν ταύτας τὰς συλλαβάς, καὶ πλείονας συλλαβὰς ἡμεῖς ὑμῖν ἀντιχαρισόμεθα δηλούσας ἐν ὑπομνήματι τὴν κοινὴν συμφωνίαν καὶ σύμπνοιαν καὶ τὴν ἀναίρεσιν τῶν σκανδαλιζουσῶν συλλαβῶν. »

3. Notandum est Nicetam suis de processione Spiritus Sancti dialogis Photianorum simultatem in se concitasse; qui ejus opus plerumque silentio presserunt; immo ejus nomen e publico catalogo seu *synodico* episcoporum Thessalonicæ civitatis expunxerunt. Inde factum est, ut circa tempus quo vixerit, haud pauci erraverint, vel — quod et nobis ipsis accidit — cum alio Niceta illum confuderint. Cf. nostrum articulum in commentario *Échos d'Orient*, t. XXVI (1927), p. 408-416. Hodie absque ulla hæsitatione affirmare licet non duos, sed tres Nicetas, ante annum 1439, metropolitanam sedem Thessalonicæ occupasse, et Nicetam Maronensem alium esse a Niceta Mitylenensi, qui sedem tenebat anno 1133. Paulo post, id est, sub Manuele Comneno, et sane ante annum 1169, Nicetas Maronensis eidem Thessalonicensi Ecclesiæ præfuit. Ejus nomen Byzantinis dissidentibus invisum fuisse ex eo etiam colligere est, quod Nicephorus Blemmides, in laudata *Epistola ad Jacobum Bulgariæ*, Nicetam his verbis designat : Ἄλλος δέ τις τῶν ἐκκρίτων,, nec nomen ejus, nec operis titulum refert.

IV. — De theologiæ Nicephori Blemmidæ vicissitudinibus.

Nicephorus Blemmides, unus ex sapientissimis Byzantinis sæculi XIII, qui et philosophi et theologi præclarum nomen sibi comparavit, ex Photii discipulo, ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, gradatim et quasi per varias stationes ad catholicam veritatem, prout a Patribus græcis edocetur, tandem pervenit; nec, ut videtur, in fine vitæ ab ea recessit, quidquid in contrarium aliqui protulerint.

Photianus primum apparet tum in quadam *Epistola ad Joannem III Dukam*, Vatatzen dictum (1222-1254), ex qua excerptum quoddam sumpsit et edidit Dositheus in Τόμῳ ἀγάπης [1]; tum in *Libello ad legatos papæ*, occasione disputationum, quæ Nicææ, anno 1234, inter Græcos et Latinos habitæ sunt, conscripto, in quo sequenti Latinorum argumento respondet :

« Spiritus Sanctus dicitur Spiritus Filii ab æterno vel quia est ejusdem substantiæ, vel quia a Filio mittitur ad creaturas, vel quia procedit ab ipso. Atqui primum non valet, quia simili ratione Pater dici posset spiritus Filii, cum sit ei consubstantialis; nec secundum, quia Filius non misit ab

1. Hoc excerptum habes in *P. G.*, t. CXLII, p. 604-605. Nicephorus ibi ostendere vult processionem Spiritus Sancti ab utroque necessario inducere et includere duo principia, quidquid in contrarium dicant Latini, qui unum tantum Spiritus principium ponere volunt. Integram epistolam edidit G. Mercati in *Bessarione*, t. XXXI (1915), p. 236-238, ex *codice Vatic. 466*, sæc. XIII-XIV.

æterno Spiritum ad creaturas. Restat igitur tertia ratio : ideo dicitur vere Spiritus Filii, quia procedit a Filio. »

Nicephorus plures dat responsiones : 1º Nulla Scriptura dixit Spiritum Sanctum esse Spiritum Filii seu Christi *ab æterno;* nec Christus, *secundum quod Christus*, est ab æterno; *unctio* enim recens est. Concedit tamen hoc posse dici propter divinum de Verbi incarnatione consilium, quod ab æterno fuit; 2º Multi Patres dixerunt Spiritum Sanctum esse Christi spiritum propter consubstantialitatem; 3º Syllogismus Latinorum est falsus et non secundum regulas; 4º Si propter hoc Spiritus Sanctus nominatur Spiritus Christi, quia procedit ex ipso, omne quod spiritus alicujus dicitur, procedit ex ipso, et erunt, secundum hanc rationem, spiritus prophetarum ex ipsis prophetis existentiam habentes; 5º Non solum propter consubstantialitatem, sed etiam propter donorum spiritualium largitionem Spiritus Filii dicitur, quia Filius homo factus hæc dona in homines abunde effudit; 6º Spiritus Christi est, quia Pater Christum unxit Spiritu Sancto; 7º Spiritus Christi est, quia Christo semper inerat, ei testimonium perhibens; 8º Si Spiritus Sanctus a Filio procedere dicatur, multa sequentur inconvenientia : *a*) Processio activa est proprietas hypostatica; unde uni soli personæ inesse potest; atqui Evangelium nos docet Spiritum a Patre procedere. *b*) Si Spiritus ex Patre et Filio, Pater et Filius in unam reducentur personam, vel ipse Spiritus non unus numero, sed in dualitatem personarum dividetur; si enim unus et simplex, ex uno; si autem non ex uno, nec unus, nec simplex. *c*) Item, duo erunt Spiritus, quia duo erunt spirantes seu emittentes. *d*) Si ponantur duo principia, necesse omnino est ante hæc duo ponere aliquod primum principium duo in unum congregans, quia unitas dualitate prior est [1].

Has rationes evolvit Nicephorus, anno 1234. Eo autem anno, quo suum *Curriculum vitæ* conscripsit, id est anno 1264, illas fere omnes silentio præterivit, solam quintam ex mis-

1. Hujus libelli solam versionem latinam novimus a legatis papæ factam; quam in conciliorum collectionibus, v. g., apud Mansi, t. XXIII, p. 289-290, invenies. J. Golubovitch, *loc. cit.*, p. 438-442, hujus versionis necnon totius relationis legatorum editionem criticam publicavit, qua usi sumus.

sione sumptam retinens; quam tamen modo prorsus novo et illatenus in Byzantinorum theologia inaudito proposuit, dicens Spiritum Sanctum ideo Spiritum Filii ab æterno esse, *quia ab æterno Filius a Patre hanc perfectionem seu proprietatem substantialiter accepit, ut mittere et dare posset Spiritum Sanctum tanquam proprium thesaurum a Patre per ipsum generationis actum sibi naturaliter communicatum.* Unde potestas mittendi Spiritum est quasi quædam *proprietas hypostatica* Filii a Patre accepta. Cæterum Pater retinet etiam sibi potestatem mittendi Spiritum, quatenus Spiritum mittit per Filium; non enim Spiritus proprie mittitur *a Filio*, sed *per Filium*, quia omnia, quæ Filius habet, ad Patrem tanquam ad primam causam referenda sunt. En nostri theologi verba ipsa :

« Quare inter ea, quæ nullatenus fieri possunt, referendum sit quod Filius ab æterno quidem sit Spiritus dator, et hanc substantialem habeat perfectionem — nihil enim in divinitate imperfectum — qui vero accipiunt nonnisi stato ac proprio tempore doni participes fiant? Si enim Filio adjectitia esset facultas dandi gratiam Spiritus, forsitan quemdam locum haberet difficultas, a qua absurditas et blasphemia divelli non possunt; cum autem *hujusmodi facultas naturaliter et secundum substantiam ipsi inhæreat*, quia alio pacto non oportet — nullum enim in divinitate accidens — etiamsi nullus exstet qui recipiat, Filius ab æterno et ante sæcula est gratiæ dator; non enim qui accipiant eget, ut Spiritus sit dator *quoniam sicut creaturarum conditor, ita et Spiritus dator a Patre genitus est.* Sint ergo natu posteriores quæ sanctificationem accepturæ sunt creaturæ, illius largitor est ab æterno largitor, sicut et ab æterno est conditor, quamvis eo tantum tempore creaturas condiderit, quo eas creare statuit... His hoc pacto elucidatis, absurdum non est Spiritum Sanctum ideo Filii Spiritum vocari, quod creaturæ per Filium donetur. Ipsam autem Spiritus communicationem *per Filium* fieri dicimus, quia Unigeniti omnia ad Patrem tanquam ad primam causam referre didicimus [1]. »

1. *Curriculum vitæ*, 15, ed. A. Heisenberg : *Nicephori Blemmidæ curriculum vitæ et carmina*, Lipsiæ, 1896, p. 65-66 : « Τί γὰρ τῶν ἀδυνάτων προαιωνίως μὲν εἶναι τὸν Υἱὸν δοτῆρα τοῦ Πνεύματος καὶ

Hujus autem novæ rationis convenientiam ita explicat, ut omnem principii rationem, quantum ad Spiritus Sancti existentiam, a Filio removere videatur :

« Si Spiritus Sanctus, inquit, Filii spiritus et Christi spiritus, et Christi, qua Dei, sensus (νοῦς) non est quomodo Filius eum dabit, illum non habens, ut ita dicam, *tanquam thesaurum viventem et innatum in seipso manentem.* Per hoc vero quod Filius hunc thesaurum a Patre habet *substantialiter*, non *adventicie*, causa servatur proprie causa, et causatum proprie causatum. Dicere autem Spiritum Sanctum ab utroque, nempe a Patre et a Filio, existentiam habere neque solum Patrem ostendit principium esse et radicem et fontem divinitatis, sicut revera exstat, neque Filium a Patre habere omnia quæ habet. Inde quomodo hic genuine filius, ille vero integre pater? Si quis autem dicat Filium a Patre habere ut causa sit Spiritus seu quodam modo una cum Patre causa, sui ipsius oblitus est, hoc Filio ex Patre adscribens quod revera non est. Quomodo enim fieri potest, ut causa (= vis causandi, principium esse), quæ Patri soli reservata est, Patri simul et Filio dividatur? Item quomodo, Filii existentia ex Patre perfecta et absque ulla indigentia exstante, ex eodem naturali principio Spiritus existentia imperfecta erit, et a Filio esse accipere ei opus erit? Perfecta sane generatio, perfecta et processio ex eodem, et solus Pater

ταύτην ἔχειν οὐσιώδη τὴν τελειότητα — καὶ γὰρ οὐδὲν ἀτελὲς ἐν θεότητι — τὰ δὲ λαμβάνοντα κατὰ καιροὺς ἰδίους μετέχειν τῆς δωρεᾶς; Εἰ μὲν γὰρ ἐπίκτητον ἦν τῷ Υἱῷ τὸ διδόναι τὴν χάριν τοῦ Πνεύματος, ἴσως ἂν εἶχέ τινα χώραν μετὰ τῆς ἀλογίας καὶ τῆς βλασφημίας τὸ ἄπορον· ἐπεὶ δὲ τὸ διδόναι φυσικῶς αὐτῷ καὶ κατ'οὐσίαν, ὅτιπερ ἄλλως οὐ χρή — συμβεβηκὸς γὰρ οὐδὲν ἐν θεότητι — καὶ μηδενὸς τοῦ λαμβάνοντος ὄντος, δοτήρ ἐστι τῆς χάριτος προαιωνίως καὶ ἀϊδίως ὁ Υἱός· οὐδὲ γὰρ τῶν λαμβανόντων δέοιτ'ἂν εἰς τὸ τοῦ Πνεύματος εἶναι δοτήρ, διότι δοτὴρ αὐτοῦ γεγέννηται παρὰ τοῦ Πατρὸς ὡσπερεὶ καὶ τῶν κτισμάτων δημιουργός. Εἶεν ἂν οὖν ὑστερογενῆ μὲν τὰ λαμβάνοντα τὸν ἁγιασμόν, ὁ δ'αὐτοῦ δοτὴρ προαιωνίως δοτήρ, καθὼς καὶ προαιωνίως δημιουργός, εἰ καὶ τὰ δημιουργήματα τότε δεδημιούργηκεν, ὅτε δημιουργόσαι ταῦτα δεῖν ἔκρινε... Τούτων οὖν οὕτω διατετρανωμένων, οὐκ ἀπὸ λόγου τὸ καλεῖσθαι πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡς τῇ κτίσει διὰ τοῦ Υἱοῦ χορηγούμενον. Διὰ τοῦ Υἱοῦ δέ φαμεν καὶ τὴν χορηγίαν τοῦ Πνεύματος, ἐπὶ τὴν πρώτην μεμαθηκότες ἀναφέρειν αἰτίαν πάντα τὰ τοῦ Μονογενοῦς. »

causa est; Filius vero et Spiritus unice ac prorsus sincere causam habent [1]. »

His verbis sane Blemmides omnem participationem in processione proprie dicta Spiritus Sancti Filio denegare videtur; quod etiam ex comparatione fontis, aquæ et spiritus in aqua existentis et per vaporem manifestati, qua utitur, satis clare apparet; Photianus tamen non est, quatenus ordinem intimum et essentialem personarum divinarum ad invicem retinet, nec Spiritum a Filio separat, sed ipsi eum in esse subordinat, Patrum græcorum diagramma servans. Filius a Patre, per ipsum generationis actum, Spiritum Sanctum tanquam thesaurum naturalem in se recipit, ut eum creaturis communicare possit, seu potius ipse Pater *per Filium* largitur Spiritum. Hæc autem facultas mittendi Spiritum Filio non adventicia, sed est quasi quædam proprietas hypostatica, quam ab æterno a Patre habet. Existit ergo, secundum hunc Nicephori conceptum, aliqua relatio æterna, aliquis nexus intimus et naturalis inter Filium et Spiritum Sanctum, ex quo necessario Spiritus post Filium *ordine* existentiam a Patre accipit et ab eo in esse aliquo modo pendet. Item, secundum hanc speculationem, missio temporalis personæ divinæ non est prorsus independens a processione æterna, ut

1. *Curriculum vitæ*, 17, *loc. cit.*, p. 69-70 : « Εἰ μὴ γὰρ τοῦ Υἱοῦ πνεῦμα καὶ Χριστοῦ πνεῦμα καὶ Χριστοῦ νοῦς ὡς Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, πῶς ὁ Υἱὸς δώσει αὐτό, μὴ ἔχων αὐτὸ θησαυρόν, ἵν' οὕτως εἴποιμεν, ἐν αὐτῷ μένοντα ζῶντα καὶ ἔμφυτον; Τὸ δὲ παρὰ τοῦ Πατρὸς τὸν Υἱὸν ἔχειν τὸν θησαυρὸν οὐσιωδῶς, οὐκ ἐπεισάκτως, τηρεῖ τὸ αἴτιον κυρίως αἴτιον καὶ τὸ αἰτιατὸν κυρίως αἰτιατόν· τὸ δ'ἐξ ἀμφοῖν, τοῦ τε Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, τὴν ὕπαρξιν ἔχειν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὔτε μόνον τὸν Πατέρα δείκνυσιν ἀρχὴν καὶ ῥίζαν καὶ πηγὴν τῆς θεότητος, καθάπερ ἐστίν, οὔτε τὸν Υἱὸν ἔχοντα πάνθ'ὅσαπερ ἔχει παρὰ Πατρός. Καὶ πῶς λοιπὸν Υἱὸς ἀτρεκῶς; ἢ πῶς ἐκεῖνος πατὴρ ὁλικῶς; Εἰ δέ τις ἐρεῖ καὶ τὸ αἴτιον εἶναι τοῦ Πνεύματος ἢ τρόπον τινὰ συναίτιον τῷ Πατρὶ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἔχειν τὸν Υἱὸν, λέληθεν ἑαυτόν, ἐκεῖνο προσάπτων τῷ Υἱῷ παρὰ τοῦ Πατρὸς ὃ μὴ πέφυκε. Ποῦ γὰρ ἔχει φύσιν τὸ αἴτιον, ὃ μόνῳ τῷ Πατρὶ ἀφωσίωται, συμμερίσθαι πῶς τῷ Πατρί τε καὶ τῷ Υἱῷ; Πῶς δέ, καὶ τῆς ὑπάρξεως τοῦ Υἱοῦ τελείας οὔσης καὶ ἀνενδεοῦς παρὰ τοῦ Πατρός, ἡ τοῦ Πνεύματος ὕπαρξις οὐ τελεία παρὰ τῆς αὐτῆς φυσικῆς ἀρχῆς, ἀλλὰ δέοιτ'ἂν τὸ Πνεῦμα τοῦ εἶναι καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ; Τελεία μὲν οὖν καὶ ἡ γέννησις, τελεία καὶ ἡ ἐκπόρευσις ἐκ τοῦ αὐτοῦ, καὶ μόνος ὁ Πατὴρ αἴτιος· ὁ δὲ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα μόνως αἰτιατὰ καὶ λίαν εἰλικρινῶς. »

Photiani rigidi volunt, sed cum ea intimo vinculo conjungitur et super ea fundatur, quatenus Filius hanc facultatem a Patre ab æterno habet, ut mittere et dare possit Spiritum Sanctum, Spiritus Sanctus vero — hoc enim in conceptu Nicephori implicite continetur et ex eo consequenter eruitur — neque Patrem neque Filium mittere potest [1].

In altera Nymphæna synodo, quæ anno 1250 habita est, Blemmides, si ex iis res dijudicanda est, quæ in *Curriculo vitæ* ipse refert, eamdem positionem adhuc apertius tenuit, immo vero ad doctrinam catholicam propius accessit. Cum enim Latini sequens argumentum confecissent : *Pater operatur per Filium, et Filius per Spiritum Sanctum. Cum ergo Filius ex Patre sit, Spiritus ex Filio debet esse*, respondit primum Nicephorus hoc non esse in Scriptura sacra positum, quod Spiritus Sanctus operetur *per Filium*, sed tantum quod *in Filio*, secundum illud : *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (Matth., XII, 28); hoc autem denotare *mansionem naturalem Spiritus in Filio*, non vero ex ipso existentiam Spiritus [2]. Præterea subjecit :

« Si quis concedat Filium etiam per Spiritum operari, neque hoc ipsum ostendit Spiritum suum esse a Filio recipere. Qui enim per alium substantialiter operatur, ita operari dicitur vel propter rationem causæ simul et propter naturalem cohærentiam seu conjunctionem, vel ob solam naturalem cohærentiam [3], non autem ob causæ rationem. Pater quidem

1. Hæc conceptio est quasi statio media inter photianismum et doctrinam catholicam, et huic potius quam illi favet; nec veram Nicephori mentem, quam habebat eo tempore quo hæc scribebat, scilicet anno 1264, nostro judicio repræsentat; sed cum rationes Nicææ, anno 1234, ab ipso prolatæ nimis debiles essent, hanc novam postea adinvenit, qua effatum apostolicum *Spiritus Filii* probabiliter explicari possit; hoc enim oblivioni non tradendum, quod Nicephorus in *Curriculo vitæ* propriam texit apologiam, ut legenti haud uno ex indicio patet.

2. *Curriculum vitæ*, 21, *ed. cit.*, p. 76 : « Τοῦτο δὲ μονὴν τοῦ Πνεύματος ἐν τῷ Υἱῷ δηλοῖ φυσικήν, ἀλλ'οὐκ ἐξ αὐτοῦ τὴν τοῦ Πνεύματος ὕπαρξιν. »

3. *Ibid.* : « Ὁ γὰρ διά τινος οὐσιωδῶς ἐνεργῶν ἢ διὰ τὸ αἴτιον ὁμοῦ καὶ τὸ συμφυὲς λέγεται δι'αὐτοῦ ἐνεργεῖν, ἢ διὰ μόνον τὸ συμφυές. » Nota τὸ συμφυές, τὴν συμφυΐαν, non esse idem ac τὸ ὁμοούσιον, τὴν ὁμοουσιότητα. Τὸ συμφυὲς enim significat conjunctionem, cohærentiam duorum

per Filium operatur tum ob rationem causæ, tum ob naturalem conjunctionem; Filius vero per Spiritum operatur solummodo ob naturalem conjunctionem; unum enim est Filii et Spiritus principium, nempe Pater [1].

« Si quis vero hanc difficultatem moveat : « Si propter naturalem cohærentiam Filius per Spiritum operari dicitur, quomodo et Spiritus non operabitur per Filium, qui ei naturaliter conjunctus est; natura enim cum aliquo conjunctus et huic conjuncto naturaliter cohæret », ille primum nobis aperiat *quomodo fiat, ut digiti per manum non operentur;* intelligat deinde *principium proprie dictum* (τὴν κυρίως ἀρχὴν) omnium quæ ex eo sunt, esse principium [2], non vero quorumdam eorum tantum... Cum autem illud *Ex quo* (τὸ ἐξ οὗ) designet tum causam proprie dictam, tum etiam *illud ex quo* aliquid pendet (vel cui naturaliter adhæret), sicut digiti,quod a manu pendent (vel ei adhærent), ex ea esse communius forte dicantur : qui argumentatur hujusmodi exemplum arripere non debet; nos enim de *Ex quo proprie dicto, de principio substantiali* sermonem facimus, quatenus digitos ex homine et ejus toto esse cognoscimus [3]. »

vel plurium in eadem natura, quæ possunt non esse inter se consubstantialia, quamvis in eadem sint substantia : v. g., stipes, ramus et flos vel fructus sunt συμφυᾶ, non sunt vero ὁμοούσια; substantia enim fructus non est eadem ac substantia stipitis vel rami, quamvis sint partes unius substantiæ integræ, arboris scilicet. In Deo sane, personæ sunt et συμφυεῖς et ὁμοούσιοι; est tamen sensus differentia inter συμφυΐαν et ὁμοουσιότητα. Pater agit per Filium, et Filius per Spiritum directe ob τὴν συμφυΐαν, non vero ob consubstantialitatem, sicut brachium agit per manum, et manus agit per digitos. Unde recte Nicephorus objicienti respondet : Sicut digiti non operantur per manum, ita Spiritus non operatur per Filium; ordine enim prior est Filius secundum *naturalem conjunctionem*, κατὰ τὴν συμφυΐαν. Ipse Nicephorus, in sermone *De fide*, *P. G.*, t. CXLII, col. 604C, distinguit inter τὸ συμφυὲς et τὸ ὁμοούσιον.

1. *Ibid.*, p. 76 : « Μία γὰρ ἀρχὴ καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος, ὁ Πατήρ. »

2. *Ibid.*, 22, p. 76-77 : « Ἀπορείτω πρότερον πῶς οὐκ ἐνεργοῦσιν οἱ δάκτυλοι διὰ τῆς χειρός· ἐννοείτω δ'ἔπειτα τὴν κυρίως ἀρχὴν πάντων τῶν ἐξ αὐτῆς οὖσαν ἀρχήν, οὗ τινῶν μέν, τινῶν δ'οὔ. »

3. *Ibid.*, 22, p. 77 : « Ἐπεὶ δὲ τὸ ἐξ οὗ κυρίως μὲν τὸ αἴτιον, ἄλλως δὲ καὶ τὸ οὗπερ ἐξήρτηταί τι δηλοῖ, καθὼς οἱ δάκτυλοι διὰ τὸ τῆς χειρὸς ἐξηρτῆσθαι, λέγοιντ'ἂν ἴσως κοινότερον ἐξ αὐτῆς, οὐ χρὴ τὸν λελογισμένον ἐπιλαβέσθαι τοῦ ὑποδείγματος· ἡμεῖς γὰρ περὶ τοῦ κυρίως ἐξ οὗ, τῆς

Vides Nicephorum hic adhuc clarius tutari Patrum græcorum diagramma trinitarium, immanentem ordinem personarum naturalemque Spiritus a Filio in esse dependentiam, quemadmodum digiti a manu pendent, ita ut dicere quidem liceat Filium per Spiritum operari, nequaquam vero Spiritum vicissim per Filium; immo theologus byzantinus obscure subindicare videtur se Filio hoc tantum denegare, ad Spiritus existentiam quod attinet, quod sit principium proprie dictum seu principium primordiale Spiritus Sancti, nequaquam vero quod sit unum cum Patre principium ejusdem Spiritus, hoc a Patre habens quod Spiritus *ab ipso*, seu potius *per ipsum* procedat. Nomine etiam *principii proprie dicti* (ἡ κυρίως ἀρχή) vel *principii substantialis* (ἡ οὐσιώδης ἀρχή seu αἰτία) intelligere tantum vult principium quod nullum habet principium, principium sine principio; atqui Filius non est principium sine principio; est enim a Patre sicut a principio, et a Patre etiam habet, ut sit cum ipso unum Spiritus Sancti principium, sicut manus est una cum brachio seu cum homine unum principium operationis digitorum manui naturaliter conjunctorum.

Porro, quidquid sit de vero sensu eorum, quæ Nicephorus per narrationis historicæ modum in suo *Curriculo vitæ* conscripsit, certum omnino est illum ad catholicam doctrinam pertigisse in duabus epistolis dogmaticis, quas circa annum 1256, eo tempore scilicet quo Nicænus imperator Theodorus II Lascaris Ecclesiarum unionem meditabatur,

οὐσιώδους ἀρχῆς, τὸν λόγον ποιούμεθα, καθὸ τοὺς δακτύλους ἐκ τοῦ ἀνθρώπου μὲν καὶ τῆς ὁλομερείας γινώσκομεν. » Addit Nicephorus Filium dici Patris imaginem tum διὰ τὸ αἴτιον, tum quod Pater in ipso Filio videatur, Spiritum vero dici Filii imaginem ob hoc tantum quod in ipso videatur Filius; quo significare vult Spiritum a Patre ut a fonte accipere divinam essentiam, sed per Filium, sicut per speculum immediate conjunctum. Nota etiam in hac altera synodo Nicephorum quædam non dixisse, quæ in *Curriculo vitæ*, anno 1264, adjecit, ut ipse aperte fatetur quantum attinet ad interpretationem verborum Christi : *De meo accipiet*. In synodo photianam exegesim : *De meo Patre* tuitus fuerat; in *Curriculo vitæ* vero hanc interpretationem ut *violentam* et contextui evangelico repugnantem derelinquit : « Τὸ μὲν οὖν εἰπεῖν, ὅτι τὸ « ἐκ τοῦ ἐμοῦ » τὸ « ἐκ τοῦ Πατρὸς » δηλοῖ — τοῦτο γὰρ εἰς λύσιν τότε τῆς ἐνστάσεως ἐπενήνεκται — παραιτητέον ὡς βίαιον. » *Ibid.*, 23, p. 79.

ad Jacobum Bulgariæ episcopum unam, ad ipsum Theodorum Lascarim, qui ejus alumnus quondam fuerat, alteram direxit [1].

Primum quidem diagramma photianum Trinitatis photianaque postulata et axiomata selectis Patrum græcorum testimoniis penitus subvertit. De diagrammate hæc habet, quæ jam doctrinam catholicam aperte innuunt :

« Si per Verbum a Patre non procedit Spiritus, Pater erit medius, utraque ex parte ferens Verbum et Spiritum [2]. Porro in confesso est eum esse principium; unde si a Patre tanquam a principio pariter Verbum et Spiritus prodeunt et non alius per alium, *divinitatis divisio introducitur et evanescit distinctio inter Verbum et Spiritum* [3]. Quomodo enim trias erit unitas? et si id non fuerit, quomodo Trinitas incircumscripta erit? Quonam modo cum Filio Spiritus, quemadmodum Filius cum Patre secundum eumdem Gregorium Theologum : « Omnia quæcumque habet Pater, sunt Filii præter innascibilitatem; omnia quæ Filius, sunt Spiritus, excepta generatione, dedecebatque omnino deficere aliquando aut Filium Patri, aut Filio Spiritum... neque sustinet Pater Filio privari, neque Filius Spiritu Sancto? » (S. Greg. *Theol.*, *Orat.*, xxv.) Et quomodo, secundum Magnum Basilium, « sicut se habet Filius ad Patrem, ita Spiritus ad Filium », et secundum divinum Athanasium, « eamdem unitatem habet Spiritus ad Filium, quam habet Filius ad Patrem [4] »?

Photio ejusque discipulis objicere solemne est : Quidquid de Deo praedicatur aut Triadi commune est, aut uni hypostasi proprium. Cum autem, Scriptura teste, Spiritus

1. Has duas epistolas edidit Allatius in *Græcia orthodoxa*, t. I, p. 1-60, cum versione latina. Hanc editionem habes in *P. G.*, t. CLXII, col. 533-584. Emendatam editionem publicavit H. Lämmer, *Scriptorum Græciae orthodoxæ bibliotheca selecta*, t. I, § 2, p. 108-186, ad quam lectorem hic remittimus.

2. Hoc ipsissimum est, ut docti bene norunt, photianum diagramma.

3. Vides Nicephorum cum sancto Thoma et plerisque theologis catholicis hic consentire.

4. *Epistola ad Theodorum Lascarim*, 14. Lämmer, *op. cit.*, p. 183-184 : « Εἴπερ ὡς ἐξ ἀρχῆς τοῦ Πατρὸς Λόγος καὶ Πνεῦμα, μὴ διὰ θατέρου θάτερον, διαίρεσις εἰσάγεται τῆς θεότητος· ἀπείη δὲ καὶ τὸ ἀντιδιῃρημένα εἶναι Λόγον καὶ Πνεῦμα. »

a Patre procedat, fieri autem nequeat ut ipse a seipso procedat, ergo ex Filio non procedit, et processio activa (τὸ ἐκπορευτικόν) est hypostasis paternæ propria [1]. Respondet Nicephorus :

« Primum quidem nos tenemus Spiritum Sanctum *non esse ex Filio tanquam ex primo principio*, sed esse *per Filium ex Patre*. Deinde, sicut non potest ex seipso procedere omnino, neque a semetipso mitti potest, ne idem et mittens et missus sit secundum idem. Cum autem et a Patre mittatur et a Filio, sicut ipse Patris Filius in Evangelio docuit, *novimus jam missionem Spiritus mediam esse inter naturalem proprietatem et hypostaticam*. Unde instantiæ fundamentum convulsum est ut putridum. Quid et de ipso nomine Spiritus dicunt, quod ipsius medii illis ignoti vices gerit? Spiritus enim Patris et Spiritus Filii dicitur Spiritus Sanctus, et est; sui ipsius vero spiritus nec est nec dicitur, quemadmodum neque Pater sui ipsius pater, neque Filius sui ipsius filius [2]. »

Huic ad hominem responsioni aliam addit Nicephorus, qua aperte negat Spiritum *a Patre solo* procedere et vim spirativam ad solam Patris personam pertinere :

« Asserere, inquit, Spiritum *ex Patre non per Filium* procedere, et vim spirativam (τὸ προβλητικόν) esse proprietatem hypostaticam Patris est plane idem. Quænam autem Scriptura talem proprietatem tradit? Deinde, quomodo vis spirativa, quæ Patri *velut principio* inest, condividetur cum Filio ex eo quod per ipsum a Patre procedit Spiritus Sanctus? Si quis Spiritum *ex Filio esse tanquam ex primo principio* dicat, erit utique Filius Patris particeps secundum quod ille est *principium sine principio* (= κατὰ τὸ ἀρχικόν), et tunc quomodo erit Filius? Sed hoc inconsequens et absurdum.

1. *Ibid.*, 10, p. 174-175.

2. *Ibid.*, 11, p. 176-177 : « Πρῶτον μὲν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ καθάπερ ἐκ πρώτης ἀρχῆς δογματίζομεν, ἀλλὰ διὰ τοῦ Υἱοῦ παρὰ τοῦ Πατρός· ἔπειτα, καθὼς οὐ δύναται παρ'ἑαυτοῦ ἐκπορεύεσθαι πάντως, οὐδ'ἀποστέλλεσθαι παρ'ἑαυτοῦ δύναιτ'ἄν, ἵνα μὴ τὸ αὐτὸ καὶ ἀποστέλλων εἴη κατὰ ταὐτὸν καὶ ἀποστελλόμενον· ἐπεὶ δὲ καὶ παρὰ Πατρὸς ἀποστέλλεται καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ..., ἔγνωμεν ἰδοὺ τὴν τοῦ Πνεύματος ἀποστολὴν μέσην φυσικῆς τε καὶ ὑποστατικῆς ἰδιότητος· ὅθεν ὁ τῆς ἐνστάσεως θεμέλιος διασέσεισται καὶ σεσάθρωται. »

Quod si et ipsa Spiritus processio ex Patre aperte edicitur, manifesto adversarii cum umbra depugnant [1]. »

Hoc ergo tantum negat Nicephorus, quod Filius sit *principium primum* seu principium sine principio Spiritus Sancti, non vero quod sit *una cum Patre et per virtutem a Patre acceptam* principium ejusdem Spiritus; illud autem *a Patre solo procedit* Photianis hoc sensu tantum concedit, quo processio Filio tribueretur tanquam primo principio :

« Quis enim, inquit, dummodo compos animi sit, non fatebitur ex ipso solo Deo et Patre *tanquam ex primo principio* Spiritum Sanctum procedere, *et Filium ex Patre habere quæcumque habet* [2] ? »

Adversariis autem objicientibus quare Christus in Evangelio non dixerit : « Ex Patre *per me* Spiritus procedit », respondet sicut catholici solent : Etiamsi Christus dixisset — quod non dixit — *A Patre solo procedit*, inde non sequeretur Spiritum non procedere per Filium :

« Cum Dominus dicit de die illo aut hora neminem scire, neque angelos cælorum nisi suum Patrem solum, an similem cognitionem Filio denegabimus? Vel cum ad Patrem dicit : « Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum, an non asseremus Christum esse Deum verum, Spiritum Sanctum esse Deum verum [3]? » etc.

Verba autem sancti Joannis Damasceni, quæ contra catholicos etiam atque etiam urgent polemistæ antilatini : *Ex Filio Spiritum non dicimus*, et : *Pater solus principium*

1. *Epistola ad Jacobum, Bulgariæ episcopum*, 18. Lämmer, p. 141 : « Τὸ γὰρ ἐκ Πατρὸς μὴ δι' Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα, καὶ τὸ ἰδίωμα εἶναι πατρικὸν τὸ προβλητικόν, ἄντικρυς ταὐτόν· ποία δὲ Γραφὴ τὸ τοιοῦτον ἰδίωμα παραδίδωσιν;... Εἰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα λέγει τις ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς, ἔσται δὴ καὶ ὁ Υἱὸς κατὰ τὸ ἀρχικὸν κοινωνὸς τῷ Πατρί, καὶ πῶς Υἱός; ἀνακόλουθον τοῦτο καὶ ἄτοπον. » Recte dicit Nicephorus Filium non posse esse Filium, si ab eo κατὰ τὸ ἀρχικόν, id est ab eo tanquam a non habente principium, procedat Spiritus; Filius enim necessario a Patre pendet et ab eo habet quæcumque habet.

2. *Ibid.*, 20, p. 144 : « Τίς οὐχ ὁμολογεῖ τῶν φρονούντων ὀρθῶς ἐξ αὐτοῦ μόνου τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡς ἐκ πρώτης ἀρχῆς ἐκπορεύεσθαι, καὶ πάντα ὅσα ἔχει ὁ Υἱός, ἐκ τοῦ Πατρὸς ταῦτ'ἔχειν αὐτόν. »

3. *Ibid.*, 19, p. 143-144.

est[1], interpretatur eodem modo, quo jam et Nicetas Maronensis et Hugo Eterianus[2] :

« Licet Joannes ex Patre dicat Spiritum, nihilominus eum agnovisse processionem per Filium ex illis, quæ aliis in locis profert, manifesto colligimus; siquidem dicit Spiritum Filii non tanquam ex ipso sed tanquam *per ipsum ex Patre procedentem;* quod etiam ad Dominum in hymnis clamat : *Propitium exhibeas nobis Spiritum, bonitatis largitorem, ex Patre per te procedentem.* Nos quoque asserimus Spiritum Sanctum non dici esse ex Filio *antecedenter* (προηγουμένως, id est *primum*, seu *tanquam a primo principio*), sed ex Patre per Filium; confitendum est enim personam Patris esse principium et causam et Filii et Spiritus ejus; *solus namque Pater causa est, et Filius non est causa prima* (αἴτιον ἀρχικόν) eorum, quorum Pater ipse causa est. Patrem enim docemus *unum principium sine principio esse* tum creaturæ, tum divinitatis, creaturæ efficiens, divinitatis naturale. Itaque qui Spiritum *ex Filio* dicit suspicionem ingerit quod teneat Filium *eodem modo habere virtutem spirativam* (τὸ προβλητικόν) *quo Pater habet virtutem generativam* (τὸ γεννητικόν); unde divinus ille vir ait : *Ex Filio Spiritum non dicimus.* Qui vero dicit *Spiritum ex Patre per Filium*, manifesto confitetur Patrem solam esse causam processionis Spiritus; *omnia enim quæ habet Filius, ea habet ut ea accipiens a Patre*, essentialiter scilicet et naturaliter, tanquam qui proprie filius est ex eo, qui proprie est pater[3]. »

1. « Μόνος αἴτιος ὁ Πατήρ. » *De fide orthodoxa*, l. I, c. XIII, *P. G.*, t. XCIV, col. 849 B. Nota hæc verba ad quoddam caput adjecticium pertinere, quod in codicibus vetustioribus deest, et nonnisi in paucis recentissimæ notæ occurrit. Ejus authenticitas ergo valde dubia est, quanquam Joannes Veccus ejusque socii in solemni conventu episcoporum, anno 1285, hanc propugnaverunt. Cf. Pachymerem, *De Andronico*, l. I, c. XXV, *P. G.*, t. CXLIV, col. 102-115.

2. De Hugone Eteriano vide ejus opus, *De hæresibus Græcorum*, l. II, *P. L.*, t. CCII, col. 394-396. Hugo, in theologia Græcorum bene versatus, formulam *A Patre per Filium* optime explanat.

3. *Epistola ad Jacobum*, 23, p. 147-149 : « Ὁ δὲ λέγων ἐκ τοῦ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα διὰ τοῦ Υἱοῦ προδήλως ὁμολογεῖ τὸν Πατέρα μόνον αἴτιον εἶναι τῆς τοῦ Πνεύματος ἐκπορεύσεως· πάντα γὰρ ὅσα ἔχει ὁ Υἱός, οὕτως ἔχει λαβὼν αὐτὰ παρὰ τοῦ Πατρός, οὐσιωδῶς δηλονότι καὶ φυσικῶς, ὡς κυρίως υἱὸς ἐκ κυρίου πατρός. »

Photiani nihil solemnius habent quam ut Theodoretum Cyrensem exaltent tanquam orthodoxæ doctrinæ præconem, quod ille contra Cyrillum Alexandrinum aliquando disputans negaverit Spiritum Sanctum *per Filium existentiam habere*[1]. Nicephorus vero asserit Theodoretum hoc ex contentione dixisse, et ob hanc causam depositum ac proscriptum fuisse; qui postea seipsum condemnaverit et proprios sermones anathemati subegerit[2].

Quare, instant Photiani, secunda synodus œcumenica in symbolo fidei simpliciter dixerit : *Qui a Patre procedit*, non vero : *Qui a Patre per Filium procedit?* Respondet Nicephorus :

« Hoc non mirandum; nam et alia ex necessariis symbolum non continet, inter quæ et hoc omnium maxime necessarium, nempe quod Spiritus Sanctus est Deus et ejusdem cum Patre et Filio substantiæ... An non inde jam manifeste confitebimur Spiritum Sanctum Deum esse? Nil igitur mirum si Patres illius temporis, ob peculiares causas, processionem ejusdem Spiritus non enucleatius tradiderunt[3]... Porro Tarasius sanctissimus per libellum synodicum Spiritum Sanctum *ex Patre per Filium* procedere palam professus est, toto terrarum orbe audiente; nec quisquam omnino ex omnibus fuit, qui ejus theologiam reprehendere ausus fuerit... Si itaque ab iis qui ex Patre affirmaverunt Spiritum procedere, non rejicitur omnino *per Filium;* ab iis vero, qui enucleate tradiderunt Spiritus ex Patre processionem, sub ejusdem Spiritus motione additum fuit *per Filium*, manifestum est omnes qui Spiritus sunt non aliter quam per Filium illum ex Patre procedere sensisse[4]. »

1. De hac controversia inter Theodoretum et Cyrillum vide quæ diximus in tomo I, p. 152-154.

2. *Ad Theodorum*, 4, p. 163 : « Πλὴν εἰ μή τις εἰσάγει τὸ τοῦ Θεοδωρήτου φιλόνεικον, δι' ὃ καὶ καθῄρητο καὶ ἀποκεκήρυκτο, κἂν ὕστερον κατεγνωκὼς καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ. »

3. *Ad Jacobum*, 24, p. 149-150 : « Καὶ ἕτερα γὰρ τῶν ἀναγκαίων οὐ περιέχει τὸ σύμβολον, καὶ τοδὶ ἀναγκαιότατον, ὅτι τὸ ἅγιον Πνεῦμα Θεὸς καὶ ὁμοούσιον τῷ Πατρί τε καὶ τῷ Υἱῷ... Οὕτως οὖν οὐδὲν ἐξαίσιον, εἰ καὶ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος οἱ τότε μὲν πατέρες διά τινας αἰτίας οὐ διηυκρίνησαν. »

4. *Ibid.*, 25, p. 153 : « Εὔδηλον ὅτι σύμπαντες οἱ τοῦ Πνεύματος οὐκ ἄλλως ἐκ τοῦ Πατρὸς αὐτὸ πεφρονήκασιν ἐκπορεύεσθαι εἰ μὴ δι' Υἱοῦ. »

Ut multorum locorum patristicorum processionem Spiritus a Patre per Filium diserte declarantium vim enervarent, quidam ex Photii discipulis, jam nostri Nicephori tempore, sensus differentiam inter verbum ἐκπορεύεσθαι et verba ἐκλάμπειν, ἐκπεφηνέναι, προέρχεσθαι, προχεῖσθαι, etc., ponere voluerunt, quasi illud solum ad processionem æternam Spiritus spectaret, hæc vero nequaquam, sed missionem temporalem tantum respicerent. Huic effugio Blemmides testimoniis luce clarioribus viam præcludit, quibus ostendit « ἐκλάμπειν » in rebus divinis significare existentiam ab æterno, nulli mutationi obnoxiam; item πεφηνέναι et προχεῖσθαι φυσικῶς eumdem sensum apud Patres habere [1].

Præterea validis rationibus probat missionem Spiritus per Filium fundari super illa originis relatione, quam exprimit formula græcorum Patrum : *Ex Patre per Filium Spiritus procedit seu existentiam habet*, neque ad hanc missionem sufficere simplicem habitudinem ex consubstantialitate ortam :

« Quonam modo, inquit, Filius Spiritum largiri posset, *nisi aliqua alia relatione præter consubstantialitatis relationem cum eo conjunctus esset?* Etenim si consubstantialitas in Filio causa esset donationis Spiritus, sive alterius cujuspiam ex iis, quæ Spiritus a Filio habere dicitur, quandoquidem Filius est Spiritui consubstantialis, sicut Filio Spiritus, ergo Spiritus Filium largiretur, sicut Filius Spiritum communicat; mittit Filius Spiritum; mittet Spiritus Filium et quidem ut Deum; loquitur Spiritus quæcumque a Filio audit; loquetur Filius quæcumque a Spiritu audierit; ex Filio accipit Filius; accipiet et ex Spiritu Filius; per Filium Spiritus conjungitur Patri; Filius per Spiritum proprio Patri conjungetur; *quæcumque habet, Spiritus a Filio habet;* Filius quæcumque habet, ea a Spiritu habebit; per Spiritum Filius operatur;

1. *Ad Jacobum*, 8-10, p. 118-126; *Ad Theodorum*, 13, p. 181-182 : « Τὸ ἐκλάμπειν ἐν θεολογίᾳ παραστατικόν ἐστι τῆς ἀπαθοῦς καὶ ἀχρόνου ὑπάρξεως », p. 120. — « Διὰ τοῦ ἐκλάμπειν ἐδήλωσε τὴν ὕπαρξιν τοῦ Υἱοῦ· διὰ τοῦ ἐκλάμπειν ἐδήλωσε καὶ τὴν τοῦ Πνεύματος ὕπαρξιν, » p. 182. Cf. etiam *Ad Jacobum*, 12-15, p. 129-136 : « Σημαντικὸν ὑπάρξεως ἀριδήλως τὸ πεφηνέναι. — Τί τὸ προχεῖσθαι φυσικῶς; Αὐτὸ δὴ τὸ ἐκπορεύεσθαι τοῦ Πνεύματος, ὕπαρξις ἰδικὴ καὶ ἰδίωμα. »

per Filium Spiritus operabitur [1]; imago est Filii Spiritus; et Filius Spiritus imago erit [2]; talem ordinem naturamque habet Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem : talem et Filius habebit ad Spiritum et ordinem et naturam, qualem ipse Spiritus ad Patrem. Multa his similia sunt; interea quæ sunt enumerata sufficiunt, ut qui omnem verecundiam non deposuit vel dementia penitus captus est, veritati assensum præbeat [3]. »

Ad summam, Blemmides in illis duabus epistolis dogmaticis eamdem prorsus thesim, quam Nicetas Maronensis in suis *Dialogis*, tuetur, nempe quod *Spiritus Sanctus ab æterno ex Patre per Filium procedit*, seu *mediate ex Patre, immediate per Filium* [4] tanquam ab uno principio; nec Spiritum Sanctum *ab utroque*, vel *ex Filio* esse dicere recusat nisi quatenus his locutionibus Filium esse primum principium, vel alterum a Patre independens principium Spiritus Sancti aliquis significare vellet. Hoc aperte constat tum ex iis, quæ de hujusmodi epistolis jam protulimus, tum ex eo quod ipse Nicephorus conclusionis Nicetae partem præcipuam exscribit ac probat [5], tum etiam ex locis sanctorum Patrum, præsertim Cyrilli Alexandrini, Epiphanii, Athanasii, Basilii, Gregorii

1. Cf. supra, p. 332.

2. Cf. supra, p. 333, n. 3. Vides Nicephorum hic tanquam quid absurdum rejicere quod Spiritus Sanctus sit imago Filii.

3. *Ad Theodorum*, 5, p. 163-165 : « Πολλὰ τὰ τοιαῦτα· τέως δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀπηριθμημένων ὅ γε μὴ πάντη ἀπηναιδευμένος καὶ ἀπονενοημένος τῇ ἀληθείᾳ κατάθοιτο. »

4. *Ad Jacobum*, 2, p. 109-110 : « Ἐρῶ περὶ τοῦ προκειμένου ζητήματος. τὸ δέ ἐστιν εἰ δι' Υἱοῦ τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται Πνεῦμα παρὰ Πατρός, ἢ μὴν ἐκ Πατρὸς προσεχῶς, ἀλλ'οὐ δι' Υἱοῦ. Τὸ μὲν πρῶτον πολλοὶ τῶν ἱερῶν διδασκάλων παρέδοσαν, οὐδεὶς δὲ τὸ δεύτερον. » Ipsi Latini, in disputationibus cum Græcis, de *processione mediata et immediata* loqui solent. Cf. Hugonem Eterianum, *op.* et *loc. cit.*, col. 295-300. Legati Gregorii papæ IX, in synodo Nymphææ, suam fidem ita declararunt : « Et Spiritus quidem a Filio procedit *immediate*, a Patre vero *mediante Filio;* quod enim Spiritus Sanctus procedit a Filio, hoc habet Filius a Patre. » Golubovitch, *art. cit.*, p. 455.

5. Hanc partem supra dedimus, p. 324. Facile credam Nicephorum ad doctrinam catholicam accessisse ex lectione *Dialogorum* Nicetæ, sicut postea Joannes Veccus catholicus factus est legendo et Nicetam et Blemmidam.

Nysseni, quos laudat quibusque luce clarius isti docent Spiritum a Patre per Filium procedere, *ab utroque esse*, ex Filio naturaliter prodire, etc. Notemus demum illum in fine vitæ, id est saltem indeab anno 1256, Ecclesiarum unioni suffragatum fuisse; siquidem in *Epistola ad Jacobum, Bulgariæ episcopum*, hæc habet :

« Si ex sanctis nullus processionem Spiritus ex Patre per Filium esse nos edocuit, neque nobis novus puteus effodiendus est. Si vero jam olim puteus iste effossus est, Philistæ vero manus [1] illum obturavit atque opplevit, nonne quis eum aliquando expurgabit, egestoque immanis ignorantiæ luto, vivam aquam inveniet, oviumque pascui agmen malis artibus divisum in unum rursus gregem Unigenito et dilecto [Dei Filio] per *communem pastorem* congregabit, in nonnullis ipsius boni Pastoris mansuetudinem imitatus [2]? »

Huic erga unionem positioni eum ad mortem usque stetisse nobis testimonio est Georgius Metochita, qui in sua *Historia dogmatica* refert patriarcham Josephum I (1267-1275), paulo ante unionem Lugdunensem, certe ante mortem ipsius Nicephori, qui e vita cessit anno 1272, in secreto colloquio quod cum ipso Georgio habuit, Nicephorum Blemmidam inter illos senes adhuc inter vivos degentes numerasse, qui unionis studium haberent [3].

1. Quisnam est iste Philistæus? Nonne Photius?

2. *Ad Jacobum*, 16. Lämmer, p. 136. *Communis pastor* de quo Nicephorus hic loquitur, est certe romanus Pontifex. Qui vero puteum expurgaturus est et oves congregaturus ipse est Theodorus Lascaris, dummodo boni pastoris τὴν συγκατάβασιν imitetur.

3. Georgius Metochita, *Historia dogmatica*, l. I, 28, apud A. Mai, *Patrum bibliotheca nova*, t. VIII, pars 2ª, Romæ, 1871, p. 39 : « Τὸν Βλεμμίδην ἐκ τούτων κατ'ὄνομα ἐπειπών. » *In sermone de fide ad monachos suos*, ubi suam doctrinam de Trinitate et Incarnationis mysterio ex professo declarat, *P. G.*, t. CXLII, col. 585-604, a controversia de processione Spiritus Sancti omnino abstrahit, simpliciter docens Spiritum Sanctum a Patre procedere, a Patre *substantialiter* procedere, ἐκπορευόμενον οὐσιωδῶς παρὰ τοῦ Πατρός, col. 588 A. Unam tantum ponit hypostaticam proprietatem Patris, scilicet *innascibilitatem*, τὸ ἀγέννητον : τοῦτο ἰδικῶς μόνῳ πρόσεστι Πατρί, inquit, col. 589 A; ex quo deducere quis possit τὴν προβολὴν seu τὸ προβλητικὸν non esse Patri omnino proprium, sed participari aliquo modo etiam a Filio, dum Photiani omnes nihil antiquius habent quam ut a priori ponant τὴν

ARTICULUS II

De disputationibus intestinis, quæ occasione unionis Lugdunensis inter Græcos habitæ sunt (1261-1330).

Prænotamina.

Michael Palæologus imperator, postquam Latinis debellatis Constantinopolim recuperavit, de ecclesiastica unione inter Græcos et Latinos instauranda cogitavit, ut Romani Pontificis amicitiam sibi conciliaret et ita occidentalium principum, præsertim vero Caroli Andegavensis, Siciliæ regis, arma a se

προβολὴν esse proprietatem hypostaticam solius Patris. Notandum est autem hunc de fide sermonem nihil aliud esse quam partem dogmaticam Typici, quod Nicephorus, anno 1248, monachis monasterii Emathiensis, Θεοῦ τοῦ ὄντος nuncupati, dedit, ut constat ex inscriptione hujus sermonis in *cod. Matritensi græco 59*, sæc. XIV, fol. 230 : « Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ τυπικοῦ αὐτοῦ περὶ πίστεως. » Cf. J. Iriarte, *Bibliot. regiæ Matritensis codices græci*, t. I, Matriti, 1769, p. 199, et Nessel, *Cæsareæ biblioth. Vindob. codices græci*, t. I, p. I, *cod. 245*, p. 345. Falsus est titulus a Dositheo traditus : 'Εκ τοῦ τρίτου αὐτοῦ βιβλίου περὶ πίστεως, qui plerosque decepit. Non omnia, quæ de processione Spiritus Sancti a Patre per Filium scripsit Nicephorus, ad nos pervenerunt; siquidem in *Epistola ad Jacobum Bulgariæ*, 2, Lämmer, p. 110, trium epistolarum de eodem argumento a se conscriptarum mentionem facit : « οὐχ ἧττον δὲ καὶ ἡμεῖς ἐν τρισὶν ἐπιστολαῖς φθάσαντες ὑπεμνήσαμεν. » Si harum trium tanquam unam habeas illam, quæ ad Theodorum Lascarim directa est, duæ adhuc manent quæ periere; neque hoc mireris; Photiani enim omne scriptum unioni cum Latinis favens igni tradebant; theologiæ autem unionisticæ monumenta nobis servarunt ipsi unionis amici in propriis codicibus et collectaneis.

De doctrina Nicephori Blemmydæ circa processionem Spiritus Sancti potissimum egerunt : 1º Eugenius Bulgaris in dissertatione speciali inscripta : 'Ανάκρισις περὶ Νικηφόρου τοῦ Βλεμμίδου, ad calcem tomi III *Operum J. Bryennii*, Lipsiæ, 1784, p. 309-405; 2º Dositheus Hierosolymitanus, 'Ιστορία τῶν ἐν 'Ιεροσολύμοις πατριαρχευσάντων, p. 829-834; eadem etiam ad calcem, t. III, *Operum Bryennii*, p. 407-422; 3º A. Heisenberg, *Nicephori Blemmydæ curriculum vitæ et carmina*, CX-136 p., Lipsiæ, 1896; 4º V. J. Barvinok, *Nikiphor Vlemmid i evo socineniia (Nicephorus Blemmidas et ejus opera)*, Kioviæ, 1911, p. 85-172; 5º V. Grumel, *Nicéphore Blemmyde et la procession du Saint-Esprit*, in

averteret. Post longa colloquia, in concilio œcumenico Lugdunensi II (1274) unio tandem pacta est absque ulla prævia de fide disputatione, per simplicem fidei confessionem a Clemente papa IV inde jam ab anno 1267 Michaeli propositam, quam imperator ipse et multi episcopi byzantini propria subscriptione firmarunt et per legatos ad concilium miserunt. Ad articulum de processione Spiritus Sancti hæc tantum posita erant : *Credimus etiam Spiritum Sanctum plenum et perfectum verumque Deum*, ex *Patre et Filio procedentem :* in græco : Πιστεύομεν δὲ καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον πλήρη καὶ τέλειον Θεόν, ἀληθῆ Θεὸν ἐκ Πατρὸς Υἱοῦ τε ἐκπορευόμενον [1].

Porro hujusmodi unio ob commoda politica sancita et Græcis vi imposita haud multum duravit. Multi illam aperte repulerunt; alii non sincero animo, sed simulate tantum receperunt; pauci tantum ex corde et plena animi persuasione amplexi sunt, ex quibus fuit, ut videtur, ipse Michael, emicuit vero Joannes Veccus, ad sedem patriarchalem in Josephi I locum, anno 1275 evectus. Mortuo Michaele, anno 1282, omnia ad pristinum schismatis statum restituta sunt. Hujus autem brevis unionis hic saltem felix exstitit exitus,

commentario : *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. XVIII (1929), p. 636-656. De sensu catholico duarum epistolarum de processione aliquatenus dubitat Grumel, forsitan quod illum latuit Nicephorum thesim Nicetæ Maronensis suam fecisse et ab ejus Dialogis haud pauca mutuasse. Plerique Photiani, a priori supponentes Blemmidam nunquam sententiam mutasse, eum in duabus dictis epistolis dogmati catholico aperte suffragari concedere nolunt. Barvinok tamen fatetur illum in multas contradictiones et verborum immoderationes incidisse, *op. cit.*, p. 164. De opere Barvinok quædam diximus in *Échos d'Orient*, t. XVII (1914-1915), p. 153-156.

1. Cf. A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum*, Vindobonæ, 1872, p. 9 et 16. Consultum utique fuisset, si post verba « ἐκ Πατρὸς Υἱοῦ τε ἐκπορευόμενον » additum fuisset, sicut in decreto Florentino postea factum est, « ἤτοι ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ », ad ostendendum utramque formulam eumdem sensum præ se ferre et alteram ab altera perfici ac illustrari. Latini autem illius temporis nondum plene perspexerant peculiarem rationem Patrum græcorum de Trinitate, quam Nicetas Maronensis, Nicephorus, Blemmides, et omnium clarissime Joannes Veccus suis scriptis aperuerunt. Formula autem « ἐκ Πατρὸς Υἱοῦ τε », absque iteratione ἐκ ante Υἱοῦ, unitatem principii feliciter insinuat.

quod vera Patrum græcorum de processione Spiritus Sancti doctrina ad plenam lucem inter Byzantinos producta est, dogmaque photianum de processione Spiritus Sancti a Patre solo lethale vulnus inde accepit, ex quo se recreare nunquam potuit. Vehementes enim contentiones, quæ inter Græcos ipsos hac occasione exortæ sunt, concordiam inter polemistas antilatinos de proposita quæstione utcumque adhuc vigentem irreparabiliter destruxerunt, illasque varias atque inter se pugnantes illius διὰ τοῦ Υἱοῦ explicationes pepererunt, ex quibus palam fit theologos dissidentes de hoc ipso inter se convenire non potuisse, quod tanquam primum separationis Ecclesiarum dogmaticum fundamentum posuerunt.

Ut autem hujus magnæ contentionis aspectus dogmaticus lucide exponatur, præsentem articulum in quinque sectiones dividimus. Sermo erit :

1° De theologia Joannis Vecci et sociorum ejus;

2° De variis explicationibus formulæ « a Patre per Filium procedit » ab adversariis unionis adinventis;

3° De nova theoria Gregorii Cyprii;

4° De sententia Georgii Pachymeris circa processionem Spiritus Sancti;

5° De quorumdam aliorum theologorum positione circa processionem Spiritus Sancti.

I. — De theologia Joannis Vecci et sociorum ejus.

Joannes Veccus, qui per illud tempus, quo unio cum Latinis duravit, sedem Constantinopolitanam tenuit, primum quidem catholico dogmati adversabatur, cum Patrum græcorum doctrinam, ut ipse fassus est, nondum novisset. Ex quo vero in manus ei miserunt Nicephori Blemmidæ dogmaticas epistolas, de quibus supra locuti sumus, necnon Nicetæ Maronensis de processione Spiritus Sancti dialogos, et propriis oculis ipse in Patrum voluminibus illa excerpta recognoscere potuit, ex quibus duo illi theologiæ unionis fundatores suas dissertationes contexuerant, ad eamdem ac illi conclusionem mox devenit, eamdem doctrinam variis scriptis tuitus est, ampliori testimoniorum patristicorum propugnaculo munivit, validioribus ac lucidioribus argumentis contra

adversariorum tela defendit, atque e sua sede dejectus variisque exagitatus persecutionibus, ad mortem usque retinuit, postquam anno 1283, præ mortis periculo, humanæ infirmitati ad breve momentum cessisset libellum fidei heterodoxum propria subscriptione firmando [1].

Revera totus est Joannes in explicanda ac defendenda Patrum græcorum formula : *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit*, διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, id est, *a Patre per Filium existentiam accipit* [2]. Ejus autem de hac quæstione

1. De hoc Joannis Vecci ad fidem catholicam accessu lege quæ narrant tum Georgius Pachymeres, *De Michaele Palæologo*, l. V, c. xv, *P. G.*, t. cxliii, col. 830-832; c. xvi, col. 836-838; l. VI, c. xxiii, col. 937-938; tum Nicephorus Gregoras, *Historiæ byzantinæ*, l. V, c. ii, 5-7, *P. G.*, t. cxlviii, col. 267-270. Gregoras Nicephori Blemmidæ epistolas expresse memorat : « Tandem, inquit, in mentem venit imperatori eamdem rem a Latinis ante annos quinque et viginti, Joanne Duca imperante, agitatam fuisse, ac tum doctum exstitisse virum, Nicephorum Blemmidam, divinarum litterarum peritissimum; qui cum se in otium contulisset, multa e sacra Scriptura testimonia, quæ dogma Latinorum confirmare viderentur, colligere cœpit ac de iis quædam scripsit, secreto tamen propter opinionem in qua plerique erant. Quæ, cum imperator invenisset, Vecco misit. Cum autem ille ea multa cum sagacitate perlegisset, sanctorum libros, e quibus Blemmides ea testimonia collegerat, postulavit; quorum copiam cum imperator libentissime ei fecisset, in eo deinde occupabatur, ut diligenter illos legeret, expenderet, ad verbum conferret. Itaque brevi tempore eum testimoniorum acervum coegit, quæ integra volumina complere possent; et qui dudum acerrime Latinis adversabatur, mutata sententia, victoriam ad illos transtulit. » Pachymeres, l. VI, c. xxiii, col. 937-938, insinuare videtur Joannem Blemmidæ et Nicetæ Maronensis scripta eo tantum tempore novisse, quo ipse pro defendenda unione scribere aggressus est; verum, quæ de Vecco in suo opere passim tradit Pachymeres, secundum historicum ordinem haud semper referuntur, nec aliqua vacant confusione, quamvis magni sint momenti, et ad illustrandam totam controversiam multum conferant. Nota Pachymerem, col. 938 A, Nicetæ Maronensis dialogos numerare *quinque* tantum, cum sex sint. Num sextum, omnium gravissimum, in quo conclusio datur et Latini ad supprimendam additionem ad symbolum pro bono pacis invitantur, ignoraverit Veccus? Haud facile credam, cum ex hoc ipso sexto dialogo longum afferat excerptum Blemmides in *Epistola ad Jacobum, Bulgariæ episcopum*. Verisimile omnino est quintum dialogum, qui brevissimus est, cum sexto conjunctum fuisse et utrumque pro uno computatum fuisse.

2. Unde ad calcem sui *Testamenti* Joannes hæc jure scribere potest :

doctrinam ad sequentes propositiones reducere quis possit :

1° Secundum Patres græcos, Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit, id est a Patre *mediate*, a Filio *proxime* et *immediate*, non quod duæ sint processiones, vel quod Spiritus Sanctus a Patre aliquo intervallo dividatur, sed quod unica processio active sumpta a Patre tanquam a primo principio oriatur, et per Filium, qui quæcumque habet, a Patre habet, ad Spiritum Sanctum terminetur. In ipso processionis seu προβολῆς actu, Pater et Filius ab invicem hypostatice re non distinguuntur, sed sunt unus Deus. Hoc tamen non impedit quominus ἡ προβολὴ diverso titulo ad utrumque referatur. Refertur enim ad Patrem tanquam ad primum principium (τὸ ἀρχικόν, τὸ αἴτιον ἀρχικόν, τὴν πρώτην αἰτίαν), ad principium proprie dictum seu principium sine principio (τὸ κυρίως αἴτιον); ad Filium autem tanquam ad principium de principio, ad principium a Patre, in ipso generationis actu, omnia et ipsam virtutem spirativam seu τὴν προβολὴν accipiens [1]. Unde Filius in Trinitate medium locum necessario obtinet, et Spiritus Sanctus non aliter a Patre procedit quam per Filium. Processio Spiritus Sancti necessario includit mediationem Filii. Est enim in Trinitate ordo naturalis et

« Ἰωάννης ταπεινός..., διὰ τὸ ἀληθὲς τῶν πατέρων δόγμα, τὴν ἐκ Πατρὸς δηλονότι δι' Υἱοῦ ἐκπόρευσιν τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, τὴν ἕως θανάτου ἐξορίαν καὶ φυλακὴν καταδικασθείς. » *P. G.*, t. cxli, col. 1032 B.

1. Hanc doctrinam optime exponit sanctus Thomas Aquinas in I, dist. XII, quæst. 1, art. 3, et *ibid.*, ad 1 : « Omne medium aliquo modo distinguitur ab his inter quæ medium dicitur. Cum in spiratione Pater et Filius sint duo *spirantes*, unum autem in *potentia spirativa*, possumus loqui de actu spirationis per comparationem ad ipsos spirantes, vel ad principium spirandi, sicut virtutem cujus sit spiratio. Si autem consideremus ipsum principium, scilicet potentiam spirativam, cum in hoc non distinguantur Pater et Filius, non potest dici spiratio esse a Patre mediante Filio. Si autem consideremus ipsos spirantes, qui distincti sunt, et secundum hoc præbent suppositum spirationi, sic est ibi mediatio, secundum quod est ibi *ordo naturæ*, quia Filius est ex Patre, et Spiritus Sanctus simul a Patre et a Filio... Per hoc autem quod dicitur Spiritus Sanctus procedere *a Patre per Filium*, designatur auctoritas in Patre respectu Filii, quia Filius habet a Patre quod Spiritum Sanctum spiret. Ex hoc autem non ponitur mediatio aliqua nisi ex parte suppositorum, qui distinguuntur per hoc quod unum est ab alio, ratione cujus in uno est auctoritas recpectu alterius. »

intrinsecus, ex quo Filius statim venit post Patrem, Spiritus autem statim post Filium, remota omni temporis idea [1].

2º Hic naturalis personarum divinarum ordo, hæc Filii mediatio per formulam *a Patre per Filium*, ἐκ Πατρὸς δι Υἱοῦ, bene repræsentatur. Præpositio enim ἐκ principio originali, Patri scilicet, propria significatione congruit, dum præpositio διά mediationem ex se indicat, et ideo Filio proprie convenit quantum ad Spiritus Sancti processionem. Unde stricte loquendo, seu κατ'ἀκρίβειαν, utrique præpositioni inest aliqua sensus differentia, nec una pro altera sumenda est, cum ἐκ ad principium originale seu ad Patrem remittat, διά vero ad principium de principio, seu ad Filium mentem vocet. Unde et Damascenus, κατ'ἀκρίβειαν loquens, rite scribit :« Spiritum ex Filio esse non dicimus, qui non tanquam ex eo, sed tanquam per eum ex Patre procedit [2]. »

3º Tolerari tamen potest κατ'οἰκονομίαν formula Latinorum *a Patre Filioque procedit : a)* quia Latini illam recte explicant, non ponentes duo principia a se invicem independentia Spiritus Sancti; nec Filium dicentes alterum principium a Patre distinctum, sed unum et idem cum Patre principium Spiritus; nec præpositionem ἐκ, seu *ex* illi præfigentes, quasi esset Spiritus principium originale eodem sensu eodemque titulo ac Pater, sed huic præpositioni eamdem vim tunc tribuentes, quam Græci præpositioni διά; *b)* quia multi Patres, etiam ex Græcis, quamvis ad verbum non dixerint : « ἐκ τοῦ Πατρὸς καί τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται », dixerunt tamen, eumdem sensum intendentes : « Spiritus Sanctus *a Filio* vel *ex Filio* (ἐκ τοῦ Υἱοῦ, παρὰ τοῦ Υἱοῦ), ὑπάρχει *(existit)*, προέρχεται *(provenit)*, πρόεισι (prodit), ἐκλάμπει (exsplendescit), πέφηνε *(illuxit)*, ἐστί *(est)*, οὐσιωδῶς ἐκχεῖται, προχεῖται *(substantialiter effunditur, profunditur)*, ἐκπέμπεται (emittitur); ἐκ τῆς οὐσίας ἐστὶ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ *(ex substantia Patris et Filii)*; παρ'ἀμφοτέρων, ἐξ ἀμφοῖν ἐστι, πρόεισι *(ab utroque, ex*

1. Cf. *De unione Ecclesiarum*, 22, 55, *P. G.*, t. CXLI, col. 64 sq., 128 sq.; *De processione Spiritus Sancti*, c. VII, 3; c. VIII, 1-7; *ibid.*, col. 216 sq., 224-230.

2. *De fide orthodoxa*, l. I, c. VIII et XII, *P. G.*, t. XCIV, col. 832 B, 849 B. Cf. *De unione Ecclesiarum*, 20-21, col. 60-65.

utroque est, prodit), etc. » Sæpe etiam græci Patres, sicut et ipsa sacra Scriptura, διά pro ἐκ, et vice versa, usurpant, præsertim quando de divinis agitur. Quanquam autem utraque præpositio, ubi divinarum personarum ordo exprimendus est, non est omnino ἰσοδύναμος nec indiscriminatim una pro altera adhibenda, usus tamen Scripturæ et Patrum latinorum loquendi modo favet, nec damnanda formula latina, dummodo rite explicetur [1].

4º Inter sacræ Scripturæ testimonia, quæ pro latina formula faciunt, illud est quod in Apocalypsi, c. XXII, 1, legitur : *Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni*, Ἔδειξέν μοι ποταμὸν ὕδατος ζωῆς, ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου. Hic aquæ vivæ fluvius Spiritum Sanctum designat, ut ex locis parallelis (Apoc., XXII, 17; Joan.. VII, 37-38; I Corint., XII, 13), necnon ex quorumdam Patrum interpretatione colligere est. Sedes Dei et Agni unitatem principii processionis Spiritus Sancti bene repræsentat. Insuper notandum est ipsum verbum ἐκπορεύεσθαι hic adhiberi [2].

1. *De unione Ecclesiarum*, 8-19, 26-28; col. 24-60, 73-86; *Ad Constantinum*, l. III, 4-6, col. 375-382; *Epigraphæ*, I, II, VII, VIII, col. 613-638, 667-692. Veccus οἰκονομίᾳ usus est tum erga Latinos, tum erga Græcos, cf. *Ad Constantinum*, l. III, 2-5, col. 372-380; Pachymeres, *De Andronico*, l. I, c. X, XXXV, *P. G.*, t. CXLIV, col. 37-40, 110-113. Hic auctor narrat Veccum *Synodico* Dominicæ Orthodoxiæ quemdam anathematismum addidisse contra eos qui dicere auderent Filium esse *causam* vel cum Patre *coprincipium* Spiritus Sancti : « ποιούμενος ὑπ'ἀνάθεμα τρίτον τὸν δοξάζοντα ἢ αἴτιον, ἢ μετὰ τοῦ Πατρὸς συναίτιον τὸν Υἱὸν τοῦ Πνεύματος », *loc. cit.*, col. 38 B. Nomine *causæ* intelligebat utique *principium primordiale*, τὸ ἀρχικόν; nomine vero συναιτίου, principium independens a Patre et cum eo ex sua parte cooperans ad productionem Spiritus. Gregorius Cyprius in *Tomo*, anath. 3, *P. G.*, t. CXLII, col. 240, illi crimini vertit quod Filium faciat συναίτιον τῷ Πατρί. Veccus vero hanc vocem nunquam admisit, et jure quidem, cum sit ambigua. Pater enim et Filius sunt *unum* principium Spiritus Sancti.

2. Cf. De libris suis, 3, col. 1021 CD, ubi Veccus dicit se hanc probationem evolvere in *Antirrhetico contra caput decimum sextum Moschabari*, qui nondum editus est. Caput XVI Moschabari ex *codice Vatic. Chisiano 54*, fol. 28r., inscribitur : « Ὅτι μόνον ἐστὶ ταὐτοσήμαντον τὸ προβάλλεσθαι τῷ ἐκπορεύεσθαι. ». Cf. *Epig.*, XI, *GP..*, t. CXLI, col. 697-700. Hunc Apocalypsis textum jam protulerant contra Græcos tum

5° Quod autem attinet ad Patrum testimonia doctrinæ catholicæ aperte suffragantia, Joannes Veccus plurima collegit, præsertim in opere cui titulus : Ἐπιγραφαί seu *Præscriptiones*. De quatuor autem speciatim disseruit, ex quibus tria sive ex toto, sive ex parte spuria esse quidam polemistæ contenderunt ac de quibus etiam postea Græci et Latini haud semel disceptarunt.

Primum testimonium est illud sancti Basilii in *Antirrhetico tertio contra Eunomium :* « Si Spiritus dignitate et ordine tertius est, cur necesse est illum esse tertium etiam natura? Dignitate siquidem illum secundum esse post Filium tradit pietatis sermo, *utpote qui ab eo suum esse habet* et ab eo accipit nobisque annuntiat, et prorsus ab illa causa pendet; naturam vero tertiam eum habere, nec a divinis Scripturis didicimus nec ex dictis consequenter colligere est : ἀξιώματι μὲν γὰρ δευτερεύειν τοῦ Υἱοῦ, παρ'αὐτοῦ τὸ εἶναι ἔχον καὶ παρ'αὐτοῦ λαμβάνον. » Hanc lectionem tanquam genuinam propugnat Joannes [1].

Secundum testimonium ex *Oratione III in orationem dominicam* sancti Gregorii Nysseni desumitur : « Filius unigenitus, inquit Gregorius, ex Patre esse a sacra Scriptura dicitur, et hic ejus proprietatem verbum sistit; Spiritus Sanctus vero *ex Patre dicitur et ex Filio esse asseritur : Si quis*, ait, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Igitur Spiritus, qui ex Deo

synodus Aquisgranensis, anno 809 habita, tum latini quidam polemistæ, ut Matthæus ab Aquasparta, *op. cit.*, p. 11; nec omni vi demonstrativa caret, ut notat J. Lebreton, *Les origines du dogme de la Trinité*, ed. 1, Parisiis, 1927, p. 373, 426 sq.

1. De hoc celeberrimo loco, quem in *P. G.*, t. XXIX, col. 653 B, invenies, agit Veccus in *De processione Spiritus Sancti*, c. I-II, *P. G.*, t. CXLI, col. 156-187; *Ad Theodorum*, l. II, col. 310-318; *Epigraphe I*, col. 613. Cf. Lämmer, *op. cit.*, t. I, p. 27-37, qui lectionem Vecci genuinam esse merito opinatur. Codices manuscripti inter se non conveniunt. Nostri non est hic quæstionem critice perpendere. De hoc loco disputarunt Græci et Latini in concilio Florentino; cf. quæ dicuntur infra, p. 398. De eodem disseruerunt multi auctores. Cf. L. Vallée, *Dissertatio qua expenditur celebris locus sancti Basilii de processione Spiritus Sancti*, Parisiis, 1721. Georgius Scholarius, *Tractatus II de processione Spiritus Sancti*, in *Œuvres complètes*, t. II, p. 323-344, de eodem haud pauca habet. Contendit eum fuisse corruptum.

est, etiam spiritus Christi est : τὸ δὲ ἅγιον Πνεῦμα καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται [1]. » Ita legit Joannes, cujus exstat quædam sententia synodalis, anno 1280 lata contra Ecclesiæ Constantinopolitanæ referendarium, Escammatismenum nuncupatum qui, antequam unioni adhæreret, in quodam vetusto codice præpositionem ἐκ e textu citato gladiolo de industria eraserat [2].

Tertium testimonium, ad Gregorium Nyssenum item pertinens, est celeberrimus ille locus *Epistolæ ad Ablabium*, in quo sanctus doctor de ordine et distinctione personarum Trinitatis ex professo disserit atque de processione mediata et immediata loquitur : « Differentiam secundum causam et causatum non negamus, in quo solo discerni alterum ab altero comprehendimus, etc. » Hunc textum sæpissime allegat Veccus ac dilucide interpretatur, nec ejus authenticitatem dissidentes in dubium unquam vocarunt [3].

Quartum autem textum, qui Damasceni est, Veccus contra Photianos potissimum ursit in synodo, quæ anno 1285 adversus eum ipsum ejusque socios in Blakhernarum palatio congregata est. Sic autem se habet : « Pater est mens,

1. In *P. G.*, t. XLIV, col. 1160 BC. Veccus, *De processione Spiritus Sancti*, c. I, 4, col. 161-164; *Epigraphe I*, col. 613. Hujus etiam loci variæ occurrunt lectiones in codicibus. Fatendum est contextum lectioni Vecci non favere. Certum tamen omnino est illam separatione Ecclesiarum antiquiorem esse. Habetur enim in *cod. Vatic. 2066*, circa sæculum VII exarato; item, in *cod. Vatic. 448*, sæc. XI. Cf. Lämmer, *op. cit.*, p. 38-45; Georgius Scholarius de eodem fuse disserit, *op.* et *loc. cit.*, p. 157-167.

2. *Sententia synodalis*, *P. G.*, t. CXLI, col. 281-290.

3. In *P. G.*, t. XLV, col. 133 BC. Veccus, *De processione Spiritus Sancti*, c. VII, col. 213-224, et in cæteris suis scriptis passim. Nescio quare Zernikavius, *De processione Spiritus Sancti*, *Tract. II*, ed. græc. t. I, p. 261-265, pravæ intentionis corrumpendi sensum hujus loci Veccum incusat, quasi ille in textu : « τῷ τὸ μὲν αἴτιον πιστεύειν εἶναι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου· καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας δὲ ὄντος ἄλλην πάλιν διαφορὰν ἐννοοῦμεν », punctum posuerit ante ἄλλην, et ita legerit : « τὸ δὲ ἐκ τοῦ αἰτίου, καὶ τοῦ ἐξ αἰτίας δὲ ὄντως. Ἄλλην πάλιν, etc. » Hoc non fecit Veccus ejusque interpretatio dicti loci huic interpunctioni aperte contradicit. Fecerunt tamen Latini quidam, linguæ græcæ, ut videtur, minus periti, et specie tantum Arcudius, *Opuscula aurea theologica*, Romæ, 1570, p. 116. Cf. Lämmer, *op. cit.*, p. 37-38. De hoc loco disserit Scholarius tum in *Tractatu I*, tum in *Tractatu II de processione Spiritus Sancti*, *loc. cit.*, p. 127-133, 344-355.

rationis abyssus, Verbi genitor, *et per Verbum productor Spiritus manifestantis :* Αὐτὸς μὲν οὖν ἐστι νοῦς, λόγου ἄβυσσος, Λόγου γεννήτωρ, καὶ διὰ Λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος [1]. » Hæc Damasceni verba in tricas conjecerunt adversarios unionis, ex quibus unus, nempe Georgius Moschabarus illa genuina esse infitias ivit [2]; alii vero in ipsa synodo ea explicare non potuerunt, et Gregorio Cyprio patriarchæ demandarunt, ut post synodum de illo Damasceni loco necnon de tota Unionistarum doctrina specialem *tomum* conficeret et omnium nomine promulgaret [3]; quod et fecit ille, ut fusius infra dicetur.

6° Ut Nicetas Maronensis et Nicephorus Blemmides jam fecerant, Veccus photiana de Trinitate axiomata diluit ad Patrum græcorum doctrinam semper provocando. Invehitur præsertim in tertium axioma : *Pater quidquid ex se, qua causa, producit, ratione personæ, non ratione naturæ producit,* quo Gregorius Cyprius potissimum utebatur :

« Qui dicit ex essentia Patris esse Filium aut Spiritum, essentiam Patris in hypostasi (ἐνυπόστατον) indicavit; et qui dicit ex essentia Patris esse Filium aut Spiritum, totum Patrem manifestat; et qui ex essentia Filii Spiritum dicit, totum Filium cum ejus hypostasi et essentia dicit... Ego neque hypostasim Filii in speciali divisione intelligi assero, cum Spiritus ex essentia illius dicitur, neque essentiam illius ab hypostasi separari, cum ex Filio idem dicitur Spiritus, sed totum affirmo comprehendi Filium, cum et ex Filio et ex essentia Filii Spiritus esse dicitur [4]. »

Præter Photium, confutat etiam in specialibus dissertatio-

1. *De fide orthodoxa*, l. I, c. XIII, *P. G.*, t. XCIV, col. 848 D. In eodem capite occurrit effatum Photianis specie suffragans : « Μόνος αἴτιος ὁ Πατήρ »; de quo vide quæ supra diximus, p. 338, n. 1.

2. Hanc Moschabari dissertationem in *cod. Vatic. Chisiano græc. 54*, fol. 126v-133v, invenies; quæ tamen ibi vix legi potest ob codicis depravationem.

3. Vide Pachymeris de hac synodo longam narrationem, *De Andronico*, l. I, c. XXV, *P. G.*, t. CXLIV, col. 102-115; l. II, c. I-XII, col. 121-155.

4. *De unione Ecclesiarum*, 63, col. 145 : « Ὁ εἰπὼν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς εἶναι τὸν Υἱόν, ἢ τὸ Πνεῦμα, ὅλον τὸν Πατέρα δηλοῖ, καὶ ὁ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα εἰπὼν ὅλον τὸν Υἱὸν λέγει ἐνούσιον καὶ ἐνυπόστατον. »

nibus præcipuos ejus discipulos, tum pristinos, ut Theophylactum, Nicolaum Methonensem, Andronicum Camaterum; tum coævos, ut Gregorium Cyprium, Theodorum Muzalonem, Georgium Moschabarum.

A Joanne separari non debent ejus fideles socii : Constantinus Meliteniota et Georgius Metochita, qui tum in doctrina catholica verbo et calamo defendenda, tum in tolerandis usque ad mortem pro veritate persecutionibus ejus commilitones fuere. Argumenta magistri suo modo iterant illi, contra polemistas antilatinos coævos sua tela conjicientes. Magnas præsertim merentur laudes duæ Meliteniotæ de ecclesiastica unione dissertationes, quibus præcipua Photianorum effugia ad testimoniorum patristicorum illos redarguentium vim declinandam dilucide, breviter ac moderato stylo convellit [1]. Nec parvi facienda est Metochitæ sic dicta *Historia dogmatica*, qua multa nova ad historiam et theologiam pertinentia nobis innotescunt [2].

II. — De variis explicationibus formulæ « A Patre per Filium procedit » ab adversariis unionis adinventis.

Usque ad sæculum XII, ad formulam Patrum græcorum « Ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορεύεται » vix animum attenderunt theologi photiani, dum aliam formulam, quæ apud eosdem Patres etiam sæpe occurrit, in medium proferre solenne habuerunt, hanc videlicet : « Τὸ Πνεῦμα διὰ τοῦ Υἱοῦ τῇ κτίσει χορηγεῖται », *Spiritus Sanctus per Filium creaturæ datur, suppeditatur;* quam quidam tum de ipsius personæ Spiritus Sancti missione, tum de charismatum illius largitione intelligebant, alii vero ad solam gratiam et dona referebant. Post frequentes autem cum Latinis disputationes, quas inde a sæculo XII habuerunt; item post *Dialogorum* Nicetæ Maro-

1. *P. G.*, t. CXLI, col. 1031-1274.

2. Sub *Historiæ dogmaticæ* titulo A. Mai et J. Cozza-Luzi tres ediderunt Georgii libros ab invicem independentes, quorum secundus nihil aliud est quam quædam *Confutatio tomi Gregorii Cyprii : Nova Patrum bibliotheca*, t. VIII, 2a pars, Romæ, 1871, p. 1-227; t. X, 1a pars, Romæ, 1905, p. 319-370. Accurata descriptio operum Georgii Metochitæ adhuc desideratur. In diversis auctoribus haud parvas confusiones invenio.

nensis et *Epistolarum dogmaticarum* Nicephori Blemmidæ vulgationem, positio hujusmodi vix teneri poterat. Quid tunc *plerique* polemistæ antilatini? Præ dictis Patrum manifestis, ubi docent illi Spiritum Sanctum *a Patre per Filium* ἐκπορεύεσθαι, ἐκλάμπειν, ἐκπεφηνέναι, προέρχεσθαι, προϊέναι, προχεῖσθαι, etc., duplicem viam inierunt : Ubi legebatur ad verbum : διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, dixerunt formulam significare meram consubstantialitatem Spiritus Sancti cum Filio et unius ab altero indivisionem. Ubi vero alia verba occurrebant, formulam ad missionem temporalem passim referebant. Hujus interpretandi rationis polemistarum nobis testes sunt tum Nicephorus Blemmides, tum Veccus ejusque socii, tum historicus Georgius Pachymeres, qui hujusmodi exegesim in quadam opella acute confutavit, sic inscripta : *Adversus eos qui dicunt ideo dici Spiritum Filii, quod habeat eamdem atque ille naturam, vel quod dignis ab eo suppeditetur* [1]. Inter eos, qui ad hanc polemistarum classem pertinent, nominari possunt : Jobus Iasita [2]; Manuel Moschopulus, quem Georgius Metochita speciali tractatu confutavit [3]; Joannes Chilas, Ephesi metropolita [4]. Conjicimus etiam ejusdem sententiæ fuisse tum Constantinum Acropolitam, tum Hierotheum monachum [5], tum etiam Bulgariæ Gennadium [6].

Hanc tamen violentam interpretationem, ex qua haud

1. Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι διὰ τοῦτο λέγεται Πνεῦμα Υἱοῦ διὰ τὸ ὁμοούσιον, ἢ διὰ τὸ χορηγεῖσθαι ὑπ'αὐτοῦ τοῖς ἀξίοις. *P. G.*, t. CXLIV, col. 923-930. De mente Pachymeris infra agimus.

2. Hujus *Apologia* nomine patriarchæ Josephi scripta nondum edita est. Jobum ad Photianorum rigidorum classem pertinuisse colligimus ex excerptis a J. Hergenröther ex *cod. Monac. 68*, sæc. XV, prolatis in adnotationibus ad editionem operis Vecci : *Refutatio photiani libri de Spiritus mystagogia*, *P. G.*, t. CXLI, col. 725-864.

3. *P. G.*, t. CXLI, col. 1307-1406. Cf. Const. Meliteniotam, *De processione Sp. S.* oratio II, 6, *ibid.*, col. 1156-1157 : «Διὰ τούτου γάρ, φασί, ἔστι τε καὶ λέγεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὡς κατὰ φύσιν ᾠκειωμένον αὐτῷ καὶ ὡς ὁμοούσιον. »

4. Cf. ejus *Ad imperatorem epistolam* contra Georgii Cyprii novam theoriam de manifestatione æterna, *P. G.*, t. CXLII, col. 245-246; item quæ de eo refert Pachymeres, *De Michaele Palæologo*, l. VI, c. XXIII, *P. G.*, t. CXLIII, col. 941.

5. Cf. A. Demetrakopulum, 'Ορθόδοξος 'Ελλάς, p. 53-55.

6. A. Demetrakopulus, *ibid.*, p. 68.

pauca absurda deduci possunt, præ Blemmidæ, Vecci et sociorum ejus nervosa argumentatione quidam unionis adversarii relinquere maluerunt, ut proprias proferrent explicationes. Harum autem explicationum varietates quatuor invenimus.

1° Primum locum tenet Georgii Moschabari adinventio, ad secundam fortunam non quidem apud coævos, sed apud posteros destinata, quæ in hoc est tota, ut præpositio διά in præpositiones μετά cum genitivo, σύν, ἅμα, in formula Patrum mutetur. Unde, secundum hunc polemistam, *Spiritus a Patre per Filium procedit* significat : *Spiritus a Patre cum Filio, una, simul cum Filio procedit :* ἐκ τοῦ Πατρὸς μετὰ τοῦ Υἱοῦ, ἅμα τῷ Υἱῷ, σὺν τῷ Υἱῷ ἐκπορεύεται [1].

Theologi coævi adinventioni Moschabari haud arriserunt. Eam non semel carpit Joannes Veccus [2]. Gregorius Cyprius illam habet non solum ut quid ridiculum, sed etiam ut mani-

1. Hujus novitatis Moschabarum auctorem fuisse testatur Georgius Metochita, *Historia dogmatica*, l. III, 62, apud Mai-Cozza-Luzi, *Nova Patrum bibliotheca*, t. X, 1ª pars, p. 355. Revera operis Moschabari, in formam dialogi inter Græcum et Latinum redacti, caput XIX inscribitur in *codice Chisiano 54*, fol. 31r. : «'Οτι τὸ διὰ τοῦ Υἱοῦ λέγειν ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀντὶ μετὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ ἅμα τῷ Υἱῷ ἐκ Πατρὸς ἔχειν τὴν ὕπαρξιν λαμβάνεται. » Notandum est tamen opus Moschabari, prout in hoc codice jacet, interpolationis vestigia probabilissime ferre, et a quodam Palamæ discipulo recognitum fuisse. Caput XII enim ibi, fol. 20r, sic inscribitur : 'Οτι ἡ θεία χάρις καὶ ἡ ἔλλαμψις καὶ ἡ ἐνέργεια συναΐδιος ἐστι τῷ Υἱῷ, καὶ αὕτη πηγάζεται ἐξ αὐτοῦ καθάπερ καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ αὐτοῦ τοῦ Παρακλήτου θείως, quibus verbis exprimitur fundamentalis thesis palamismi, ante Palamam apud Byzantinos prorsus inaudita. Nec in titulo capitis XIX legitur : Τὸ Πνεῦμα μετὰ τοῦ Υἱοῦ ἡ ἅμα τῷ Υἱῷ ἐκπορεύεται, sed : μετὰ τοῦ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει, quo loquendi modo absurdum in primo effato contentum vitatur, quasi ἡ ἐκπόρευσις Filio conveniret.

2. *De processione Spiritus Sancti*, c. V, 3, *loc. cit.*, col. 209; *Ad Theodorum*, l. I, 9, col. 304 BC; *Ad Constantinum*, l. III, 4, col. 389. Nostra sententia, ad hanc præpositionum transmutationem a Moschabaro attentatam allusit Veccus in synodo Blakhernarum, anno 1285, ut excusaret οἰκονομίαν, qua pro bono pacis erga Latinos usus fuerat, cum ipsis Patribus asserendo præpositionem διά pro præpositione ἐκ accipi posse, debita explicatione supposita. Hæc sane οἰκονομία Moschabari facinore multo tolerabilior erat. Cf. G. Pachymerem, *De Andronico*, l. I, c. XXXV, *loc. cit.*, col. 110 sq.

festam impietatem, Vecci blasphemiam multo superantem: quod sic demonstrat :

« Hoc quidem ridiculum est, quod hujusmodi acceptio est inusitata et inaudita et prorsus contra communem usum, quam et omnino ignorant grammatici neque qui dialecto græca utuntur unquam usurparunt. Ubinam vero tu didicisti præpositionem διά in præpositionem σύν, μετά et his similes transmutari posse? Impium insuper hoc est, quia ex interpretatione hujusmodi sequitur Filium a Patre genitum una cum Spiritu procedere... Ubi enim dicis Spiritum Sanctum procedere cum Filio, vel una cum ipso, vel simul cum ipso, nihil aliud dicis quam quod ipse Filius ex Patre ἐκπορεύεται quemadmodum et Spiritus Sanctus [1]. »

Nihilominus qui post Moschabarum vixerunt polemistæ fere omnes ad nostra usque tempora hujusmodi effugio usi sunt, ut Patrum græcorum evidens testimonium pro doctrina catholica faciens declinarent.

2º Alia via incesserunt alii, qui dixerunt illud διὰ τοῦ Υἱοῦ nihil aliud significare quam meram relationem Patris ad Filium, ut scilicet nomen Patris declaretur et explicetur. Si enim diceretur tantum : *A Patre procedit*, ratio cur Pater appellatur Pater non appareret. Nomen Filii interponitur, ut ratio paternitatis ostendatur; aliis verbis : *A Patre per Filium procedit* idem sonaret ac : *A Patre Filii procedit.* Huic explicationi aliquando saltem indulsit Georgius (postea Gregorius) Cyprius [2], et alii ejus coætanei, de quibus pluries

1. Ἀπολογία πρὸς τὴν κατὰ τοῦ τόμου μέμψιν ἰσχυροτάτη, *P. G.*, t. CXLII, col. 257 : « Γέλοιον μὲν γὰρ ἂν εἴη διὰ τὴν ἀλλόκοτον καὶ ξένην καὶ παντάπασιν ἀγνοουμένην τῇ συνηθείᾳ μετάληψιν, ἣν οὔτε γραμματικῶν παῖδες ἴσασιν, οὔτε οἱ τὴν φωνὴν ἁπλῶς ἑλληνίζοντες κέχρηνται... Δυσσεβὲς δέ, οἷς ὅτιπερ ἐκ τῆς τοιαύτης ὑμῶν ἐξηγήσεως καὶ ὁ γεννώμενος Υἱὸς ἐκ Πατρὸς συνάγεται τῷ Πνεύματι ἐκ Πατρὸς συνεκπορευόμενος... οἱονεὶ τρέχειν τις λέγεται σὺν τῷ δεῖνι, τοὺς ἀμφοτέρους τρέχειν ἐκ τοῦ λόγου καταλαμβάνομεν. »

2. Nempe in *Sermone antirrhetico in Veccum*, anno 1283, antequam in patriarcham eligeretur, conscripto : *P. G.*, t. CXLII, col. 283-284, 287-288 : « Ἐπείπερ αἴτιος μὲν Υἱοῦ καὶ Πνεύματος ὁ Πατήρ, τῷ Πατρὶ δὲ, ᾗ Πατρί, εὐθὺς συνεπινοεῖται ὁ Υἱὸς κατὰ τὴν τῶν πρός τι φύσιν ὑπ'ἀλλήλων συναγομένων, τῷ λόγῳ τῆς αἰτίας, ἤτοι τῆς πρὸς τὸν Πατέρα τὸν αἴτιον σχέσεως, προεπινοεῖται τοῦ Πνεύματος ὁ Υἱός, ἀλλ'οὐχὶ καὶ

loquitur Joannes Veccus, præsertim vero in suo opere *De unione Ecclesiarum :*

« Erga Filium, inquiunt, Patris habitum dictio indicat. Quandoquidem enim, ubi dicimus Spiritum ex Patre procedentem, vocem Patris nomen significantem intelligere non possumus absque Filio — appellatio enim *Pater* relationem ad Filium manifestat — cum Spiritus a Patre per Filium procedere dicitur, hoc profertur propter relationem Patris ad Filium, non vero quod Filius essentialiter sit medius inter Patrem et Spiritum. Etenim mediationem ministerialem et subordinatam rejicimus ac anathemate icimus [1]. »

3º Hanc ipsam mediationem ministerialem, quam isti abhorrebant, propugnavit Theodorus Muzalo, docens processionem Spiritus a Patre per *Filium transire, pertransire* quasi per instrumentum, quin Filius *active* nullo modo partes habeat ad existentiam Spiritus Sancti : « Si enim, aiebat ille, illud *per Filium* constiterit, secum trahens existentiam, de proposito argumento jam totum actum est, nec aliud ultra quærendum, sed hic standum est [2] », significare volens Joannem Veccum, hoc concesso, jam vicisse. De hac theoria haud semel loquitur Veccus in suis scriptis. Ita in *Libro III ad Constantinum* hæc habet :

κατὰ τὴν τοῦ εἶναι πρόοδον οὐδὲ τῷ αἰτίαν αὐτὸν ὑπάρχειν τοῦ Πνεύματος. » Cf. Veccum, *Refutatio libri* (non *tomi*, ut falso fert inscriptio apud Allatium et in *P. G.*) *Georgii Cyprii*, 15, 16-17, *P. G.*, t. CXLI, col. 917 CD, 921 CD.

1. *De unione Ecclesiarum*, 22, *P. G.*, t. CXLI, col. 64 AB : « Ἐπεὶ γάρ, ὅταν λέγωμεν τὸ Πνεῦμα ἐκπορευόμενον ἐκ Πατρός, οὐ δυνάμεθα νοῆσαι αὐτὴν τὴν δηλοῦσαν τὸ τοῦ Πατρὸς ὄνομα λέξιν ἄνευ τοῦ Υἱοῦ· τὸ γὰρ Πατὴρ ὄνομα τὴν πρὸς τὸν Υἱὸν σχέσιν πάντως ἐμφαίνει· ὅταν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ λέγηται τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι, διὰ τὴν τοῦ Πατρὸς πρὸς τὸν Υἱὸν σχέσιν εἴρηται τοῦτο, καὶ οὐ διὰ τὸ οὐσιωδῶς μεσιτεύειν τὸν Υἱὸν Πατρί τε καὶ Πνεύματι· τὸ γὰρ ὑπουργικῶς μεσιτεύειν εἰπεῖν καταργοῦμεν καὶ ἀναθεματίζομεν. »

2. Georgius Metochita, *Hist. dogmatica*, l. III, apud Mai-Cozza-Luzi, *loc. cit.*, p. 349 : « Εἰ τὸ δι'Υἱοῦ συσταίη τὴν ὕπαρξιν ἀπαιτοῦν, μηκέτι πρὸς ἄλλο τι τοῦ λοιποῦ λόγον ἔχειν, ἀλλ'ἐνταῦθα στῆναι τὸ τέλεον. » Cf. *ibid.*, 99, p. 366, ubi Theodorus Muzalo exhibetur tanquam hujus sententiæ patronus : « Τὴν δι'Υἱοῦ ἐκπόρευσιν ἐξηγούμενος καὶ μὴ τὸν διάφορον τρόπον τῆς ὑπαρξεως ἐντεῦθεν διευλογεῖσθαι παραδεχόμενος, τὸ ἥκειν τε καὶ διήκειν δηλοῦν ἀποφαίνεται. »

« Potest, dicunt illi, processionem et existentiam per Filium dici, sed eo sensu, quod pertranseat per Filium; hujusce enim dictionis ipsi sunt adinventores [1]. »

Et in *Oratione II de depositione sua :*

« Quid enim est quod nunc demum omnium postremum commenti sunt? Ex Patre per Filium Spiritum Sanctum procedere asserunt non notare ex Patre per Filium existentiam Spiritus, *sed significare ipsum Spiritum ex Patre procedentem transire per Filium.* Ego vero, quid sit *illud pertransire,* τὸ διήκειν, nondum novi, et undenam hujus pertransitus notio illis in mentem advenerit, ignoro; omnia vero animo circumvolvens, ut vel obscuram illius intelligentiam assequar, nihil invenio, semper dubius hærens, nisi ipsi fluxum quemdam divinitatis intelligant, secundum quem ex Patre per Filium Spiritum procedere dicant; quod asserentium prudentiæ evidenter adversatur. Fateor enim illos viros prudentes esse, licet improbitate eorumdem prudentia vere obscuretur [2]. »

In hac ergo conceptione, Filius erit quasi instrumentum processionis æternæ Spiritus Sancti, vicesque geret cujusdam conditionis sine qua non ejus existentiæ ex Patre.

4° Quartam demum theoriam excogitavit Gregorius Cyprius, ut Joannis Damasceni locum supra laudatum, in quo Pater dicitur προβολεὺς *per Verbum Spiritus manifestantis,* contra Veccum ejusque socios explicaret; quæ nihil aliud est quam quædam varietas transitus instrumentalis.

III. — De nova theoria Gregorii Cyprii.

Georgius — postea Gregorius — ex insula Cypro oriundus, primum quidem, Michaele Palæologo imperante, unioni cum Latinis suffragatus fuerat Joannisque Vecci cooperator exsti-

1. Ad Constantinum, l. III, 3, col. 388-389 : « Δύνασθαι φήσωσι καὶ ἐξ Υἱοῦ καὶ δι'Υἱοῦ ἐκπόρευσιν λέγειν καὶ ὕπαρξιν, πλὴν κατὰ τὸ διήκειν διὰ τοῦ Υἱοῦ· καὶ ταύτης γὰρ αὐτοὶ τῆς λέξεως πλαστουργοί. »

2. *De depositione sua oratio II*, 9, col. 981 : « Τὸ δ'ἐκ Πατρὸς δι'Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ φασὶ τὴν ἐκ Πατρὸς δι'Υἱοῦ ὕπαρξιν σημαίνειν τοῦ Πνεύματος, ἀλλὰ τὸ διὰ τοῦ Υἱοῦ διήκειν αὐτὸ ἐκπορευόμενον τοῦ Πατρός. Ἐγὼ δὲ τί ἐστι τὸ διήκειν οὐκ οἶδα, καὶ ὅθεν αὐτοῖς ὁ τοῦ διήκειν τούτου ἔννοια ἧκε, διαπορῶ. » Cf. *ibid.*, 11, 986; *Ad Constantinum*, l. III, 3, col. 388-389; *Testamentum*, col. 1029 C.

terat. Ex quo autem Andronicus ad thronum accessit, ad factionem schismaticorum se adjunxit, et anno 1283, antequam patriarcha Constantinopolis loco Vecci renuntiaretur, quoddam de processione Spiritus Sancti opusculum adversus ipsum Veccum conscripsit, in quo non unam illius « διὰ τοῦ Υἱοῦ » explicationem profert, illam solam respuens, quæ cum doctrina catholica congruit, jamque suam de manifestatione æterna Spiritus Sancti per Filium theoriam haud obscure significans [1]. Cum enim præcipua ac clariora Patrum græcorum testimonia dogmati catholico suffragantia bene nosceret, in sensum contrarium illa trahere totis viribus conatus est. Si illi credas :

1° Formula usurpata a quibusdam Patribus, v. g., a Cyrillo Alexandrino, ab Anastasio Sinaita : *Spiritus Sanctus ex Filio, vel a Filio existit,* non significat Spiritum Sanctum etiam ex Filio *suam existentiam habere;* non enim in idem recidit utraque dictio : *Spiritus a Filio existit,* et : *Spiritus a Filio existentiam habet* (ὑπάρχει, ὕπαρξιν ἔχει). « *Spiritus a Filio existit* indicat exsplendescentiam et manifestationem Spiritus, qui ex Patre cum Filio conjungitur et in illo manet; siquidem Spiritus ex Patre procedens per Filium manifestatur et illucescit. *Existit autem ex Filio,* sed quando et quatenus illum intelligimus ut manifestatum, ut donatum, missum, insufflatum, ut venientem et datum ad renovandam creaturam [2]. »

2° Patres dixerunt Spiritum Sanctum *esse ex substantia Patris et Filii,* ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, vel : ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Υἱοῦ, ad declarandam consubstantialitatem divinarum personarum, non vero ad innuendum Spiritum Sanctum suam existentiam habere ex Patre et Filio. Idem

1. In *P. G.*, absque versione latina, t. CXLII, col. 269-290.

2. *De processione Spiritus Sancti, P. G.*, t. CXLII, col. 275 CD : « Ὑπάρχει ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα, Κύριλλος εἴρηκεν, ἀλλ'οὐ δι' αὐτὴν αὐτοῦ τὴν οὐσίωσιν· ἐκ μόνου γὰρ αὕτη τοῦ Πατρός· διὰ δὲ τὴν τοῦ Πνεύματος, τοῦ συναπτομένου τῷ Υἱῷ παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐν αὐτῷ μένοντος, ἔκλαμψιν καὶ ἐκφανέρωσιν· ἐκφαίνεται γὰρ διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ ἐκλάμπει ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον. Ὑπάρχει ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ἀλλ'ὅταν ὡς φανερούμενον νοῶμεν, ὅταν διδόμενον, πεμπόμενον, ἐμφυσώμενον, ὅταν ἐπὶ τὸ ἀνακαινίσαι τὴν κτίσιν ἐρχόμενον. »

enim non est *esse ex substantia Filii*, et *esse ex ejus hypostasi*. Spiritus est *tum ex essentia Patris, tum ex persona Patris*, nullatenus vero est ex *hypostasi vel persona Filii* [1].

Hæ sunt duæ præcipuæ distinctiones, quas Cyprius in hac prima sua dissertatione excogitat ac propugnat. Vides illum mediationem quidem Filii in processione Spiritus Sancti sub aliquo respectu admittere, ab ea vero removere omnem realem influxum in productionem activam ejusdem Spiritus. Perspicis etiam ejus conceptum de æterna manifestatione Spiritus per Filium. Secundum illum, mediatio Filii non respicit processionem Spiritus *in fieri*, quasi actio, qua Pater emittit Spiritum, per Filium tanquam per instrumentum transeat antequam ad suum terminum qui est ipsa persona Spiritus, perveniat — quod videtur fuisse ipsa Theodori Muzalonis theoria — sed hujusmodi mediatio respicit ipsam personam Spiritus Sancti, jam a Patre perfecte existentem. Aliis verbis : A solo Patre perfectam existentiam jam habens simul cum Filio, transit per Filium, et *per eum progreditur, apparet, illucescit ut ab æterno existens*, et *etiam ut per eum creaturis dandus in tempore*.

Ad hanc novam theoriam manifestationis æternæ Spiritus per Filium primum non attenderunt unionis adversarii. Cum autem in synodo anni 1285 unionistæ in sui defensionem protulissent illa Damasceni verba : *Pater est Verbi genitor, et per Verbum productor* (προβολεὺς) *Spiritus manifestantis*, Gregorius, qui tunc patriarcha erat et cœtui præerat, suam novam theoriam, ut videtur, producere non est ausus; illam tamen inserere non dubitavit illi famoso *tomo* quem contra Veccum ejusque socios, jussu et nomine synodi, paulo post conscripsit ac promulgavit [2]; siquidem manifestationis aternæ Spiritus per Filium mentionem facit in anathematismis tertio, quarto, quinto et nono, et in hunc sensum trahit Damasceni verba supra laudata necnon alia Patrum effata de processione Spiritus a Patre per Filium :

« Damasceni locus, inquit ille, ad hoc manifesto tendit, ut per Verbum manifestationem Spiritus ex Patre existentiam

1. *Ibid.*, col. 271 C, 272 B.
2. *P. G.*, t. CXLII, col. 233-246.

habentis præferat; secus enim in hoc eodem capite non dixisset Patrem solam causam esse in Trinitate [1]...

« Quorumdum dictum, quod Spiritus Sanctus per Filium et ex Filio existit, ejus ex Filio effulgentiam et manifestationem innuit; ex confesso enim Paracletus per Filium ab æterno effulget et demonstratur, quemadmodum lumen ex sole per radium. Ostendit etiam communicationem et donationem et missionem ad nos factam; nullatenus vero Spiritum per Filium et ex Filio subsistere, et suum esse per eum et ab eo accipere [2]. »

Ut narrat Pachymeres, *Tomum* talia continentem absque ulla hæsitatione subscriptione firmarunt episcopi; non ita vero clerici inferiores, qui aut omnino subscribere recusarunt,

1. *Ibid.*, col. 240 A : « Βούλεται τρανῶς τὴν δι'Υἱοῦ τοῦ Πνεύματος παριστάνειν φανέρωσιν ἐκ Πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχοντος. » Quantum a vero Damasceni sensu aberret Cyprius, inde apparet, quod sanctus doctor in capite citato loquitur de Spiritu *manifestante* seu *manifestatore*, τοῦ ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος, quem ibidem etiam vocat « τὴν ἐκφαντορικὴν τοῦ κρυφίου τῆς θεότητος δύναμιν τοῦ Πατρός » (*P. G.*, t. XCIV, col. 848-849), dum Gregorius manifestationem non Spiritui, sed Verbo, tribuit. Diceres illum, in effato : « Διὰ Λόγου προβολεὺς ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος », epithetum ἐκφαντορικοῦ non ad Spiritum, sed ad Verbum retulisse.

2. *Ibid.*, col. 240 BC : « Δι'Υἱοῦ γὰρ ὁμολογουμένως αὐτὸς ἀϊδίως ἐκλάμπει καὶ ἀναδείκνυται ὁ Παράκλητος, ὥσπερ ἐκ τοῦ ἡλίου διὰ τῆς ἀκτῖνος τὸ φῶς· δηλοῖ δὲ καὶ τὴν εἰς ἡμᾶς χορηγίαν καὶ δόσιν καὶ ἀποστολήν· οὐ μὴν δὲ καὶ ὅτι ὑφίσταται δι'Υἱοῦ καὶ ἐξ Υἱοῦ. » Hanc comparationem solis, radii et lucis seu splendoris, qua sæpe usi sunt græci Patres ad inculcandum ordinem personarum Trinitatis earumque mutuam relationem, in sensum catholicum probe vertit sanctus Thomas in *Quæstione X de potentia*, art. 4, n. 22. Difficultati enim his verbis conceptæ : *Filius est radius Patris, Spiritus autem Sanctus splendor; splendor autem non est a radio; ergo nec Spiritus Sanctus a Filio*, sic respondet : « Dicendum quod splendor est a radio, cum nihil aliud sit quam reverberatio radii ad corpus clarum »; quam responsionem ita commentatur B. M. de Rubeis : « Itaque splendor non solum a radio habet quod nobis communicetur, sed a radio habet id quoque quod est. Quoniam vero radii virtus, qua splendor efficitur, a sole provenit, ideo et splendor et radius a sole tanquam a principe et primaria causa proficisci dicuntur. Ratione pari, si res divinas modulo nostro metiri liceat, Spiritus Sanctus, tametsi a Filio procedat spirante ipsum, peculiari tamen ratione procedere dicitur a Patre, quia a Patre virtutem habet Filius, qua spirat Spiritum Sanctum. Hinc ratione duplici catholico dici sensu

aut id ante non fecerunt quam patriarcha et episcopi cautionem scriptam eis dedissent de non imputanda ipsis in posterum hujus rei culpa, si doctrina in tomo expressa tanquam orthodoxiæ minus consona ab Ecclesia unquam reprobaretur [1]. Tria enim in documento inveniebant hæresim redolentia : 1° ipsam manifestationem Spiritus per Filium, cujus indolem non intelligebant; 2° quod hujusmodi manifestatio ab æterno fieri dicebatur; 3° quod in Damasceni loco interpretando : προβολεὺς διὰ Λόγου ἐκφαντορικοῦ Πνεύματος, voces προβολεύς et προβολή Gregorius ab earum vero sensu theologico apud Patres recepto detorserat, significationem homonymam seu ambiguam eis tribuens. In confesso enim est apud Patres τὴν προβολὴν designare actum quo Spiritus Sanctus ex Patre accipit existentiam, unde et Pater habet quod appelletur προβολεύς; nunc vero patriarcha τὴν προβολὴν et προβολέα non de existentia Spiritus ex Patre ab æterno accepta, sed de ejus æterna manifestatione a Patre per Filium accipiebat; quod et ad voces ἐκπόρευσις, ἐκπορεύεσθαι accommodabat. Hoc mox adverterunt quidam ex præsulibus, qui primum tomo tam leviter subscripserant, inter quos exstitit metropolita Ephesi, Joannes Chilas [2]. His sese adjunxerunt quotquot in Gregorium infenso animo erant.

Interim Joannes Veccus tomum scripto confutavit, et monachus quidam, nomine Marcus, genere Judæus, qui patriarchæ familiaris erat, tomum defendendi onus in se suscepit, cujus lucubrationem, prius a se recognitam et emen-

potest Spiritum Sanctum *non esse ex Filio :* ac primo non esse ex illo tanquam a causa, quæ habet a se virtutem spirandi; deinde non esse ex illo tanquam a causa, aut concausa distincta a Patre. » Bernardus M. de Rubeis, *De Georgio Cyprio dissertatio I*, c. VIII, *P. G.*, t. CXLII, col. 113.

1. G. Pachymeres, *De Andronico*, l. II, c. I, *P. G.*, t. CXLIV, col. 121-127.

2. Cf. hujus *Epistolam ad imperatorem*, *P. G.*, t. CXLII, col. 245-246 : « Τὸ γοῦν δοξάζειν καὶ γράφειν τὴν ἐκπόρευσιν ταύτην νῦν μὲν ἐπὶ τῆς θεολογίας τὴν ὕπαρξιν συμαίνειν αὐτὴν, νῦν δὲ αὖ τὴν ἔκφανσιν τὴν ἀΐδιον ἢ τὴν ἔλλαμψιν, ἢ τὴν φανέρωσιν, βλάσφημον... Πάλιν τὸν προβολέα τοῦ παναγίου Πνεύματος αἴτιον, ὡς καὶ τὸν γεννήτορα νοῦ Υἱοῦ αἴτιον, ἡ κοινὴ τῶν Πατέρων οἶδεν ἔννοια καὶ ὁμολογία. Πρὸς δὲ καὶ τὴν προβολὴν ταὐτὸ τῇ ἐκπορεύσει δύνασθαι καθάπαξ οἱ πάντες γινώσκουσιν. »

datam, Gregorius approbavit, et ut ederetur permisit. Porro Marcus scripto suo latentem in tomo de vocibus ἐκπόρευσις et προβολή homonymiam missis ambagibus aperiebat, nomenque προβολεὺς in παροχεύς mutabat : Pater ab æterno Spiritum Filio *tradit* (παρέχει), ut illum præsentet ac manifestet [1]. Adversariorum patriarchæ factio, his omnibus commota, de recognoscendo et emendando tomo loqui incepit, Andronicumque imperatorem rogavit, ut ad hoc præstandum synodum episcoporum convocaret. Gregorius vero proposito nullo pacto assentire voluit, dicens tomum esse orthodoxiæ perfecte consonum nec in eo quidquam corrigendum esse. Cum autem ab ejus communione multi jam sese abstinerent, patriarcham rogarunt, ut pro bono pacis sede se abdicaret. Renuit primum ille; instantibus vero episcopis et ipso imperatore, consensit tandem, ea tamen pactione, ut in publico cœtu episcoporum, clericorum, monachorum et populi, senatu cum imperatore præsentibus, eum, Gregorium, ab omni in fide errore plane immunem ac perfecte orthodoxum solenni decreto declararent. Probrosæ conditioni multi repugnabant; vicit tamen sententia eorum, qui *œconomiæ* usum in casu commendarunt. Factum est ergo ut Gregorius petierat : ipsi libellum abdicationis, quem tamen scripto nomine non firmavit, offerenti libellum publicum orthodoxiæ tribuerunt. His peractis Gregorius in monasteriolum Aristinæ dictum se abdidit [2], ubi pro sui tomi defensione quædam adhuc conscripsit, suam de manifestatione æterna theoriam expoliens [3]. Hujus autem accuratiorem expositionem invenire est in illa fidei professione, quam, antequam se abdicaret, suis adversariis exhibuit, ut a Marci monachi errore se purgaret. Ibi enim hæc legimus :

1. Hanc fuisse Marci sententiam, ex iis quæ refert Pachymeres, *De Andronico*, l. II, c. IV, *P. G.*, t. CXLIV, col. 132-134; *De Michaele Palæologo*, l. VI, c. XXIII, *P. G.*, t. CXLIII, col. 943-944, colligimus : « Τινὲς δὲ, ait Pachymeres, *De Michaele*, *loc. cit.*, μετήμειβον τὸ προβολεὺς εἰς τὸ παροχεύς, καὶ τὴν ἐκφαντορίαν οὐκ εἰς τὴν ὕπαρξιν ἐξελαμβάνοντο, ἀλλ'εἰς τὴν ἐς ἀΐδιον ἔκφανσιν. »

2. Hæc omnia fuse narrat Pachymeres, *De Andronico*, l. II, c. I-X, *P. G.*, t. cit., col. 121-149.

3. Ἀπολογία πρὸς τὴν κατὰ τοῦ τόμου μέμψιν ἰσχυροτάτη, in *P. G.*, t. CXLII, col. 251-270.

« Nos dicimus et immediate existere Spiritum ex Patre, et per Filium. Et non, secundum quod adversarii autumant, *immediate* dicentes, illud *per Filium* convellimus, neque *per Filium* confitentes, illud *immediate* negamus. *Immediate* enim profitemur, quandoquidem existentiam secundum hypostasim et ipsum esse ex ipso Patre habet Spiritus, et *non ex Filio, nec per Filium;* secus enim Filius Paracleti causa evidenter esset, quod pietati non congruit nec ullus unquam sanctorum aut dicere aut scribere visus est. Per Filium autem Spiritum dicimus et nostram confessionem de immediata processione inde non tolli, *quandoquidem Spiritus procedens et in suo esse constitutus ex Patre, ex quo et Filius gignitur, per ipsum Filium progreditur et exsplendet, perfectum esse ab ipso Patre jam habens, eodem prorsus modo, quo lumen dicitur per radium ex sole, habens quidem solem tanquam fontem et sui esse causam et principium sui naturale, transiens attamen et prodiens et splendens per radium, ex quo neque existentia neque subsistentia lumini obvenit,* sed per eum apparet, ut dictum est, minime vero sui esse principium per eum aut ex eo tenet, sed pure et immediate ex sole, ex quo est et ipse radius, per quem lumen ut prodiens manifestatur [1]. »

In *Apologia tomi*, quam post suam abdicationem conscripsit, eadem aliis verbis repetit, nec homonymiam vocibus ἐκπόρευσις et προβολή inhærentem quam ejus adversarii ei exprobrabant, in ultima hac explicatione tollit, sed sibi ipsi aperte contradicit; siquidem ex una parte asserit neminem ex Patribus dixisse Spiritum per Filium ἐκπορεύεσθαι, in sensu proprio hujus vocis ἐκπορεύεσθαι; ex altera vero, hoc concedit; et non concedere sane non potest, cum revera Patres hoc sæpe dixerint; sed ubi dicunt, inquit, dictio

1. Ὁμολογία, *P. G.*, *ibid.*, col. 250-251 : « Ἐπειδὴ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ὑφιστάμενον, ἐξ οὗ δὴ καὶ ὁ Υἱὸς γεννᾶται, δι'αὐτοῦ δὴ τοῦ Υἱοῦ προέρχεται καὶ ἐκλάμπει, τέλειον πλὴν ἔχον τὸ εἶναι παρ'αὐτοῦ τοῦ Πατρός, καθ'ὃν δὴ τρόπον καὶ τὸ φῶς εἴρηται διὰ τῆς ἀκτῖνος ἐκ τοῦ ἡλίου. » Paulo superius, col. 250 C, dixerat : Dictio « ἐκ Πατρὸς δι'Υἱοῦ ἐκπορεύεται » σημαίνει αὐτὴν τοῦ Πνεύματος τὴν διὰ τοῦ Υἱοῦ ἀΐδιον ἔκφανσιν, συντρέχουσαν καὶ συνεπινοουμένην τῇ ἐκ Πατρὸς αὐτοῦ εἰς τὸ εἶναι προόδῳ. » Processio ergo et æterna manifestatio se invicem includunt, una in altera latet, sub altera subintelligitur, parallelæ sunt.

in hanc vertenda est : « Τὸ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον Πνεῦμα ἐκφαίνεται καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ φανεροῦται, καὶ ἐκλάμπει καὶ πρόεισι », vel simpliciter tunc intelligendum est quod Patres alibi dicunt : « Δι' Υἱοῦ ἐκλάμπει, φανεροῦται, πέφηνε, πρόεισι, γνωρίζεται [1]. »

Post Gregorii secessum, imperator Andronicus episcopos bis in synodum congregavit, ut de emendando tomo deliberarent, et ad orthodoxiæ normam illum aptarent; verum res eis prospere non cessit; de correctione enim et loci Damasceni interpretatione inter se convenire nequaquam potuerunt. Unde documentum intactum reliquerunt, ne novis controversiis pacem Ecclesiæ turbarent [2]. Vides unionis Lugdunensis adversarios in hoc tantum unanimes fuisse, ut catholicam explicationem illius « διὰ τοῦ Υἱοῦ » repellerent; ab invicem autem semper dissensisse atque in varias pugnantesque inter se sententias abiisse, quoties sectæ suæ doctrinam *positive* enuntiare tentaverint.

Paucos habuit Gregorius suæ theoriæ sequaces [3]. Unum tantum certum est, videlicet theologos dissidentes illius tem-

1. *P. G.*, t. cit., col. 258 D, 263 B, 265 A.

2. Pachymeres, *loc. cit.*, l. II, c. XI, col. 149 AB. Hic exitus fuit illius Blakhernarum synodi contra unionistas congregatæ, quam Georgius Scholarius postea tanti fecit, ut illam magnam ac vere *œcumenicam* prædicaret. Cf. *Œuvres complètes*, t. III, p. 85, 89, 137-134, 173; t. II, p. 424-426. Vere œcumenica sane, cujus tomus ut hæresim redolens ab omnibus fere coætaneis habitus fuerit, cui tamen corrigendo impares omnino deprehensi sunt!

3. Ad Gregorii sententiam prope accedere videtur Meletius ille Galesiota, ob ejus in unionem invictam reluctantiam titulo Confessoris a Photianis decoratus, qui in suis *Theologicis versibus de sancta Trinitate* ut illud *Filioque* seu « τὸ ἐκ τοῦ Υἱοῦ » Patrum latinorum explanet, sequentes conscribit versus :

Οὐχ ὡς αἰτίαν τὸν Υἱὸν τοῦ Πνεύματος φρονοῦντες,
Ἀλλ'ἵνα παριστήσωσι τὴν τούτων συμφυΐαν·
Ἵνα δηλώσωσιν ἡμῖν ὡς ἐκ Πατρὸς ὑπάρχον
Τὸ Πνεῦμα φέρων ἀμερῶς ὁ Λόγος ἡνωμένον,
Ἔχει καὶ δίδωσιν αὐτὸ καὶ φαίνει καὶ δεικνύει.

Spirido Lauriotus, Μελετίου τοῦ Γαλεσιώτου περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος θεολογικά, edita in commentario Θεολογία, t. XIII (1926), p. 190-199. Certo autem huic theoriæ de manifestatione æterna adhæserat Theodorus Muzalon junior, ut constat ex excerpto ejus opusculi a Dositheo necnon ab editore *Patrologiæ græcæ*, t. CLXII, col. 290-300, Gregorio Cyprio falso tributi. Ibi enim dicit formulam « A Patre per Filium

poris hanc novam explicationem ut hæresim sapientem habuisse, quanquam ejus auctori orthodoxiæ libellum inviti aliquando concesserunt. Revera Gregorius a genuino photianismo aliqua ex parte recedit. Vult enim ille græcorum Patrum diagramma trinitarium tenere, et Filii mediationem in processionibus divinis servare. Dum autem hujus mediationis veram rationem tollere conatur, in merum proprii ingenii incidit commentum, cui sapienter explicando impar semper exstitit. Hoc unum ex omnibus, quæ pro manifestatione æterna adstruenda conscripsit, colligitur, scilicet Filium in processione æterna Spiritus Sancti ex Patre aliquo modo inexplicabili partem suam habere, quamvis Spiritus a Patre solo existentiam habeat [1].

IV. — De sententia Georgii Pachymeris.

Ut jam supra notavimus [2], historicus Georgius Pachymeres, cui narrationem eorum debemus, quæ tum circa

ἐκπόρευεται » nullatenus significare Spiritum Sanctum ex Patre per Filium suam existentiam habere, sed vel meram Patris ad Filium relationem declarare, vel « quod ex paterna substantia perfecte jam in suo esse constitutus Spiritus Sanctus una cum Verbo prodeat, et *per eum veniat*, et *exsplendescat*, et *appareat secundum æternam ejus exsplendescentiam:* ἀλλ'ὅτι ἐκεῖθεν ἐκ τῆς πατρικῆς τουτέστιν οὐσίας ὑφιστάμενον, ὡς εἴρηται, τέλειον συμπαρομαρτεῖ τῷ Λόγῳ, καὶ ἥκει δι'αὐτοῦ καὶ ἐκλάμπει καὶ πέφηνε κατὰ τὴν προαιώνιον αὐτοῦ καὶ ἀΐδιον ἔκλαμψιν. » *Loc. cit.*, col. 290 C. Nota Muzalonem Georgii Cyprii discipulum fuisse et suum opusculum de processione Spiritus ei dicasse. Postea vero, id est anno 1288, sententiam mutavit et de *sola transitione per Filium* locutus est.

1. De vita, scriptis et doctrina erudite disserit F. B. M. de Rubeis in opere : *Dissertationes duæ historicæ et dogmaticæ cum epistola ejusdem Cyprii ad amicum et Moschamberis exchartophylacis ad ipsum, queis byzantina Georgii Pachymeris historia illustratur*, Venetiis, 1753; quas invenies in t. CXLII, *P. G.*, col. 17-234. Paulo confuse tamen ac prolixius de ipsa Gregorii doctrina loquitur; nec ei in hoc assentimur quod, post Lequien, Cyprium habet ut Palamæ præcursorem. Nihil enim profert ille quod palamismum proprie dictum sentiat, et utrumque systema ex diverso oritur principio. Theoria tamen de manifestatione æterna monachis hesychastis arridere debuit, quod in hac de lumine divino sub aliquo respectu sermo erat, quidquid autem ad lumen spectabat, illos delectabat. De facto monachum Marcum et ipsum Meletium videmus novæ theoriæ suffragantes.

2. P. 364.

Veccum ejusque socios, tum circa Gregorium Cyprium acta sunt, quamdam de processione Spiritus Sancti opellam conscripsit, in qua processionem æternam a Patre per Filium tuetur, ac subtili ratiocinio demonstrat Spiritum Sanctum Filii spiritum dici non posse ob solam missionem temporalem ipsius per Filium, adhuc minus propter meram personarum consubstantialitatem. Igitur Photianus non est, et illud « διὰ τοῦ Υἱοῦ » ad æternam Spiritus processionem refert. Quomodo autem Filii mediationem intelligat, non tam clare apparet. Unde B. de Rubeis eum, dubitanter tamen, illis accenset, qui cum Muzalone transitum instrumentalem per Filium docuerunt [1], dum, e contra, Allatius eum catholice sentientem habuit, ejusque opellam unionistarum scriptis in sua *Græcia orthodoxa* adjunxit. Allatio nos suffragamur putamusque illum non exclusisse Filium ab actu quo Pater emittit ab æterno Spiritum Sanctum ejusque mediationem eodem modo intellexisse quo Nicetas Maronensis, Nicephorus Blemmides et ipse Veccus Joannes. Non quidem omnia probat quæ dixit Veccus ac scripsit; ei enim crimini vertit quod quæstiones novas absque necessitate moverit; quod ad quædam Patrum testimonia provocaverit, quæ dubiæ sint auctoritatis; quod disputationi polemicæ plus æquo indulserit; nullibi tamen ejus fundamentalem positionem damnat; immo vero haud uno in loco sui historici operis ei aperte favet, v. g., ubi Nicetas Maronensis *Dialogos* et Blemmidæ *Epistolas dogmaticas duas* pro Ecclesiarum unione conscriptas haud obscure laudat :

« Hujusmodi scriptis, inquit, tanquam fundamento utens, Veccus plurima alia collegit, eumdem ac illi scopum intendens, diligentiusque singula perscrutatus, ad hunc finem omnia dirigebat, ut in hac concordiæ tractatione omnia recte acta fuisse ostenderet. Verum, non *in paucis illis constitit manifestis* [2], sed præ quadam aviditate his alia attexuit non convenientia, quibus contradicere non

1. *Dissertatio I de Georgio Cyprio*, *P. G.*, t. CXLII, col. 131-138.

2. « Πλὴν οὐκ ἐπ'ὀλίγοις ἵστη τοῖς ἀριδήλοις τοὺς λόγους », scilicet in testimoniis Patrum a Niceta Maronensi et Nicephoro Blemmida citatis.

sine ratione quis possit, simile quid passus iis, qui stomacho infirmo, ubi cibum utilem perceperint, alia super ingerunt non salubria, gulæ inhiantis aviditate tracti, et ita profuturum alimentum una cum noxio pariter evomunt [1]. »

Item, libenti animo atque, ut videtur, quasi tacite probando, hæc de Vecco alibi narrat :

« Veccus, lectis libris, videns in eis multa esse, quæ proposito conducerent, totamque Latinorum culpam in eo forsitan esse, quod voculam symbolo addidissent, sancti Cyrilli testimonium proferebat, nos et illos quantum possibile concilians, quod sic se habet : *Spiritus Sanctus ex utroque substantialiter existit, id est a Patre per Filium*, illis præpositionem ἐκ, nobis vero præpositionem διά usurpantibus; unde Cyrillus utriusque partis conciliator fiebat... His et similibus munitus Veccus, quibus propriam pacabat conscientiam, ad pacem propendebat [2]. »

In ipso autem opusculo suo, differentiam significationis inter præpositiones *ex* et *per* ad instar unionistarum explanat :

« Si aliquid audendum, inquit, dicendum est Spiritum ex Patre esse secundum processionem, et sane propter naturalem Filii mediationem, per quam et Filio proprietas, qua unigenitus est, conservatur, et Spiritus non impeditur ex Patre esse tanquam ex principio. Præpositio enim διά *(per)* indicat principium unde est, et non in se sistit. Præpositio ἐκ *(ex)* vero apta est ad ostendendam primam originem, et eam solam [3]. »

1. *De Michaele Palæologo*, l. VI, c. XXIII, *P. G.*, t. CXLIII, col. 938.
2. *De Michaele Palæologo*, l. V, c. XVI, *ibid.*, col. 836-837 : « Τούτοις τε καὶ τοῖς τοιούτοις συγκροτηθεὶς οἷον ὁ Βέκκος, ἐφ'ᾧ τὴν ἰδίαν θεραπεῦσαι συνείδησιν, ὑπεκλίνετο πρὸς εἰρήνην. » Cf. etiam *De Andronico*, l. I, c. IX, *P. G.*, t. CXLIV, col. 33-34, 36-39.
3. Πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι διὰ τοῦτο λέγεται πνεῦμα Υἱοῦ διὰ τὸ ὁμοούσιον, ἢ διὰ τὸ χορηγεῖσθαι ὑπ'αὐτοῦ τοῖς ἀξίοις. *P. G.*, t. CXLIV, col. 925 D : « Εἰ δὲ δεῖ τι τολμᾶν, ὅτι διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκ Πατρὸς προοδικῶς ἐστι τὸ Πνεῦμα, καὶ διὰ τὴν φυσικὴν μεσιτείαν τοῦ Υἱοῦ, δι'ἧς τό τε μονογενὲς φυλάττεται οἱ καὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ ἐξ αἰτίου τοῦ Πατρὸς εἶναι οὐκ ἀπείργεται. »

In fine vero ita concludit :

« Ad secundam responsionem dicendum est Spiritum Sanctum Filii spiritum esse, quia ex Patre per Filium existit. Sicut enim de sole loquentes, dicimus lumen per radium ex sole esse, mediationem radii ostendentes, et causam luminis solem significantes, ita et in præsenti quæstione asserentes Spiritum esse per Filium, quærendam relinquimus originalem causam, cui significandæ præpositio *ex* principaliter et natura apta est; quod non æque succedet si quis et ex Filio Spiritum dicat; *ex* enim sistit mentem, qua audita, necesse non est, ut ultra dictum progrediaris et *principalem causam inquiras*, καὶ ζητεῖν τὸ ἄρχικον αἴτιον [1]. »

Hæc ultima verba « καὶ ζητεῖν τὸ ἀρχικὸν αἴτιον » bene nota. Ex his jure conjicere licet Pachymerem mediationem Filii in processione æterna Spiritus Sancti intellexisse secundum doctrinam catholicam, non vero secundum æternam manifestationem Gregorii Cyprii, neque secundum transitum instrumentalem a Theodoro Muzalone excogitatum. Quare autem de hujus mediationis natura non adeo explicite locutus fuerit, ratio in promptu est : Photianorum animum in se concitare noluerit, nec ad heroicam Vecci virtutem pervenerit, ut per periculosam veritatis confessionem vitæ tranquillitatem amitteret [2].

V. — De quorumdam aliorum theologorum positione circa Spiritus Sancti processionem.

Præ variis illis ac pugnantibus de processione Spiritus Sancti per Filium sententiis, quidam theologi hanc sibi positionem elegerunt, ut nihil præter sacræ Scripturæ verba de

1. *Ibid.*, col. 928 D : « Εἰ δὲ δεῖ τι τολμᾶν κἀνταῦθα, διότι καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐστι τὸ Πνεῦμα..... Λέγοντες δι'Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα, ζητεῖν ἀφίεμεν τὴν ὅθεν αἰτίαν, ᾗ τὸ ἐκ ἀρχικῶς ἀποκεκλήρωται. Οὐ μὴν δὲ ὅτε καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ εἴποι τις ἄν, τοῦτο συμβαίη ἄν. Ἵστησι γὰρ τὸ ἐκ τὴν διάνοιαν καὶ οὐκ ἀνάγκη τῷ ἀκούοντι ἐκ τοῦ λόγου τούτου προχωρεῖν πορρωτέρω καὶ ζητεῖν τὸ ἄρχικον αἴτιον. »
2. Nota quam timide proponat suam sententiam : « Εἰ δὲ δεῖ τι τολμᾶν », *loc. cit.*, col. 925 D, 928 D.

hac quæstione proferendum esse palam dixerint. Ita sentiebat Georgius Acropolita in quodam opusculo, quod conscripsit, antequam unioni Lugdunensi adhæreret et illam calamo etiam defenderet. Syllogismis, inquiebat, valedicendum, et his standum Evangelii verbis : Spiritus Sanctus a Patre ἐκπορεύεται, a Patre et Filio πέμπεται, etc. [1]

Ad hoc etiam devenit Maximus Planudes, qui quondam catholicus et librorum sancti Augustini de Trinitate in linguam græcam doctus interpretator, quatuor syllogismis in Latinos de processione Spiritus Sancti carcere et vinculis seipsum, ut narrat Demetrius Cydones, liberare voluit. In tertio enim syllogismo hæc habet :

« Dum Latinos redarguis, dicens nihil fateri oportere præter ea quæ in sacra Scriptura occurrunt, respondent : « Qua igitur ratione Patres vocem consubstantialis, quæ in «Scriptura non reperiebatur, in symbolo posuerunt? » Dicimus periculum ibi fuisse, nisi hoc diceretur, ne Filius Patre minor existimaretur; quanquam et si hæc vox in Scriptura non existat, illud tamen : *Ego et Pater unum sumus* huic æquivalens est. Hic vero quæ necessitas est dicere etiam ex Filio Spiritum Sanctum procedere, cum in sacra Scriptura hoc non inveniatur? Ubinam periculum in theologia traditione accepta et ab hoc abstrahente? Nullum omnino, dum e contra, ex hujusmodi additamento multa oriuntur absurda, veluti duplex principium, et quod Spiritus videatur esse compositus, et innumera alia [2]. »

His et similibus rationibus ex promptuario photiano desumptis conscientiam redarguentem mulcebat infelix ille monachus, doctior quam in fide fortior, quem sic alloquitur Arcudius : « Iræ quorumdam gratificari studens, seu eam declinare volens, hanc nactus et secutus es viam, ut et illam vitares et veritati magis opitulareris, nimiam ejus vim cernere non valentibus imbecillitate rationum patefaciens [3]. »

1. Apud Demetrakopulum, Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη, p. 395-410.
2. *Maximi Planudis monachi de processione Spiritus Sancti contra Latinos*, apud Arcudium, *Opuscula aurea theologica*, ed. 2, Romæ, 1670, p. 623.
3. *Ibid.*, p. 629.

ARTICULUS III

De præcipuis dogmatis catholici adversariis qui ab ortu palamismi usque ad concilium Florentinum fuerunt (1330-1430).

Prænotamina.

Theologia dissidens sæculi XIV nihil fere novi ad controversiam confert, si illam palamiticam missionis divinæ notionem excipias, de qua in primo capite hujus tractatus disseruimus [1]. Porro inter varias illius διὰ τοῦ Υἱοῦ explicationes necnon aliorum locorum patristicorum catholico dogmati aperte suffragantium interpretationes a theologis præcedentis sæculi prolatas, illi potissimum adhæret, quæ omnia fere sive de missione, sive de consubstantialitate personarum intelligit. Hanc interpretandi rationem ad photianismum classicum pertinere jam novimus. Arripiunt tamen hujus temporis polemistæ Moschabari adinventionem de præpositionum mutatione, quæ photianismo classico inde coaptatur. Theoriæ Gregorii Cyprii de manifestatione æterna a quibusdam obiter vix memoratur, cujus locum obtinet palamitica missionis explicatio.

Sicut sæculo XIII quidam theologi optimæ notæ photianismo valedixerant ut doctrinam catholicam amplecterentur, ita et sæculo XIV factum est. Joannis Vecci ejusque sociorum vestigia tunc premunt inter alios Barlaamus Calaber, Demetrius Cydones, Manuel Calecas, ex quibus primus haud pauca contra catholicum dogma conscripsit, antequam validis argumentis illud propugnaret.

Præsens articulus quinque sectiones habebit. Loquemur :

1° De Barlaamo, Demetrio Cydone et Manuele Caleca;
2° De Gregorio Palama;
3° De Nilo Cabasila et Theophane Nicæno;
4° De Josepho Bryennio;
5° De quibusdam aliis polemistis minoris notæ.

1. Cf. supra, p. 233 sq.

I. — De Barlaamo, Demetrio Cydone et Manuele Caleca.

Ut jam diximus, Barlaamus Calaber a fide catholica recessisse nequaquam credendus est eo tempore quo in Orientem profectus est, ut vulgo narratur; sed cum ab infantia, ut ipse testatur, in doctrina photiana enutritus esset [1], postea rationum vi persuasus, quas in epistolis ad amicos in Oriente degentibus enumerat [2], catholico dogmati adhæsit. Haud pauca autem, nempe non minus quam decem et octo opuscula, de processione Spiritus Sancti, photianismo adhuc addictus, contra Latinos conscripsit; quæ omnia adhuc inedita sunt. Ex quatuor autem, quæ legere potuimus [3], colli-

1. Hoc explicite dicit in fine opusculi septimi contra Latinos, cujus titulus est in *cod. Paris. 1218*, sæc. xv, fol. 505r: Ὅτι οὐχ ἁπλῶς ὑπόθεσις τὸ νομίζειν ἐκ μόνου Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ'ἀνάγκη πᾶσα τοῖς εὐσεβεῖν αἱρουμένοις ἐκ μόνου τοῦ πρώτου αἰτίου προάγειν τὰ ἐκεῖθεν ἀχρόνως ἐκλάμψαντα· καὶ κεφαλαιώδης ἔκθεσις τοῦ ἡμετέρου δόγματος : *Non esse meram hypothesim existimare ex solo Patre procedere Spiritum Sanctum, sed necesse omnino esse eos, qui pie credere volunt, ex prima causa sola educere quæ inde sine tempore eluxere; et compendiosa nostri dogmatis expositio.* Post hanc dogmatis photiani expositionem, hæc addit : Αὕτη ἡ ἐμὴ περὶ Τριάδος πίστις καὶ εὐσέβεια, ᾗ συνανεστράφην ἐκ παιδός, καὶ μέχρι τοῦδε συνέζησα· εὔχομαι δὲ αὐτῇ καὶ συναποθανεῖν, καὶ μετ'αὐτῆς τῷ ἀδεκάστῳ καὶ φρικτῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ σὺν καθαρᾷ πολιτείᾳ παραστῆναι : *Hæc est mea de Trinitate pia fides, in qua ab infantia enutritus sum et ad hanc usque horam perseveravi; in qua et mori et cum ea ad incorruptum tremendumque tribunal Christi post bonam et integram conversationem adstare exopto. Cod. cit.*, fol. 506v. Jam ad fidem catholicam conversus, ad Demetrium Cydonem item scribit : *Prius credebam quod a solo Patre procedit Spiritus, et nunc rursus credo quod etiam ex Filio.* Epist. ad Demetrium Cydonem, *P. G.*, t. CLI, col. 1301 C.

2. In *P. G.*, t. CLI, col. 1255-1330.

3. Agitur 1º de opusculo inscripto : Λέγατος ἢ περὶ Πνεύματος, in formam dialogi redacto, ex *cod. Paris. 1291*, a S. Syropulo anno 1447 exarato (opus. IX apud Migne, *P. G.*, t. CLI, col. 1251); 2º de opusculo VII in *P. G.*, *ibid.*, cujus titulum, p. 302, n. 1, mox retulimus; 3º de opusculo IV, *P. G.*, col. 1250 : Ὅτι ὑποκειμένου ἐκ μόνου Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἀναιροῦνται τὰ περὶ θεολογίας ῥητά, ex *cod. Paris. 1218*, fol. 506v-514v.; 4º de opusculo V, *P. G.*, col. 1251 : Ὅτι ὑποκειμένου καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, πολλὰ τῶν ὁμολογουμένων ἀναιρεῖται καὶ πολλοῖς ῥητοῖς τῶν ἁγίων ἐναντίως ἔχει ἡ τοιαύτη ὑπόθεσις, ex eodem codice, fol. 514v-521v.

gere est Calabrum monachum in Patrum græcorum doctrina parum versatum fuisse, saltem eo tempore quo hæc composuit. Ad Patres autem latinos quod attinet, de illis penitus tacet. Item de formula διὰ τοῦ Υἱοῦ nihil profert. Ignorat quosdam Patres in Domini insufflatione in discipulos post Resurrectionem quoddam processionis æternæ indicium detegisse; haud paucos item comparationem ex arbore, ramo et fructu usurpasse; sanctum Athanasium fontem Spiritus Sancti Filium appellasse. E contra, in duobus textibus spuriis, sancti Cyrilli Alexandrini uno [1], Gregorii Nysseni altero [2], multum insistit, eosque tanquam palmare argumentum contra Latinos haud semel urget [3]. Cæterum, præcipua Photianorum argumenta bene novit, Photii axiomatibus totus imbutus apparet, et a *priori* ponit τὴν προβολὴν esse hypostaticam proprietatem Patris. Tenet Filium a Spiritu Sancto mitti. Ex comparationibus a Patribus usurpatis eas tantum memorat, quæ conceptioni photianæ specietenus favent, ut, v. g., illos « βλαστοὺς θεοφύτους, ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα » Dionysii, illum « δίδυμον ἀκτῖνα » Gregorii Theologi. Excellit autem in dialecticæ artis usu, ut Latinorum rationes theologicas cogentes non esse ostendat, nec ullam gravem inconvenientiam sequi ex Græcorum positione circa processionem Spiritus a Patre solo. Impugnat præsertim sententiam sancti Thomæ, docentis per solam relationem originis personas divinas inter se differre [4].

1. Cyrilli locus sic se habet : « Ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ὡς ἀπὸ στόματος. » De hoc jam disseruerant J. Veccus, *De processione Spiritus Sancti*, c. XII, *P. G.*, t. CXLI, col. 249-263, et C. Meliteniota, *De processione Spiritus Sancti*, *oratio II*, 31, *P. G.*, t. CXLI, col. 1225.

2. Locus ille, de quo etiam vide C. Meliteniotam, *loc. cit.*, sic se habet : « Πνεῦμα τὸ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως ἐκπορευόμενον· τοῦ δ'ἕνεκα γὰρ τὸ Πνεῦμα στόματος, ἀλλ'οὐχὶ Λόγον στόματος εἴρηκεν, ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ Πατρὶ μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται. » In textu genuino sic legitur : « ἵνα τὴν ἐκπορευτικὴν ἰδιότητα τῷ Πνεύματι μόνῳ προσοῦσαν πιστώσηται. »

3. In *Opusculo IV*, *cod. cit.*, fol. 508v, et in *Opusculo V*, *ibid.*, fol. 521r.

4. Sanctum Thomam ex professo confutat in *Opusculo X* : Κατὰ Θωμᾶ λέγοντος, ὅτι κατὰ μόνα τὰ πρός τι διαφέρουσιν ἀλλήλων τὰ θεῖα πρόσωπα.

Latinis autem, quibuscum magna cum urbanitate semper disputat, ab omni convicio abstinens, quædam concedit quibus polemistæ antilatini assentiri nunquam voluerunt. Sic, v. g., fatetur non esse absurdum unam solam virtutem, nempe spirativam, duobus inesse suppositis quorum una est natura, addit tamen hoc non esse necessarium, cum Spiratoris et Spiritus una quidem natura sit, uterque autem non habeat virtutem generativam [1]. Item absurditatem ei exprobrare nollet, qui duo Spiritus Sancti principia poneret, quorum alterum alteri subordinaretur et ab eo procederet. Huic asserto vehementer reclamavit Gregorius Palamas; cui placide respondit Barlaamus nullam de divinis demonstrationem solo humano ratiocinio parari posse [2]. Et revera pleraque, quæ de hac quæstione scripsit Calaber, huc spectant, ut evincant humanam rationem controversiæ dirimendæ omnino imparem esse, solutionem autem ex divinæ Revelationis fontibus petendam esse [3].

1. Λεγάτος, *cod. cit.*, fol. 210r : Latino dicenti : « Οὐκ ἔστιν ἄτοπον μίαν ὑπάρχειν δύναμιν ἐν ὑποκειμένοις δυσίν, ὥνπερ μία φύσις πέφυκεν », respondet Orthodoxus : « Ἀλλ' οὐδ ἀναγκαῖον, ἐπεὶ τοῦ πρώτου αἰτίου καὶ τοῦ Υἱοῦ μία ἐστὶ φύσις, ἵνα καὶ ἀμφοτέροις ἡ προβλητικὴ ὑπάρχῃ δύναμις· μία γὰρ φύσις ἐστὶ τοῦ προβολέως καὶ τοῦ Πνεύματος, ἀλλ' οὐχ ὑπάρχει καὶ ἀμφοτέροις ἡ γεννητικὴ δύναμις : Ex hoc quod prima causa et Filius unam et eamdem habent naturam, non necessario sequitur ambobus inesse virtutem spirativam. Etenim una est natura Spiratoris et Spiritus, sed nequaquam ambobus inest generativa virtus. »

2. De hac prima controversia inter Barlaamum et Gregorium Palamam circa processionem Spiritus Sancti cf. 1° *Primam epistolam Palamæ ad Acindynum*, in *cod. Coisl. 100*, fol. 69-76, cujus excerpta quædam profert Porphyrius Uspenskii, *Istoriia Athona (Historia montis Atho)*, ed. P. Syrku, t. III, Petropoli, 1892, p. XXXIII-XXXIV et 710-712; 2° *Epistolas duas Palamæ ad Barlaamum* in eodem *cod. Coisl. 100*, quarum titulos habes in *P. G.*, t. CL, col. 834-835; 3° *Responsa duo Barlaami ad Palamam*, in *cod. Vatic. 1756*, fol. 209-223, et 279-294; eadem et in *cod. Marciano Venet. 333*.

3. Hoc non intellexit Palamas, ut videre est ex inscriptione suæ secundæ epistolæ ad Barlaamum : Πρὸς τὸν Βαρλαὰμ γράφοντα, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπόδειξις ἐπ' οὐδενὸς τῶν θείων, ἔλεγχος ὅτι ἔστιν ἐφ' ὧν, καὶ ὅτι κυρίως ἀπόδειξις αὕτη, ἡ δὲ κατ' Ἀριστοτέλην ἀπόδειξις ἀσύστατος. Non negabat sane Barlaamus divinorum mysteriorum demonstrationem esse per viam auctoritatis, ex theologicis scilicet fontibus, sed jure contendebat nullam demonstrationem de divinis processionibus confici posse ex solis rationis humanæ principiis ac viribus.

Catholicus autem factus, suis amicis in Oriente degentibus rationes, quibus ad Latinorum partes adductus fuerat, candide aperuit, ex quibus haud una nova est ac omnino notanda, pleræque vero validæ ac graves, apologetæ catholico valde utiles. Demetrio Cydoni respondens hæc scribit :

« Quæ autem me ad firmiter credendum ex Filio procedere Spiritum Sanctum duxerunt, tria maxime sunt; quorum duo et in tua epistola continentur : scilicet quod multi nostrorum Patrum et magnam opinionem habentium, sacram et divinam exponendo Scripturam, ex ipsa aiunt se intellexisse et ex Filio Spiritum Sanctum procedere; et ideo apertissime et per multa in suis scriptis hoc docent, sicuti sanctus Augustinus, sanctus Cyrillus; et secundum, quod etiam romana Ecclesia, quæ et dignitate et dominio et erga Scripturam diligenti studio superat omnes, quæ semper recta defendit dogmata, idipsum a principio docet et tenet. His etiam duobus, o amice, tertium additum, quod tu videris adhuc ignorare : quia etiam generale concilium de eodem ipso celebratum est in Lugdunis, quod hoc affirmans contradicentes omnes pro hæreticis haberi statuit. Hoc, inquam, ab omni ambiguitate remanens, totum facit hujus dogmatis [1]. »

In eadem epistola hanc addit considerationem :

« Dicere : *Et ex Filio* nihil oppositum est ad dicendum *ex Patre*. Non enim, si procedit et ex Filio, tollitur procedere et ex Patre, sed potius, illo prius concesso, et ex Patre procedere necessario sequitur. Quæ vero ita se habent inter se repugnantia non sunt. Ergo et divina Scriptura prius dicente ex Patre procedere Spiritum Sanctum, et postmodum conciliis idipsum dicentibus, Ecclesia romana, dicens *et ex Filio*, non dogmatizat aliquid illis repugnans et dicta illorum interimens, sed potius tale quo concesso illud necessario confertur. Nam sicubi adhuc dictum non fuisset quod Spiritus procedit ex Patre, et crederetur Ecclesiæ romanæ, quod ex Filio procedit, ex hoc utique concluderetur necessario illud.

1. *P. G.*, t. CLI, col. 1301 D. Opuscula Barlaami pro Latinis latine tantum edita sunt. Latinum textum, infimam latinitatem redolentem, prout in *P. G.* occurrit, referimus.

Nam si procedit ex Filio, qui omnia quæ habet, ex Patre habet, procedit ergo et ex Patre [1]. »

In quadam dissertatione de processione Spiritus Sancti, sexdecim argumenta pro dogmate catholico conficit, quorum quatuordecim ex sacra Scriptura petuntur. Tertium decimum ex *Apocalypsi*, c. XXII, 1, desumitur, et in hunc modum concinnatur :

« Ait Joannes in Apocalypsi : *Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ clarum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* In his fluvium aquæ vivæ Spiritum Sanctum nominari constat, agnum vero, Filium Dei. Quoniam vero procedit Spiritus Sanctus et ex Filio non in quantum homo est Filius, sed in quantum Deus est et ejusdem sedis ac Pater, ideo ait procedere fluvium de sede Dei et Agni, quod est de natura illa, qua est Agnus σύνθρονος Patri, ut per hoc significetur Agnum causam esse, in quantum ipse Agnus Deus est [2]. »

Argumentum autem decimum quintum ordinis est moralis, nec omni vi vacat :

« Oportet, post hæc, comparare huic factæ per nos demonstrationi de processione Spiritus Sancti et ex Filio sermones eorum qui oppositum ostendere nituntur, et videre quantum interest. *Illi enim aut contumeliis et blasphemiis nos percutientes et tali specie sermonum utentes, aut supponentes verba nostra* vel quorumdam dictorum expositiones vel argumenta non sicut nos intelligimus et dicimus et exponimus, sed sicut ipsi dicere nos et intelligere putant; aut etiam fingentes ipsi nostra verba prout eis facile sit destruere, ita adversus nos sermocinantur... Nos autem in exposito hoc sermone *contumelia omni abstinentes et nihil calumniose supponentes, per ipsa sacra eloquia, nihil vanæ scientiæ assumentes, ostendimus quod ex Filio procedit Spiritus Sanctus.* Quare si quis non sufficere putat hanc nostram demonstrationem, sed adhuc dubitat et veretur conclusioni assentiri, multo magis talis debet dubitare et timere recipere quod ex solo Patre Spiritus est, cum hujus nulla talis possit esse demonstratio [3]. »

1. *P. G.*, t. CLI, col. 1306 BC.
2. *Ibid.*, col. 1327 BC.
3. *Ibid.*, col. 1328,

De Demetrio Cydone, antequam ad fidem catholicam accederet, præclaram atque prorsus notabilem de processione Spiritus Sancti habemus epistolam, quam anno 1347 ad Barlaamum jam catholicum direxit, ut sua dubia suasque de hac quæstione difficultates ei candide aperiret. Rationes utriusque partis, Latinorum nempe et Græcorum, æqua lance perpendit, et quamvis dubius adhuc hæreat, positionem tamen Latinorum multo tutiorem ac consultiorem esse in fine pronuntiat :

« Primum quidem, inquit, video majoris esse audaciæ negare non procedere et ex Filio Spiritum quam oppositum. Sancto enim Dionysio dicente in ipso *De divinis nominibus libro :* non audendum prorsus de sancta Trinitate intelligere aliquid vel dicere præter ea quæ divinitus nobis per ipsa expressa sunt divina eloquia : illi qui dicunt a solo Patre procedere Spiritum Sanctum audaciæ hujus utique rei sunt. Quod enim per sacra eloquia ostendi minime potest, hoc ausi sunt ipsi de Deo intelligere. Latini vero multis in sacra Scriptura dictis non parvam suspicionem præstantibus et ex Filio Spiritum Sanctum procedere, ipsi, ut credo, putantes ex illis hoc significari, erga sacram Scripturam reverentia et religione, et volendo ad ipsam obedienter se habere, hoc recipiunt. Quare multum differt hoc ab illo; nullius enim vel minimæ audaciæ videtur esse.

« Item, non mediocris et audaciæ et præsumptionis procul dubio est, in dogmatibus de summa Trinitate, suam cognitionem sanctorum et magnorum doctorum cognitioni præponere. At vero qui dicit ex solo Patre procedere Spiritum Sanctum multis et magnis sanctis, et præcipue sancto Augustino et sancto Cyrillo, qui latius et apertius oppositum docent, seipsum necessario putat sapientiorem et religiosiorem. A Latinis vero nihil hujusmodi peccatur, nullo sanctorum a solo Patre procedere aperte et indubitanter tradente.

« Deinde, supponens in parte utrumque falsum esse, et perquirens ubinam sit majus periculum, Latinorum dogma multo tutius invenio. Hoc enim, etiamsi falsum sit, addit ibi aliquid quod Deum deceat, nihil adimendo; Spiritui enim nihil detrahit; non enim ex hoc minoris dignitatis fit quam Filius. Filio vero nihil auferens, nec Patri de his quæ habet

detrahens, addit quod non solum ipse perfecte est spirator, verum etiam spiratorem genuit. Illud vero quod Græci dicunt, si quidem falsum est, papæ, quam magna blasphemia est! addens quidem nihil, detrahens vero Filio quidem spirare Spiritum, Patri vero generare spiratorem. Et est simile ut si quidam, Scripturæ addentes de miraculo erga quatriduanum Lazarum a Domino patrato, unus diceret non obiisse illum, sed passionem quamdam circa cor accidisse et visum esse mori, Dominum vero quarta die passione illa ipsum liberasse; alius rursus diceret triginta dierum mortuum, vel adhuc ultra, resuscitatum fuisse a Domino. Utraque enim falsa essent. Sed unum detrahit, alterum addit illi miraculo, ita ut non sit æquale peccatum [1]. »

His pro Latinis rationibus duas alias subjungit, nempe quod, si utrumque fuerit falsum, Latini excusationes rationabiliores coram justi judicis tribunali proferre poterunt quam Græci; et quod in principio Græci ex contentione, et ut Ecclesiæ romanæ principatum excuterent, suo dogmati adhæserint, neutrum vero Latinis exprobrari liceat [2].

Catholicus autem factus, Demetrius ad doctrinæ catholicæ defensionem haud parum contulit sive scriptis propriis [3], sive operum latinorum versionibus, præsertim vero versione ambarum Summarum Aquinatis. In quadam *Apologia fidei suæ ad concives* narrat quanam via ad veritatem pervenerit. Perlectis enim omnibus, quæ reperire potuit, operibus a Byzantinis contra Latinos conscriptis, latinis etiam apologiis de materia controversa mature perpensis, nihil validius pro dogmate catholico invenit quam Patrum utriusque Ecclesiæ testimonia sententiis semper consona, verbis tantum quandoque discrepantia [4]; quod in *Testamento suo* breviter simul ac liquido declarat :

« Viros cum viris, inquit, conferens et sententias utrimque

1. *Epistola ad Barlaamum*, *P. G.*, t. CLI, col. 1299-1300. Latine tantum exstat.
2. *Ibid.*, col. 1299-1300.
3. Non minus quam quatuor tractatus de processione Spiritus Sancti scripsit, qui omnes inediti sunt. Cf. t. I, p. 478.
4. Hanc *Apologiam* nuper edidit G. Mercati, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone*, etc., Romæ, 1931, p. 359-403.

considerans, magnam de Spiritus Sancti processione utrorumque deprehendi consonantiam, si quis contendere nolit neque verborum minutiei veritatis pondus concredat. Italica enim schola a Patre et Filio tanquam ab uno principio et unica processione Spiritum Sanctum procedere expresse declarabat, atque ita de hoc capite sentire omnibus christianis persuadebant qui illius sententiæ sequaces erant, hæreticorum opprobriis percellentes quotquot hoc negarent... Nostri autem patroni, quos communes doctores mox appellavi, eadem prorsus, qua illi, via incedentes, aliis verbis et ipsi idem, quod illi, ferebant suffragium, ex Patre per Filium dicentes Spiritum Sanctum procedere; et ex ejus essentia esse atque ex illa prodire; et profundi ex Filio sicut profecto et ex Deo et Patre; et Filium præponi Spiritui secundum causæ rationem, sicut et Filio Patrem... Hæc in utrisque reperiens, vanam judicavi contentionem eorum qui verbis vim inferentes, aliud esse *ex Filio procedere*, et aliud *ex Filio esse* ostendere volebant [1]. »

Manuel Calecas, alius unionista conspicuus, de processione Spiritus Sancti multa erudite atque acute conscripsit. Ex operibus ejus editis tria ad hanc quæstionem, saltem ex parte, spectant.

In illo optimo theologiæ catholicæ compendio, cujus titulus : Περὶ πίστεως καὶ περὶ τῶν ἀρχῶν τῆς καθολικῆς πίστεως : *De fide deque principiis catholicæ fidei*, selectis Patrum testimoniis catholicum dogma munit, theoriamque psychologicam Trinitatis a sancto Augustino delineatam fuse ac dilucide explicat [2].

1. G. Mercati, *op. cit.*, p. 429-430 : « Οὕτω δὴ τοῖς ἀνδράσι τοὺς ἄνδρας παρατιθεὶς καὶ τὰς ἑκατέρωθεν δόξας ἐπισκοπῶν, πολλὴν περὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκπορεύσεως εὕρισκον ἀμφοῖν συμφωνίαν, εἴ τις ἐρίζειν οὐκ ἐβούλετο μηδὲ τῇ τῶν λέξεων μικρολογίᾳ τὸ τῆς ἀληθείας μέγεθος ἐπιτρέπειν. Τὸ μὲν γὰρ Ἰταλικὸν διδασκαλεῖον παρὰ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ μιᾷ ἐκπορεύσει τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι Πνεῦμα διαρρήδην ἐκήρυττεν..... Οἱ δ' ἡμέτεροι προστάται καὶ οὓς κοινοὺς διδασκάλους ἔφθην εἰπών, τὴν αὐτὴν ἄντικρυς ἐκείνοις ἰόντες, δι' ἄλλων ὀνομάτων καὶ αὐτοὶ τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ἔφερον ψῆφον, ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ λέγοντες τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι Πνεῦμα. »
2. *De principiis fidei catholicæ*, c. III et IV, in *P. G.*, t. CLII, col. 507-570.

Contra Palamitas autem speciatim dirigitur tractatus Demetrio Cydoni hactenus falso tributus, qui sic inscribitur : *De processione Spiritus Sancti, ad eos qui dicunt Filium Dei non esse ex substantia Patris.* Cum enim Palamitæ, ex una quidem parte, distinctionem realem ponerent inter hæc tria : essentiam divinam, hypostasim seu personam, et proprietatem hypostaticam; ex altera vero parte, vim testimoniorum patristicorum declinare vellent, in quibus manifesto asseritur Spiritum Sanctum ex substantia esse Patris et Filii, id est illum ab utroque procedere, eo usque devenerunt, ut docerent Filium Dei non ex substantia Patris esse seu generari, qua persona est a Patre distincta, sed ex hypostasi Patris tantum suam existentiam habere; quod et ad effata Patrum dicentium Spiritum Sanctum ex essentia esse Patris et Filii transferebant. Eamdem sententiam propugnaverant polemistæ ævi præcedentis, præsertim Gregorius Cyprius, quin realem distinctionem inter essentiam et hypostasim adeo explicite statuerent. Eos dilucide confutat Manuel, adhibitis Patrum textibus, et in ultimis capitibus totus est in adstruenda processione Spiritus Sancti ex Patre per Filium seu ex Patre et Filio [1]. Postquam absurditates detexit, quæ ex palamiticis distinctionibus logice fluunt, clare simul et subtile ostendit in Trinitate substantiam seu essentiam, hypostasim seu personam et proprietatem hypostaticam re idem esse quamvis hæc tria ratione distinguantur, et hanc fuisse Patrum doctrinam. Deinde processionem Spiritus Sancti directe aggrediens, præcipua Photianorum sophismata breviter diluit. De identitate simul et differentia præpositionum ἐκ et διά quoad sensum in capite XI hæc profert, quæ utramque formulam de processione Spiritus, Græcorum nempe et Latinorum, dilucide explicant et conciliant :

« Quoniam Patris et Filii una numero natura consideratur, et una ipsis est operatio, et ambo sunt unus et idem Deus, merito ergo illa præpositio διά, quæ Filii est, a præpositione ἐκ, quæ Patris est, secundum significationem non different,

1. Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος πρὸς τοὺς λέγοντας, ὅτι ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός, *P. G.*, t. CLIV, col. 863-958.

sed hæc quidem ad illam, et vicissim illa ad hanc transibit, et commune atque unum et idem principium Spiritus Sancti erit Filius una cum Patre, cum plane in confesso sit ex Patre per Filium Spiritum Sanctum procedere. Omnes enim sancti expresse clamant non esse fas ullo modo differentiam aliquam in his præpositionibus cogitare, docentque, ubi de Patre et Filio agitur, præpositionem ἐκ a præpositione διά nihil differre, *nisi quatenus hypostases distinguunt et divinarum personarum ordinem significant;* in quo ordine persona Filii medium locum obtinet, quem semper præpositio διά vel in communi loquendi consuetudine significat. Item [præpositionem διά adhibent] ne *unam personam Patrem et Filium aliquis suspicetur propter præpositionum similitudinem; vel ambo esse videantur duo inter se distincta principia Spiritus; vel talem esse personam Filii qualem et Patris, nihil habentem quod ipsi præintelligatur, sicut et Pater.* Etenim præpositio ἐκ sistit mentem et ulterius procedere non cogit, et quærere principalem causam (τὸ ἀρχικὸν αἴτιον), cui præpositio ἐκ principaliter attribuitur. Præpositio autem διά alteram quamdam personam inducit præter eam, quam ἐκ significat, et ad eam mentem promovet, principalemque illam causam indicat, ex eo quod ipsa ponitur inter primam personam et illam personam, ad quam tendit processio seu operatio. Unde præpositio διά Trinitatem nobis pure repræsentat simulque ordinem, quem personæ ad invicem habent, atque substantiæ unitatem patefacit, tertiam personam cum prima per seipsam conjungens [1]. »

Principale vero Manuelis opus de hac materia inscribitur : *Contra errores Græcorum libri quatuor*, cujus versio latina

1. *De processione Spiritus Sancti*, c. XI, *P. G.*, t. CLIV, col. 926-928 : « Ἐπὶ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ διδασκόντων τὴν « ἐκ » τῆς « διά » μηδὲν διαφέρειν, πλὴν ὅσον διακρίνειν τὰς ὑποστάσεις, καὶ τὴν τῶν θείων προσώπων τάξιν ἐμφαίνειν, ἐν ᾗ τὸ τοῦ Υἱοῦ πρόσωπον τὴν μέσην εἴληχε χώραν, ἣν ἀεὶ ἡ διά κἀν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ δηλοῖ· καὶ ἵνα μὴ ἢ ἓν πρόσωπον ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς ὑποπτευθεῖεν διὰ τὴν τῶν προθέσεων ὁμοιότητα, ἢ δύο καὶ ἀντιδιαιρούμεναι ἄμφω τοῦ Πνεύματος ἀρχαὶ δόξωσιν, ἢ τοιοῦτον εἶναι τὸ τοῦ Υἱοῦ πρόσωπον, μηδὲν ἑαυτοῦ προεπινοούμενον ἔχον, ὥσπερ καὶ ὁ Πατήρ. Ἡ γὰρ « ἐκ » ἵστησι τὴν διάνοιαν καὶ περαιτέρω προϊέναι οὐκ ἀναγκάζει. »

tantum edita est [1]. Ex his quatuor libris tres primi integri de processione Spiritus Sancti tractant, quarti vero bona pars additioni ad symbolum dicatur. Nostro judicio, opus istud inter illa, quæ de eodem argumento ab unionistis græcis conscripta sunt, primas tenet tum argumentorum copia ac robore, tum dicendi claritate cum brevitate conjuncta, tum quod non solum ex fontibus græcis, verum etiam et ex latinis auctoritates haurit [2]. Quamvis theologiam scholasticam Latinorum bene noverit, præsertim vero *Summas* Aquinatis, methodo positiva semper utitur, utpote ad redarguendos Photianos magis accommodata. Ipsas sancti Thomæ conclusiones Patrum munit testimoniis, ut eas ostendat non ex ratiociniis humanis, sed ex Revelationis fontibus firmitatem habere; quod præstat potissimum quoad axioma : *In divinis omnia unum sunt, ubi non obviat relationis originis oppositio* [3]. Optime ostendit processionem Spiritus Sancti (τὴν προβολήν) necessario supponere mediationem Filii :

« Procedentis definitio est ex genitore esse per genitum... Per nativitatem enim processio est, quia et per Filium Spiritus, procedentisque terminus per genitum esse monstratus est. Quoniam vero Filius, in quantum Filius, paternorum bonorum omnium est hæres, et omnia quæ Patris sunt, nascendo accipit, gignendo profecto Pater Filio auctor est etiam ut sit Sancti Spiritus causa [4]. »

In fine, Græco quærenti syllogismum concludentem etiam ex Filio esse Spiritum Sanctum, et ambas præmissas ex sacra Scriptura sumentem, offert sequentem :

« Filius, ex Patre accipiens et audiens, ab eo esse habet; atqui Sanctus Spiritus a Filio audit et accipit; ergo Spiritus Sanctus a Filio esse habet. Ista de principiis fidei est Salvatorisque sententiis. Ita sancti, ut expositum est, sententiam exposuerunt [5]. »

1. In *P. G.*, t. CLII, col. 17-258.
2. Ex latinis Patribus laudat Hilarium, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Fulgentium sub nomine Augustini, Leonem, Gregorium. *Op. cit.*, l. II, *loc. cit.*, col. 111-116.
3. Cf. l. III, col. 144, 154-155.
4. *Ibid.*, col. 154-155.
5. *Ibid.*, col. 186. Nota Manuelem Calecam non reprobare dictionem

II. — De Gregorii Palamæ doctrina.

Non unum absurdum ex theoria palamitica logice oriri quantum ad mysterium Trinitatis, jam supra ostendimus [1]. Ad processionem autem Spiritus Sancti speciatim quod attinet, si Philotheo Kokkino credas, Gregorii Palamæ dissertationes duæ de processione Spiritus Sancti contra Latinos antecessorum ejus scripta de eodem argumento adeo superent, ut præ illis nonnisi puerorum ludi tractatusque veri nominis proœmia videantur [2]. Verum, postquam præfatas dissertationes perlegeris, laudem prorsus immodicam esse statim deprehendes. Nihil enim vere novi ad tritam controversiam confert Palamas, si illam missionis divinæ notionem excipias, qua negatur personæ divinæ donatio; quod et ante illum quidam polemistæ jam tenuerant, ut supra diximus [3]. Præterea, ex reali distinctione, quam ponit inter essentiam, hypostasim et operationem æternam in Deo, ad hoc adducitur, ut duplicem doceat *processionem æternam* Spiritus Sancti, unam quæ sit a Patre solo, secundum quam Spiritus a solo Patre accipit suam existentiam; alteram vero, quæ sit *a Patre et Filio* vel *a Patre per Filium*, et ad solam operationem, *etsi ab æterno*, referatur. Sed in hac altera Spiritus processione, vox *Spiritus* non ipsam Spiritus Sancti personam, sed ipsius gratiam seu varia charismata designat [4].

« συναίτιος » (= *concausa*) Filio tributam respectu processionis Spiritus Sancti, quam Joannes Veccus repudiabat. *De processione Spiritus Sancti*, c. x, *P. G.*, t. CLIV, col. 921 A. Eam tamen orthodoxe explanat.

1. Cf. p. 239.
2. *Encomium Palamæ*, *P. G.*, t. CLI, col. 627 CD : « οἷον τοὺς πρὸ αὐτοῦ πρὸς Λατίνους ὁμοῦ πάντας παιδιὰν ἀποδεῖξαι καὶ πρόσχημα διαλέξεως. »
3. P. 237-238.
4. Λόγος ἀποδεικτικὸς πρῶτος, ὅτι οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ἀλλ'ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ed. N. Metaxæ, Constantinopoli, 1627, p. 12 : — « Τὸ θεῖον Πνεῦμα φυσικῶς ἐνυπάρχων ὡς Θεῷ τῷ Χριστῷ, καὶ πνεῦμα καὶ νοῦς ἐστι αὐτοῦ· καὶ κατὰ μὲν τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ ἐστιν καὶ ἐξ αὐτοῦ ὡς ἐμφυσώμενον καὶ πεμπόμενον καὶ φανερούμενον· κατὰ δὲ τὴν ὕπαρξιν καὶ τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ μέν ἐστιν, οὐκ ἐξ αὐτοῦ δέ, ἀλλ'ἐκ τοῦ γεννήσαντος αὐτόν. » Cf. Λόγον δεύτερον, *ibid.*, p. 70 : « Οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐστι τὸ Πνεῦμα, εἰ μὴ τὴν χάριν εἴπῃς τὸ Πνεῦμα ἢ

Quoad alia omnia totus Photianus est, nihil novi profert et a suis antecessoribus omnino pendet. Ita apud illum invenies :

1° Theoriam de transitu æterno Spiritus Sancti in Filio, quamvis ab hoc transitu omnem instrumenti vel materialis transitus notionem removere velit [1];

2° Interpretationem illius διὰ τοῦ Υἱοῦ a Moschabaro adinventam, qua præpositio διά mutatur in σύν vel in μετά cum genitivo, non vero in μετά cum accusativo, ubi Patres dicunt Spiritum ex Patre per Filium procedere [2];

3° Defensionem formulæ photianæ : *A solo Patre procedit* a Nicolao Mesarita excogitatam, quæ in eo est, ut utraque propositio : *Filius a Patre solo generatur*, et : *Spiritus Sanctus a Patre solo procedit* pari ratione veræ declarentur, et utrinque additio vocis *solo* (μόνου) eodem titulo sit legitima [3];

τὴν ἐνέργειαν. » In eodem sensu docet Palamas filium Dei adoptivum per gratiam non esse ex solo Patre, sed ex Patre per Filium, quamvis, inquit, filius hic adoptivus non sit tantum *filius*, sed etiam *spiritus* per gratiam : *Qui enim adhæret Domino unus spiritus est* : « Ἐκ μόνου ὁ φύσει υἱὸς ὑπάρχει τοῦ Πατρὸς· ὁ δὲ θέσει οὐκ ἐκ μόνου, ἀλλὰ δι'Υἱοῦ ἐκ τοῦ Πατρός· καίτοι οὐχ υἱὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ πνεῦμα χάριτί ἐστιν· ὁ γὰρ κολλώμενος τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστιν. » De editione harum duarum Palamæ dissertationum a Nicolao Metaxa factam, quæ Occidentalibus ignota fere remansit et rarissima est, vide E. Legrand, *Bibliographie hellénique du XVIIe siècle*, t. I, p. 234-237.

1. Λόγος δεύτερος, p. 94-95 : « Ἐκ μὲν τοῦ Πατρὸς ἐν τῷ Υἱῷ διήκει ἀϊδίως τὸ Πνεῦμα· ἐκ δὲ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ τοῖς ἁγιαζομένοις ἐγγίνεται, ἡνίκα ἂν δέοι... Σὺ δὲ πῶς λέγεις τὸ Πνεῦμα δι'αὐτοῦ; εἰ μὲν διαβατικῶς τε καὶ παροδικῶς, βαβαὶ τῆς ἀσεβείας... Εἰ δ'ὡς δι'ὀργάνου, καὶ τοῦτο ἀσεβές. » Quid autem sibi velit hic transitus æternus Spiritus in Filio, non clare explicat Palamas. Forsitan hoc interpretandum est de circumincessione seu *perichoresi*.

2. « Ὅταν ἀκούσῃς διὰ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι, ὡς συμπαρομαρτοῦν τῷ Λόγῳ νόησον· οὕτω γὰρ καὶ τὴν « διά » οὐκ εἰς τὴν « ἐκ » κακῶς, ἀλλ'εἰς τὴν « μετά » τῷ τῆς θεολογίας ἐπωνύμῳ μεταλήψῃ... Συμπαρομαρτεῖν δ'ἔστι τὸ συνακολουθεῖν, ὥστε οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, ἀλλὰ « συν τῷ Υἱῷ » τὸ Πνεῦμα ἐκ Πατρός. » *Sermo I*, p. 25. Idem repetit in *Sermone II*, p. 93. Non admittit tamen præpositionem « μετά » cum accusativo : « Τὸ Πνεῦμα οὐ μετὰ τὸν Υἱὸν κατὰ τὴν ὕπαρξιν, ἀλλὰ μετὰ τοῦ Υἱοῦ, οὐδ'ὡς Υἱός. » *Sermo II*, p. 69.

3. *Sermo I*, p. 7-12. Hoc argumentum fuse evolvit. Cf. supra, p. 302, n. 2.

4° Filium a Spiritu Sancto mitti, quemadmodum et Spiritus a Filio mittitur [1];

5° Effata Patrum docentium Spiritum Sanctum *a Filio* vel *per Filium prodire, profundi, apparere*, etc., non eumdem sensum habere ac formulam *ex Filio* vel *per Filium procedere*, ἐκπορεύεσθαι, sed ad missionem temporalem referri [2];

6° Ordinem personarum Trinitatis, prout in baptismali forma enuntiatur, non esse in natura divina fundatum, intrinsecum, necessarium, sed per accidens, quatenus nomen *Pater* sponte menti inculcet nomen *Filius;* item, quia ordine temporis Filius prius manifestatus sit ad extra quam Spiritus Sanctus; mediationem autem non esse necessariam nec in sacra Scriptura semper servari [3];

7° Effatum : *Per Filium procedit* (ἐκπορεύεται), ubi manifesto agitur de processione æterna, nihil aliud significare quam æqualitatem seu consubstantialitatem personarum, earum conjunctionem quantum ad essentiam, earum concordiam [4].

Plura alia in his duabus dissertationibus necnon in opere inscripto : Ἀντεπιγραφαὶ εἰς τὰς τοῦ Βέκκου ἐπιγραφάς, occurrunt, quæ jam apud polemistas præcedentis ævi trita erant. Neque ab istis discrepat, ubi tradit hunc canonem interpretandi locos Patrum doctrinæ Latinorum suffragantes :

« Vel ipse eorum scripta adulteras, vel male ratiocinaris et perperam interpretaris, non cum Spiritu explanans quæ per Spiritum dicta sunt. Sed etiamsi hoc ponamus, quod revera non est, nonne magis accipienda sunt quæ communiter tradita sunt quam quæ privatim a singulis prolata sunt?... Quæ communia non sunt suspicionem ingerunt [5]. »

1. *Sermo II*, p. 64. Provocat ad locum Isaiæ jam a Photio prolatum.

2. *Sermo I*, p. 26 : Ἀντεπιγραφαί, *P. G.*, t. CLXI, col. 265 BC.

3. *Sermo I*, p. 34-37 : « Διά οὐκ ἀναγκαίως οὐδ'ἀεὶ μετὰ τὸν Υἱὸν παρὰ τῆς θεοπνεύστου τίθεται γραφῆς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον », p. 34; cf. Ἀντεπιγραφαί, *loc. cit.*, col. 257 D.

4. Ἀντεπιγραφαί, col. 244-245.

5. *Sermo I*, p. 41 : « Ἢ παραχαράττεις αὐτός, ἢ παραλογίζῃ καὶ παρεξηγῇ, μὴ μετὰ τοῦ Πνεύματος ἑρμηνεύων τὰ εἰρημένα διὰ τοῦ Πνεύματος. Οὐ μὴν ἀλλ'εἰ καὶ τοῦτο θείημεν, ὅπερ οὐκ ἔστιν, οὐ προσδεκτέα μᾶλλον τὰ κοινῇ παραδεδομένα τῶν ἰδίως εἰρημένων ἑκάστῳ;... Τὰ μὴ κοινὰ ὕποπτά ἐστι. »

III. — De Nilo Cabasila et Theophane Nicæno.

Nilus Cabasilas, Palamæ coævus et discipulus, ingens opus polemicum de processione Spiritus Sancti contra Latinos conscripsit, in quod omnia fere congessit, quæ a theologis photianis illatenus adinventa fuerant. Non Nilus ipse illud edidit, sed ejus nepos Nicolaus Cabasilas; quod nondum typis impressum in optimo *codice Vaticano 1117*, fol. 32-354, percurrere potuimus. Huic præmittitur opusculum inscriptum : Ἀπάντησις σαφής τε καὶ σύντομος πρὸς Λατίνους ὥσπερ ἐγχειρίδιόν τι προκείμενον τοῖς βουλομένοις ἀγωνίζεσθαι πρὸς ἐκείνους : *Responsio plana et brevis ad Latinos tanquam quoddam manuale iis propositum qui cum illis contendere volunt* [1]. Opus ipsum in tres partes dividitur :

Prima pars : Expositio argumentorum quadraginta novem a Latinis prolatorum, quæ ordine referuntur absque ulla confutatione [2]. Ex his undecim, quæ primo veniunt, ex sacra Scriptura desumuntur. Suspicamur Nilum a Barlaamo potissimum illa mutuatum fuisse [3]. Undecimum petitur ex textu Apocalypsis, c. XXII, 1. Sequuntur argumenta ex traditione Patrum et conciliis collecta, a XII ad XXXIV inclusive. In argumentis XXXIII et XXXIV agitur de Patrum latinorum auctoritate, quos concilium œcumenicum V inter Ecclesiæ doctores retulit, Augustinum nempe, Leonem, Ambrosium et Hilarium. Ultima argumenta, a XXXV ad XLIX illa sunt quæ Latini ex principiis philosophico-theologicis conficiunt. Argumentum XLVIII fundatur supra infallibilitate Romani Pontificis.

Secunda pars : Est expositio argumentorum Græcorum pro

1. *Cod. Vatic. græc. 1117*, sæc. XV, fol. 27-31v. Nili demonstratio ad hoc reducitur : « Neque Scriptura neque Patres (græci nempe) dixerunt : « Spiritus ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται », quin immo Joannes Damascenus et Maximus oppositum tenuerunt. Ubinam Latini sui dogmatis fundamentum invenient? »

2. *Cod. cit.*, fol. 32-47.

3. Scilicet ex opusculo *De processione Spiritus Sancti*, in quo Barlaamus sua quatuordecim argumenta ex Scriptura petita exponit. Cf. supra, p. 386.

processione Spiritus Sancti a Patre solo; quæ in quinque dissertationes seu λόγους dividitur. Singulæ dissertationes inscribuntur : Πρὸς τὸ συμπέρασμα τῶν Λατίνων ἢ περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος : *Adversus conclusionem Latinorum sive de Spiritu Sancto* [1].

Tertia pars, mole duas alias longe superans, continet responsa ad singula argumenta Latinorum, quæ ante Nili confutationem singillatim repetuntur [2].

Hoc laudi Nili dandum, quod argumenta Latinorum bene cognoscit ac fideliter refert; item quod dicteriis in adversarios ac tono polemico parcit. Cæterum, quoad omnia fere photianismo classico adhæret, omnia polemistarum effugia præ manifestis Patrum testimoniis dogmati catholico consonis sibi approprians. Aliquid forsitan novi profert, dum has duas regulas interpretandi locos patristicos statuit :

Prima regula : « Cum duplex sit Spiritus processio, quarum una perspicuitatis gratia vocari possit *prima* et *hypostatica* et *secundum existentiam*, altera vero, *secunda* et *communicativa* et *secundum operationem*, primæ quidem proprium nomen est *procedere*, τὸ ἐκπορεύεσθαι; alteri vero, *erogari* et *dari*, τὸ χορηγεῖσθαι καὶ δίδοσθαι; communia autem utrique nomina sunt : *profundi*, *manare*, *explendescere*, *prodire*, *scaturire* et fundi [3]. »

Secunda regula : Ubi præpositiones ἐκ et διά in eadem de processione Spiritus Sancti formula occurrunt, præpositio

1. *Ibid.*, fol. 48-148. In his quinque dissertationibus, auctor auctoritates Græcorum affert ex Evangelio, apostolorum scriptis, Patrum et conciliorum œcumenicorum traditione haustas.

2. Ibid., fol. 149-354. Hujus partis titulus hic est : Λύσεις τῶν προτάσεων τῶν Λατίνων, ἐξ ὧν συνάγειν οἴονται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Εἰσὶν οὖν κεφάλαια τούτων μθ'. Τούτων ἕκαστον κεῖται μετὰ τῆς λύσεως αὐτοῦ.

3. *Responsio ad argumentum duodecimum Latinorum* in eodem codice, fol. 198r. : « Διττῆς οὔσης τῆς προόδου τοῦ Πνεύματος, καὶ τῆς μὲν, σαφηνείας ἕνεκεν, δικαίως ἂν κληθείσης καὶ πρώτης καὶ ὑποστατικῆς καὶ καθ'ὕπαρξιν· τῆς δὲ, δευτέρας καὶ μεταδοτικῆς καὶ κατ'ἐνέργειαν, ἴδιον μὲν ὄνομα τῇ πρώτῃ τὸ ἐκπορεύεσθαι· θατέρᾳ δὲ, τὸ χορηγεῖσθαι καὶ δίδοσθαι· κοινὰ δὲ αὐταῖς τὸ προχεῖσθαι, καὶ πηγάζειν, καὶ ἐκλάμπειν, καὶ προϊέναι, καὶ ἀναβλύζειν, καὶ χεῖσθαι. » Cf. *Responsum ad argumentum XVIII*, fol. 208-210.

διά causam nullo pacto significat. Tunc ἐκ sola principium indicat [1].

In prima regula hoc novi est, quod verba προχεῖσθαι, πηγάζειν, ἐκλάμπειν, etc., non referuntur indiscriminatim ad solam missionem temporalem, ut fieri solet apud polemistas photianos, sed Nilus illa processionem æternam apud Patres quandoque significare concedit. Secunda regula quoad sensum nova non est; sed speciem novitatis verbotenus præfert. Ubi hæc secunda regula locum obtinet, Nilus ad Moschabari et Palamæ interpretationem confugit, præpositionem διά mutans in σύν, vel μετά cum genitivo. Formula græcorum Patrum perfectam Filii et Spiritus Sancti similitudinem et æqualitatem quoad essentiam tantummodo indicat [2]. Ad consubstantialitatem item refert dictionem patristicam : *Spiritus est ex essentia Filii* [3], dum de missione temporali intelligit assertum Athanasii : *Filius est fons Spiritus Sancti* [4]. Interpolata pronuntiat testimonia symboli Athanasiani, Basilii (*Contra Eunomium*, l. III), Gregorii Nysseni (orat. III, in *Orat. Dom.*), de quibus supra sermo fuit [5]. Item, in dubium vocat authenticitatem locorum sancti Augustini de processione ab utroque : Vel, inquit, sanctus doctor eum sensum in dictis hujusmodi intenderit, quem sanctus Maximus in *Epistola ad Marinum* Latinis communiter tribuit; vel etiam *parabolice*, aut *œconomice*, aut contendendo, non vero *dogmatice* hæc protulerit [6]. Multum autem insudat

1. *Responsio ad arg. XXII*, fol. 229r.
2. « Τὸ ἴσον καὶ ἀπαράλλακτον τῆς οὐσίας σημαίνει », *ibid.*, fol. 230v-231. Sancti Maximi locum : « Δι' Υἱοῦ ἀφράστως ἐκπορευόμενον » ita vertit : « ἐκ τοῦ Πατρὸς σὺν τῷ Υἱῷ γεννηθέντι ἐκφράστως ἐκπορευόμενον· ἄμφω γὰρ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀχρόνως ἐξέλαμψαν ὅ τε Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. » Fol. 231v.
3. *Ad arg. XX*, fol. 218v-224v.
4. *Ad arg. XXIV*, fol. 239-242v.
5. *Ad arg. XIII, XIV, XXI*, fol. 201-201v, 202-206v, 225. Cf. supra, p. 350-351.
6. *Ad arg. XXXIII*, fol. 257v-271v : « Εἶναι μὲν γὰρ τὸν Αὐγουστῖνον τῆς Ἐκκλησίας διδάσκαλον οὐκ ἔστιν ἀρνεῖσθαι, τοῦτο τῶν πατέρων μαρτυρούντων περὶ αὐτοῦ· γνήσια δὲ ταῦτα τῆς ἐκείνου καὶ διανοίας καὶ γλώττης εἶναι οὐ πάνυ πείθομαι· οὐδὲ γὰρ συμβαίνει ταῦτα τοῖς παρὰ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν συνόδων τῶν οἰκουμενικῶν εἰρημένοις, ὡς δέδεικται. »

in explicando famoso loco Gregorii Nysseni de processione mediata et immediata, nec ullam invenit interpretationem, quæ specietenus photianismo cohæreat, hoc subjicere contentus, quod Gregorius cæteris Patribus contradicere nullo pacto potuerit [1].

Nili Cabasilæ coævus junior, Theophanes, metropolita Nicænus, a Georgio Scholario inter insigniores dogmatis photiani defensores recensetur [2]. Ejus vero *Quatuor sermones contra Latinos* de proposita materia nondum editi sunt, nec illos adire potuimus [3]. Illum, sicut et ipsum Nilum, photianismo classico adhæsisse nec ullam novitatem ad controversiam contulisse, ex ipso Scholarii testimonio concludere possumus, cum et ipse Scholarius, qui omnes antecessores suos in hoc argumento multum præstat, et Theophanem legit, nihil revera novi, quod nobis detegeret, adinvenit, ut infra dicetur.

IV. — De Josepho Bryennio.

Quod de Theophane Nicæno necnon de ipso Scholario dicimus, de Josepho Bryennio a fortiori tenendum est, cujus ingenium sat infimum fuit ac χαμερπές. In suis viginti et uno sermonibus et tribus dialogis de sanctissima Trinitate et processione Spiritus Sancti, pervulgat quæ apud Palamam, Nilum, Theophanem et alios antiquiores sparsa invenire est [4]. Photianis axiomatibus ex toto imbutus, et semper ut proba-

1. *Ad arg. XXIII*, fol. 232-238v. Nilus haud semel citat et impugnat sanctum Thomam, quem Demetrius Cydones in speciali tractatu de processione contra Nilum defendit. Cf. t. I, p. 478.
2. *De processione Spiritus Sancti tractatus I*, l. I, *Proœmium*, in *Œuvres complètes de Gennade Scholarios*, t. II, p. 3 : « τῶν δὲ ὑστέρων ἁπάντων βέλτιον μὲν καὶ ἱκανώτερον καὶ τῷ μεγέθει τῆς ὕλης ταύτης συμμέτρως μάλιστα μὲν ὅ τε θεσπέσιος Νεῖλος καὶ ὁ ἱερὸς Θεοφανής. »
3. Occurrunt *in cod. 246 bibliothecæ synodalis Mosquensis*, fol. 78-284, sæc. XVI; idem, ut videtur, etiam in *cod. Barocciano Oxoniensi 193*, fol. 88-251, sæc. XVI, quamvis Coxe, *Catal. codd. mss. bibliothecæ Bodleianæ pars I*, Oxonii, 1853, p. 328-329, loquatur tantum de tribus sermonibus contra Latinos.
4. Hæc scripta totum replent primum volumen operum Bryenni, ed. Eugenii Bulgaris, Lipsiæ, 1768.

tum ponens quod in quæstione est, innumeras absurditates ex dogmate catholico deducit, cum juxta ipsum, Latini, quidquid in contrarium dicere velint, duo vel etiam tria in Trinitatem principia necessario inducant [1]. Transmutationem præpositionum utique retinet [2], nec sententiæ Muzalonis de transitu æterno Spiritus per Filium, nec manifestationi æternæ Gregorii Cyprii prorsus repugnat [3]. Ei tamen magis arrident consueta polemistarum effugia, quibus in consubstantialitatem vel in missionem temporalem convertere solenne est quidquid antiqui Patres de Filii mediatione et participatione in processione Spiritus Sancti protulerunt. Ipsa sancti Augustini verba de processione ab utroque ad missionem temporalem referre non dubitat [4], ex quo de scientifico momento dictorum ejus judicare potes.

V. — De quibusdam aliis polemistis minoris notæ.

Tres adhuc hujus ævi polemistæ brevem mentionem merentur, scilicet Matthæus Angelus Panaretus, Macarius

1. Cf. Opera, t. I, p. 181, 352-361, 379-380, 438-442, 459-468, 495-496.
2. *Sermo X de Trinitate, ibid.*, p. 178-179. Hunc canonem interpretationis quoad præpositionem διά tradit : « Ubicumque in Scriptura invenies Spiritum ex Patre προερχόμενον, ἢ χορηγούμενον, ἢ προϊόν, ἢ ἐκλάμπον, ἢ πεφηνός, ἢ παρεχόμενον, ἢ διδόμενον, ἢ τοιοῦτόν τι, ne putes hæc dici de illa æterna processione, sed de hac processione operativa et temporali... Ubi vero invenies præpositionem διά præpositioni ἐκ conjunctam circa processionem Spiritus, ne credas hic agi de ipsa processione hypostatica, sed solam ἐκ referri ad processionem solique Patri tribui, et huic æternæ processioni convenire; præpositionem διά autem spectare ad communicationem Spiritus per Filium nobis factam crede. » *Sermo IX de Trinitate, ibid.*, p. 166.
3. In *Sermone X*, p. 176, hæc habet : « Τὸ Πνεῦμα πρόεισι διὰ τοῦ Υἱοῦ φυσικῶς τε καὶ προαιωνίως καὶ ἀϊδίως καθάπερ ἄρα διὰ τοῦ ἀκτῖνος τὸ φῶς, κἂν μηδεὶς ὁ φωτιζόμενος ᾖ », et in *Sermone IX*, p. 163, longum excerptum tomi synodici Gregorii Cyprii recitat, in quo illa æterna Spiritus manifestatio per Filium exponitur. Nec curat Bryennius quomodo hæc omnia, quæ de processione Spiritus in unum congerit, inter se cohæreant.
4. *Sermo XVIII*, p. 340-344 : « Πρὸς τὴν ἐνεργητικὴν τοῦ Πνεύματος πρόοδον ἀφορῶν ὁ Αὐγουστῖνος, τὸ Πνεῦμα λέγει καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, περὶ ἧς οὐδοπωσοῦν πρὸς ἀλλήλους διαφερόμεθα, οὐχὶ περὶ τῆς προσωπικῆς τοῦ Πνεύματος ἐκπορεύσεως, περὶ ἧς ἡμῖν ἡ ζήτησις. »

Ancyranus et Nilus Damylas, quorum scripta ex parte saltem edita sunt.

Angelus Panaretus non minus quam decem e suis opusculis polemicis de processione Spiritus Sancti inscribit, quorum unum tantum, nempe tertium, nuper a P. Risso editum est [1]. Ex brevi cæterorum analysi, quam idem Risso dedit, apparet auctorem ad pessimum polemistarum genus pertinere nec aliquid novi in materia proferre, sed a Nilo Cabasila in non paucis pendere [2]. Notare sufficiat primum opusculum confutare caput IV opusculi sancti Thomæ inscriptum : *Declaratio quorumdum articulorum contra Græcos;* secundum spectare ad sex probationes Latinorum ex sacra Scriptura haustas; quartum et quintum esse quamdam confutationem *Epigrapharum* Joannis Vecci; sextum tractare de formula patristica : « A Patre per Filium ἐκπορεύεται »; septimum dicari loco Apocalypsis, c. XXII, 1 : *Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ*, etc.; octavum explicationem photianam præbere effati apostolici : II Thessal., II, 8 : *Quem Dominus interficiet Spiritu oris sui;* nonum et decimum disserere de significatione præpositionum ἐκ et διά. Panaretus eamdem regulam de his præpositionibus tradit quam apud Nilum Cabasilam supra invenimus.

Macarius Ancyranus, ut jam notavimus ubi de notione missionis, cum Palamitis negat personam Spiritus Sancti mitti et creaturæ communicari. Hoc autem peculiare habet, quod contra communem aliorum polemistarum sententiam docet verbum ἐκπορεύεσθαι non semper significare processionem Spiritus ex Patre quoad existentiam, sed quandoque etiam referri ad manifestationem seu missionem Spiritus in sensu palamitico acceptam [3].

1. Apud P. Risso, *Matteo Angelo Panaretos e cinque suoi opuscoli*, Cryptoferratæ, 1914, p. 71-74 (excerptum e commentario *Roma e l'Oriente*) :'Απόδειξις εἰς ὅσα πίπτουσιν οἱ Λατῖνοι τὰ ἄτοπα λέγοντες τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι.
2. P. Risso, *op. cit.*, p. 27-32. Nollem tamen certo decernere Panaretum esse mutuatorem respectu Cabasilæ; ambo enim coaetanei fuere, et utriusque vita tenebris adhuc involvitur.
3. *Contra Latinos*, apud Dositheum, Τόμος καταλλαγῆς, p. 110 : « 'Ιστέον ὡς οὐκ ἀεὶ τὸ ἐκπορεύεσθαι ἐκ τοῦ Πατρὸς, ἢ τοῦ Θεοῦ, ὑπάρξεως

Nilus Damylas monachus, infimæ classis Photianus, in suo *Responso ad Maximum Chrysovergam Cretensem de novitatibus latinis*, contra dogma catholicum quædam ex Nilo Cabasila, ut videtur, plerumque hausta repetit [1]. Diagramma photianum de Trinitate expresse retinet et in negando ordine intrinseco personarum divinarum, ex quo oritur mediatio Filii, potissimum insistit, ut videre est ex ipso titulo capitis secundi ejus operis : Ὅτι οὐ μετὰ τὸν Υἱὸν τὸ Πνεῦμα, ἀλλὰ μετὰ τοῦ Υἱοῦ, καὶ σὺν τῷ Υἱῷ, καὶ ὅτι δεύτερον ἐκ τοῦ Πατρός, καθὰ καὶ ὁ Υἱός : *Quod Spiritus non est post Filium, sed cum Filio et una cum Filio, et secundus ex Patre, sicut et ipse Filius* [2]. Laudat spurium locum Cyrilli Alexandrini de processione Spiritus *a Patre solo*, quem supra, ubi de Barlaamo, notavimus [3]. Citat tanquam pro se facientem locum Augustini, ubi sanctus doctor dicit Spiritum Sanctum a Patre procedere *principaliter* [4]; tacet tamen formulam *ab utroque* ab Augustino ibi usurpatam. Silentio item præterit ea Patrum testimonia, in quibus illud διὰ τοῦ Υἱοῦ ad processionem æternam Spiritus Sancti manifesto refertur, ea tantum afferens, quæ missionem temporalem directe respiciunt. Demum palamiticam missionis divinæ notionem recipit, de qua quemdam locum Nili Cabasilæ recitat [5].

ἐστὶν αὐθυποστάτου δηλωτικόν, ἀλλ'ἔστιν ὅτε σημαίνει καὶ τὸ ἐκλάμπειν, ἢ τὸ ἀποστέλλεσθαι, ὃ ταὐτόν ἐστι τῷ φανεροῦσθαι. »

1. Opus editum est ab Arsenii : *Otviet greko-latinskomu monakhu Maksimu na evo pismo v zachtchi novostei v vierie: Responsum ad monachum græco-latinum Maximum de ejus epistola pro defensione novitatum in fide*, Novogradii, 1895 : textus græcus cum versione russica. Textum originalem habes etiam in commentario Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, t. xv (1895), p. 382 sq.

2. P. 11-12.

3. *Op. cit.*, p. 15-16; cf. supra, p. 383.

4. *Ibid.*, p. 45. Nilus verba Augustini ita reddit : « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς « κυρίως », ἐκπορεύεται. » Loco κυρίως alii melius posuerunt ἀρχοειδῶς.

5. *Ibid.*, p. 76.

ARTICULUS IV

De controversia circa processionem Spiritus Sancti in concilio Florentino et post concilium usque ad imperii byzantini ruinam.

Prænotamina.

Interminabilis illa controversia, quæ tot tantaque scripta inde a Photio et Michaele Cærulario jam pepererat, finem tandem accipere visa est in concilio Florentino. Ibi enim, post longas ac laboriosas disputationes, Latini et Græci ad hanc demum conciliationis formulam devenerunt, quam theologi unionistæ byzantini jamdudum adinvenerant et in suis scriptis multis modis propugnaverant :

« Diffinimus ut hæc fidei veritas ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione *procedit* (ἐκπορεύεται); declarantes quod id quod sancti doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse secundum Græcos quidem causam (αἰτίαν), secundum Latinos vero principium (ἀρχήν) subsistentiæ Spiritus Sancti sicut et Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est [1]. »

1. « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἀϊδίως ἐστί, καὶ τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν καὶ τὸ ὑπαρκτικὸν αὐτοῦ εἶναι ἔχει ἐκ τοῦ Πατρὸς ἅμα καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων ἀϊδίως ὡς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς καὶ μοναδικῆς προβολῆς ἐκπορεύεται· διασαφοῦντες ὅτι τοῦθ' ὅπερ οἱ ἅγιοι διδάσκαλοι καὶ πατέρες ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι λέγουσι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, εἰς ταύτην φέρει τὴν ἔννοιαν, ὥστε διὰ τούτου δηλοῦσθαι καὶ τὸν Υἱὸν εἶναι κατὰ τοὺς Γραϊκοὺς μὲν αἰτίαν, κατὰ δὲ τοὺς Λατίνους ἀρχὴν τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ὑπάρξεως ὥσπερ καὶ τὸν Πατέρα. Καὶ ἐπεὶ πάντα, ὅσα

His verbis ambagibus omnibus et effugiis, quibus theologi photianismo addicti suum errorem dissimulare possint, via præcluditur. In prima parte definitionis, Patrum latinorum conceptus eorumque formula, quam etiam plures Græci haud semel usurparunt, dilucide declaratur. Latini enim, ubi de Trinitate agunt, in naturam divinam et in ea quæ ad illam pertinent mentis oculum primum intendunt, deinde in personas. Unde, ad processionem Spiritus Sancti quod attinet, dicunt Spiritum procedere a Patre et Filio tanquam ab uno principio, id est a Patre et Filio non quatenus duo sunt, sed quatenus unum sunt et unus Deus unusque spirator per virtutem spirativam, quæ omnino una est in Patre et Filio, nec minor in Filio quam in Patre; nec per eam Pater et Filius inter se distinguuntur. Ideo docent Spiritum Sanctum *æqualiter*, *immediate* et *proxime* ab utroque procedere; quod sub respectu unius virtutis spirativæ (seu μοναδικῆς προβολῆς) omnino verum est. Unde etiam præpositionem *ex* (ἐκ) pro utraque persona, nempe pro Patre et Filio, usurpant, cum sub hoc respectu Spiritus Sanctus non magis procedat a Patre quam a Filio, sed ab eorum communi virtute *immediate* ac *proxime* originem trahat.

Græci Patres vero *communiter* — non *semper*, nec *omnes* — personas divinas *directe* respiciunt, et per personas ad earum communem naturam deveniunt. Cum autem sit ordo in divinis personis, primum illis occurrit Pater, qui est principium et fons totius divinitatis. Medius venit Filius a Patre generatus. Tertius est Spiritus Sanctus, qui item a Patre oritur, non quidem per generationem, sed per alium modum, quem Græci communiter vocant προβολήν, vel ἐκπόρευσιν, Latini vero *spirationem* seu *processionem*. Spirat autem Pater non qua Pater est; secus enim Spiritus Sanctus esset ejus filius, et duo essent filii; sed qua spirator est. Qua autem spirator est, Filio relative non opponitur, et ideo ab eo revera non distinguitur. Filius vero debet et ipse spirare Spiritum

ἐστὶ τοῦ Πατρὸς, αὐτὸς ὁ Πατὴρ τῷ μονογενεῖ αὐτοῦ Υἱῷ ἐν τῷ γεννᾶν δέδωκε πλὴν τοῦ εἶναι πατέρα, τοῦτ'αὐτὸ ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, αὐτὸς ὁ Υἱὸς παρὰ τοῦ Πατρὸς ἀϊδίως ἔχει, ἀφ'οὗ ἀϊδίως καὶ γεγέννηται. »

Sanctum, cum omnia quæ Patris sunt, habeat ab eoque recipiat, præter ipsam paternitatem. Sunt ergo Pater et Filius in spirando unus Deus, et in utroque per modum unius considerato est virtus spirativa, quæ una est. Si autem Patrem et Filium qua personas inter se distinctas consideres, et quæras utrum virtus spirativa sit *eodem titulo eademque ratione* in Patre et Filio, respondere debes *negative*. In Patre enim hæc virtus est *originaliter* et *primordialiter*, seu, ut dicebat Augustinus, *principaliter*, quia illam a seipso habet et a nemine alio accepit. Filius vero eamdem virtutem habet non a seipso, sed a Patre per generationem acceptam, sicut eadem via habet omnia quæ habet. Et hæc est differentia, quam significare volunt græci Patres, dum docent Spiritum Sanctum *a Patre* vel *ex Patre per Filium* procedere; vel a Patre *mediate*, a Filio autem *immediate* et *proxime* procedere; siquidem, dum hac formula utuntur, ad personas earumque ordinem *unice attendunt* eaque via optime ac dilucide declarant differentiam quæ existit inter Patrem et Filium quantum ad titulum possessionis virtutis spirativæ. Sub hoc respectu, præpositiones *ex* et *per* (ἐκ et διά) aliqua significationis differentia inter se distinguuntur, quatenus præpositio *ex* (ἐκ) principium originale seu primordiale denotat, et ideo soli Patri convenit; præpositio vero *per* (διά) causam seu principium medium, quod scilicet a principio originali pendet, designat, et ideo Filio, qui a Patre habet vim spirativam, optime congruit. Ex hac ratione Damascenus dixit : *Spiritum ex Filio non dicimus. Dicimus autem Spiritum Filii, non tanquam ex ipso*, sed *tanquam per ipsum ex Patre procedentem* [1]. Hunc autem specialem Patrum græcorum respectum sufficienter explanat altera pars definitionis Florentinæ, ostendens Patrem esse solum principium originale tum Filii, tum Spiritus Sancti, Filium vero *ex Patre* et *cum Patre* esse unum principium Spiritus.

In hoc tamen pro Græcis novum loquendi modum introducit definitio Florentina, quod expresse dicit Spiritum

1. « Ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα οὐ λέγομεν... Υἱοῦ δὲ Πνεῦμα, οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ'ὡς δι'αὐτοῦ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύομενον. » *De fide orthodoxa*, l. I, c. VIII et XII, *P. G.*, t. XCIV, col. 832 B, 849 B.

Sanctum etiam *ex Filio* ἐκπορεύεσθαι, quod ad verbum (κατὰ λέξιν) dixisse græci Patres non deprehenduntur, ut jam notaverat Photius, sed tantum : ex Patre *per Filium* ἐκπορεύεσθαι. Verum, *quoad hujus verbi significationem*, sæpe iidem Patres dixerunt Spiritum Sanctum etiam ex Filio ἐκπορεύεσθαι, id est suum esse, suam existentiam ex Filio habere; et inde est quod definitio, ad tollendam omnem ambiguitatem, in hoc potissimum insistit, ut declaret Spiritum suum esse, suam existentiam etiam ex Filio habere. Necesse autem erat ponere *et ex Filio* ἐκπορεύεσθαι, propter illas multiplices ac pariter falsas illius διὰ τοῦ Υἱοῦ interpretationes, quas polemistæ photianismo addicti adinvenerant. Notandum est insuper, in conceptu latino processionis Spiritus Sancti, *qui virtutem spirativam directe respicit*, subtilem distinctionem inter præpositiones *ex* et *per*, quantum ad illarum specialem significationem, amplius locum non habere, quatenus Pater et Filius in spirando unum sunt principium, et *ex hoc uno principio* Spiritus Sanctus suum esse trahit ; unde sub hoc respectu præpositioni *per* nullus datur locus, sed tantum præpositioni *ex*, quæ originem simpliciter indicat. Cæterum, concilium formulam *a Patre per Filium* non improbat, sed verum ejus sensum aperit.

Definitioni adeo perspicuæ infeliciter non steterunt plerique Græci qui eam propria subscriptione firmaverant. Quidam tamen illorum inter doctiores ac sapientiores ei ad mortem usque adhæserunt, illamque contra adversarios præclaris scriptis tuiti sunt. Unionis autem inimici in eam vehementer invecti sunt, inter quos præsertim notandi sunt Marcus Ephesius et Georgius Scholarius. De hac litis renovatione, quæ concilium subsecuta est et ad ruinam usque imperii byzantini duravit, quædam in præsenti articulo nobis dicenda veniunt. Ut ordine progrediamur, loquemur :

1° De iis, quæ intra ipsum concilium acta sunt;
2° De Marco Ephesio;
3° De palinodiis Georgii Scholarii necnon de ejus in fine vera positione;
4° De quibusdam aliis polemistis photianis;
5° De theologia Unionistarum illius temporis.

I. — De iis quæ intra concilium acta sunt.

Nostri quidem non est per singula enarrare illas longas disputationes, quas tum Ferrariæ de additione vocis *Filioque* ad symbolum, tum Florentiæ de ipso dogmate Græci et Latini habuerunt, sed ea tantum referre, quæ controversiæ cursum ac per sæcula progressum evolutionemque aliquo pacto illustrare possunt. Porro notum est Græcos, contra naturalem rerum ordinem, cui doctiores ex ipsis, ut Bessario et Georgius Scholarius, suffragabantur, ab ipsa additione ad symbolum, non vero a doctrina in additione inclusa, discussionem incipere voluisse. Circa additionem enim facilem de Latinis victoriam sibi promittebant; de ipso vero dogmate haud sine timore erant; siquidem, ut ipse Bessario refert, « inter se dicebant quod ad eorum aures pervenisset Latinos posse in medium afferre plurimas multorum sanctorum occidentalium auctoritates, quibus palam probatur. Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere [1] ». De additione ergo, Ferrariæ, per tredecim integras sessiones absque ullo fructu vel successu disputarunt, cum in fine cardinalis Julianus Cæsarini positionem Græcorum nullo pacto sustinere posse invictis rationibus demonstrasset, ut in articulo XIII infra dicetur. Unde, post hanc primam infelicitatem, in patriam omnes redire sine mora volebant :

« Timebant, ait Bessario, et nullo modo volebant amplius permanere; sed quisque desiderabat discedere et reverti ad propria, nihilque aliud nisi redeundum ad patriam clamabant; et cum causam curnam ita vellent interrogarentur, reddere nolebant...; verum absque ulla ratione vociferabantur : Redeamus, redeamus... Discedamus, redeamus, abeamus. Audisne Patrum et doctorum sententiam? Quoniam, inquiunt, multas auctoritates sanctorum Latini afferre habent, ad quas nos respondere non habemus, discedamus ab eis. Vix tamen sentientes absurditatem sententiæ suæ et a serenissimo imperatore persuasi cesserunt, et manere decreverunt[2]. »

1. *De processione Spiritus Sancti ad Alexium Lascarim Philanthropinum*, *P. G.*, t. CLXI, col. 422 D. Redactionem latinam ipsius Bessarionis citamus. De textu græco vide *ibid.*, col. 355 A.
2. *Ibid.*, 422 CD; cf. col. 355 AB.

Manserunt ergo, et interim concilio de Ferraria in Florentiam translato, inde a sessione XVIII disputatio de ipso dogmate inter Marcum Ephesium et Joannem de Monte Nigro, Dominicanorum provincialem, publice inita est, quæ usque ad sessionem XXIII inclusive perduravit. Culpa Marci, qui de uno Patrum testimonio ad aliud pro libitu et absque ordine transibat et sophistice respondere haud semel visus est, hujusmodi publicæ contentiones nihil prorsus profecerunt, atque nulla clara conclusio exinde eluxit. Totius hujus temporis majorem partem triverunt sive in disputando de genuina lectione illius famosi loci sancti Basilii ex *Libro III contra Eunomium*, ubi Spiritus Sanctus dicitur suum esse a Filio habere [1], sive in explicanda distinctione scholastica, ad rem omnino necessaria, inter *principium quod* et *principium quo* processionum divinarum; quam distinctionem Marcus Ephesius, axiomatibus photianis distinctionibusque palamiticis imbutus et in philosophia parum versatus capere non poterat; siquidem Photianorum et Palamitarum more contendebat Spiritum Sanctum a sola hypostasi Patris procedere, non vero et ab ejus essentia, dictionemque Patrum docentium Spiritum Sanctum ab essentia Patris et Filii esse,

1. De genuina hujus loci lectione jam disputaverat Joannes Veccus; cf. supra, p. 350 sq. Ejus authenticitatem ex contextu præclare demonstravit Joannes de Monte Nigro in concilio, falsitatemque lectionis Græcorum gravibus rationibus arguit. Teste Bessarione, *De processione ad Alexium*, *loc. cit.*, col. 325-328 et 409, ex sex codicibus, qui ad concilium allati sunt, quorumque quatuor in membrana scripti vetustissimi erant, quinque lectionem catholico dogmati suffragantem habebant, unus tantum lectionem a Marco propugnatam. Post concilium, Græci uniti, ut narrat idem Bessario, codices omnes, quos in bibliothecis invenire potuerunt, inspexerunt, inquisitionis vero hic fuit exitus, quod manifesto apparuit codices omnes, qui schismate anteriores erant, lectionem præferre Latinis suffragantem; qui vero recentiores, intercisam habere sententiam. Nec illi istis pauciores erant. Subjicit autem Bessario se invenisse duos codices antiquos, unum membraneum, bombacenum alterum, in quibus primum inscriptus fuerat integer Basilii locus, temerariam vero manum in membraneo abrasisse ferro verba Photianis displicentia, in bombaceno autem atramento perfuso eadem verba operuisse. Josephus Methonensis, *Refutatio Marci Ephesini*, *P. G.*, t. CLIX, col. 1048, item narrat ministrum præsulis Nicomediensis, durante ipso concilio Florentino, eumdem sancti Basilii textum ferro abradere tentasse.

ab essentia Filii prodire, etc., ad processionem æternam non referri, sed solam consubstantialitatem significare.

Cum autem in fine sessionis XXIII Joannes de Monte Nigro in hoc institisset, quod jam haud semel dixerat, scilicet Latinos unum tantum principium Spiritus Sancti ponere et condemnare eos qui asserunt duo principia in Trinitate, imperatori visum est inde inveniri posse viam ad concordiam. Sessionibus XXIV et XXV, imperatore ita jubente, Marcus Ephesius non interfuit; unde Joannes de Monte Nigro Latinorum argumenta libere exponere potuit. Haud pauca Patrum quum Latinorum tum Græcorum testimonia pro dogmate catholico protulit; quædam etiam argumenta ex sacra Scriptura petita evolvit, atque de uno principio Spiritus a Latinis admisso clare disseruit. Post hanc autem ultimam sessionem, disputationibus publicis, Græcis id petentibus, valedixerunt, et in duos conventus separatos, qui post deliberationes per delegatos inter se communicarent, synodus divisa est. Hac via res unionis vere profecit. In privatis enim adunationibus Græci de testimoniis Patrum pro dogmate catholico facientibus libere inquirere potuerunt. Mox qui inter ipsos cordatiores ac doctiores erant unioni aperte faverunt; quorum præcipuum argumentum fuit consensus Patrum occidentalium et orientalium diversis formulis, non diverso sensu docentium Spiritum Sanctum ex Patre et Filio, vel ab utroque, vel ex Patre per Filium procedere, id est suum esse, suam existentiam habere. Marcus Ephesius, qui Latinos schismaticos, immo et hæreticos appellare publice non dubitavit, illis nihil respondere habuit nisi quod libri a Latinis corrupti fuissent. Patrum in eamdem veritatem consensum præclare demonstravit Bessario in sua *Oratione dogmatica* in decem capita distributa, ubi optimum compendium invenies eorum omnium, quæ theologi unionistæ byzantini, inde a Niceta Maronensi, pro Græcorum et Latinorum conciliatione circa processionem Spiritus Sancti illatenus scripserant [1]. Nec parum ad persuadendos Græcos contulerunt tres illæ longæ orationes, quas Georgius Scholarius, adhuc laicus,

1. Hanc Bessarionis dogmaticam orationem invenies tum in collectionibus conciliorum, tum in *P. G.*, t. CLXI, col. 543-612.

vir doctissimus et in philosophia ac theologia Latinorum optime versatus, conventui Græcorum legendas obtulit, statim postquam Bessario suam orationem absolvit [1].

Non tamen statim post illas orationes ad concordiam perventum est. Quidam enim ex Græcis in sententia photiana adhuc persistebant. Unde formulas ambiguas conciliationis Latinis proposuerunt, et primum quidem explicationem dictionis *a Patre Filioque* a sancto Maximo in *Epistola ad Marinum* traditam : *Unum norunt Latini Filii ac Spiritus principium, Patrem scilicet, illius quidem secundum generationem, hujus autem secundum processionem; sed Spiritum etiam a Filio procedere dixerunt, ut significarent illum per Filium prodire, hocque pacto conjunctionem substantiæ et consubstantialitatem declararent* [2]. Hæc Maximi verba pro formula unionis Latini accipere noluerunt ob eorum ambiguitatem; possunt enim in sensum Photianorum facile detorqueri, ut ex scriptis polemistarum antilatinorum videre est, quamvis hic sensus a Maximi mente alienus omnino fuerit; nam, ut Latini dixerunt, « sententiæ Patrum romanorum, de quibus loquitur Maximus, nihil aliud sunt nisi verba Augustini, Hieronymi, Ambrosii et cæterorum, qui in libris manifesto asserunt Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere [3] ».

Postea, ut tesseram unionis obtulerunt confessionem fidei sancti Tarasii patriarchæ in concilio Nicæno II recitatam et approbatam, his verbis conceptam : *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit.* Neque illa formula absque certa

1. Has Scholarii orationes habent tum collectiones conciliorum, tum *P. G.*, t. CLX, tum *Œuvres complètes de Gennade Scholarios*, t. I, p. 306-375. De earum authenticitate nullus amplius manet dubitandi locus. Cf. quæ dicuntur infra, p. 417.

2. *Epistola ad Marinum*, *P. G.*, t. XCI, col. 136 A B : « ἀλλ'ἵνα τὸ δι' αὐτοῦ προϊέναι δηλώσωσι, καὶ ταύτῃ τὸ συναφὲς τῆς οὐσίας καὶ ἀπαράλλακτον παριστήσωσι. Cf. t. I, p. 158-159. Authenticitas hujus epistolæ tum a Græcis, tum a Latinis in dubium vocata est. Ejus verba utraque pars tanquam pro se facientia proferre consuevit.

3. Cf. *Sacrum Florentinum universæ Ecclesiæ concilium a monacho Benedictino* (Nickes) *editum*, Romæ, 1864, p. 235. (Est narratio Dorothei Mytilenensis.) Editionem græcam idem monachus, Romæ, 1865, publici juris fecit sub titulo : Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδος. Locus citatus occurrit p. 281.

explicatione recipi poterat post illas varias illius διὰ τοῦ Υἱοῦ interpretationes, quas theologi photiani adinvenerant.

Postquam autem Latini iterum declarassent se nullo modo docere duo principia Spiritus, sed unum tantum, Græci, suggerente Scholario [1], tertiam proposuerunt formulam, in qua profitebantur Filium emanare, emittere, profundere Spiritum, et Spiritum prodire etiam ex Filio, et ab eo emitti et profundi [2]. Dictiones hujusmodi obscuritate etiam laborare per se patet, præsertim postquam polemistæ photiani de missione seu processione temporali illas communiter intellexerunt. Unde Latini Græcos rogaverunt, ut suam sententiam clarius exponerent palamque declararent quemnam sensum verbis ἀναβλύζειν, πηγάζειν, προχεῖσθαι tribuerent ; quod Græci facere renuebant, sed colloquia jam rumpere volebant et in patriam reverti. Instantibus autem Papa atque imperatore et cooperantibus unionis studiosis, inter quos eminebant Bessario Nicænus, Isidorus Kioviensis et Dorotheus Mitylenensis, de latinorum et græcorum Patrum consensu iterum inter se sermones habuerunt. Occidentalium et Orientalium testimonia rursus legerunt. Isidoro dicente sanctos Patres utriusque Ecclesiæ inter se dissentire non posse, alii responderunt : « Nos etiam ita sentimus. » Quibus tunc Bessario :

« Si sentitis sanctos inter se non discrepare, qua ratione eis non creditis docentibus etiam ex Filio procedere Spiritum Sanctum? » Et incipiens a libro sancti Epiphanii, qui inscribitur *Ancoratus*, et ex Cyrilli *Expositione in Joannem* et ex *Thesauris* ejusdem multos legit locos integros, ex quibus alii Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere dicebant, alii

1. Formulam a Scholario propositam refert Sylvester Syropulus, *Historia concilii Florentini*, ed. Creyghton, Hagae-Comitis, 1660, p. 243-244, quam in t. I, *Operum Scholarii* iterum edidimus, p. 375. Paulum differt ab ea quam Græci Latinis obtulerunt. Ita enim se habet : « Ἡμεῖς δὲ οἱ Γραικοὶ ὁμολογοῦμεν μὲν καὶ πιστεύομεν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, ἴδιον δὲ τοῦ Υἱοῦ εἶναι, καὶ ἐξ αὐτοῦ ἀναβλύζειν, καὶ οὐσιωδῶς ἐξ ἀμφοῖν ἤγουν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προχεῖσθαι διϊσχυριζόμεθα καὶ πιστεύομεν. »

2. « Λέγομεν ὅτι ἀναβλύζει ὁ Υἱὸς τὸ Πνεῦμα, πηγάζει, προχεῖ, καὶ Πνεῦμα τὸ ἅγιον πρόεισι καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, καὶ ἐνίεται, καὶ προχεῖται. » Nickes, ed. gr., p. 284.

ab ambobus, alii eum habere suum esse a Filio, alii ab eo profundi, alii emitti. His lectis, Mitylenensis protulit sanctos occidentales, qui plane asserunt Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti, et hunc esse ex Patre quidem originaliter, sed etiam a consubstantiali Filio; et Spiritum Sanctum procedere ex Patre et Filio. Hæc testimonia legerunt omnes, et persuasum habuerunt, unaque voce clamarunt : « Sanctos occidentales nunquam vidimus; nunquam eos legimus ; nunc autem novimus et legimus eosque recipimus [1]. »

In aliis duabus adunationibus scripta Patrum, præsertim orientalium, item legerunt, et hac via tandem in formulam decreto unionis insertam convenerunt, uno excepto, Marco Ephesio, qui assentiri noluit.

Non solum præsules et clerici, sed etiam optimates laici, imperatore rogante, sententiam tulerunt, inter quos fuit Georgius Scholarius, qui doctrinam catholicam omnino explicite his verbis professus est :

« Sanctis occidentalibus et orientalibus, quos inter se consentire necesse est, dicentibus Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere; adhuc, Spiritum per Filium procedere; adhuc, ex Filio prodire, ex essentia Filii prodire, ex Filio esse, ex Patre per Filium esse, ex Filio profundi sicut ex Patre, substantialiter ab ambobus profundi, ex Filio scaturire, et hujusmodi alia, credo et confiteor unam ex his omnibus colligi veritatem, nempe quod Spiritus Sanctus suum esse accipit a Patre et Filio, et a Patre et Filio procedit tanquam ab uno principio et uno spiratore; et quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti; nec exinde sequitur Patrem et Filium esse duo principia aut in unam contrahi personam,

1. Dorotheus Mitylenensis, Ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδος, ed. Nickes, p. 292, ed. lat., p. 244 : « Οὐδέποτε εἴδομεν τοὺς δυτικοὺς ἁγίους, οὐδέποτε ἀνέγνωμεν αὐτούς. Νῦν οὖν οἴδαμεν καὶ ἀνέγνωμεν καὶ στέργομεν αὐτούς. » Jam post sessionem xxv, in ecclesiam Sancti Francisci adunati, libros habentes testimonia sanctorum orientalium Latinis suffragantia inspexerant. *Ibid.*, p. 272 et 226. Nota, post consummatam separationem, Latinos ad auctoritatem Patrum græcorum semper provocasse, Græcos vero latinos Patres aut penitus ignorasse, aut, sicut Marcus Ephesius ipse in concilio adhuc fecit, eorum opera a Latinis corrupta fuisse pueriliter contendisse.

quamvis suspicentur aliqui absurda ista ex hac sententia consequi, eo quod talia bene perspicere nequeant. Quapropter sententiæ sive propositioni eorum assentior, qui dicunt Spiritum Sanctum procedere ex Patre et Filio seu ex Patre per Filium tanquam ab uno principio et una causa, et hanc verissimam esse aio; et dico sanctos occidentales cum orientalibus ita convenire ex necessitate, et aliter eos convenire non posse, anathemati subjiciens eos qui duo ponunt principia, vel personalem Patris et Filii distinctionem convellunt [1].»

Vides Græcos unionis Florentinæ decreto nequaquam cæco impetu adhæsisse, sed nonnisi post longas moras, post multas disputationes, post diligentes de Patrum doctrina investigationes illud tandem recepisse, quidquid in contrarium postea protulerint unionis adversarii.

II. — De Marco Ephesio.

Pervicax ille unionis Florentinæ adversarius ad eorum theologorum classem pertinet qui rigido photianismo adhærent. Unde si ejus opuscula de processione Spiritus Sancti perlegeris, ex quibus præcipuum inscribitur : *Capita syllogistica contra Latinos* [2], numero sex et quinquaginta, nihil novi apud eum reperies, si opera polemistarum, qui ante eum fuerunt, jam evolvisti [3]. Cum Photio tibi dicet Filium mitti a

1. Apud Dorotheum Mitylenensem, ed. gr. cit., p. 293-295; ed. lat., p. 245-247; *Œuvres complètes de Gennade Scholarios*, t. I, p. 372-374 : « Διὰ τοῦτο ταύτῃ τῇ δόξῃ ἢ τῇ προτάσει συντίθεμαι, ὅτι τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἢ ἐκ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ὡς ἐκ μιᾶς ἀρχῆς καὶ μιᾶς αἰτίας, καὶ λέγω ταύτην εἶναι ἀληθεστάτην, καὶ λέγω τοὺς δυτικοὺς ἁγίους μετὰ τῶν ἀνατολικῶν οὕτω συμφωνεῖν ἐξ ἀνάγκης, καὶ ἄλλως ἀδύνατον συμφωνεῖν. »

2. Συλλογιστικὰ κεφάλαια πρὸς Λατίνους. De variis editionibus hujus opusculi vide ea quæ scripsimus in tomo I, p. 456, n. 5 et 6. L. Petit, editionem criticam in *Patrologia orientali*, t. XVII, p. 368-415, contentam hic citamus. De doctrina Marci circa processionem Spiritus Sancti quædam scripsit V. Grumel in commentario : *Estudis franciscans*, t. XXXVI (1925), p. 438-442 : *Marc d'Éphèse. Vie, écrits et doctrine.*

3. Hoc bene notat Josephus Methonensis, *Refutatio relationis Marci Ephesii de rebus in synodo gestis*, *P. G.*, t. CLIX, col. 1052 A : « Πάντα ἀπὸ τοῦ Καβασιλᾶ τε καὶ Παλαμᾶ καὶ τῶν κατ' αὐτοὺς σχισματικῶν ἀναλαβών, ἔλεγες γυμνὰ ῥητὰ τοῦ Εὐαγγελίου. » Cf. col. 1092 B.

Spiritu Sancto [1]; cum Palama, personam Spiritus Sancti fidelibus non revera dari, sed tantum spiritualia dona [2]; cum plerisque Photianis, ordinem personarum divinarum, prout in formula baptismi enuntiatur, non esse essentialem et intrinsecum, sed ad externam et historicam manifestationem tantum referri [3]; cum Moschabaro et aliis, illud *per Filium* significare *cum Filio*, vel ad largitionem charismatum referri, vel communionem et mutuam habitudinem personarum indicare, vel propter earum distinctionem simpliciter poni, nullatenus vero inferre participationem Filii in processione æterna Spiritus Sancti [4]. Cum Photio iterum, et quidem sæpissime, pro majore suorum syllogismorum sumet unum alterumve horum axiomatum : *Spiratio* (ἡ προβολή) *est proprietas hypostatica Patris* [5], et : *Quidquid in Trinitate concipitur, aut trium personarum commune est, aut personæ unius proprium* [6]; quod nihil aliud est quam nuda petitio principii. Item, cum Photio docet processiones ex persona Patris, non

1. *Cap. syll.* IV, *P. O.*, *loc. cit.*, p. 374 : « Κοινότατον ἄρα τὸ πέμπειν, καὶ οὐχὶ κοινόν, ὡς δοκεῖ τοῖς Λατίνοις.

2. C. IV, *ibid.*, p. 375; c. VIII, p. 378-379.

3. C. VI, p. 376-378 : « Διὰ τοῦτο καὶ ἡ τάξις, οἶμαι, τοῖς θεολόγοις παρείληπται, ἵνα μὴ τὸ Πνεῦμα υἱὸς νομισθῇ μετὰ τὸν Πατέρα ταττόμενον· ἄλλως γὰρ καὶ ἀναιροῦσι τὴν τάξιν. »

4. C. X, p. 381-383. Cf. *Confessionem fidei Florentiæ scriptam*, 1, *ibid.*, p. 436-437 : « Διὰ τοῦτο καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι διὰ τοῦ Υἱοῦ λέγεται, τουτέστι μετὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ ὡς ὁ Υἱός, εἰ καὶ μὴ γννητῶς ὡς ἐκεῖνος. »

5. C. XXIII, p. 392-393 : « Τὸ Πατήρ ἐπὶ Θεοῦ λεγόμενον ὄνομα περιλαμβάνει πάντα τὰ αὐτοῦ ἰδιώματα... Εἰ τοίνυν τοῦ πατρικοῦ ὀνόματος οὐ μεταδίδωσι τῷ Υἱῷ, οὐδὲ τῆς προβλητικῆς ἰδιότητος αὐτῷ μεταδώσει, ἵνα μὴ υἱοπάτωρ ἀναφανῇ ὁ Υἱός, καὶ τὸ Πνεῦμα ἐντεῦθεν υἱωνὸς νομισθῇ. » Vides sophisma : Pater, ut Pater, non solum generat Filium, sed etiam spirat Spiritum Sanctum, seu *Pater* = *Pater* et *Spirator*. Si hoc a priori posueris, virtutem spirativam utique Filio necessario denegabis.

6. C. XVII, p. 386-387 : « Spiritus Sanctus, si a Patre et Filio oriatur, ab eis oritur aut quatenus sunt distincti, aut quatenus sunt uniti. Quod si quatenus sunt distincti illi duo, ab ambobus procedat, cum distincti sint et duo secundum hypostases, ex duabus igitur hypostasibus Spiritus Sanctus procedit, ac proinde, ut plane necesse est, ex duobus principiis. Si autem quatenus sunt uniti, primum quidem jam non ab illis prodit Spiritus quatenus sunt distincti; neque igitur ex eorum hypostasibus prodit, etc. » Huic dilemmati optime responderat Scholarius quasi ex nomine Latinorum in concilio Florentino, cujus responsum habes in *Œuvres complètes de Gennade Scholarios*, t. III, p. 76-77. Cf. item confutationem hujus capitis Marci ab eodem, *ibid.*, p. 533-535.

vero ex ejus essentia oriri [1]. Nihil Latinis sæpius exprobrat quam quod in Trinitate duo principia necessario ponant, quidquid in contrarium dicant; quod in polemica antilatina tritissimum est. Ad argumentum autem ex consensione Patrum ductum quod attinet, quod sane omnium intra concilium allatorum validissimum fuit et Græcos ad unionem tandem adduxit, Marcus cum libertate vere photiana de eo disserit. En ejus verba de Patrum occidentalium testimoniis :

« Dicta occidentalium Patrum atque doctorum, quæ causam Spiritus Sancti Filio tribuunt, nec cognosco (neque enim translata unquam sunt in nostram linguam, neque ab œcumenicis synodis probata fuerunt), nec recipio, hac nixus conjectura, ea corrupta esse atque supposita tum multis aliis de causis, tum ob prolatum heri et nudiustertius ab illis volumen septimæ œcumenicæ synodi, definitionem continens cum additamento in symbolo; quod cum recitaretur, quanta eos verecundia suffuderit, norunt qui tunc præsentes fuerunt [2]. Verum neque contraria œcumenicis synodis et communibus earumdem decretis, immo nihil omnino quod non consentiat orientalibus doctoribus scripserunt Patres illi, nihil quod non plane iisdem cohæreat, prout ex multis aliis illorum dictis demonstratur. Ideo periculosas ejusmodi voces de Sancti Spiritus processione rejicio, atque una cum sancto Damasceno Spiritum ex Filio nequaquam dico, licet alius qualiscumque tandem id dicere videatur; neque dico Filium Spiritus Sancti causam prolatoremve, ne alterum in Trinitate principium, ac proinde duæ causæ duoque principia intelligantur [3]. »

Corruptum pronuntiare omnem Patrum locum doctrinæ

1. C. XXVIII, *P. O.*, ibid., p. 398 : « Τὸ τῆς θεότητος αἴτιον ἢ τῶν ὑποστάσεων ἐστὶν ἴδιον τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ κατὰ τοὺς Λατίνους, ἢ τῆς αὐτῶν φύσεως, ἢ ἐνεργείας, κτλ. »

2. Alludit ad codicem a Latinis in sessione quinta concilii prolatum, qui symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, prout in septima synodo recitatum est, cum additione *Filioque* habebat.

3. *Confessio fidei Marci Ephesii*, 2, in *P. O.*, t. XVII, p. 438-439 : « Τὰς δὲ τῶν δυτικῶν πατέρων καὶ διδασκάλων φωνάς, αἳ τὴν αἰτίαν τοῦ

Latinorum consonum, en via, qua usus est Marcus per totum concilium Florentinum [1]; en effugium ad quod etiam in suis scriptis recurrit.

III — De palinodiis Georgii Scholarii necnon de ejus in fine vera positione.

Georgium Scholarium in concilio Florentino unioni cum Latinis adhæsisse, atque dogma catholicum absque ulla ambiguitate professum fuisse, ex supra dictis aperte constat. Cum autem haud pauci in dubium vocaverint authenticitatem earum orationum ac declarationum, quas Dorotheus Mitylenensis in sua de concilio narratione sub ejus nomine refert, ipsum Scholarii de seipso testimonium ex ejus scriptis desumptum ob oculos lectoris ponere haud abs re erit.

Jam ante concilium, ad unionem cum Latinis propensus visus est, et aliquatenus Λατινόφρων, ut patet tum ex quadam ejus epistola ad Eugenium IV, quem titulis *patris et universæ terræ pastoris, ex Petri cathedra velut ex quodam oriente totum orbem illuminantis*, decorat [2]; tum ex orationis ejus in Annuntiationem conclusione, uui ardentibus votis finem schismatis et Ecclesiarum pacem expetit [3]; tum ex

Πνεύματος τῷ Υἱῷ διδόασιν, οὔτε γνωρίζω, ...οὔτε ἀποδέχομαι... καὶ συμφωνῶν τῷ ἁγίῳ Δαμασκηνῷ, ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα οὐ λέγω, κἂν ὁστισοῦν ἕτερος τοῦτο λέγειν δοκῇ. »

1. Unde Josephus Methonensis, *Refutatio relationis Marci Ephesii de rebus in synodo gestis*, *P. G.*, t. CLXIX, col. 1048 B C, de eo dicit : « Libros omnes, qui producti sunt, corruptos vocando, stultissimus ab omnibus habitus es : « καὶ πάσας τὰς προενεχθείσας βίβλους δειφθαρμένας ἀποκαλῶν, μωρία ἐνομίσθης τοῖς πᾶσιν. » Bessario item, in conventu Græcorum, Marco dicenti : « Et quis novit an libri ab eis corrupti sint », respondit : « Et quis audeat hoc affirmare? integras homilias et Evangelii interpretationes, necnon de divinis intactas dissertationes? Certe, si ea velimus inducere, nihil in libris aliud remanebit nisi membranæ albæ. » Dorotheus, *op. cit.*, ed. lat., p. 228, ed. græc., p. 274.

2. *Epistola ad Eugenium papam*, apud Lampros, Παλαιολόγεια καὶ Πελοποννησιακά, t. II, Lipsiæ, 1912, p. 310. Locum habes in tomo IV nostri operis, p. 374.

3. Εἰς τὸν εὐαγγελισμόν, *Œuvres complètes*, t. I, Parisiis, 1928, p. 60 : « Εἰρήνην πάλιν ἡ τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία λαβέτω, καὶ διαιρεθεῖσα κακῶς, καλῶς συναχθήτω. »

illo sermone συμβουλευτικῷ, quem, teste Sylvestro Syropulo, Constantinopoli, ad suos concives habuit, illos exhortans ad faciendam non unionem qualemcumque, non unionem mere *œconomicam*, sed unionem veram, unionem sinceram, super consensu Patrum utriusque Ecclesiæ fundatam [1]; tum demum ac potissimum ex iis quæ dicit in quadam dissertatione *Contra Bessarionis orationem dogmaticam* [2], quam ex *codice autographo Paris. Suppl. 618* nuper edidimus [3]. Ibi enim aperte fatetur se, antequam Græci Italiam peterent, quæstionem controversam de processione Spiritus Sancti post alios diligenter investigasse, atque occidentales et orientales Patres inter se consentientes invenisse, indeque cum Latinis reconciliatum fuisse ac multa pro illorum defensione conscripsisse adversus eorum calumniatores. En ejus verba :

« Quæstionem et ipse explorans, inveniebam impedimenta ex additione [ad symbolum] venientia non adeo gravia esse, ut schisma de necessitate inducerent. Melius quidem erat nihil addere; perpetrata autem hac temeritate eaque jam obtinente, judicabam illam tolerandam esse, dummodo additio veritati consonaret. Dicebam ergo synodo communi, *quam proxime futuram sperabamus*, hoc esse curandum. Ipse vero nihil addens, neque sane cum Latinis in ullo negotio communicans, quærebam utrum aliquid veritatis haberet hujusmodi additum... Inveniebam igitur a doctoribus occidentalibus hoc profecto dici, et quosdam e nostris doctoribus testantes hunc esse illorum loquendi modum. Cum autem fieri non possit, ut Ecclesiæ doctores mendacium proferant, Latinos vera sentientes et confitentes non judicavi fugiendos. Neque plane suspicabar veritatem a tantis doctoribus prædicatam posse unquam esse mendacii principium. Unde sic sincere et ex corde cum Latinis reconciliabar, iisque, qui illos immodice accusabant, per totum hoc tempus gravis

1. *Op. cit.*, ed. Creyghton, p. 49-50. Nota illum jam in consensu Patrum insistere, quia proprio studio deprehenderat illos revera inter se convenire circa processionem Spiritus Sancti.

2. De hac Bessarionis dogmatica oratione vide supra, p. 399.

3. *Adversus Bessarionis orationem : Œuvres complètes de Gennade Scholarios*, t. III, p. 100-116. Nota dissertationem esse initio et fine mutilam, propria tamen Scholarii manu scriptam.

eram, multa quidem pro confessionis illorum defensione proferens, multis vero illos purgans absurdis, de quibus non magis illos quam ipsos Ecclesiæ doctores insimulabant qui prolixa contra illos concinnarunt volumina; quapropter et *latinophron* audiebam... Eorum imperitiam condemnans, aliquid forsan protuli quod Latinum edicere deceat... Tunc sane quæ Latinorum sunt prorsus colere, nostrorum vero contemptor et manifestus hostis omnibus visus sum [1]. »

Pauca tantum ex iis, quæ pro Latinorum defensione scripsit, ad nos pervenerunt, scilicet orationes ac declarationes, quæ concilii Florentini Actis insertæ sunt, et *Responsio ad capita syllogistica Marci Ephesii de processione Spiritus Sancti contra Latinos* [2]. Hanc Marci Ephesii confutationem Constantinopoli scripsit Scholarius paulo post concilium Florentinum, rogante Gregorio Mamma, qui tunc temporis adhuc protosyncellus erat. Ex quinquaginta et sex Marci capitibus decem et septem tantum, quæ inter præcipua sunt, confutavit [3]. Hoc opus ad Scholarium revera pertinere, præter certa

1. *Loc. cit.*, p. 115-116 : « Ὅθεν ἁπλῶς οὕτω δὴ Λατίνοις τε κατὰ ψυχὴν διηλλάγμην καὶ τοῖς ἀφειδῶς κατηγοροῦσιν αὐτοὺς βαρὺς ἦν τὸν ἁπάντα χρόνον, πολλὰ μὲν ὑπὲρ τῆς αὐτῶν ὁμολογίας ἀπολογούμενος, ἀτόπων δὲ πολλῶν αὐτοὺς ἀπαλλάττων, οἷς οὐκ αὐτοὺς μᾶλλον ἢ τῆς Ἐκκλησίας τοὺς διδασκάλους ὑπῆγον οἱ τὰ μακρὰ κατ' αὐτῶν συντιθέντες βιβλία, διὰ δὴ καὶ λατινόφρων ἤκουον... κἀγὼ τῆς αὐτῶν ἀπαιδευσίας καταγινώσκων, ἴσως τι καὶ προῆκά ποτε Λατίνῳ πρέπον εἰπεῖν. » In *Dialogo* inscripto Ὀλβιανός, fatetur item se aliquando sententiæ unionistarum byzantinorum adhæsisse, sed jamdiu ad antiquum et patrium dogma reversum esse, « cui mordicus nunc hæret, ita ut omnia potius quam illud relinquere paratus sit, nihil eo verius esse credens : εἰ δέ τί με καὶ τοιοῦτον εἰσῄει περὶ Λατίνων οἷον ὑμᾶς νῦν, ἐκπάλαι αὐτοῦ κατεγνωκώς, ἐπὶ τἀρχαῖον καὶ πάτριον ἐπανελήλυθά τε καὶ ἔχομαι ἀπρὶξ τοῦ δόγματος, ὥστε πάντ' ἂν μᾶλλον ἢ αὐτὸ προείμην, οὐδὲν ἀληθέστερον τούτου εἶναι πιστεύων. » *Œuvres complètes*, t. III, p. 23. Cf. etiam ea quæ dicit tum in *Responsione ad epistolam Marci Ephesii*, anno 1440 scripta, in *P. O.*, t. XVII, p. 468-469, ed. L. Petit, tum in *Oratione funebri in eumdem Marcum*, *Œuvres complètes*, t. I, p. 251.

2. Ἀπόκρισις πρὸς τὰ κεφάλαια συλλογιστικὰ Μάρκου τοῦ Εὐγενικοῦ πρὸς Λατίνους, *Œuvres complètes*, t. III, p. 476-538, et in *P.G.*, t. CLXI, col. 11-138.

3. Quædam alia ex his capitibus confutavit postea Bessario, rogante eodem Gregorio Mamma jam patriarcha Constantinopolis renuntiato. Cum Marcus eadem aliis verbis etiam atque etiam repetat, singulis ejus

criteria externa, ipsa critica interna demonstrat. Sophismata Ephesii Scholarius adeo sollerter ac perspicue diluit, ut theologum latinum in Schola enutritum ac diu magistrum audire credas [1].

Quis credat hominem, qui veritatem ab utriusque Ecclesiæ Patribus edoctam tam clare perspexerat, mox ad photianismum rigidum reversum fuisse, et Marci Ephesii sophismata, quæ adamussim confutarat, sibi defendenda resumpsisse? Ita tamen factum est. Inde enim ab anno 1444, quo Marcus Ephesius mortuus est, Scholarius factionis adversariorum unionis Florentinæ dux ac caput exstitit, multaque pro tuendo dogmate photiano de processione Spiritus Sancti conscripsit, et usque ad imperii byzantini ruinam totis viribus contendit ne decretum Florentinum Constantinopoli publice promulgaretur. Ejus palinodiæ causas arcanas quis nobis aperiet? Ex ejus scriptis conjicere licet eum ægre tulisse tum quod in concilio Latini nullo officio honoreve illum provocaverint, cum ipse inter Græcos doctissimus esset ac pro unione adlaborasset [2]; tum quod, post concilium, unionistis non satis curæ fuerit eum ad suas partes blande ac comiter attrahere. Erat enim homo ad accipiendam offensam facilis, amore gloriæ detentus et, ut doctis accidit, sua excellentia plenus ac proprii meriti nimis conscius. Hoc bene

capitibus respondere nimis fastidiosum erat, nec utique necessarium. Fastidium ratio fuit cur Scholarius septem et decem tantum confecit.

1. Ad caput v, *Œuvres complètes*, t. III, p. 496-497, Scholarius dicit se quoddam opus polemicum contra Nilum Cabasilam composuisse, quod deperiit : « Ὁπόσα δὲ ἄλλα περιττὰ τῷ ἐπιχειρήματι τούτῳ τοῦ Καβασίλα τῷ πρώτῳ κεφαλαίῳ τῆς καθ'ἡμῶν αὐτῷ συγγεγραμμένης βίβλου τυγχάνοντι σύνισμεν, ἰδίως δὲ παρ'ἡμῶν ἐξετάσθη τε καὶ ἠλέγχθη ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν ἀντιρρήσεσιν. » In hac Marci confutatione, Scholarius Latinorum gerit vices, Marco dicens : En ea, quæ Latini tibi respondebunt; se autem cum Latinis revera sentire haud uno loco prodit : cf. v. g., p. 477, l. 28 sq.; 489, 23 sq.; 493, 25 sq.

2. Hoc colligi potest ex iis, quæ contra Bessarionis dogmaticam orationem conscripsit, *Œuvres complètes*, t. III, p. 110-111, ac præsertim p. 112-113, ubi certe queritur se a Bessarione neglectum fuisse in procuranda unione : « Ὃυς δὲ ἐν μοίρᾳ διδασκάλων τὸν πρόσθεν ἔτατες χρόνον, καὶ οὓς μόνους ἀκριβεστάτους τῶν ὄντων ἐπιστήμονας ἡγούμενος καὶ καλῶν, λύσεις τῶν ἀπορουμένων ἐζήτεις... τούτους τοίνυν ἔχων καὶ χρῆσθαι δυνάμενος, οὐκ ἠθέλησας. »

noverat Marcus Ephesius, qui blanditiis simul et improperiis ad suam factionem illum adduxit et ad rerum patriarum amorem excitavit. Notandum est enim dogma photianum a multis jam sæculis Byzantii ita invaluisse, ut tanquam quid ad patriam pertinens habitum fuerit. Unde videmus Scholarium illud passim vocitare *dogma patrium*, *sententiam patriam*, πάτριον δόγμα, δόξαν πάτριον.

Pro hoc dogmate photiano tuendo non minus quam quatuordecim dissertationes varii generis conscripsit, inter quas duo tractatus grandioris molis primas tenent [1]. Doctrina in illis etiam atque etiam proposita est revera photianismus proprie dictus, illa scilicet hæretica sententia, quæ Filio denegat qualemcumque activam participationem in processione æterna Spiritus Sancti, seu in illa vitali operatione, qua Pater emittit ac spirat Spiritum Sanctum. Secundum Scholarium, sicut secundum Photium, nulla relatio originis intercedit inter Filium et Spiritum Sanctum. Pater, cujus nomen simul significat *genitorem* et *spiratorem* [2], est solus causa, solus principium in divinis, nec aliquid principii Filio venit per generationem, sed Pater hinc emittit Filium per generationem, inde Spiritum Sanctum per processionem, ita ut Trinitas per angulum bene repræsentetur, cujus summitatem occupat Pater [3]. Exinde sequitur ordinem personarum divi-

1. Hos tractatus hasque dissertationes in tomis II et III operum completorum Scholarii invenies, præter *Responsionem ad Plethonem de Spiritu Sancto, seu contra paganos*, ἐπὶ τῇ πρὸς τὸ κατὰ Λατίνων βιβλίον αὐτοῦ, ἢ κατὰ Ἑλλήνων,, quæ tomo IV operum inseretur. Interim illam habes in *P. G.*, t. CLX, col. 599-630.

2. Hoc pluries aperte dicit, v. g., in opusculo de personarum Trinitatis distinctione contra sanctum Thomam anno 1464 conscripto, *Œuvres complètes*, t. III, p. 433 : « ἵνα ᾖ ὁ μὲν Πατὴρ μόνον, ἤγουν γεννήτωρ καὶ προβολεύς »; item in fine commentarii opusculi sancti Thomæ *De ente et essentia*, in *codice Laurent. 86, 27*, fol. 91v, autographo : « ὁ Πατὴρ μόνος, τουτέστι μόνος γεννήτωρ καὶ μόνος προβολεύς. » Hoc posito, vana est omnis discussio Græcorum cum Latinis, Latinorum cum Græcis, cum tota quæstio sit utrum Pater sit; solus spirator.

3. Scholarium diagramma photianum Trinitatis admittere ex multis locis ejus operum aperte constat. Cf., v. g., *Tractatum tertium de processione Spiritus Sancti in formam confessionis fidei redactum*, *Œuvres*, t. II, p. 468, ubi Filium et Spiritum Sanctum comparat gemino radio ex sole elucente, fluvio in duos rivulos ex uno fonte diviso, germinis

narum, prout in formula baptismi declaratur, non esse essentialem et immanentem, nec Filium medium locum necessario tenere; saltem ex divinis eloquiis hoc pro certo nemo dare possit [1]. Usurpat utique Scholarius illas varias comparationes apud Patres occurrentes, ex quibus Filii mediationem esse naturalem ac necessariam sponte infertur; sed hunc ordinem esse quoad modum nostrum loquendi et concipiendi semper subaudit [2].

Ad significationem formulæ *per Filium* quod attinet, Scholarius diversas explicationes a polemistis antilatinis jam adinventas ad unam reducere conatur, earum differentias tacendo vel subtili interpretatione diluere tentando. Concedit quidem, quod multi Photiani non fecerunt, illud διὰ τοῦ Υἱοῦ in quibusdam Patrum locis ad processionem æternam Spiritus revera referri; sed dicit formulam tunc significare : 1° σὺν τῷ Υἱῷ, vel μετὰ τοῦ Υἱοῦ. *cum Filio;* 2° οὐκ ἐκτὸς τοῦ Υἱοῦ, *non extra Filium ;* 3° μετὰ τὸν Υἱόν, *post Filium* [3]; 4° οὐκ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ, *non sine Filio;* 5° τὴν συνάφειαν κατ'οὐσίαν, τὸ ὁμοούσιον, *conjunctionem secundum essentiam, consubstan-*

duobus ex Deo natis tanquam ex una radice, duos flores simul exorientes : « Ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ ὥσπερ ἀκτίς τις ἐξ ἡλίου δίδυμος, ἢ δίρρυτος ποταμὸς ἐκ μιᾶς πηγῆς, ἢ βλαστοὶ θεόφυτοι ἐκ ῥίζης μιᾶς, ἢ δύο ἄνθη. » Cf. *Epistolam ad Magnum Ducem contra unionem Florentinam*, 4, *Œuvres*, t. III, p. 143-144, ubi eadem repetit, addens et comparationem amborum brachiorum ex uno pectore enascentium, ἢ ἐκ στήθους βραχιόνας.

1. *Primus tractatus de processione Spiritus Sancti*, l. V, c. IV, *Œuvres*, t. II, p. 201 : « Ἡ διαφορὰ τῶν προόδων καὶ ἡ τάξις τῶν ὀνομάτων μεσιτεύειν τὸν Υἱὸν ἀναγκάζει κἀν τῷ λόγῳ κἀν τοῖς νοήμασιν ἡμῶν · εἰ δὲ κἀν τῷ πράγματι οὕτως ἐστὶ καὶ τίς ἂν λόγος εἴη, οὐδεὶς ἂν ἐκ τῶν ἱερῶν λογίων ἰσχυρίσασθαι δύναιτο. » Oblivioni tradit Scholarius quod Patres græci, ac præsertim Basilius, docent hunc ordinem esse necessarium et immanentem.

2. Cf. *Tractatum III de processione Spiritus Sancti*, ubi postquam dixit Spiritum per Filium apparere, per Filium transire, δι' Υἱοῦ πεφηνέναι, δι' Υἱοῦ διϊέναι, concludit : « Verum non dicimus Spiritum a Filio pendere secundum horum exemplorum similitudinem, in quibus quæ procedunt magis cum principio quam cum seipsis conjunguntur. *Invicem vero non uniuntur nisi in principio* : ἀλλήλοις δὲ οὐχ ἥνωνται εἰ μὴ ἐν τῇ ἀρχῇ. »

3. *Post Filium*, μετὰ τὸν Υἱόν : Hoc primus omnium dicit Scholarius; quod expresse rejecerant tum Nilus Cabasilas, tum Marcus

tialitatem; 6° τὴν διάκρισιν καί τὴν ἔκφανσιν αἰώνιον τῶν ὑποστάσεων, *distinctionem et æternam manifestationem personarum* [1]; 7° τὴν τάξιν τῶν προσώπων, *ordinem personarum*, nempe quantum ad nostrum modum loquendi et intelligendi; 8° τὸ ἑνιαῖον καὶ μοναρχικὸν τῆς θεότητος, *unitatem principii in Trinitate* [2]. Contendit autem has diversas interpretationes ab invicem non discrepare, sed ex illis omnibus colligi unum conceptum a sententia Latinorum diversum [3].

Formula græca in hunc modum explanata, theologus noster Patrum latinorum formulam *ex Patre Filioque* ad eumdem sensum accommodare tentat. Si illi credas, verbum latinum *procedere* non plane respondet verbo græco εκπορεύεσθαι, quod communiter non dicitur nisi de processione æterna, sed potius verbo προϊέναι, *prodire*, quod apud quosdam Patres, v. g., apud Cyrillum Alexandrinum, tum processionem æternam, tum processionem temporalem seu missionem significat. Indicat processionem æternam, ubi de relatione ad Patrem agitur; processionem vero temporalem, ubi de relatione ad Filium. Unde formula Latinorum *a Patre Filioque* ad processionem temporalem seu ad manifestationem temporalem, τὴν ἔκφανσιν χρονικήν, Spiritus Sancti plerumque referenda est; vel dicendum eam significare distinctionem personarum ab invicem, sicut de formula διὰ τοῦ Υἱοῦ assertum

Ephesius. Revera illud *post Filium* cum diagrammate photiano pugnat; at vero scimus Scholarium non loqui de ordine personarum nisi *quoad nos*.

1. Hanc æternam manifestationem Scholarius reducit ad distinctionem ac discriminationem personarum. Cf. *Tractatum I*, l. V, c. VII, *loc. cit.*, p. 209 : « Ἀλλὰ καὶ ἀϊδίως διὰ τοῦ Υἱοῦ πεφηνέναι τὸ Πνεῦμα τῷ γε τῆς διακρίσεως λόγῳ καὶ ἀληθές ἐστι καὶ ὁ Νύσσης οὕτω δοκεῖ βούλεσθαι. » Cf. *Tract. II*, p. 366-386.

2. Significationi formulæ *A Patre Filium* totus dicatur liber V *Tractatus I de processione*, *loc. cit.*, p. 184-217; item bona pars libri II *Tractatus II*, p. 344-386. De eodem argumento passim tractat in aliis dissertationibus, longius breviusve eadem semper repetens.

3. *Tractatus I*, l. V, c. VIII, p. 212-214 : « Ὅτι αἱ ἐξηγήσεις αὗται οὐκ εἰσὶν ἀπ'ἀλλήλων ἀπᾴδουσαι, ἀλλ' ἐκ πασῶν τούτων μία ἀληθὴς διάνοια συναθροίζεται, τῆς τῶν Λατίνων διανοίας κεχωρισμένη. » Sola excluditur explicatio quæ præpositionum græcarum naturalem servat significationem! Eo usque polemistarum mentem obcæcavit spiritus contentionis!

est [1]. Ad hunc sensum trahit etiam Augustini dicta, subjiciens eam esse solam viam componendi *Europæos* Patres cum Asiaticis [2]. Hoc tamen affirmat cum quadam hæsitatione ac formidine, præsertim de sancto Augustino. Ideo haud semel pronuntiat unum Ecclesiæ doctorem errare posse, Augustinum infallibilem non esse et multa per modum opinionis vel conjecturæ protulisse, Latinos vero ejus auctoritatem plus æquo extollere contra ipsius sancti doctoris effata [3]. Demum, inquit, si supponamus Europæos cum Asiaticis nullo pacto conciliari posse, hi, cum nostri sint, potius quam illi nobis sequendi sunt, quemadmodum et Latini suorum potius quam nostrorum vestigia premunt [4].

En doctrina, quam Scholarius ad photianismum reversus, adhibita locorum patristicorum magna copia, in numerosis dissertationibus propugnat, præsertim vero in illis duobus longis tractibus de processione Spiritus Sancti, anno 1444-1445 compositis, ad quos in suis aliis scriptis lectorem passim remittit. Vides eam a positione rigidi photianismi, ad sum-

1. Cf. *Tractatus I*, totum librum VI, p. 217-262, *Tractatus II*, totam tertiam partem, p. 398-407; item in tomo III, *Operum*, p. 49-63, dissertationem inscriptam : Περὶ τῶν ῥητῶν τῶν δυτικῶν ἁγίων, ἐφ'οἷς μάλιστα ἐρείδονται οἱ Λατῖνοι, ἀπόκρισις σύντομος καὶ σαφής.

2. *Tractatus I de processione*, l. VI sic inscribitur : 'Εν ᾧ δείκνυται, ὅπως δεῖ συμβιβάζειν τοὺς ἱεροὺς διδασκάλους ἀλλήλοις · καὶ ὅτι πρὸς τὸν τύπον τῶν 'Ασιανῶν καὶ ἡμετέρων διδασκάλων τὰ τῶν ἀπ' Εὐρώπης ἕλκεσθαι δεῖ, καὶ ὅπως ὁ τύπος οὗτος σαφέστερός τε καὶ κυριώτερος καὶ ταῖς ἀρχαῖς τῆς πίστεως συμφωνότερος · καὶ ὅτι ἄλλως συμβιβαζόμενοι, δείκνυνται μᾶλλον ἀντιφάσκοντες.

3. De Augustino sæpe agit in suis tractatibus et dissertationibus. Cf. *Tractatus I*, l. II fere integrum, *loc. cit.*, p. 44-91; l. VI, p. 223, 229, 242; *Dissert. VI*, t. III, p. 53-56.

4. *Dissertatio VI : De Patrum occidentalium dictis, quibus maxime innituntur Latini*, 7, *Œuvres complètes*, t. III, p. 61 : « 'Αλλὰ καὶ εἰ μηδεμία ἦν μηχανὴ ἕλκεσθαι τὰ τῶν ἑσπερίων διδασκάλων πρὸς τὴν κοινὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως, γραφαῖς καὶ συνόδοις καὶ διδασκάλοις τοσούτοις τοῖς ἡμετέροις ἐρειδομένην, ὡς ἡμεῖς τε καὶ πατέρες ἡμῶν ἀξιοῦμεν, μᾶλλον ἂν εἱλόμεθα μετ' εὐλαβείας παραδραμεῖν τοὺς ἑτέρους. » Cf. *Dialogum* inscriptum 'Ολβιανός, t. III, p. 41 : « Καθάπερ Λατίνοις πάτριον τὸ « καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ », ἐξότου προσέθεσαν τουτὶ τῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως, οὕτως ἡμῖν πάτριον τὸ « οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ », καὶ βιβλίοις πολλοῖς καὶ συνόδοις καὶ ᾄσμασιν ἀποδεδειγμένον · καὶ διὰ τοῦτο ἕως ὑμεῖς ἐκείνου ἔχησθε, καὶ ἡμεῖς πολλῷ μᾶλλον τούτου ἐξόμεθα. »

mam quod attinet, revera non discrepare. Fatendum est tamen hujusmodi tractatus tum patristica eruditione, tum sententiarum perspicuitate, tum ingenii subtilitate et sophismata sub specioso velamine dissimulandi arte, tum etiam disputandi ratione conviciis ac injuriis generatim parcente, antecessorum de eodem argumento opera longe superare. In illis collegit auctor quidquid speciosius ac subtilius in dogma catholicum illatenus congesserant polemistæ antilatini, ita ut totam scholam photianam in illis audiri dicere liceat. Nota tamen eum de industria attenuare ac mitigare discrepantias variarum sententiarum a polemistis prolatarum, quas ad unum eumdemque sensum reducere conatur. Insuper in hoc ab aliis differt, quod : 1º Latinos hæreticorum appellatione nuncupare recusat, quamvis ab eorum communione abstinere commendet [1]; 2º Formulam *a Patre solo procedit*, ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, aliquatenus suspectam habet nec absolute approbat, a prædicatione publica illam expellens et in disputationibus tantum eam tolerans : « Prædicare enim, inquit, non sustinemus quod communi Ecclesiæ suffragio non placuit [2] »; unde circa finem vitæ suæ scribebat : « Aliquid excogitare præter ea, quæ tradita sunt, periculosum est; iis contenti simus, quæ ab antiquo in Ecclesia communiter in confessis fuere, nempe quod ex Patre Filius generatur, Spiritus vero ex Patre procedit [3] »; 3º Non absolute persuasum

1. Ἀπολογία σύντομος ὑπὲρ τοῦ μὴ δέχεσθαι τὴν ἐν Φλωρεντίᾳ σύνοδον, 12. *Œuvres complètes*, t. III, p. 95 : « Εἰ δέ τις ἡμῶν πυνθάνοιτο, καθάπερ εἰώθασι πολλοὶ τοῦτο ποιεῖν, εἰ τοὺς Λατίνους αἱρετικοὺς ἡγούμεθα, φαμὲν ὡς οὐκ ἔστιν ἡμέτερον ἐν τοσαύτῃ πενίᾳ καὶ ἀσθενείᾳ πραγμάτων προσηγορίας ἐπιτιθέναι τοιαύτας Ἐκκλησίᾳ τοσοῦτον ἐχούσῃ κράτος νῦν καὶ μηδὲ τοῖς ἡμῶν ὑπείκειν ἀξιούσῃ νόμοις, ὥσπερ οὖν οὐδ' ἡμεῖς τοῖς αὐτῆς... Ἐκεῖνοι δ'ὁποῖοί ποτέ εἰσιν, οἶδέ τε Θεὸς καὶ ἡ μέλλουσα ἀποκαλύψει ἡμέρα. »

2. *Tractatus I*, l. VI, *loc. cit.*, p. 256 : « Ἀλλ'ὅμως ἡμεῖς οὐ νομοθετοῦμεν ταύτην τὴν πρότασιν, οὐδὲ δημοσίᾳ κηρύττομεν, πλὴν ἐν ταῖς διαλέξεσι μόναις · οὔτε γὰρ ἀνεχόμεθα κηρύττειν ἃ τῷ κοινῷ τῆς Ἐκκλησίας οὐκ ἤρεσεν, οὔτε βουλόμεθα πάλιν ἀρνεῖσθαι τὰ ἀληθῆ. » Cf. *Tractatum III*, *ibid.*, col. 472, ubi distinguit inter τὸ κήρυγμα et τὸ δόγμα. Illud « ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου » pertinet ad *dogma*. Item, in *Dialogo* Ὀλδιανός, t. III, p. 31.

3. *Quæstio theologica XI, de personarum divinarum distinctione*, t. III, p. 433. « Διὸ πάνυ τὸ προσεπινοεῖν ἐπικίνδυνον · ἀρκεῖσθαι δὲ τοῖς ἀνέκαθεν

habet se veritatem tenere, quamvis alicubi dicat gratiam Christi illum illuminasse [1]; et alibi asserat per somnum divinitus accepisse specialem illustrationem circa divinarum personarum distinctionem, qua sancti Thomæ doctrina de hac materia falsitatis arguitur [2].

Cæterum ejus adversus dogma catholicum certandi rationi hoc crimini verti potest quod vel penitus silentio premat, vel vix et obiter indicet haud pauca Patrum græcorum testimonia, quæ processioni Spiritus Sancti a Patre Filioque aperte suffragantur, dum, e contra, illa duo vel tria dicta, Dionysii scilicet de Patre divinitatis fonte, Damasceni, ubi : *ex Filio Spiritum non dicimus*, vel : *solus causa Pater*, Maximi in *Epistola ad Marinum*, ad satietatem usque repetit. Ita, v. g., ne ullum quidem verbum de sancto Epiphanio facit, qui Spiritum Sanctum ex Filio esse tam sæpe pronuntiat, cujus etiam locos intra concilium Florentinum tum Latini, tum Græci unionis studiosi haud semel laudaverant. Item, traditionis occidentalis continuitas, perpetuitas, unanimitas eum

ὡμολογημένοις τῇ Ἐκκλησίᾳ κοινῇ, καὶ τὸν μὲν Υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι. »

1. *Tractatus I*, *Proœmium*, t. II, p. 5. « Ἐγὼ δὲ τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι πεποιθώς, ἥ με, καὶ ἁμαρτωλὸν ὄντα, τῇ γνώσει τῆς ἀληθείας πεφώτικεν οὐδ' ἀφῆκεν ὑπὸ τοῦ ψεύδους κατασχεθῆναι. » Forsan, o Georgie, et Occidentales omnes illuminavit gratia Christi, nec Ecclesiam romanam, quam et tu Ecclesiarum matrem appelas, non sivit mendacio irretiri!

2. *Quæstio theol. XI, de personarum divinarum distinctione*, t. III, p. 433 : « Ὁ Κύριος οἶδεν ταῦτα πάντα ἐν ὕπνοις ἤκουσα λεγόμενά μοι ἐκεῖ ἐν τῇ ἀθλίᾳ πόλει · καὶ ἐγερθεὶς ἔγραψα, καὶ διηγησάμην τότε πολλοῖς, καὶ ταῦτα ἀνέγνων. » Ad illuminismi fines Scholarium hic appropinquare per se patet. Nota eum, postquam in proœmio *Tractatus I de processione Spiritus Sancti* dixit se a Christo illuminatum fuisse, nec fieri posse ut a vero aberraverit : « ὅθεν ἀδύνατόν ἐστι τὸν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἠγωνισμένον τοῦ τῆς ἀληθείας τέλους διαμαρτεῖν », p. 5, in fine ejusdem tractatus suam fallibilitatem humiliter confiteri et denuntiare se sententiæ synodi *vere œcumenicæ* stare paratum esse, etiamsi hæc sententia ejus doctrinæ contradixerit, *ibid.*, p. 261-262 : « Ἕως ἂν οὖν κοινῇ συνελθόντες ἄμεινον περὶ τούτων διασκέψωνται, ταύτης ἐγώ τε τῆς γνώμης εἰμὶ καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν εἶναι συμβουλεύω... Πειρῶμαι μὲν τῆς ἀληθείας τυχεῖν ὡς ἂν δύνωμαι · καὶ ὅσον μὲν εἰς ἐμὲ ἥκει, ἄνθρωπος εἶναι ὁμολογῶν καὶ ὀλίγα εἰδέναι, δύνασθαί τε τοῦ πρέποντος ἁμαρτάνειν ἡγοῦμαι καὶ τὴν μετὰ λόγου διόρθωσιν εὔχομαι. »

latet. Ipso fatente, unus tantum inter Patres latinos, nempe Augustinus, ei satis bene innotuit; ad quem alios omnes reducit, quasi ab eo omnino penderent. Porro, in concilio Florentino haud pauca Patrum latinorum testimonia in medium prolata sunt, ut supra vidimus, quæ Græci commode inspicere potuerunt. Mirum sane est quod Scholarius, qui omnium optime et linguæ latinæ notitia pollebat, et Latinorum doctrinis studuerat, Patrum occidentalium traditionem adeo ignoraverit, et sancti Augustini locos processionem æternam Spiritus Sancti a Patre et Filio tanquam ab uno principio tam luculente exprimentes ad missionem temporalem trahere non dubitaverit; quod nostri temporis dissidentes amplius non audent. Unde ejus bonam fidem in hac tota adversus Latinos polemica contentione extra omnem suspicionem ponere haud facile quis poterit [1]?

IV. — De quibusdam aliis polemistis photianis.

Præter coryphæos Marcum Ephesium et Georgium Scholarium, cum Latinis conflixerunt alii polemistæ minoris notæ, inter quos memoramus Gemistum Plethonem et Theodorum Agallianum.

1. Doctus Le Quien, *Dissertatio Damascenica I*, 71, *P. G.*, t XCIV, col. 260-262, putavit Scholarium, patriarcham Constantinopolis jam renuntiatum, photianismo valedixisse et dogma catholicum iterum professum fuisse, eo innixus tum quod in brevi fidei confessione ad sultanum Mahumetem theoriam psychologicam sancti Thomæ usurpat ad inculcandam infidelibus quamdam mysterii Trinitatis cognitionem; tum quod in confessione longiore per modum dialogi redacta expresse dicit Spiritum Sanctum ex Patre et Filio procedere, ἐκπορεύεσθαι, *P. G.*, t. CLX, col. 321 CD, quod et nos in tomo I nostri operis repetimus, p. 461. Verum dialogus iste spurius est. Ad theoriam autem thomisticam quod attinet, vidimus supra Scholarium illam revera haud semel suam fecisse, ex ea vero nullatenus collegisse doctrinam catholicam. Eum ad finem usque vitæ doctrinæ photianæ adhæsisse aperte constat ex ejus codicibus et scriptis autographis, quorum aliquot post annum 1470 exarati sunt. Supra vidimus illum adhuc anno 1464 opusculum quoddam contra sanctum Thomam scripsisse, ubi narrat se per somnum divinitus accepisse aliquam mysterii explanationem, quæ non est nisi secundum axioma photianum : προβολὴ est proprietas hypostatica Patris.

In brevi opusculo, quod de processione Spiritus Sancti Gemistus Pletho conscripsit, a communi photianorum theologorum doctrina circa personarum divinarum ordinem recedit. Etenim sententiam a Nicephoro Blemmida quondam prolatam [1] resumens, docet Filium esse Spiritus Sancti ordine priorem, non quod ab eo procedat seu existentiam habeat, sed quod Filius ab æterno in se habeat virtutem mittendi Spiritum Sanctum ad creaturam :

« Cum Filius, inquit, ab æterno in se habeat virtutem mittendi Spiritum ad creaturam, jure Spiritui Sancto numero anteponitur, Patre ea quæ ex ipso emanant ita producente, ut in Trinitate ipsa aliquis sit ordo; eorum enim quæ numerantur nihil optime se habet, si ordo defecerit [2]. »

Hanc novitatem parum felicem judicavit Scholarius in epistola, quam ad Plethonem de ejus libello direxit :

« Filium, inquit, exinde quod Spiritum Sanctum mittit, aliquam dignitatem habere et ei anteponi, nullatenus probabile videri potest eis, qui de divinis accurate disserunt, quod tuam sapientiam nescio quomodo latuit. Ansam enim haud parvam adversariis ista ratio præbebit. Inde enim sequetur aut eamdem esse missionem et processionem, sicut illi opinantur, et palmam obtinebunt; aut utramque inter se differre, sicut nos putamus, et illis stolidi videbimur, quippe qui sive super virtutem æternam sane, at Trinitati communem, sive super hujus virtutis operationem temporalem ordinem æternum unius personæ divinæ ad alteram fundare existimamus [3]. »

Nota insuper Plethonem cum Palamitis negare personam

1. Vide supra, p. 329.

2. Πρὸς τὸ ὑπὲρ τοῦ λατινικοῦ δόγματος βιβλίον, *P. G.*, t. CLX, col. 976 A : « Ἔχοντα δὲ τὸν Υἱὸν συναϊδίως τὴν τοῦ Πνεύματος πρὸς τὴν κτίσιν πεμπτικὴν δύναμιν, εἰκότως καὶ τοῦ Πνεύματος προτετάχθαι τῷ ἀριθμῷ, τοῦ Πατρὸς οὕτω τε καὶ τοιαῦτα παράγοντος τὰ ἐξ αὐτοῦ, ἵνα καὶ ἐν αὐτῇ τῇ Τριάδι τάξις τις ᾖ, ὡς οὐδοτιοῦν τῶν γε ἀριθμήτων, ὅτου ἂν τάξις ἀπείη, ἕξον καλῶς. »

3. *Epistola ad Plethonem*, *P. G.*, t. CLX, col. 618 C D : « Καὶ ὡς μὲν πέμπων τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ὁ Υἱὸς καὶ ἀξίωμά τι δι' αὐτὸ ἔχων, οὐκ ἂν πιθανῶς δόξειεν αὐτοῦ προτετάχθαι τοῖς τὰ τοιαῦτα ἐξακριβοῦσιν, εἰ καὶ τὴν σὴν σοφίαν οὐκ οἶδ' ὅπως τοῦτο διέλαθε · λαθὴν γάρ τινα οὐ μικρὰν τοῖς ἐναντίοις ὁ λόγος παρέξει. »

Spiritus Sancti fidelibus revera dari; vox enim *Spiritus*, ait, homonyma est et pro dono spirituali sæpe usurpatur [1].

Contra Joannem Argyropulum, qui Florentinum decretum optime commentatus erat, explicationes scholasticas Latinorum adhibens [2], Theodorus Agallianus pauca scripsit, ex quibus videre est illum tum principiis photianis omnino imbutum fuisse, tum dicta sui adversarii haud semper intellexisse [3]. Theoriæ thomisticæ de processionibus censuram agit, et rationes scholasticas Latinorum pronuntiat non esse necessarias, quod sane nemo infitias ibit, cum agatur de mysterio humanæ rationis captum excedente, ubi soli divinæ Revelationis fontes argumenta cogentia suppeditare possunt [4].

V. — De theologia Unionistarum illius temporis.

Haud defuerunt, illo tempore, præclari theologi uniti, qui suorum antecessorum sæculi XIII et sæculi XIV doctrinam sibi appropriantes illamque accuratiori theologiæ latinæ cognitione ditantes, axiomata photiana invictis argumentis convellerunt, præjudicatasque opiniones in dogma catholicum per sæcula a polemistis congestas indubiis Patrum testimoniis necnon perspicuis doctrinæ Latinorum explicationibus e medio sustulerunt.

Inter eos eminet Bessario cardinalis, qui sæculo XV tanquam Veccus alter apparuit, et suos antecessores unitos, si Demetrium Cydonem et Manuelem Calecam excipias, theologiæ scholasticæ et Patrum latinorum notitia superavit. Præter illam dogmaticam orationem in decem capita distributam, quam ad conventum Græcorum habuit, brevem tractatum de processione Spiritus Sancti ad Alexium Philan-

1. *Op.* et *loc. cit.*, col. 979.
2. *De processione Spiritus Sancti, in quo habetur explanatio decreti facti in synodo Florentina*, *P. G.*, t. CLVIII, col. 991-1008.
3. Ἀνασκευὴ τοῦ ὑπὲρ τῆς δόξης Λατίνων βιβλίου Ἰωάννου τοῦ Ἀργυροπούλου, *P. G.*, t. CLVIII, col. 1011-1056.
4. *Ibid.*, col. 1030 sq.. : « Καὶ ἀπὸ ποίας ἀνάγκης ἐφάνη, ἢ διὰ τίνος τῶν θεολόγων ἀπεδείχθη, ὅτι ὁ Πατὴρ προεπινοεῖται τοῦ προβολέως; » Ut Photiani solent, Agallianus negat ordinem personarum Trinitatis esse necessarium.

thropinum scripsit, in qua opinionis hæreticæ præcipuum fundamentum evertit, ostendens solam paternitatem ut sic esse proprietatem constitutivam personæ Patris [1]. Hoc enim posito, totum ruit photianum ædificium. Dilucide etiam explanat utramque formulam : *a Patre per Filium*, et *a Patre Filioque*, earum differentiam in respectibus, convenientiam in summa doctrinæ bene ostendens [2]. Nec minus notanda est ejus interpretatio de tritis illis locis Dionysii, et Joannis Damasceni, quos Photiani in ore semper habent [3]. In hoc opusculo, sicut et in *Confutatione capitum Marci Ephesii* [4], Bessario ad doctrinam sancti Thomæ haud semel provocat.

Post Bessarionem nominandus venit Josephus Methonensis, qui tum in *Dialogo de differentiis inter Græcos et Latinos*, tum in *Confutatione libelli Marci Ephesii de synodo Florentina*, tum præsertim in capite I *Apologiæ pro sancta et œcumenica synodo Florentina* [5], breviter clarissime ac jucunde præcipuas dogmatis catholici probationes evolvit, in auctoritate Patrum potissimum insistens.

Gregorius Mammas tum Marci Ephesii confessionem fidei, tum ejus encyclicam litteram ad omnes orthodoxos validis confutat argumentis positivis [6]. De Theodoreti et sancti Cyrilli Alexandrini contentione circa processionem Spiritus Sancti fuse disserit [7]. Item sancti Joannis Damasceni veram mentem clare aperit, et sancti Epiphanii, de quo silere solent Photiani, dogmaticam auctoritatem extollit [8].

In *Explanatione decreti Florentini*, Joannes Argyropulus a theologia scholastica Latinorum, præsertim a sancto Thoma, multa mutuatur. Post quosdam alios theologos unitos, dicit Filium esse cum Patre συναίτιον Spiritus Sancti [9]. Hanc dictionem omnino orthodoxe explicat.

1. *P.G.*, t. CLXI, col. 425-426; cf. col. 361-366.
2. *Ibid.*, col. 443-444; cf. col. 397-402.
3. *Ibid.*, col. 442-446; cf. col. 396-402.
4. *P.G.*, t. CLXI, col. 137-244.
5. *P.G.*, t. CLIX, col. 959-1394.
6. *P.G.*, t. CLX, col. 14-248.
7. *Refutatio confessionis fidei*, col. 48-58.
8. *Responsio ad litteram encyclicam Marci*, col. 124.
9. *P.G.*, t. CLVIII, col. 1001 A.

ARTICULUS V

Conspectus historicus controversiæ de processione Spiritus Sancti a sæculo XVI ad Collationes Bonnenses (1874-1875) ex scriptis theologorum privatorum.

Prænotamina.

Per totam periodum modernam usque ad sæculum XIX circa finem vergens, Græci, et inde a sæculo XVII etiam Russi cum Occidentalibus tum catholicis tum protestantibus de processione Spiritus Sancti polemice decertare non destiterunt. Multa quidem opuscula infimæ notæ, paucos vero alicujus momenti tractatus ediderunt, in quibus aliquid novi, quod antiqui Byzantini nondum dixerant, vix invenies. Plerique rigido photianismo adhærent, eaque repetunt sophismata violentasque atque arbitrarias locorum Scripturæ et Patrum interpretationes, quas apud Photium, Nilum Cabasilam et Marcum Ephesium præsertim occurrunt, nec ullum tentamen vere scientificum antiquorum Patrum mentem explorandi et objective exponendi deprehenditur. Apud Russos Kiovienses, Lutheranus quidam ad orthodoxiam orientalem conversus, scilicet Adamus Zernikavius, circa finem sæculi XVII opus mole ingens, farraginosa eruditione notabilem, auctoritate vero minimum conscripsit [1]; ex quo tanquam ex quodam armamentario ab eo tempore Russi omnes et quidam etiam Græci argumenta contra Latinos haurire consueverunt. Unde de hoc opere, quo usi sunt theologi Kiovienses ac potissimum Theophanes Procopovitch antequam prelo mandaretur, quædam speciatim dicenda erunt. De aliis opusculis, dissertationibus, theologiæ dogmaticæ compendiis quum Græcorum tum Russorum ea tantum referemus quæ a communi theologorum photianorum doctrina recedit.

Articulum in tres sectiones dividimus. Agemus :

1º De theologis græcis;

1. De hoc opere vide quæ in tomo I scripsimus, p. 577-578.

2º De Adamo Zernikavio et Theophane Procopovitch;

3º De compendiorum theologicorum auctoribus apud Russos ante Collationes Bonnenses (1874-1875).

Ideo autem Collationes Bonnenses tanquam terminum ad quem præsentis disquisitionis seligimus, quod inde ab his Collationibus quidam theologi Russi photianismo rigido valedicere inceperunt, ut novam viam inirent; de quibus in articulo VII sermo erit.

I. — De theologis græcis.

Theologi græci, de quibus aliquid dicere hic habemus, sunt sequentes : 1º Maximus Margunius; 2º Meletius Pigas; 3º Gabriel Severus; 4º Cyrillus Lucaris; 5º Nicolaus Kursulas; 6º Metrophanes Critopulus; 7º Georgius Coressius; 8º Eugenius Bulgaris.

1º *De Maximo Margunio.* — Maximus Margunius († 1602) hoc peculiare habet, quod in quæstionem de processione Spiritus Sancti incubuit non polemico animo, sed irenico, ut Græcos scilicet et Latinos uniendi ac conciliandi aliquam viam inveniret. Tentamen quidem infelix evasit, laudanda vero hujus theologi bona intentio. De processione Spiritus Sancti non minus quam duos tractatus sat longos et octo dissertationes vel dogmaticas epistolas conscripsit; quæ scripta omnia, si duas epistolas excipias, lucem non aspexerunt [1]. Doctrinam in duobus tractatibus expressam colligere licet ex titulis capitum ab A. Demetracopulo datis [2]. Eadem

1. De Maximo Margunio præter pauca, quæ in tomo I, p. 500-501, diximus, vide E. Legrand, *Bibliographie hellénique des XVe et XVIe siècles*, t. II, p. XXIII-LXXVII, et articulum *Margounios* (*Maxime*), in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IX, col. 2039-2044, a L. Petit conscriptum. Prima epistola edita hunc fert titulum : Ἐγχειρίδιον περὶ τῆς τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐκπορεύσεως ὡς ἐν εἴδει ἐπιστολῆς. Prima editio facta est a Davide Höschelio, Francoforti, 1591; altera a N. Metaxa, Constantinopoli, 1627. Hanc ultimam editionem citamus. Alteram epistolam, ad synodum Constantinopolitanam anno 1592 directam, edidit Joannes Lamius, *Deliciæ eruditorum*, Florentiæ, 1740, p. 4-23. Illam dat etiam E. Legrand, *op. cit.*, p. XLVII-LV.

2. A. Demetracopulus, Προσθῆκαι καὶ διορθώσεις εἰς τὴν νεοελληνικὴν φιλολογίαν Κωνσταντίνου Σαθᾶ, Lipsiæ, 1871, p. 22-29.

revera est ac illa, quæ in duabus epistolis publicatis occurrit, sicque breviter enuntiari potest :

Primum quidem Margunius inter Græcos dissidentes solus asserere non dubitat additionem vocis *Filioque* ad Symbolum a Latinis jure factam fuisse in quadam synodo romana, cui interfuerint etiam episcopi orientales, sub Damaso, et quidem ante synodum œcumenicam secundam (an. 381) [1]. Hæc autem additio merito facta est, quia formula latina *A Patre Filioque procedit* veritati consonat. Duplex enim Spiritus Sancti processio distinguenda est : una, qua a solo Patre existentiam accipit; quæ a Græcis per verba : ἐκπορεύεσθαι, ἐκπόρευσις, communiter significatur, vel etiam a verbo προϊέναι, ubi nomen Filii post nomen Patris non ponitur; altera, qua ut donum creaturæ dandum a Patre et Filio *prodit*, πρόεισι, ut Græci dicunt, vel *procedit*, ut Latini loquuntur. Græci autem una formula utramque processionem breviter ac compendiose indicant, dum scribunt : *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit*, ἐκπορεύεται, in qua verba : ἐκ Πατρὸς ἐκπορεύεται ad primam processionem referuntur, dictio vero διὰ τοῦ Υἱοῦ ad alteram processionem alludit, idemque sensu sonat ac δι'Υἱοῦ τῇ κτίσει χορηγεῖται ἢ πέμπεται, *per*

1. Περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος βιβλία τρία, in *cod. 105 Metochii Constantinopolitani S. Sepulcri*, autographo. Libri I c. I sic inscribitur : Κατὰ τίνα χρόνον καὶ ἐπὶ τίνος πάπα καὶ συνόδου ἡ ἐν τῷ συμβόλῳ προσθήκη γέγονε · καὶ ὅτι καὶ τῶν Γραικῶν ἐν ταύτῃ παρῆσαν ἐπίσκοποι · καί τινα ἄλλα ἀνάγκαια. Cf. Demetracopulum, Προσθῆκαι, p. 22. In altero tractatu de processione Spiritus Sancti duos libros complectente Margunius de hac synodo romana sub Damaso fuse disserit per totum secundum librum, ubi ostendere conatur hanc synodum concilium Constantinopolitanum œcumenicum anni 381 præcessisse. Vide titulos capitum apud Demetracopulum, *op. ci.*, p. 28-29. Plures Byzantini, inter quos Manuel Calecas et Josephus Methonensis, Damaso papæ tribuerunt additionem ad symbolum; quod non est prorsus falsum, si nomine symboli intelligas non sane formulam Nicæno-Constantinopolitanam, sed aliam fidei professionem. Habemus enim *Fidem Damasi* dictam a K. Kunstle in suo opere *Antipriscilliana* anno 1905 editam, in qua hæc verba occurrunt : *Credimus Spiritum Sanctum de Patre et Filio procedentem.* Hanc fidei confessionem synodo Cæsaraugustanæ anni 380 quidam critici tribuunt, quam Damasus papa approbaverit. Nota præterea synodum romanam anni 382 sub Damaso æquivalenti formula docuisse processionem Spiritus Sancti ab utroque. Cf. Denzinger-Bannwart, *Ench. def.*, n. 83.

Filium creaturæ communicatur [1]. Hujus formulæ origo repetenda est ex loco Evangelii Joan., xv, 26, ubi utraque processio perspicue indicatur [2].

Utraque autem processio *æterna* est, quanquam Spiritus Sanctus a Patre et Filio revera non mittitur nisi in tempore; siquidem processio altera, qua Spiritus tanquam donum *a Patre et Filio* vel *ab utroque* creaturæ dandum prodit seu procedit, est *vera proprietas hypostatica Spiritus Sancti*, qua ad Patrem et Filium simul refertur et ab utroque distinguitur, ejusque cum Patre et Filio consubstantialitas manifestatur [3]. Spiritus enim duplici ratione a Patre distinguitur : 1° propter processionem hypostaticam, qua a Patre solo ab æterno suum esse, suam existentiam accipit; 2° propter alteram processionem, qua a Patre et Filio tanquam donum amborum creaturæ largiendum procedit; quæ in suo fundamento pariter æterna est. A Filio item Spiritus Sanctus dupliciter distinguitur : 1° quatenus a Patre diverso modo, id est ἐκπορευτῶς emanat, dum Filius per generationem ab eo prodit; 2° qua-

1. *Tractatus I*, l. I, c. IV, Demetracopulus, p. 23 : « Ὅτι τῇ ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ προϊέναι τὸ Πνεῦμα λεγούσῃ προτάσει παρὰ τῷ μακαρίῳ Αὐγουστίνῳ τὰ τῶν ἀνατολικῶν διδασκάλων ἀναλογεῖ ῥητά, λεγόντων ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα, καὶ : ἐκ Πατρὸς μὲν ἐκπορεύεσθαι, δι' Υἱοῦ δὲ χορηγεῖσθαι τῇ κτίσει · καὶ ὅτι ὁμωνύμως ἐχέχρηντο οἱ διδάσκαλοι τῶν Λατίνων μάλιστα τῇ προκέδερε λέξει ἐπί τε τῆς ἐκ τοῦ Πατρὸς τοῦ Πνεύματος ἐκπορεύσεως καὶ ἐπὶ τῆς τοῦ αὐτοῦ ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ προόδου εἰς εὐεργεσίαν τῆς κτίσεως. »

2. *Tract. I*, l. III, c. IV, Demetracopulus, p. 26 : « Ὅτι τό, τὸ Πνεῦμα ἐκ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, δι' Υἱοῦ δὲ χορηγεῖσθαι τῇ κτίσει, ἐξ ἐκείνου τοῦ εὐαγγελικοῦ ἀξιώματος εἴληφε τὴν ἀρχήν, ἔνθα φησὶν ὁ δεσπότης · Ὅταν ἔλθῃ ὁ Παράκλητος, κτλ. , καὶ ὅτι τοῦτ 'αὐτὸ βούλεται καὶ Αὐγουστῖνος ἀποδεικνύναι συνεπτυγμένως λέγων περὶ τοῦ Πνεύματος · ἐκ τοῦ Πατρὸς πρόεισιν ἀρχοειδῶς, κἀκείνου διδόντος χωρίς τινος διαστήματος, ὁμοίως ἐξ ἀμφοτέρων πρόεισιν. »

3. *Tract. I*, l. I, c. VI, Demetracopulus, p. 23 : « Ὅτι ἰδίωμα προσωπικὸν τοῦ παναγίου Πνεύματος τό, ᾗ δῶρον προϊέναι ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ · καὶ ὅτι κἀκ τούτου τὸ ὁμοούσιον αὐτοῦ πρός τε τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν ἀναδείκνυται, κἂν πρὸς τὸν Πατέρα καὶ αὐτὸ ἀναφέρηται ὡς πρὸς ἀρχὴν τῆς οἰκείας ὑποστάσεως. » — C. VII, p. 24 : « Ὅτι ἄλλη ἡ σχέσις τοῦ παναγίου Πνεύματος καθ'ἣν πρὸς τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν ἀναφέρεται καὶ Πνεῦμα ἀμφοτέρων λέγεται, τῆς εἰς τὸν Πατέρα τοῦτο ἀναφερούσης μόνον, ἐπειδὰν λέγηται ἐκ τοῦ Πατρὸς προϊέναι ἄνευ τῆς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ προσθήκης, ἢ καὶ ἐκπορεύεσθαι. »

tenus a Filio prodit seu procedit ut ab eo et a Patre simul mittendus et tanquam donum creaturæ communicandus. Hæc Spiritus Sancti a Filio processio a Patribus per verbum πεφηνέναι quandoque significatur. Hujusmodi apparitio seu manifestatio Spiritus per Filium non solum in tempore fit, sed æterna etiam dicenda est, per quam et Spiritus, ut dictum est, a Filio distinguitur [1].

Ad processionem missivam seu donativam refert Margunius pleraque Patrum latinorum dicta, præsertim vero sancti Augustini textus. Juxta ipsum, sanctus doctor inter utramque processionem perspicue distinguit, ubi docet Spiritum Sanctum a Patre procedere *principaliter*, ἀρχοειδῶς. Hæc processio *principalis*, quæ soli Patri congruit, processioni hypostaticæ seu *ad existentiam* (= τῇ ἐκπορεύσει, προέσει καθ' ὕπαρξιν) respondet [2]. De theoria augustiniana circa Spiritum Sanctum ut Patris et Filii mutuum amorem longe disserit, ostendere volens hanc appellationem non necessario includere processionem Spiritus ab utroque quoad existentiam, sed ad hoc ab Augustino usurpatam fuisse, ut ea significaretur tum Filii cum Patre, tum Spiritus Sancti cum utroque consubtantialitas [3]. Augustinum laudat quod Platonicorum et hæreticorum de amore theoriam in pium usum converterit et dogmati christiano aptaverit. Augustinus nomen amoris seu dilectionis tripliciter accipit : secundum essen-

1. *Tract. I*, l. III, c. v et vi, Demetracopulus, p. 26 : « Ὅτι καὶ ἐν τῷ δι' Υἱοῦ πεφηνέναι τὸ Πνεῦμα λέγεσθαι διάκρισίς τις αὐτοῦ πρὸς τὸν Υἱὸν ἀναφαίνεται. — Ὅτι καὶ τό, δι' Υἱοῦ πεφηνέναι λέγεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἤτοι γνωρίζεσθαι οὐ μόνον χρονικῶς δεῖ λαμβάνειν, ἀλλὰ καὶ ἀϊδίως, καὶ τί ἐκ τούτου συνάγεται. » Cf. Ἐγχειρίδιον περὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐκπορεύσεως, ed. 1627, p. 5 : « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον διακέκριται τοῦ Πατρὸς μέν, ὅτι παρ' αὐτοῦ ἐκπορεύεται, Υἱοῦ δὲ καὶ τῷ τῆς προόδον τρόπῳ... καὶ ὅτι δι' Υἱοῦ πέφηνε, καὶ ὅτι ἐξ ἀμφοῖν ὡς χορηγούμενον πρόεισιν. »

2. *Tract. I*, l. I, c. v, Demetracopulus, p. 23 : « Ὅτι ἄλλο κατὰ τὸν αὐτὸν Αὐγουστῖνον τῷ Πνεύματι τὸ δώρῳ εἶναι καὶ ᾗ δῶρον προϊέναι ἐκ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, καὶ ἄλλο τὸ ἐκ Πατρὸς προϊέναι καθ' ὕπαρξιν. »

3. *Tract. I*, l. II, c. viii : « Ὅτι τῷ τοῦ ἔρωτος ἢ τῷ τῆς ἀγάπης ὀνόματι κατὰ τοσοῦτον ἐν τοῖς θείοις ὁ Αὐγουστῖνος κέχρηται, καθόσον ἔκ γε τῆς τοιαύτης ὑποθέσεως τόν τε Υἱόν ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Πνεύματι ἑκατέρῳ ὁμοούσιον ἀναδείκνυσθαι οἷόν τε. »

tiam, secundum proprietatem hypostaticam et secundum operationem [1].

Dictum Athanasii Filium vocantis fontem Spiritus Sancti per duplicem, quam ponit, processionem explicat, dicens hanc appellationem apud Scripturam et Patres duplici sensu accipi : et pro causa existentiæ, et pro causa distributionis donorum spiritualium; Filium vero dici fontem Spiritus Sancti potissimum ad declarandam personarum divinarum consubstantialitatem ad invicem [2].

Hoc pacto hisque distinctionibus putat Margunius unioni Ecclesiarum facilem viam aperiri. Si illi credas, schismatis culpa refundenda est in theologos posteriores, qui unam et alteram Spiritus processionem confuderunt nec veram Patrum utriusque Ecclesiæ doctrinam rite intellexerunt. Aliquid novi invenisse sibi conscius est, quod « et sapientissimum Scholarium et sanctissimum Ephesi Marcum latuit [3] »; et hoc quidem illi concedendum. Aliquid tamen simile, saltem ex parte, jam dixerant tum Nicephorus Blemmides, tum Gemistus Pletho [4]. Cæterum tentamen hujusmodi conciliationis a catholicis probari nequaquam poterat; aperte enim pugnat cum vera mente Patrum, qui hanc districtam distinctionem inter duas Spiritus Sancti processiones prorsus

1. *Ibid.*, c. ix : « Ὅτι τριχῶς νοεῖ τὸ τῆς ἀγάπης ὄνομα Αὐγουστῖνος ἔν γε τοῖς θειοῖς · κατ' οὐσίαν, κατὰ προσωπικὸν ἰδίωμα, εἴτε διαιρετικόν, εἴτε συστατικόν, καὶ κατ' ἐνέργειαν. » Nota hanc distinctionem inter proprietatem hypostasticam quæ sit *discriminativa*, et quæ sit *constitutiva*.

2. *Tract. II*, l. I, c. iv, Demetracopulus, p. 27-28 : « Ὅτι τὸ τῆς πηγῆς ὄνομα καὶ πρᾶγμα παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ καὶ τοῖς θεολόγοις διχῶς ἐπὶ τοῦ πατρικοῦ προσώπου ἐκλαμβάνεται, καὶ ὡς θείου προσώπου ὑποστατικὸν καὶ ὡς θείων χαρισμάτων καὶ δωρεῶν μεταδοτικόν, καὶ ὅτι κατὰ τοῦτο τὸ δεύτερον σημαινόμενον καὶ ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα πηγὴ εἴρηται. » Cf. c. vi, *ibid.*, p. 28.

3. *Tractatus I*, l. III, c. iii, Demetracopulus, p. 25, 26 : « Ὅτι παρὰ τὴν ἐκ Πατρὸς τοῦ Πνεύματος ἐκπόρευσιν, καθ' ἣν Πατρός τε καὶ Υἱοῦ τὸ Πνεῦμα διακρίνεται, ἔστι τις καὶ ἑτέρα τοῦ αὐτοῦ, καθὸ λέγεται προϊέναι ὡς δῶρον ἐξ ἀμφοτέρων, καὶ ὅτι κατὰ ταύτην Πατρός τε καὶ Υἱοῦ διακρίνεται · καὶ ὅτι ἡ τοιαύτη διάκρισις τόν τε σοφώτατον Σχολάριον καὶ τὸν πανιερώτατον Ἐφέσου Μάρκον διέλαθεν. » Quid novi præ se ferat Margunii explicatio non indicat L. Petit in articulo laudato.

4. Cf. supra, p. 329 et 477.

ignorant. Nec Photianis arrisit, quamvis illis magis quam catholicis faveret. Photii enim discipulis maxime odiosum est concedere additionem ad symbolum legitimam fuisse. Ab eorum mente item alienum est processionem temporalem Spiritus Sancti, seu missionem, habere ut proprietatem hypostaticam Spiritus, quæ proinde æterna sit et tum personarum distinctioni ab invicem, tum earum ordini immanenti fundamentum præbere possit. Unde a Gabriele Severo Margunius criminis hæresis bis insimulatus fuit; a quo tamen a synodo Constantinopolitana anno 1593 absolutus est; quod satis mirum est, cum totum ejus systema cum Photianorum communi doctrina nonnisi ex parte congruat [1].

2° *De Meletio Piga.* — Quæ de processione Spiritus Sancti scripsit Meletius Pigas in suo opere Ὀρθόδοξος διδασκαλία in formam dialogi inter discipulum et magistrum redacto Maximi Margunii dictis valde vicina sunt, ad duplicem Spiritus processionem necnon ad sancti Augustini mentem quod attinet. Sicut Margunius, Pigas docet Filium ab æterno a Patre accipere facultatem mittendi et dandi Spiritum in tempore; item, ea quæ de processione Spiritus Sancti ab utroque habet Augustinus, ad processionem temporalem detorquet, illud *procedere principaliter a Patre* (ἀρχοειδῶς, κυρίως ἐκπορεύεσθαι) ad processionem *æternam* et *hypostaticam* referens. Fuse etiam disserit de appellatione amoris seu charitatis, quam Augustinus Spiritui Sancto tribuit. Secundum ejus interpretationem, quam tamen paulum violentam agnoscit, Augustinus hujusmodi appellationem Spiritui Sancto per quamdam appropriationem adscripserit, eamque non de persona ipsa Spiritus Sancti, sed de ejus essentia intellexerit :

« Quod Augustinus dixit, nempe Spiritum esse communem dilectionem et vinculum Patris et Filii, intellige esse essentiam Spiritus; illud enim, in quo Pater cum Filio conjungitur et unitur, est essentia... Spiritus Sanctus revera charitas est secundum essentiam, secundum quam Pater et Filius sunt

1. Nota tamen Margunium, in sua ad synodum Constantinopolitanam epistola apologetica, ea tacere, quæ a communi Photianorum doctrina recedunt.

charitas : *Deus enim charitas est;* et secundum quam divinæ personæ invicem uniuntur et unum sunt; non vero charitas peculiariter est sola persona Spiritus; quod Augustinus, qui docet Spiritum proprie dici charitatem, ostendit, ubi asserit Spiritum solum *non esse proprie* charitatem, *sed dici* [1]. »

Per hanc theoriæ augustinianæ interpretationem; item, eo quod nullibi dicit facultatem mittendi et communicandi Spiritum, quam Filius a Patre ab æterno accipit, ad ipsam *proprietatem hypostaticam* Spiritus Sancti pertinere, et hanc vim habere, ut Spiritum Sanctum tum a Patre, tum a Filio distinguat, Pigas a Margunio discrepat. Adest et alia inter utrumque differentia, qua et Pigas a communi Scholæ photianæ usu recedit; quæ in eo est, quod theologus iste verba ἐκπορεύεσθαι, ἐκπόρευσις, προβάλλειν, προβολή, indiscriminatim usurpat ad designandam utramque Spiritus Sancti processionem, hypostaticam nempe seu æternam, et missivam seu temporalem :

« Accepit, inquit, Filius ab æterno, ut possit producere (προβάλλειν) Spiritum, id est eum largiri; dico : *accepit ab æterno, ut possit,* non vero : *Pater ei dat, ut ab æterno producat.* Unde hæc ex Filio processio, productio (προβολή), profusio, spiratio (ἐκπόρευσις), missio, ministratio Spiritus nequaquam æterna est... Accepit ab æterno Spiritum a Patre Filius; accepit ab æterno a Patre, ut ab ipso Spiritus procedat, id est, mittatur, detur *substantialiter;* sed hæc processio seu missio non est *æterna* nec *substantialis* [2]. »

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. 1769, p. 89-140 : « Κοινὴν ἀγάπην εἰρῆσθαι νόει τὴν οὐσίαν τοῦ Πνεύματος τοῦτο ὅπερ Αὐγουστῖνός φησι σύνδεσμον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, ἐπειδὴ ἐν ᾧ ὁ Πατὴρ τῷ Υἱῷ συνδέδεται καὶ ἑνοῦται ἡ οὐσία ἐστίν... Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ταῖς ἀληθείαις ἀγάπη ἐστὶ κατ' οὐσίαν, καθ' ἣν ὁ Πατὴρ καὶ ὁ Υἱὸς ἀγάπη εἰσίν... οὐχὶ δὲ ἰδιαζόντως μόνη ἡ τοῦ Πνεύματος ὑπόστασις. » P. 114 et 137.

2. *Op. cit.*, p. 100-101 : « Εἴληφεν οὖν ὁ Υἱὸς τὸ προαιωνίως ἔχειν προβάλλειν τὸ Πνεῦμα, τουτέστι δύνασθαι χορηγεῖν..., οὐχὶ δὲ καὶ προαιωνίως προβάλλειν δίδωσι · διὸ καὶ οὐ προαιώνιος αὕτη ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἡ τοῦ Πνεύματος πρόοδος, προβολή, πρόχυσις, ἐκπόρευσις, ἀποστολή, χορηγία. Ὁρᾷς πηλίκον διαφέρει τὸ εἰληφέναι Πνεῦμα, εἴτ' οὖν τὸ εἰληφέναι ὥστε ἐκπορεύεσθαι ἐξ αὐτοῦ τὸ Πνεῦμα οὐσιωδῶς καὶ προαιωνίως τὸν Υἱὸν παρὰ τοῦ Πατρός, τῆς ἐκπορεύσεως τῆς οὐσιωδοῦς καὶ ὑπαρκτικῆς, ὑποστατικῆς τε καὶ προαιωνίου. »

Vides quantum recedat Meletius a communi polemistarum byzantinorum loquendi usu, qui toti sunt, ut ostendant voces προβολή, ἐκπόρευσις, προβάλλειν, ἐκπορεύεσθαι, solam processionem Spiritus Sancti a solo Patre quoad existentiam designare, nunquam vero processionem temporalem seu missionem.

3° *De Gabriele Severo.* — In suo opere : *De quinque differentiis Florentinis*, Gabriel Severus de prima differentia, quæ circa processionem Spiritus Sancti versatur, haud pauca profert, ex quibus constat illum ex theologia Gregorii Palamæ maxime pendere. Distinctione enim inter essentiam et operationem divinam utitur, ut pleraque Latinorum argumenta enervet. Cæterum nihil novi habet, quamvis quædam nove proferat [1], et diagramma photianum expresse retinet [2]. Si illi credas, Patres omnes, quum latini, tum græci, in eo concordant, ut processionem Spiritus Sancti a Patre solo doceant [3]. Inter Latinos autem laudat Hieronymum, Ambrosium, Damasum, Siricium, Zozimum, Martinum I, immo Magistrum Sententiarum; ex quo de opusculi scientifico momento judicare potes.

4° *De Cyrillo Lucari.* — In primo articulo suæ *Confessionis fidei*, Cyrillus Lucaris simpliciter profitetur *Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere*, Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προερχόμενον. Idem dixerat sanctus Tarasius coram Patribus

1. Vide, v. g., quæ de verbis Christi : *De meo accipiet*, profert : Περὶ τῆς Α' διαφορᾶς, Constantinopoli, 1627, p. 34-35 : « Christus hæc quinque habebat : 1° divinam essentiam, cum esset Deus perfectus; 2° proprietatem, quippe qui Filius erat et una sanctæ Trinitatis persona; 3° ut perfectus homo habebat animam et intellectum et sapientiam; 4° Habebat divinam operationem et voluntatem; 5° Habebat sapientiam et doctrinam. Latinos interrogamus : Quid ex his quinque accepit Spiritus Sanctus a Filio? » Respondet Spiritum Sanctum accepisse a Filio τὴν σοφίαν καὶ τὴν διδασκαλίαν, non quod antea ex seipso illa non habuerit, sed quod Christus apostolis ostendere voluit Paracletum non contradicturum esse ejus doctrinæ.

2. « Ἐν τοῖς ἔνδον τῆς θεολογίας οὐχ οὕτως ἔχει ἡ τάξις, ἀλλ' ἐκεῖ ὁ Πατὴρ λέγεται πρῶτος, ὁ δὲ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα δεύτερα, καὶ ἅμα τὰ δύο ἐκ τοῦ πρώτου. » *Op. cit.*, p. 47. »

3. « Ἀλλ' ἐπειδὴ ἐδείξαμεν τοὺς διδασκάλους τῆς Ἐκκλησίας πάντας συμφωνοῦντας περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ παναγίου Πνεύματος καὶ λέγοντας, ὅτι ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, κτλ. » *Ibid.*, p. 31. Cf. p. 39-43.

septimæ synodi œcumenicæ; verum auribus Græcorum sæculi XVII formula male sonavit; unde theologi qui Lucaris errores carpserunt, hoc caput notare non omiserunt [1].

5° *De Nicolao Kursula.* — Hic collegii romani S. Athanasii quondam alumnus, sicut in multis aliis, ita et in hoc capite quadamtenus latine sentientem se prodit. Contradicit quidem positioni sancti Thomæ circa principium distinctionis personarum divinarum, Scotistis suffragans [2]; item argumentis Georgii Scholarii docentis Latinorum doctrinam duo principia in Trinitatem ex necessitate invehere multam vim agnoscit; verum, in fine, ut probabilem recipit explicationem, qua theologi catholici ostendunt Patrem et Spiritum Sanctum unum Spiritus Sancti principium effici per communem essentiam et vim spirativam [3].

6° *De Metrophane Critopulo.* — Processioni Spiritus Sancti primum dicat articulum suæ *Confessionis fidei*, in quo nihil mentione dignum reperio præter illud quod de significatione verbi ἐκπορεύεσθαι profert :

« Verbum ἐκπορεύεσθαι, inquit, *proprie* significat *ex loco aliquo egredi*, juxta illud : *Fluvius egrediebatur ex Eden ad irrigandum paradisum*... Metaphorice autem æternam Spiritus Sancti ex Patre existentiam significat. Quum enim nulla lingua aut idioma res divinas proprie significare possit, metaphoris et tropis necessario utendum est... Vox ἐκπορεύεσθαι significat etiam donorum sanctissimi Spiritus processionem

1. Cf., v. g., Meletium Syrigum, Κατὰ τῶν Καλβινικῶν κεφαλαίων, Bucarestii, 1690, p. 3b : 'Ακόμι νὰ λέγῃ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον πῶς προέρχεται ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ, ἤγουν πῶς ἔχει τὴν ὕπαρξιν ἀπὸ τὸν Πατέρα διὰ τοῦ Υἱοῦ, δὲν εἶναι ἴδιον τῆς ἀνατολικῆς ὁμολογίας, ἐπειδὴ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθημεν ἀπὸ τῆς δυτικῆς 'Εκκλησίας διατὶ ἐδογμάτιζε νὰ προέρχεται τὸ Πνεῦμα ἀπὸ τὰς δύο ὑποστάσεις Πατρὸς καὶ Υἱοῦ κατὰ τὴν ἄναρχον πρόοδον : Adhuc quod dicat Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium, seu habere existentiam ex Patre per Filium; quod non est dogma proprium confessionis orientalis, quandoquidem ob hoc ab Ecclesia occidentali separati sumus, quia docebat Spiritum Sanctum ex duabus hypostasibus Patris et Filii procedere secundum æternam processionem.

2. Σύνοψις τῆς ἱερᾶς θεολογίας, Zacynthi, 1862, p. 252-253 : « Θετέον οὖν, ὅτι ὑποκειμένου τοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, ἔτι καὶ οὕτω δύναται πραγματικῶς διακρίνεσθαι τοῦ Υἱοῦ. »

3. *Ibid.*, p. 256.

ad creaturam ad ejus præsidium et conservationem; et *hic sane sensus magis proprius haberi possit quam ille qui ad existentiam æternam sanctissimi Spiritus refertur* [1]. »

Vides Critopulum, post Meletium Pigam, a traditione byzantina circa sensum verbi ἐκπορεύεσθαι magna cum libertate recedere; ex qua totum ruit illud propugnaculum haud sine magno negotio a polemistis ædificatum, quo essentialem significationis differentiam ponere voluerunt inter verbum ἐκπορεύεσθαι et alia verba a Patribus græcis usurpata, ut, v. g., προέρχεσθαι, προϊέναι, προχεῖσθαι, πεφηνέναι.

Notandum est insuper Critopulum parum sibi constare, dum ex una quidem parte dicit ordinem personarum divinarum esse mere historicum et ad externam earum manifestationem referri [2]; ex alia vero concedit formulam Patrum *ex Patre per Filium procedit* intelligi posse de æterna Spiritus Sancti processione sequenti modo :

« Quemadmodum, inquit, per verbum nostrum semper procedit spiritus (seu halitus), nec tamen spiritus noster ex verbo illo originem habet, ita etiam per Verbum Dei procedit Spiritus Sanctus, nec tamen a Verbo, per quod prodit, habet causam suæ existentiæ, sed ex Patre solo. Et sicut fieri non potest, ut verbum nostrum absque spiritu sit, quamvis non sit causa spiritus, ita etiam fieri nequit, ut Dei Verbum sit absque Spiritu Sancto, quamvis Spiritus Sancti causa non sit [3]. »

Ex hac sane comparatione colligitur Spiritum Sanctum aliquo pacto Verbo naturaliter subordinari et Verbum ordine præcedere Spiritum Sanctum.

7° *De Georgio Coressio.* — De hujus theologi doctrina jam

1. *Confessio fidei*, t. II, ed. Kimmel, c. I, p. 16, 17 : « Τὸ ἐκπορεύεσθαι σημαίνει κυρίως τὸ ἔκ τινος τόπου ἐξέρχεσθαι... τροπολογικῶς δὲ σημαίνει τὴν ἄχρονον ἐκ τοῦ Πατρὸς ὕπαρξιν τοῦ παναγίου Πνεύματος... Ἔπειτα δὲ ἡ « ἐκπορεύεται » λέξις σημαίνει καὶ τὴν τῶν χαρισμάτων τοῦ παναγίου Πνεύματος ἐπὶ τὴν κτίσιν πρόοδον εἰς ἀσφάλειαν καὶ διαμονὴν ταύτης, ὃ δὴ καὶ κυριώτερον ἂν εἴη ἐπὶ ταύτης ἐκλαμβάνεσθαι μᾶλλον ἢ ἐπὶ τῆς ἀνάρχου ὑπάρξεως τοῦ παναγίου Πνεύματος. »

2. *Ibid.*, p. 19 : « Τάξιν δὲ πάλιν φημὶ τὸν χρόνον, καθ'ὃν ἡμῖν ἐγνώσθη ἡ ἀπρόσιτος Τριάς. »

3. *Ibid.*, p. 43-44 : « Οὕτω καὶ διὰ τοῦ Λόγου τοῦ Θεοῦ πρόεισι τὸ ἅγιον Πνεῦμα, ἀλλ' οὐκ ἔχει τὴν αἰτίαν ἐκ τοῦ Λόγου, ἐξ οὗ πρόεισι. »

quædam protulimus, ubi de theoria thomistica processionum egimus [1]. Hoc peculiare habet, quod ratiociniis scholasticis maxime indulget, nec tamen Scholasticos occidentales, quos passim citare solet, semper bene intelligit. Theodori Muzalonis systema de æterno transitu Spiritus Sancti per Filium suo modo renovat, dicens *Patrem ante Filium spirare;* unde Filium non posse esse Spiritus causam, nec Spiritum Sanctum per Filium accipere existentiam, cum nihil existentiam bis accipiat, nec simul possit esse et non esse, esse nempe per spirationem Patris, et non esse ante spirationem Filii [2]. *Virtutem spirativam* (τὴν πνευστικὴν δύναμιν) de facto Coressius Filio concedit; sed juxta illum, hæc spirativa virtus respicit tantum processionem temporalem seu donorum spiritualium largitionem. Ad hanc significationem detorquet Augustini verba, *A Patre procedit principaliter :*

« Pater, ait Augustinus, est principalis auctor Spiritus Sancti. Filius enim a Patre habet, ut spiret. Non posuit : *Ut Spiritui tribuat existentiam*, sed posuit tantum : *ut spiret*, quod processionem temporalem indicat, ut sæpe demonstratum est [3]. »

8° *De Eugenio Bulgari.* — In suo compendio theologiæ dogmaticæ, cui titulus Θεολογικόν, Eugenius Bulgaris nihil habet quod a communi Photianorum doctrina alienum sit. In sua vero *Disquisitione de Nicephoro Blemmida*, quam tomo tertio operum Josephi Bryennii inseruit, concedit formulam Patrum *a Patre per Filium* ad processionem æternam Spiri-

1. Vide supra, p. 264.

2. Ἐγχειρίδιον περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος, apud Dositheum, Τόμος καταλλαγῆς, c. x, p. 351-358 : « Ὅτι ὁ Πατὴρ πρὸ τοῦ Υἱοῦ προβάλλει, καὶ διὰ τοῦτο οὔτε αἴτιος ἔσται ὁ Υἱὸς τοῦ Πνεύματος, οὔθ' ἕξει τὴν ὕπαρξιν τὸ Πνεῦμα διὰ τοῦ Υἱοῦ διὰ τὸ μηδὲν δὶς λαμβάνειν τὴν ὕπαρξιν, μήτε εἶναί τι καὶ μὴ εἶναι, εἶναι διὰ τῆς προβολῆς τοῦ Πατρὸς καὶ μὴ εἶναι πρὸ τῆς τοῦ Υἱοῦ. » Est capitis titulus.

3. « Ὁ Πατήρ, φησίν, ἐστὶν ἀρχικὸς ἀρχηγὸς τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ὁ γὰρ Υἱὸς ἔχει παρὰ τοῦ Πατρὸς ὅπως πνέῃ. Οὐκ ἔθετο · ὅπως παρέχῃ τὴν ὕπαρξιν τῷ Πνεύματι, ἀλλὰ μονόν ἔθετο τὸ πνέειν, ὅπερ ἐστὶν ἐγχρόνου ἐκπορεύσεως σημαντικόν, ὡς πολλάκις δέδεικται. » *Ibid.*, p. 355, ubi etiam loquitur de *æterno transitu quem Latini vocant processionem :* « ἡ αἰώνιος δίεσις καὶ διέλευσις ἣν οἱ μὲν Λατῖνοι καλοῦσιν ἐκπόρευσιν, ἡμεῖς δὲ διέλευσιν. »

tus Sancti revera referri, et præpositionem *per*, seu διά, non sane significare Filium esse causam existentiæ Spiritus Sancti, bene vero indicare *mediationem naturalem* Filii in processione æterna ejusdem Spiritus, ita ut verum sit dicere eum non procedere *immediate a Patre, exclusa mediatione Filii*, sed *procedere a Patre per Filium* [1]. Fatetur etiam Patrem *non qua Patrem* emittere (προβάλλειν) Spiritum Sanctum [2]. Quidquid ipse Bulgaris in contrarium dicat [3], hi loquendi modi ab usu theologorum photianorum prorsus alieni sunt, et non solum ab usu, sed etiam ab eorum mente discrepant, quatenus cum diagrammate photiano Trinitatis revera componi non possunt. Cum enim hæc Filii in processione Spiritus mediatio ab æterno sit, etsi ut mera ac nuda mediatio cogitetur (ψιλὴ μεσιτεία), jam personarum divinarum ordo naturalis est, necessarius et immanens. Angulum photianum relinquimus, et lineam rectam Patrum græcorum rursus invenimus, quamvis horum Patrum vera doctrina non retineatur et hujusmodi nuda mediatio omni principii ratione vacua vix intelligi possit.

II. — De Adamo Zernikavio et Theophane Procopovitch.

I. *De Adamo Zernikavio.* — De Zernikavii opere inscripto : *De processione Spiritus Sancti a Patre solo dissertationes theologicæ decem et novem*, in t. I brevem analysim jam dedimus [4], diximusque illud omni momento scientifico vacare. Nihil

1. Ἀνάκρισις περὶ Νικηφόρου τοῦ Βλεμμίδου, in tomo III *Operum J. Bryennii*, Lipsiæ, 1784, p. 398 : « Καὶ ὅτι ὁ μὲν Υἱὸς ἀμέσως παρὰ τοῦ Πατρὸς γεννᾶται, τὸ δὲ Πνεῦμα παρὰ τοῦ αὐτοῦ Πατρός, μεσιτεύοντος τοῦ Υἱοῦ, ἐκπορεύεται, καθότι γε οὐδ' ἂν ὁ Πατήρ ᾖ Πατὴρ νοηθείη μὴ τοῦ Υἱοῦ συνεπινοουμένου αὐτῷ, δι' οὗ καὶ Πατὴρ εἶναι γνωρίζεται..., ὁμολογεῖται. » Cf. p. 337-338.

2. *Ibid.*, p. 398 : Καὶ « Πατὴρ ὤν, οὐχ ᾖ Πατὴρ ὅμως προβάλλειν τὸ ἅγιον Πνεῦμα πιστεύεται. »

3. *Ibid.*, p. 337: « Πάντες οἱ εὐσεβεῖν αἱρούμενοι τὴν τοῦ Υἱοῦ ἐπιγιγνώσκουσι μεσιτείαν ἐπὶ τῆς προόδου τοῦ Πνεύματος παρὰ τοῦ Πατρός. » Atqui hanc mediationem negant Photiani fere omnes. Unde Andrutsus, Δογματική, p. 84-85 in nota, sententiæ Bulgaris censuram agit nec illi suffragatur. Zikos Rhosis, e contra, qui diagrammati photiano valedixit, dicta Bulgaris omnino probat, Σύστημα δογματικῆς, p. 281-283, in nota.

4. Vide t. I, p. 577-578.

enim aliud est quam congeries eorum omnium, quæ polemistæ antilatini *rigido photianismo* addicti per decursum temporum contra dogma catholicum adinvenerunt; quibus Zernikavius e suo penu quædam addidit circa prætensas interpolationes, quas in operibus Patrum cum græcorum, tum latinorum Latini perpetrarunt. Revera pleræque hujusmodi interpolationes vel commenticiæ sunt, vel nullius momenti et bona fide in textuum græcorum versione factæ; vel etiam, quoad quosdam locos, non ex parte Latinorum, sed ex parte Græcorum fraus se tenet et historice probari potest, v. g., quantum ad locum sancti Basilii in principio *libri III contra Eunomium* positum, vel quantum ad vocem *Filioque* in symbolo Athanasiano dicto.

Ut de historica auctoritate Zernikavianæ molis judicare possis, scias illum :

1° Docere omnes Patres, cum latinos tum græcos, decem priorum sæculorum, non exceptis Epiphanio, Cyrillo Alexandrino et Augustino ipso, tenuisse dogma photianum de processione Spiritus Sancti a Patre solo [1];

2° Habere axiomata photiana de Trinitate, prout illa in tomo I hujus operis exposuimus, ut principia inconcussa, quibus innituntur pleraque ejus argumenta [2];

3° Tribuere Ecclesiæ Patribus doctrinam palamiticam de missione Spiritus Sancti, juxta quam non persona ipsa Spiritus, sed ejus dona tantum fidelibus communicantur [3];

4° Formulam *A Patre per Filium procedit* in hunc sensum explanare : *Filio genito, Spiritum produci*, id est : *non ante Filium*, vel : *post Filium;* vel : *cum, una cum Verbo procedit* [4];

1. *Tractatus I*, in versione græco Eugenii Bulgaris, t. I, Petropoli, 1797, p. 2-207.

2. *Tractatus VI*, t. I, p. 475-503. Sua epicheremata Zernikavius paulo aliter quam Photius quandoque proponit, quamvis doctrina sit eadem. Ita secundum epicherema, p. 485, sic enuntiatur : *Omnia quæ in Deo producuntur ad intra uni soli personæ conveniunt, et non pluribus.*

3. *Tractatus VIII, De missione*, t. II, p. 1-70 : « Οἱ πατέρες κοινῇ διδάσκουσιν, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον οὐ πέμπεται κατὰ τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὰς ὁρατὰς μορφὰς δι' ὧν ἐπεφάνη... καὶ κατὰ τὰς διὰ τῆς χάριτος ἐνεργείας, » p. 49, 51.

4. *Tractatus XV*, t. II, p. 243-442 : « Ἦ που δέ τοι ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ προβάλλεσθαι οὐ κατ' ἄλλην ἔννοιαν οἱ πατέρες διδάσκουσιν ἢ καθ' ὅτι

5° Detorquere omnem locum Patrum doctrinæ catholicæ aperte suffragantem, ut v. g., dictum Athanasii appellantis Filium fontem Spiritus Sancti, vel ad processionem quam vocant temporalem, vel ad meram consubstantialitatem personarum significandam [1].

Ut jam diximus, momentum operis Zernikavii non est in intrinseco ejus pretio, sed in singulari influxu, quem in posteros theologos dissidentes ad nostra usque tempora habuit, quibus fontis loco vere exstitit.

II. *De Theophane Procopovitch.* — Et primus quidem qui ex hoc fonte, antequam publici juris fieret, copiose hausit, fuit Theophanes Procopovitch, cujus *Tractatus de processione Spiritus Sancti* est veluti compendium operis Zernikavii, additis tamen quibusdam singularibus theologiæ lutheranæ influxum prodentibus. Theophanes enim, ut notum est, Lutheranorum discipulus exstitit. Unde haud uno sui tractatus loco auctoritatem Patrum nimis deprimit, a sola Scriptura quæstionis solutionem quærens; quod a Zernikavii methodo alienum est. Audi illum de Patrum testimonio disserentem :

« Illud quod est proprie *theologicum* scire non possumus aliunde quam ex verbo Dei... Quare nunquam satis mirare possum incredibilem plerorumque levitatem, qui unum alicujus Patris dictum, quod nostræ vel Latinorum sententiæ favere videtur, vel proferre in adversarium, vel ab adversario prolatum audire satis sibi ducunt, et nisi ad hoc occurrat responsio, rem esse confectam putant. At ad tam arduæ quæstionis resolutionem, *si ex omnibus omnium ætatum doctoribus verba clarissima et sibi consona proferrentur, et nihil tamen proferretur ex Scriptura, profecto nullum momentum esset.* Quærerem enim : *Unde rem adeo arcanam homines illi scieverint?* Si dixisses illis a Deo singulis revelatum esse (quod quidem dici non potest) : tum Patrum scripta nihilo sacris Scripturis inferiora esse, immo ipsam esse Scripturam sacram

τοῦ Υἱοῦ γεννηθέντος τὸ Πνεῦμα προβάλλεται... τὸν Πατέρα ἐκ τῆς ἰδίας οὐσίας πρῶτον μὲν προαγαγεῖν τὸν Υἱόν · μετὰ δὲ τὸν Υἱόν, καὶ τὸ Πνεῦμα, μὴ πρὸ τοῦ Υἱοῦ δὲ προβληθῆναι τὸ Πνεῦμα ὡς πρὸ τοῦ Πνεύματος τὸν Υἱόν. » P. 245, 248, 250.

1. *Tractatus XV*, t. II, p. 304-435.

statuendum foret. Cum autem tanta levitas in unoquoque privato homine plane mirabilis sit, quis eam satis demirabitur in toto concilio Florentino, tanto scilicet hominum illustrium, tantum doctorum (si Deo placet) conventu? Joannes ibi rabula rem aggreditur a quodam dicto Epiphanii, tum variis tricis sese et aures concilii excarnificans, illabitur in Basilium, non sponte sed vento delatus. Locus Basilii mirum in modum vexatur, multas Joannes offucias exspuit, multa garrit, quæ ad rem non faciunt, nec vel grammaticum sensum habent. Frustra ad Scripturam contendit Ephesius et ad alios ex ordine Patres : non dimittit Basilium Joannes, et in hoc jurgio totum annum sedetur [1]! »

Item, alibi hæc addit :

« Sed forte Latini humana auctoritate causam suam fulciunt, et Patrum antiquorum consensum adducunt pro dogmate. *Hoc si vere præstare potuissent, tamen parum profecissent.* Nam potius dicta Patrum vel examinare, vel commode explicare ex Scriptura deberemus, quam statim eis aures præbere, ubi nihil certi habemus ex Scriptura... Si talia Patrum dicta ita accipienda sunt, ut statuatur causa et origo Spiritus Sancti non solus Pater, sed et Filius, appello conscientiam adversariorum, putentne Patres id accepisse ex Scriptura, an per se, habita scilicet privata revelatione, id pronunciasse? Si primum, quæso, ex qua Scriptura? Cur eam pro dicti sui confirmatione non adducunt?... Si secundum, fateantur ergo Latini hoc dogma, quod pars est maxima arcani mysterii, scilicet Trinitatis, *esse* ἄγραφον *et non nisi humana auctoritate subnixum* [2]. »

Cum Theophani Patrum auctoritas non sit nisi humana,

1. *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, ed. Damasceni Semenov Rudnev, Gothæ, 1772, c. II, p. 22-24. Nota Procopovitch injurias et convicia in adversarios, ut hæretici solent, in ore semper habere. Ita, in hoc tractatu, concilium Florentinum audit *synodus asinorum* (p. 219), Rutka est *leviculus et delirus senex, omnium maxime ineptire sciens* (p. 350), Nicolai Cikhovsky *theologia est asinina* (p. 351), ejusdem *vana est vitulabunda petulantia* (p. 367), Joannes de Monte Nigro est *rabula, vecors, protervus, sævissima phrenesi laborans* (p. 373-374), alii Latini sunt *impudentes rabulæ, quorum audacia nullos habet vagandi limites, nullis repagulis cohibetur* (p. 405), etc.

2. *Op. cit.*, c. XIII et XVII, p. 217, 338.

mirum non est illum summam quæstionis ponere totam in textu evangelico : *Spiritus veritatis qui a Patre procedit* (Joa., xv, 26). Res autem illi parum feliciter succedit, non solum quod verba Christi, cum sint simpliciter affirmativa, arbitrario prorsus ad sensum exclusivum detorquentur, sed etiam quia vox *procedit*, ἐκπορεύεται, ex se sola processionem temporariam seu missionem significare potest, quod Theophanes ipse invitus fateri cogitur :

« Verbo ἐκπορεύεσθαι, inquit, temporariam missionem intelligi quidam contenderunt, ut Jansenius et Arias Montanus apud Cornelium a Lapide in hunc locum. Et fateor ex sola hac voce *procedit* non posse probari sermonem hic esse de æterna processione, *cum vox talis, non video cur non possit accipi etiam pro adventu Spiritus Sancti temporario.* Nec latina tantum vox *procedo*, verum etiam græca ἐκπορεύομαι, quæ *egredi* aut *exire* significat, et magis ortum videtur exprimere; unde magis proprie in sua versione reddidit verbum hoc Theodorus Beza per verbum latinum *emanat* [1]; etiam, inquam, græca magis propria vox *se sola*, ut vox tantum est, non potest esse *æternæ processionis index.* Nam pari voce utitur Christus de suo temporario adventu (Joa., xvi, 25) Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον : *Exivi a Patre et veni in mundum* [2]. Nihilominus tamen dicimus Christum indicare hic verbo *procedendi æternam Spiritus Sancti processionem*, quod quidem non ex solo tali verbo constat, uti jam diximus, sed ex hisce rationibus ipsi textui adhærentibus colligitur [3]. »

1. Recte ad hunc locum animadvertit S. Rudnev : « Non magis tamen *proprie*, ut cum pace auctoris dicam, sed valde *improprie* vertit Beza. Nam vox ἐκπορεύομαι proprie significat *egredi*, *exire*, *prodire*. » Melius adhuc Erasmus : « *Qui a Patre procedit*, quod eleganter verti potest : *profiscicitur* (hoc modo et Castellio transtulit) nisi processionis vocabulum aures jam omnium occupasset »; quam interpretationem etiam laudat Rudnev.

2. Ad hæc Rudnev : « Hoc quidem in loco non verbum ἐκπορεύομαι, sed ἐξέρχομαι adhibitum est, adeoque non bene ab auctore hic adductum esse forte aliquis dicet; verumtamen sciendum est verbum ἐξέρχομαι esse synonymum verbo ἐκπορεύομαι, id quod non solum ex profanis scriptoribus, qui pro ἐκπορεύομαι sæpissime utuntur verbo ἐξέρχομαι, sed etiam sacris evidenter ostendi potest. »

3. *Op. cit.*, c. ii, p. 25-26.

Rationes autem a Procopovitch allatas cogentes esse nemo a partium studio alienus concedet. Secluso enim Patrum unanimi testimonio et Ecclesiæ magisterio, evangelicus textus de sola processione temporali bene intelligi posset: immo obvio sensu et ex ipso contextu missionem Spiritus Sancti tum a Patre, tum a Filio *immediate* significat; *mediate* autem et *implicite*, quatenus scilicet *missio ad extra* supponit et involvit *processionem æternam*, ad processionem æternam etiam refertur : Verba enim παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται *directe* et *immediate* significant : *Spiritus qui ex Patre* (id est ex domo, ex sinu Patris) *proficiscitur* seu *profecturus est, ut ad vos veniat.* Notum est enim apud evangelistas, et maxime apud Joannem, futurum tempus pro præsenti, et vice versa, haud semel usurpari; quod et manifestum fit ex loco Joa., xvi, 13-15, in quo Patres et exegetæ omnes, præter theologos photianos, significatas inveniunt tum missionem, tum processionem Spiritus Sancti *ex Filio* seu *per Filium;* immo vero ibi vox λήψεται, λαμβάνει, expressius quam vox ἐκπορεύεται ad processionem æternam alludit. Aliquid enim ab aliquo accipere melius indicat illam communicationem immanentem, quæ est processio æterna, quam *profectio localis* ex domicilio alicujus.

Quamvis Patrum auctoritatem parvi pendat, in eorum tamen locis interpretandis Zernikavii vestigia proxime premit, et sicut ille, omnes cum occidentales, tum orientales processionis Spiritus Sancti a Patre solo testes producit. Eorum autem testimonia in tres classes dividit :

« 1° Quædam sunt, quæ simpliciter Spiritum Sanctum a Patre procedere dicunt sine mentione Filii, ut est in dicto Servatoris apud Joannem. 2° Quædam sunt quæ verbis expressis negant Spiritum Sanctum procedere a Filio, vel certe ita loquuntur, ut hoc optime ex iis colligatur. 3° Denique sunt quædam, quæ ita tacent de Filio in productione Spiritus Sancti, ut non possent tacere, si ita eorum auctores credidissent [1]. »

1. *Op. cit.*, c. iii et iv, p. 42 et 110-111. Nota bonam partem locorum secundæ classis a Theophane prolatorum ad opera spuria pertinere, ut bene in notis animadvertit editor S. Rudnev. Qui vero genuini sunt doctrinæ catholicæ revera non contradicunt.

Ut de indole ejus exegesis judicare possis, scito illum inter testes secundæ classis adducere Epiphanium et Cyrillum Alexandrinum, Augustinum vero inter testes uniuscujusque classis [1].

Ad formulam autem *A Patre per Filium* quod attinet, ea potissimum interpretatio illi arridet, quam polemistæ byzantini fere omnes, præter Scholarium, repellebant, nempe quæ διά in μετά cum accusativo mutat, ita ut sensus sit : « A Patre *post Filium* procedit. »

« Nullum est amplius dubium, inquit, τὸ διὰ τοῦ Υἱοῦ, *per Filium*, idem Patribus esse ac μετὰ τὸν Υἱὸν, *post Filium*. Lexicon illud præclarum græco-latinum ex officina Hieronymi Curionis inter multos præpositionis διά usus, ostendit etiam eam usurpari pro *post* pluribus exemplis, et inter alia adducit Marc., II, 1, ubi *post dies aliquot* græce sonat : δι' ἡμερῶν [2]. »

Si quis vero locus patristicus occurrat, qui cum doctrina catholica manifesto congruat, Procopovitch, cæterorum polemistarum photianorum instar, de missione temporali eum statim interpretatur [3].

Præter argumenta positiva, provocat etiam Procopovitch ad quædam principia theologica numero novem, quæ ex Zernikavio transcripsit, axiomatibusque photianis quoad sensum fere respondent. Sic primum est :

« In sancta Trinitate duplicia sunt prædicata tantum, substantialia et personalia. Illa sunt omnibus tribus personis communia, hæc singulis propria... Vel ita : Quidquid non dicitur de omnibus tribus personis, non potest dici nisi de una [4]. »

III. — De compendiorum theologicorum auctoribus apud Russos per eamdem periodum.

Theologi russi qui inde a sæculo XVII exeunte usque ad Collationes Bonnenses theologiæ dogmaticæ compendia scrip-

1. Cf. c. IV, p. 119, 125, 130.
2. *Op. cit.*, c. XVII, p. 347-348; cf. p. 338-345. Probat etiam Procopovitch mutationem præpositionis διά in σύν vel ἅμα.
3. Cf., v. g., quæ de formula δι' ἀμφοῖν vel δι' ἀμφοτέρων apud Cyrillum et Epiphanium occurrente profert, p. 350.
4. *Op. cit.*, c. V, p. 153, 155.

serunt, a Zernikavio, aut a Theophane Procopovitch maxime pendent omniaque fere, quæ circa quæstionem præsentem proferunt, ab uno vel ab altero directe hauriunt.

Kiovienses primi dimidii sæculi XVIII, teste Vichnevskii [1], Zernikavium citabant. Quædam tamen e suo penu promebant ad rationes theologicas præsertim quod attinet, nostrorum scholasticorum methodum usurpantes; v. g., Hilarion Negrebetskii formulam *Per Filium* ita interpretatur :

« Qui procedit *per Filium*, ille non procedit a Filio. Sed Spiritus Sanctus procedit per Filium. Ergo. Minor a Romanis passim conceditur. Probatur major, in qua tota vis probationis. Procedere a Filio est accipere esse a Filio. Sed qui procedit per Filium non accipit esse a Filio. Ergo. Major certa; minor probatur :

« 1° Procedere unum per aliud præsupponit prius habere esse. Ergo quando Spiritus Sanctus procedit per Filium, jam præsupponitur habere esse a Patre. Ergo illud non accipit a Filio;

« 2° Aliud est fieri per aliquid, aliud procedere per aliquid. Prius significat accipere suum esse ab aliquo, per quem illa res fit; sic dicitur de Filio æterno : *Per quem omnia facta sunt;* et : Per me scripta est lectio. Jam vero posterius, scilicet procedere per aliquid, diversissimum est a priore; non enim significat causam vel principium, sed solum medium, nec ullo modo dici potest proprie dare esse rei; alias radius procederet per vitrum, acciperet suum esse a vitro; lux procedens a sole per aerem, acciperet esse ab aere; homo procedens per januam, acciperet esse a janua, etc. Unde clare patet quod si Spiritus Sanctus procedit per Filium, eo ipso non accipit esse a Filio; consequenter a Filio non procedit [2]. »

Post editionem *Theologiæ christianæ* Theophanis Procopovitch ejusque tractatus de processione Spiritus Sancti, compendiorum auctores ad verbum exscribunt quædam excerpta hujus tractatus, ut videre est tum ex opere Theophylacti

1. *Op. cit.*, p. 233-234, 244.
2. *Op. cit.*, ex manuscripto Dionysii Novakovitch, fol. 253r. Vides hanc argumentationem prorsus puerilem esse et a doctrina Patrum abstrahere.

Gorskii [1], tum ex enchiridio classico Sylvestri Lebedinskii [2], tum etiam ex *Dialogis inter inquirentem et persuasum* Philareti Drozdov junioris [3].

Zernikavium citant præcipui compendiorum auctores sæculi XIX, scilicet Antonius Amphiteatrov [4], Philaretus Gumilevskii, ac præsertim Macarius Bulgakov, qui in sua longa dissertatione ab eo omnia fere mutuatur [5]. Hic tamen Latinis aliquid, saltem ex parte, concedit, quod neque apud Zernikavium, neque apud Procopovitch occurrit, nempe quod inde a sæculo V doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio in Occidente quosdam sectatores habuit, inter quos nominat Augustinum, Leonem Magnum, Gennadium Massiliensem, Fulgentium, Ferrandum, Fortunatum. Hanc tamen concessionem graves exceptiones comitantur ut ex generali conclusione auctoris videre est. In dubium enim vocat authenticitatem locorum doctrinam catholicam exprimentium, contenditque plures ex Patribus laudatis, præsertim Augustinum et Fulgentium, in aliis locis dogmati catholico contraire; siquidem, ut inter illius *Filioque* adversarios aliquem auctorem computet, illi satis est, ut is auctor Spiritum Sanctum a Patre procedere sine addito professus fuerit. Insuper, etiam admissa, inquit, horum testimoniorum genuina auctoritate ac integritate, in sensum ab interpretatione Latinorum diversum accipi possunt. Opinari licet quosdam scriptores romanos sæculorum V, VI et VII formulam *a Patre Filioque procedit* de sola processione temporali seu missione intellexisse, quia absque controversia quidam Latini sæculi IV, ut Ambrosius [6], verbum *procedit* ad

1. *Op. cit.*, p. 103-104, ubi post Theophanem conatur ostendere locum ev. Joh., XV, 26, de missione temporali nullo pacto intelligi posse.
2. *Op. cit.*, p. 176-177.
3. *Dialogi circa orthodoxiam Ecclesiæ catholicæ orientalis inter inquirentem et persuasum*, Petropoli, 1815. *Dial.*, III et IV. In versione græca Th. Valliani, Athenis, 1853, p. 27-42.
4. *Op. cit.*, ed. gr., p. 119-123, § 68, ubi hæc propositio legitur : « Ἡ οἰκουμενικὴ Ἐκκλησία... ἐξ αὐτῆς ἤδη τῆς ἀρχῆς ἐδίδασκεν ὁμοφώνως οὐκ ἄλλως ὁμολογεῖν τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος εἰ μὴ ἐκ μόνου τοῦ Πατρός. »
5. *Pravosl.-dogm. Bogoslovie*, ed. 4, t. I, Petropoli, p. 268-349.
6. Cf. Ambros., *De Spiritu Sancto*, l. I, c. X.

significandam missionem temporalem usurparunt. Revera, teste Maximo Confessore [1], aliquot scriptores sæculi VII, immo adhuc sæculo IX Anastasius bibliothecarius [2], dictum verbum in hunc sensum acceperunt. Demum utrumque concedamus, ait, scilicet et testimonia non fuisse adulterata et eum sensum habere, quem christiani Ecclesiæ occidentalis illis nunc tribuunt, horum Patrum sententia tanquam *opinio privata* habenda est, et nihil amplius. Impossibile est enim pro fide Ecclesiæ universæ seu pro dogmate habere doctrinam, quæ immediate suam non trahit originem ab apostolis, nec in Ecclesia sive in Oriente, sive in Occidente cognita fuit per quatuor prima sæcula [3].

Vides quam levis sit progressus inter Zernikavium et Macarium!

1. Alludit ad ea, quæ profert Maximus in *Epist. ad Marinum.*
2. Alludit ad hunc locum *Epistolæ ad Joannem Diaconum :* « Præterea interpretati sumus ex epistola ejusdem sancti Maximi ad Marinum scripta presbyterum circumstantiam de Spiritus Sancti processione, ubi frustra causari contra nos innuit Græcos, cum nos non causam vel principium Filium dicamus Spiritus Sancti, ut autumant; sed unitatem substantiæ Patris ac Filii non nescientes, sicut procedit ex Patre, ita eum procedere fateamur ex Filio, missionem nimirum processionem intelligentes; pie interpretans, utriusque linguæ ignaros ad pacem erudiens, dum scilicet et nos et Græcos edocet secundum quiddam procedere et secundum quiddam non procedere Spiritum Sanctum ex Filio. » *Collact. ad Joa. Diac., P. L.*, t. CXXIX, col. 560 D-561 A. Textus sane est obscurus et talis qui suspicionem ingerere possit de scientia theologica Anastasii.
3. *Op. cit.*, t. I, p. 340-342; cf. p. 347-348. Macarium erudite confutat Franzlin in opere inscripto : *Examen doctrinæ Macarii Bulgakov et Josephi Langen neoprotestantis Bonnensis de processione Spiritus Sancti*, Romæ, 1876. De longa dissertatione archimandritæ Sergii, *De processione Spiritus Sancti*, in t. XVIII commentarii *Pribavleniia* seu *Supplementa ad opera sanctorum Patrum*, Mosquæ, 1859, p. 417-521, nihil dicimus, quia revera nihil mentione dignum habet et trita argumenta Photianorum breviter recoquit.

ARTICULUS VI

De processione Spiritus Sancti in Ecclesia græco-russica ex documentis publicæ auctoritatis inde a sæculo XVI editis.

Prænotamina.

Per totam periodum byzantinam Ecclesia dissidens non uno documento publico, non una sententia synodali damnavit doctrinam catholicam de processione Spiritus Sancti prout a concilio Florentino definita est; plerumque tamen abstinuit *expressis verbis* docere Spiritum Sanctum a *Patre solo* procedere, παρὰ τοῦ Πατρὸς μόνου ἐκπορεύεσθαι. Imprimis prorsus notabile est professioni fidei omnium solennissimæ, quam *Synodicum Dominicæ Orthodoxiæ* vocant, qua scilicet variæ hæreses, etiam illæ, quæ Medio Ævo exortæ sunt, multiplicibus profligantur anathematismis, nihil fuisse insertum contra processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio, vel a Patre per Filium. Item, in utraque fidei professione ab episcopo ordinando recitanda meram habes processionis Spiritus Sancti a Patre affirmationem; siquidem in prima legitur : « Filius a *Patre solo* generatur et Spiritus Sanctus *procedit ex Patre;* et ita unum principium profiteor et unam causam agnosco Filii et Spiritus, nempe Patrem [1] »; in altera vero adhuc brevius : « Credo in Spiritum Sanctum, *ex ipso Patre procedentem* [2]. » Nec formula *a Patre solo* in sententia synodi Blakhernarum contra Joannem Veccum (1285) ad verbum occurrit, quamvis doctrina catholica terminis æqualem vim habentibus ibi anathemati subjiciatur [3]; neque in *Officio reconciliationis Latinorum* a synodo Constantinopoli-

1. « Ὁ δὲ Υἱὸς γεννᾶται ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρός. » Cf. Goar, *Euchologium Græcorum*, ed. Venet., 1730, p. 253.

2. « Πιστεύω εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ ἐξ αὐτοῦ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον. » *Ibid.*, p. 255.

3. Cf. *P. G.*, t. CXLII, col. 240 B : «Τοῖς διαβεβαιουμένοις ὡς διὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχει ἐκ τοῦ Πατρὸς ὁ Παράκλητος... καταδίκην ἐπάγομεν. »

tana anni 1484 sub Simeone Trapezuntio patriarcha constituto, ubi symbolum Nicæno-Constantinopolitanum absque ulla additione recitatur, concilium Florentinum abrogatur ac pro nullo habetur, doctrina quæ tenet Spiritum Sanctum procedere ex Filio *quemadmodum et ex Patre* tanquam error ineptus rejicitur [1].

Occurrit tamen dictio *a Patre solo* in quibusdam abjurationis formulis a catholicis ad *orthodoxiam* byzantinam conversis recitandis. Ita in professione fidei Georgii Vaccæ (intra 1350-1363) legimus :

« Rejicio omnem Latinorum *hæresim*, illam nempe, quæ est de processione Spiritus Sancti... Credo et confiteor Spiritum Sanctum *a Patre solo* procedere [2]. »

In periodo autem moderna duplicem documentorum publicorum classem invenimus : unam, quæ complectitur præcipuos libros *symbolicos* dictos, ubi simplex affirmatio ponitur : *Spiritus Sanctus a Patre procedit;* alteram, quæ haud paucis constat synodalibus decretis a patriarchis orientalibus subsignatis, ubi ad verbum dicitur Spiritus Sanctus a *Patre solo procedit*, vel doctrina catholica appellatur *hæresis*, vel Filio expresse denegatur quævis participatio in Spiritus Sancti productione. De utraque documentorum serie in præsenti articulo seorsim agemus.

I. — De documentis publicæ auctoritatis, in quibus simpliciter affirmatur Spiritum Sanctum a Patre procedere.

Inter documenta publicæ auctoritatis ab Ecclesia græco-russica in periodo moderna editis primum locum obtinent

1. « Κακῶς φρονοῦσι καὶ δοξάζουσι τὸ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι... Καθυποβάλλεις τῷ ἀναθέματι ...τούς... καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ὥσπερ καὶ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι φλυαροῦντας τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον; — Ἀποβάλλομαι ταύτην τὴν σύνοδον, καὶ ὡς μηδὲ τὸ κατ' ἀρχὰς συστᾶσαν ἢ γεγονυῖαν ταύτην λογίζομαι εἶναι. » Rhallis et Potlis, Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων, t. v, Athenis, 1855, p. 144-147. Cf. L. Petit, *L'entrée des catholiques dans l'Église orthodoxe*, in *Échos d'Orient*, t. II (1899), p. 129-131.

2. Ἀποβάλλομαι πᾶσαν αἵρεσιν τῶν Λατίνων, τὴν περὶ τῆς ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεύματος καὶ λέγουσαν « καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ »... Πιστεύω γὰρ καὶ ὁμολογῶ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι μόνου τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Synodicæ constitutiones Callisti patriarchæ, P. G.*, t. CLII, col. 1354-1355.

Confessio orthodoxa fidei Ecclesiæ orientalis, *Confessio Dosithei*, et, speciatim pro Russis, *Catechismus major Philareti* [1]. Atqui satis mirum est hæc tria documenta non habere formulam *a Patre solo*, sed tantummodo repetere verba Christi in Evangelio : *Spiritus a Patre procedit*, vel, ut fert *Confessio orthodoxa :* « Spiritus Sanctus *procedit ex solo Patre tanquam ex fonte et principio divinitatis* [2]. »

Hæc ultima verba dogmati catholico non aperte contradicunt et cum eo componi possunt. Unde Döllinger, in Collationibus Bonnensibus anni 1875, ea, prout jacent, ab Occidentalibus admitti posse jure declaravit [3], præsertim si illa conferas cum iis, quæ alibi (I p., q. IX) in eadem Confessione dicuntur [4]. Verum quidem est aliquam difficultatem circa eorum catholicam interpretationem inde moveri posse, quod in *quæst.* LXXI, *Ire partis*, ubi leguntur, pseudo-Athanasii sequens locus ponitur :

« Deus Pater ipse solus est causa duobus et ingenitus. Filius autem ex solo Patre causatus et genitus, et Spiritus Sanctus *ex solo Patre causatus* et *procedens, sed per Filium in mundum missus* [5]. »

Habemus sane hic formulam stricte photianam. Illam tamen auctores Confessionis non faciunt *directe* suam, ut constat ex iis quæ sequuntur :

« Satis igitur nunc nobis est, ut firma fide teneamus credamusque quod ipse nos Christus docuit, quod orientalis Ecclesia catholica et orthodoxa credit et in secundo concilio

1. De horum documentorum auctoritate apud Græco-Russos, vide quæ dicuntur in tomo I, p. 671-680; item in commentario *Échos d'Orient*, *La confession orthodoxe de Pierre Moghila*, t. XXVIII (1929), p. 414-430.

2. I p., q. LXXI, Kimmel, t. I, p. 142; Malvy-Viller, *op. cit.*, p. 42 : « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ὡς πηγῆς καὶ ἀρχῆς τῆς θεότητος. »

3. Cf. N. Damalam, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον περὶ τῶν ἐν Βόννῃ πεπραγμένων καὶ κρίσεις περὶ αὐτῶν, Athenis, 1876, p. 6.

4. Ibi auctor Confessionis lectorem remittit ad *Expositionem fidei orthodoxæ* Joannis Damasceni, *P. G.*, t. XCIV, col. 829 A : « Ὁ Υἱὸς καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς μίαν αἰτίαν, τὸν Πατέρα, ἀναφέρονται. »

5. *Quæstio IV inter XX*, *P. G.*, t. XXVIII, col. 777 B : « Καὶ αὐτὸ τὸ Πνεῦμα ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς αἰτιατὸν καὶ ἐκπορευτόν, διὰ δὲ τοῦ Υἱοῦ ἐν τῷ κόσμῳ ἀποστελλόμενον. »

œcumenico professa est, et approbavit symbolum sine additione *et ex Filio* [1]. »

Nolunt ergo Confessionis auctores vocem *solo* ad symbolum addere, quamvis dubium non sit quin mente tenuerint doctrinam hac additione significatam [2].

Non magis notanda est circumspecta dictio Dosithei, qui verbis Cyrilli Lucaris confitentis *Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere*, hæc tantùm opponit : *Credimus Spiritum Sanctum ex Patre* procedentem, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον.

Ad Catechismum autem Philareti quod attinet, doctrinam de processione Spiritus Sancti hoc modo exponit :

« *Quæstio :* Undenam scimus Spiritum Sanctum a Patre procedere?

« *Responsio :* Hoc scimus ex sequentibus ipsius Jesu Christi verbis : *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*, etc.

« *Quæstio :* Doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre potestne alicui mutationi vel complemento obnoxia esse?

« *Responsio :* Non potest : Primo, quia orthodoxa Ecclesia circa hanc doctrinam ipsissima ipsius Jesu Christi verba repetit. Atqui ejus verba absque dubio sunt expressio veritatis sufficiens et perfecta; secundo, quia secunda synodus œcumenica, cujus præcipuus scopus fuit veram doctrinam de Spiritu Sancto statuere, congruenter atque sufficienter hanc doctrinam sine controversia in symbolo fidei exposuit, et Ecclesia catholica hanc adeo presse recepit, ut tertia synodus œcumenica septimo suo canone novum symbolum fidei componere vetuerit.

« Ideo sanctus Joannes Damascenus scribit : Spiritum Sanctum et ex Patre esse dicimus et Spiritum Patris nomi-

1. « Φθάνει λοιπὸν τώρα νὰ κρατοῦμεν βέβαιον καὶ νὰ πιστεύομεν ἐκεῖνο, ὅπου ὁ Χριστὸς μᾶς ἐδίδαξε, καὶ ἡ ἀνατολικὴ Ἐκκλησία ἡ καθολικὴ καὶ ὀρθόδοξος πιστεύει καὶ ὡμολόγησεν εἰς τὴν δευτέραν οἰκουμενικὴν σύνοδον, καὶ ἐκύρωσε τὸ σύμβολον χωρὶς τῆς προσθήκης · καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ. » *Loc. cit.*, Kimmel, p. 143.

2. De mente Meletii Syrigi, *Confessionis orthodoxæ* correctoris, vide supra, p. 429, n. 1. Scimus etiam Kiovienses, quorum dux erat Petrus Moghilas, doctrinam catholicam negasse et scriptis impugnasse.

namus; ex Filio vero Spiritum esse nequaquam dicimus, sed proprium Filii Spiritum appellamus [1]. »

Vides Philaretum nihil ultra Christi et symboli verba de hac quæstione admittere velle. Repellit quidem additionem vocis *Filioque;* non audet vero processionem a Patre *solo* expresse profiteri.

Item in *Officio reconciliationis Latinorum ad Ecclesiam russicam accedentium* apud Russos usitato, dictio a *Patre solo* non adhibetur, sed ad *Catechismi Philareti* mentem proselytus ita interrogatur :

« Renuntiasne falsæ doctrinæ, quæ contendit dogma processionis Spiritus Sancti non esse sufficienter declaratum verbis Christi : *Qui a Patre procedit*, necessariumque ducit his verbis addere : *Et a Filio* [2]. »

Post hæc, neophytus recitat symbolum Nicæno-Constantinopolitanum absque ulla additione vel explicatione.

II. — De documentis publicæ auctoritatis in quibus processio Spiritus Sancti a Patre solo sive ad verbum sive quoad sensum exprimitur.

Quod theologi et polemistæ communiter docent, scilicet Spiritum Sanctum *a Patre solo* procedere seu existentiam suam habere, exclusa quavis participatione seu mediatione Filii, hoc etiam in non paucis decretis synodalibus vel fidei publicis professionibus legitur. Unde hæc documenta a documentis primæ classis in hoc differunt non solum quod additionem et explicationem catholicorum aut tacent, aut tanquam non necessariam, vel etiam tanquam erroneam vituperant, sed etiam quod expresse statuunt Spiritum Sanctum a *Patre solo* procedere, ita ut in sensum catholicum nullo pacto accipi possint. Inter hæc veniunt :

1° *Secundum et tertium Responsum Jeremiæ II, patriarchæ Constantinopolis, ad theologos Tubingenses*, in quibus sententia photiana variis modis proponitur, adhibita præsertim

1. I p., *ad art.* VIII *symboli.*
2. Cf. A. v. Maltzew, *Die Sakramente der orth. kath. Kirche des Morgenlandes*, Berolini, 1898, p. XCIII; L. Petit, *art. cit.*, p. 136-137.

explicatione palamitica. In secundo expresse legimus *processionem* (τὴν ἐκπόρευσιν) *esse existentiam Spiritus Sancti ex solo auctore Patre immediate provenientem* [1]; in tertio vero Jeremias Reformatos ita alloquitur :

« Miramur quod vos, manifesta et perspicua tum Scripturæ, tum Patrum dicta relinquentes, diserte clamantia et declarantia *e solo Patre procedere* Spiritum Sanctum, quædam Patrum testimonia aliter se habentia et in alium sensum ab eis accepta ad vestrum scopum transferatis [2]. »

2° *Epistola quatuor patriarcharum Orientis ad Russos* sub Nicone (anno 1663), in qua Spiritus Sanctus dicitur *produci et procedere a solo Patre*, αἰτιατὸς καὶ ἐκπορευτὸς παρὰ μόνου τοῦ Πατρός [3].

3° *Encyclica dogmatica patriarcharum Orientis ad Orthodoxos Antiochenos*, a synodo Constantinopolitana anno 1722 approbata, qua dogma photianum fuse exponunt, omnemque participationem Filii in producendo Spiritu omnino rejiciunt:

« Cum igitur, inquiunt, sacræ œcumenicæ synodi ac singuli sancti Patres id cecinerint, tenuerint, docuerint Sanctum Spiritum *e solo Patre*, non e Filio procedere, nec tamen ita sentientes hæretici fuerint et ab universa Christi Ecclesia segregati, neque nos ergo quotquot credimus ac sentimus quemadmodum dicti beatissimi Patres schismatici ac hæretici sumus... Testimonia quotquot nobis a Latinis objiciuntur, quibus Ecclesiæ Patres videntur dicere Spiritum Sanctum a Filio procedere, scaturire, donari, ea omnia a sanctis Patribus accipiuntur pro Spiritus Sancti gratia, largitione, operatione, non vero pro ejus hypostasi [4]. »

1. « Ἡ μὲν ἐκπόρευσις φυσική ἐστιν ὕπαρξις ἁγίου Πνεύματος, ἀμέσως ἐκ μόνου τοῦ Πατρός. » *Secundum Responsum*, c. I, ed. Gedeonis Cyprii, Κριτὴς τῆς ἀληθείας, t. I, Lipsiæ, 1758, p. 131.
2. *Tert. Respons.*, c. I, *loc. cit.*, p. 218 : « τὰ προφανῆ καὶ σαφῆ ῥητά..., τὰ διαρρήδην βοῶντα καὶ παριστῶντα ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς τὸ ἅγιον ἐκπορεύεσθαι Πνεῦμα. » Cæterum nota Jeremiæ *Responsa* sola ipsius auctoritate firmari nec haberi posse ut documentum publicum totius Ecclesiæ græcæ.
3. Delicanis, Πατριαρχικὰ ἔγγραφα, t. III, p. 93.
4. Mansi-Petit, *Ampl. coll. conciliorum*, t. XXXVII, col. 165 : « οὕτως ἔψαλλον καὶ οὕτως ἐπίστευον καὶ ἐδίδασκον, ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς μόνου ἐκπορεύεται, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ. »

4° *Confessio fidei in sexdecim articulos divisa* a patriarchis orientalibus in synodo Constantinopolitana anno 1727 promulgata, cujus articulus quintus hæc habet :

« Credo Spiritum Sanctum ex *solo Patre procedere*, non autem et ex Filio; id enim Latinorum est additio et innovatio... Solus Pater est causa et principium divinitatis, quæ in Filio est et in Spiritu Sancto, in Filio quidem per generationem, in Sancto autem Spiritu per processionem... Spiritus Sanctus ex Patre solo procedit..., qui a Patre et Filio separari nequit, utpote ex Patre per processionem existentiam habens et in Filio requiescens, quin Filius ut auctor existentiæ Spiritus ullo modo mente concipiatur [1]. »

5° *Epistola encyclica quatuor patriarcharum orientalium ad omnes fideles orthodoxos*, anno 1848 data, qua Pio papæ IX ad unionem cum Ecclesia catholica illos invitanti responderunt, in qua processio Spiritus Sancti *ab utroque* tanquam hæresis denuntiatur hæreticique appellantur qui hanc doctrinam profitentur, quamvis ibi expressis verbis non legatur Spiritum Sanctum a solo Patre procedere :

« *Hæresis est* et dicitur, inquiunt, et qui ita sentiunt *hæretici* sunt secundum sententiam sancti Damasi papæ Romæ : *Si quis de Patre et Filio bene sentiens, de Sancto Spiritu non credit orthodoxe, hæreticus est* [2]. »

Vides quatuor patriarchas Orientis in periodo moderna haud semel aperte recessisse a cauta agendi ratione tum Georgi Scholarii, qui, ut supra vidimus [3], formulam a *Patre solo* ex publicis fidei documentis arcebat nec Latinos audebat appellare hæreticos, tum Philareti Drozdov, qui Scholario in utroque semper suffragatus est.

1. Mansi, *ibid.*, col. 897: « Ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἀλλ' οὐ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ..., ἀδιαίρετον τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ὡς ἐκ τοῦ Πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχον ἐκπορευτῶς καὶ ἐν Υἱῷ ἀναπαυόμενον, μὴ συνεννοουμένου τοῦ Υἱοῦ ὡς αἰτίου τῆς τοῦ Πνεύματος ὑπάρξεως καθ' οἱονδήτινα τρόπον. »

2. Mansi-Petit, *op. cit.*, t. XL, col. 383 D. : « Ἔστι καὶ λέγεται αἵρεσις, καὶ οἱ οὕτω φρονοῦντες αἱρετικοὶ κατὰ τὴν ἀπόφασιν τοῦ ἐν ἁγίοις Δαμάσου πάπα Ῥώμης · Εἴ τις περὶ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καλῶς φρονήσει, περὶ δὲ τοῦ ἁγίου Πνεύματος οὐκ ὀρθῶς ἔχει, αἱρετικός ἐστι. »

3. P. 424 sq.

ARTICULUS VII

De doctrina recentiorum theologorum, præsertim Russorum, inde a Collationibus Bonnensibus (1874-1875).

Prænotamina.

Collationes theologicæ, quæ inter Veteres catholicos, Anglicanos et Græco-Russos, Bonnæ, annis 1874 (14-16 sept.) et 1875 (10-16 aug.), habitæ sunt, eo spectabant ut unionem in fide communi inter illos tres dissidentium cœtus perficerent. In utraque Collatione disputationum objectum unicum fuit quæstio de processione Spiritus Sancti. Et in prima quidem de legitimitate additionis vocis *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum sermonem fecerunt. Post multas disceptationes et tres varias formulas vicissim confectas, de hac tandem inter se convenerunt :

« Confitemur modum, quo additio *Filioque* in Nicænæ fidei symbolum introducta est, secundum legem non fuisse, et optandum esse, ut pro bono pacis et concordiæ universa Ecclesia ex animo videat utrum restitui forsitan possit symboli fidei forma primitiva absque detrimento veræ doctrinæ, *qualiscumque sit*, in præsenti forma occidentali expressæ [1]. »

In Collatione autem anni 1875, quæstionem dogmaticam proprie dictam aggressi sunt, et postquam varii oratores per longas sessiones sententias inter se pugnantes protulerunt, nihil aliud pro concordiæ tessera invenerunt nisi sex proposi-

1. De Collationibus Bonnensibus variæ relationes editæ sunt : Reusch, *Bericht über die Unions-Conferenzen*, Bonnæ, 1874 et 1875; Zikos Rhosis, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον, Athenis, 1874 et 1876; N. M. Damalas, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον περὶ τῶν ἐν Βόννῃ πεπραγμένων καὶ κρίσις περὶ αὐτῶν (agitur de Collatione anni 1875), Athenis, 1876. Publicæ relationes de sessionibus utriusque Collationis russice prodierunt in *Sbornik protokolov obchtchestva liubitelei dukhovnago prosviechtcheniia (Collectio auctorum Societatis amatorum culturæ ecclesiasticæ)*, Petropoli, 1875-1876, t. III et IV. Cf. Zikum Rhosim, Σύστημα Δογματικῆς, p. 279-280.

tiones ex operibus sancti Joannis Damasceni, nulla adjecta explicatione, ad verbum exscriptas, scilicet :

1. Spiritus Sanctus procedit ex Patre tanquam principio, causa et fonte divinitatis.

2. Spiritus Sanctus non procedit (οὐκ ἐκπορεύεται) *ex Filio*, quia in divinitate unum tantum est principium et causa, ex qua procedit omne quod est in divinitate.

3. Spiritus Sanctus procedit ex Patre per Filium.

4. Spiritus Sanctus est imago Filii, qui est imago Patris.

5. Spiritus Sanctus est quid substantiale procedens et productum, ex Patre quidem emanans, Filii vero et *non ex Filio*, tanquam spiritus oris Dei, Verbi declarativus.

6. Spiritus Sanctus est medius inter Patrem et Filium, et Patri per Filium conjungitur.

Cum autem hujusmodi propositiones, præsertim quartam, aliter intelligerent Anglicani et Veteres catholici, aliter Græco-Russi, unio somniata mox evanuit. Hunc autem felicem exitum habuerunt Collationes Bonnenses, quod Græco-Russis ansam præbuerunt doctrinam Patrum de processione Spiritus Sancti iterum atque accuratius quam prius investigandi; item, quod Ecclesia russica, post sat longam colloquiorum cum Veteribus catholicis intermissionem (inde ab anno 1877), anno 1892 cum iisdem in eumdem scopum rursus commercium inivit. Inde copiosa litteratura polemica de controversa quæstione, ut olim apud Byzantinos tentaminum unionis tempore, prodivit. Et Græci quidem in hac nova concertatione exiguam partem habuerunt parumque vel nihil profecerunt, antiquorum polemistarum vestigia semper prementes et ab eorum veri nominis scientiæ opposita via declinare nolentes. Quidam autem Russi inter clariores non ita, sed liberius atque secundum scientiæ historicæ regulas quæstionem per tot sæcula agitatam examinare inceperunt, Veteribusque catholicis urgentibus, veram Ecclesiæ suæ dogmaticam positionem circa hanc quæstionem necnon circa alia capita controversa detexerunt. Nec in unam sane eamdemque sententiam ipsi convenerunt, sed omnes fere explicationes, quas apud Byzantinos invenimus, rursus innovarunt, tacentibus vel etiam aperte suffragantibus auctoritatibus ecclesiasticis. Unde qualemcumque quæstionem solvendi ac

litibus finem imponendi luce clarius omnium oculis apparuit.

Ut hujus novæ controversiæ historia, cujus momentum neminem latet, perspicue ac sufficienter delineatur, præsentem articulum in sex partes dividimus. Loquemur :

1° De præcipuorum theologorum græcorum doctrina post Collationes Bonnenses;

2° De processione Spiritus Sancti in litteratura theologica Russorum post Collationes Bonnenses usque ad editionem thesium Basilii Bolotovi (1898);

3° De doctrina Basilii Bolotovi;

4° De controversia inter theologos russos circa theses Bolotovi;

5° De publicis responsionibus Commissionis synodalis russicæ pro quæstione vetero-catholica examinanda constitutæ;

6° De recentibus theologis russis qui Patrum cum orientalium tum latinorum consensum circa substantiam dogmatis catholici agnoverunt.

I. — De præcipuorum theologorum græcorum doctrina post Collationes Bonnenses.

Theologi græci recentiores fere omnes photianismo rigido adhuc adhærent, si unum excipias Diomedem Kyriakum, qui cum Veteribus catholicis et quibusdam theologis russis doctrinam de processione Spiritus Sancti *a Patre et Filio* vel *a Patre per Filium* inter *theologumena* recensere non dubitavit [1]. Generatim tamen aliquid concedunt, cui eorum antecessores nunquam aut vix consenserant, nempe quod sanctus Augustinus doctrinam catholicam revera docuit eamdemque tenuerunt alii Occidentales ante Photium [2].

1. Cf. *Revue internationale de théologie*, 1905, p. 725 : « Les différences qui existent encore entre nous et les Anciens catholiques ne sont pas essentielles, selon mon opinion, et ne doivent pas empêcher les orthodoxes de regarder les Anciens catholiques comme étant de la même foi. De telles différences existaient aussi entre l'Orient et l'Occident pendant plusieurs siècles, et elles n'empêchaient pas l'union des Églises. » *Lettre du professeur D. Kyriakos sur l'ancien catholicisme et l'union des Églises.*

2. Zikos Rhosis, *op. cit.*, p. 255, qui tamen subjicit : « ἂν τὰ χωρία ἐν οἷς ἐκφράζεται αὕτη (Augustini scilicet) μὴ ἐκληφθῶσιν ὡς νενοθευμένα. »

Sententia Z. Rhosis, qui Collationibus Bonnensibus interfuit, incerta manet. Vidimus supra [1] illum quamdam theoriam processionum divinarum edocere, quæ theoriæ psychologicæ sancti Thomæ aliquatenus affinis est. In Collatione Bonnensi anni 1875 formulam *a Patre per Filium* a Patribus usurpatam ita interpretatus est :

« Patres unam solam agnoscunt causam, unum principium, fontem Filii et Spiritus Sancti, nempe Patrem. Secundum autem quosdam ex illis, Spiritus Sanctus procedit (ἐκπορεύεται) ex Patre per Filium, seu prodit ex Patre per Filium, seu apparuit, elucet, manifestatur, emergit, mittitur, subministratur per Filium. Verbum ἐκπορεύεσθαι potius exprimit principium, fontem, causam existentiæ; verbum autem προϊέναι, *æternam*, aut etiam temporalem operationem. Verbum latinum *procedere* non perfecte respondet verbo græco ἐκπορεύεσθαι, sed potius respondet τῷ προϊέναι. Illud *procedere principaliter* sancti Augustini tantum τῷ ἐκπορεύεσθαι plane respondet. Unde, ubi Patres dicunt Spiritum Sanctum ἐκπορεύεσθαι *a Patre per Filium*, vel ex Patre per Filium προϊέναι, hoc ita intelligamus oportet, scilicet quod Spiritus Sanctus suæ existentiæ principium habet in Patre, quod tamen etiam Filius particeps est operationis Spiritus Sancti, *tum illius operationis, quæ æterna est*, tum illius, quæ temporalis [2]. »

Andrutsus, Συμβολικὴ ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, ed. 2, Athenis, 1930, p. 158-159 : « Πατὴρ τῷ ὄντι τοῦ ἐπεισάκτου τούτου δόγματος εἶνε ὁ Αὐγουστῖνος. » D. S. Balanus, Τὸ δόγμα τῆς Ἐκκλησίας περὶ ἁγίας Τριάδος, Athenis, 1911, p. 33 : « Παρὰ τοὺς λόγους τοῦ Ἰησοῦ καὶ τοῦ συμβόλου τῆς πίστεως περὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου Πνεῦματος ἐκ μόνου τοῦ Πατρός, ὁ Αὐγουστῖνος ἐδίδασκεν ὅτι τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ. » N. Damalas, Ἔκθεσις, p. 36, de authenticitate locorum Augustini et aliorum doctrinæ catholicæ suffragantium dubitat: « Si genuini sunt, dicendum est Augustinum in hoc errasse, sicut et in aliis. »

1. Vide supra, p. 224.

2. Cf. N. Damalam, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον, p. 13-14 : Ὅταν λοιπὸν λέγωσιν οἱ πατέρες ὅτι τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ, ἢ πρόεισιν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ, πρέπει νὰ ἐννοήσωμεν αὐτὸ οὕτως, ὅτι τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἔχει τὴν ἀρχὴν τῆς ὑπάρξεως αὐτοῦ ἐν τῷ Πατρί, ὅτι ὅμως τῆς ἐνεργείας τοῦ ἁγίου Πνεύματος, τῆς τε αἰωνίου καὶ τῆς ἐν χρόνῳ μετέχει καὶ ὁ Υἱός. »

Quid sit autem illa *operatio æterna* Spiritus Sancti, cujus et Filius particeps sit, nullibi explicat theologus græcus. In suo *Systemate theologiæ dogmaticæ* formulam Latinorum *a Patre et Filio procedit* rejicit tanquam falsam et duo principia in Trinitatem necessario invehentem; formulam autem Græcorum *a Patre per Filium* ut *sententiam theologicam* probabilem et veram habet. Non tamen vim dogmatis ei tribuit, nec illam explanat nisi *negative*, quatenus ab ejus significatione removet omnem participationem Filii in processione proprie dicta Spiritus Sancti. Postea varia Photii argumenta contra dogma catholicum breviter exponit [1]. Unde concludere licet Rhosim Photii discipulum remanere, quamvis illud « διὰ τοῦ Υἱοῦ » ad aliquam incomprehensibilem *operationem æternam* Spiritus Sancti referat.

N. M. Damalas, qui et ipse Collationibus Bonnensibus interfuit, a photianismo rigido non recedit. In suo opere inscripto *De principiis*, Περὶ ἀρχῶν, anno 1865 edito, dogma catholicum rejicit tanquam hæresim. Juxta ipsum, Ecclesia latina probando additionem vocis *Filioque* ad symbolum in hæresim delapsa est [2]. Totus est autem ut opinionem confutet C. Julii Müller, qui verba Christi apud Joannem, xv, 26, *a Patre procedit*, ad missionem temporalem Spiritus Sancti referebat [3]. Nec sententiam mutavit post Collationes Bonnenses, ut ex sua ad synodum Atheniensem relatione de Collatione anni 1875 videre est. Ibi enim illud διὰ τοῦ Υἱοῦ de sola missione vel manifestatione temporali Spiritus Sancti per Filium interpretatur :

« Illud *a Patre per Filium procedit*, inquit, continet una formula duas veritates a sacra Scriptura edoctas, scilicet quod Spiritus Sanctus ex Patre producitur tanquam ex

1. Σύστημα δογματικῆς, p. 253-287.

2. Περὶ ἀρχῶν, Lipsiæ, 1865, p. 62 : « Ἕπεται ὅτι τὸ *Filioque* δὲν εἶναι ἐκκλησιαστικὸν δόγμα, ἀλλ' αἱρετικὴ δόξα, καὶ ἡ λατινικὴ Ἐκκλησία θελήσασα νὰ ὑψωθῇ ὑπεράνω τῆς οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας δι' αὐθαιρέτου νέου δόγματος προσθήκης ἔχασε τὸν καθολικὸν χαρακτῆρα, καὶ μετέπεσεν ἅμα τῇ ψηφίσει τῆς προσθήκης εἰς αἵρεσιν. » Nec admittere vult quod multis theologis protestantibus placet, nempe quod doctrina catholica inter *theologumena* recenseatur, *ibid.*, p. 62-63.

3. *Ibid.*, p. 54-61.

principio et causa, manifestatur vero, id est *ostendit suam operationem ad extra per Filium*, quia Filio cooperatur, et secundum hunc sensum exsplendescit, elucet, etc., per Filium. Unde mediatio Filii est mediatio revelationis Spiritus ad ea quæ sunt extra divinitatem per cooperationem cum ipso, non vero mediatio existentiæ [1]. »

Si illi credas, verba Christi *De meo accipiet* significant *unitatem et continuitatem revelationis a Filio et a Spiritu Sancto factæ*, quatenus Spiritus Sanctus post Filium venit ad persequendum et perficiendum opus ipsius, et ab eo accepit thesaurum veritatum, quas Pater dedit et ab ipso Patre Spiritus audivit [2].

C. Andrutsus in suo compendio theologiæ dogmaticæ, anno 1907 edito, scripserat :

« Historice loquendo, totus Patrum chorus processionem Spiritus Sancti a Patre solo edocuit [3]. »

In secunda autem editione sui operis Συμβολικὴ ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, quæ anno 1930 lucem aspexit, fatetur, ut jam diximus, Augustinum aliosque Occidentales ante sæculum IX doctrinam a *Filioque* expressam tenuisse. Cætera in utroque opere similia sunt [4]. Andrutsus nobis dicere nescit quid positive significet formula Patrum *a Patre per Filium*. Concedit præpositionem διά habere sensum causalem et esse quosdam Patrum græcorum locos illud διὰ τοῦ Υἱοῦ habentes, quos ad processiones divinas referre necesse est. Postquam autem exclusit interpretationem catholicam, duas ipse proponit explicationes :

« Formula, inquit, vel est synoptica expressio existentiæ

1. Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον, p. 36 : « Τὸ ἐκπορεύεται λοιπὸν ἐκ Πατρὸς δι' Υἱοῦ περιέχει ἐν μιᾷ ἐκφράσει καὶ τὰς δύο τῆς ἁγίας Γραφῆς ἀληθείας, ἤτοι προβάλλεται μὲν ἐκ τοῦ Πατρὸς ὡς ἀρχῆς καὶ αἰτίας, φανεροῦται δέ, τουτέστι δείκνυσι τὴν ἑαυτοῦ ἐνέργειαν πρὸς τὰ ἔξω διὰ τοῦ Υἱοῦ, διότι συνεργάζεται τῷ Υἱῷ. »

2. *Ibid.*, p. 33 : « Ἡ ἔκφρασις αὕτη ἐτέθη πρὸς δήλωσιν τῆς ἑνότητος καὶ συνεχείας τῆς ἀποκαλύψεως τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὅπερ, ὡς ἐλθὸν μετὰ τὸν Υἱὸν ἵνα συνεχίσῃ καὶ τελειώσῃ αὐτοῦ τὸ ἔργον, ἐξ αὐτοῦ παρέλαβε τὸν θησαυρὸν τῶν ἀληθειῶν, ἃς ὁ Πατὴρ ἔδωκεν αὐτῷ, ἃς καὶ αὐτὸ τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἤκουσε παρὰ τοῦ Πατρός. »

3. Δογματική, p. 80-81 : « Ἱστορικῶς πᾶσα ἡ χορεία τῶν πατέρων ἐδίδαξε τὴν παρὰ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπόρευσιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος. »

4. Συμβολική, ed. 2, p. 149-159.

Spiritus Sancti, significans tum ejus existentiam æternam, tum ejus in mundo manifestationem per Filium perfectam; vel, si referatur ad Trinitatem ipsam, ostendit mediationem Filii, quatenus logice concipitur ante Spiritum Sanctum [1]. »

Sunt etiam, inquit, aliæ explicationes, quæ apud nos circumferuntur; et in nota indicat exegesim eorum, qui præpositionem διά in σύν vel μετὰ cum genitivo mutant; item theoriam Georgii Cyprii de manifestatione æterna; insuper interpretationem eorum, qui formulam intelligunt de consubstantialitate, de missione temporali, de conjunctione mutua et circumincessione personarum divinarum [2]. Omnes explicationes illi acceptabiles sunt, dummodo illa removeatur, quæ legenti sponte obvenit, scilicet Spiritum Sanctum suum esse habere ex Patre per Filium. Unde subjicit Patres hanc dictionem usurpasse non proprie sed abusive, οὐ κυρίως, ἀλλὰ καταχρηστικῶς [3].

Cum Andrutso omnino sentit Demetrius S. Balanus in suo opusculo de sanctissima Trinitate. Secundum illum, græci Patres ab antiquo et ante omnem controversiam docuerunt processionem Spiritus Sancti a *Patre solo*, et ut blasphemam habebant sententiam de processione a Patre et Filio [4]; et post hanc stupendam assertionem lectorem remittit ad Theodorum Mopsuestenum, Theodoretum et Joannem Damascenum.

II. De processione Spiritus Sancti in litteratura theologica Russorum post Collationes Bonnenses usque ad editionem thesium B. Bolotovi (1898).

Collationum Bonnensium influxus in theologiam Russorum gravior fuit quam in theologiam Græcorum. In ipsa Colla-

1. *Ibid.*, p. 156 : « Ὁ τύπος « δι' Υἱοῦ » ἢ εἶνε ἡ συνοπτικὴ ἔκφρασις τοῦ εἶναι τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἡ ἐκφέρουσα τήν τε αἰωνίαν αὐτοῦ ὕπαρξιν καὶ τὴν ἐν τῷ κόσμῳ φανέρωσιν, τὴν δι' Υἱοῦ περαινομένην, ἢ εἰς τὴν ὑπερβατικὴν Τριάδα ἀναφερόμενος (ὁ τύπος « δι' Υἱοῦ »), ἐμφαίνει τὴν μεσιτείαν ταύτην τοῦ Υἱοῦ λογικῶς προθεωρουμένου. »

2. *Ibid.*, p. 157 in nota.

3. *Ibid.*

4. *Op. cit.*, p. 34 : « Οἱ ἕλληνες πατέρες ἀνέκαθεν, πρὸ τῆς ῥήξεως ἤδη τῆς ἔριδος, εἶχον διακηρύξει τὴν ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπόρευσιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἐθεώρουν δὲ βλάσφημον τὴν διδασκαλίαν περὶ ἐκπορεύσεως καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ. »

tione anni 1875, archipresbyter Joannes Yanychev theoriam manifestationis æternæ Spiritus Sancti per Filium admisit, quam his verbis expressit :

« Proprietas hypostatica tertiæ personæ, nempe Spiritus Sancti in hoc est, quod secundum suam existentiam ex Patre procedit; secundum *vero operationem* seu *manifestationem sive æternam sive temporalem* procedit, mittitur non solum a Patre sed etiam a Filio [1]. »

Quid sit hæc operatio seu manifestatio æterna Spiritus per Filium, hoc non magis nos edocet Yanychev quam Zikos Rhosis. Hæc est autem inter utrumque differentia, quod Yanychev hanc manifestationem æternam Spiritus per Filium ad ipsam proprietatem hypostaticam tertiæ personæ refert; quod non dicit theologus græcus. Insuper hanc doctrinam inter *theologumena* recenset Yanychev [2].

Statim post Collationem anni 1874, archimandrita Sylvester Malevanskii, qui postea episcopus factus est († 1908), responsionem conscripsit circa schema de processione Spiritus Sancti a Veteribus catholicis propositum, in qua dictionem Patrum *a Patre per Filium* ad solam missionem temporalem refert, ab ea removens omnem notionem dependentiæ causalis Spiritus Sancti a Filio quantum ad existentiam [3]. Eidem stat explicationi in tomo II sui *Tentaminis theologiæ dogmaticæ orthodoxæ*, ubi de doctrina Patrum cum græcorum, tum

1. Damalas, Ἔκθεσις, p. 12-13 : « Τὸ προσωπικὸν ἰδίωμα τοῦ τρίτου προσώπου, τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐστὶν ὅτι, κατὰ μὲν τὴν ὕπαρξιν αὐτοῦ, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, κατὰ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἢ ἔκφανσιν εἴτε ἄχρονον, εἴτε χρονικήν, πρόεισι, πέμπεται οὐ μόνον παρὰ τοῦ Πατρός, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῦ Υἱοῦ. » In eadem Collatione, alius theologus russus, Ossinin nuncupatus, quædam protulit, quæ cum sententia Yanychev minime congruunt; ambigua enim esse declaravit verba Döllinger, qui de idoneitate Filii ad mittendum Spiritum Sanctum locutus fuerat, cum hujusmodi idoneitas ut quid æternum concipi possit. Hoc autem Ossinin nullo pacto concedere volebat.

2. Damalas, ibid., p. 13 : « Ταύτην δὲ τὴν ἄχρονον ἐνέργειαν δυνάμεθα νὰ θεωρήσωμεν ὡς θεολογούμενον οὐχὶ ἄνευ βάσεως, στηριζόμενοι ἐπὶ ἀρχαίων μαρτυριῶν. »

3. *Otviet pravoslavnago na predlogennuiu starokatolikami skhemu o sviatom Dukhê (Responsio orthodoxi ad schema de Spiritu Sancto a Veteribus catholicis propositum)*, Kioviæ, 1874, in *Trudy Academiæ Kioviensis*, t. III, 1874, p. 182-302.

latinorum fuse disserit [1]. Ultra Zernikavium vix progreditur. Concedit tamen sanctum Augustinum in quibusdam suorum operum locis doctrinam catholicam revera docuisse; sed, si illi credas, sanctus doctor hanc doctrinam proposuerit non tanquam dogma, sed tantum ut opinionem privatam; quod est omnino falsum [2]. Item fatetur quosdam Occidentales, inde a sæculo V, huic opinioni augustinianæ suffragatos fuisse; vim autem testimonii illorum minuere nititur, dicens multa eorum dicta ad missionem temporalem referri posse [3]. De mente sancti Joannis Damasceni et sancti Tarasii hæc habet, ex quibus de illius ratione interpretandi textus patristicos judicare potes :

« Damascenus, quamvis de Spiritu Sancto dixerit quod a Patre per Filium procedit, huic tamen formulæ nullam aliam significationem præfixit quam istam, nempe quod Spiritus Sanctus, quando ex Patre ab æterno procedit, suam existentiam ab eo mutuans, eodem momento pariter per Filium temporaliter procedit, quatenus scilicet in mundum descendit ad creaturas [sanctificandas]. Existimare licet sanctum Tarasium, patriarcham Constantinopolis, simili formulæ de Spiritu Sancto eumdem sensum tribuisse, dum in sua *Epistola ad patriarchas orientales* articulum symboli de Spiritu Sancto ita exposuit : *Credo et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, ex Patre per Filium procedentem*, δι' ἐκ τοῦ Πατρὸς δι' Υἱοῦ ἐκπορευόμενον. Septima synodus œcumenica, in qua hæc epistola examinata est, contra tarasianam formulam de Spiritu Sancto nihil protulit [4]. »

A Sylvestro Malevanskii pendent plerique auctores compendiorum classicorum theologiæ dogmaticæ vel polemicæ, qui post illum scripserunt. Cum illo fatentur Augustinum doctrinam in Filioque expressam tanquam opinionem priva-

1. *Opyt pravoslavnago dogmaticeskago bogosloviia*, t. II, ed. 3, Kioviæ, 1892, p. 504-600.

2. *Ibid.*, p. 546-564. Quod Augustinus de explicatione psychologica mysterii dicit, Sylvester ad ipsam affirmationem veritatis revelatæ transfert.

3. *Ibid.*, p. 597-600.

4. *Op. cit.*, p. 544.

tam docuisse [1]. Quidam tamen hoc concedere nolunt et cum Zernikavio adhuc tenent Augustinum nonnisi de missione temporali Spiritus Sancti a Patre et Filio locutum fuisse [2].

Post Sylvestrum et antequam vulgarentur theses conciliationis in secunda Collatione Bonnensi propositæ, S. V. Kokhomskii opus edidit cui titulus : *Doctrina Ecclesiæ antiquæ de processione Spiritus Sancti.* Hic quidem doctrinam catholicam apud Patres græcos sæc. IV et V non detegit, a sententia tamen Photianorum aliquatenus recedit, præsertim ubi agit de significatione dictionis δι' Υἱοῦ apud sanctum Basilium et sanctum Gregorium Nyssenum. De sancto Basilio hæc habet :

« In ordine evangelico, quo personæ Trinitatis enumerantur, sanctus Basilius hujus indicium invenit, scilicet quod generatio Filii in se includit quasi *quamdam conditionem sui generis ad processionem absolutam Spiritus Sancti*, et animo concipitur ante hanc processionem... Ideo in ordine æterno existentiæ, secundum Basilium, hypostasis Filii solummodo in sensu Deo congruente præcedit hypostasim Spiritus Sancti, sed illam non producit [3]. »

Eamdem doctrinam tribuit Gregorio Nysseno :

« Nyssenus Filii mediationem tantum admittit quoad ordinem, ita ut Spiritus Sanctus procedat a Patre ad Filii generationem, id est Filio generato [4]. »

Ergo hoc saltem agnoscit Kokhomskii, scilicet Patres græcos docuisse ordinem personarum divinarum, prout in Evangelio refertur, esse intimum et immanentem et non respicere tantum ordinem manifestationis historicæ, ut volunt Photiani rigidi.

Anno 1879, N. M. Bogorodskii opus edidit inscriptum :

1. Ita, v. g., Malinovskii, *Ocerk pravosl. dogm. bogosloviia*, Kamenets-Podolsk, 1904, p. 178-184; Perov, *Rukovodstvo k oblicitelnomu bogosloviiu (Enchiridium theologiæ polemicæ)*, ed. 6, Tulæ, 1905, p. 31-40.
2. Ita, v. g., Truskovskii, *Enchiridium theologicæ polemicæ*, ed. 2, Moghilevii, 1889, p. 20-22, qui dicit prima doctrinæ latinæ vestigia inde a sæculo VII deprehendi (p. 25).
3. *Ucenie drevnei tserkvi ob iskhogdenii sv. Dukha. Istoriko-dogmaticeskii ocerk*, Petropoli, 1875, p. 26.
4. *Ibid.*, p. 32.

Doctrina sancti Joannis Damasceni de processione Spiritus Sancti, exposita cum respectu ad theses Collationis Bonnensis anni 1875. Auctor impugnat quidem exegesim eorum qui formulam *a Patre per Filium* apud Patres occurrentem semper et ubique intelligunt de missione temporali; verum nihil novi profert, sed interpretationem jam a Medio Ævo inter polemistas tritam iterat, dum dicit illud διὰ τοῦ Υἱοῦ, apud Joannem Damascenum, significare *relationem coexistentiæ* inter Filium et Spiritum Sanctum in eo momento quo ex Patre simul procedunt, ita ut sensus formulæ διὰ τοῦ Υἱοῦ sit ἅμα τῷ Υἱῷ, *simul cum Filio* [1] ; quod primus adinvenit Georgius Moschabarus, ut supra vidimus.

De doctrina Damasceni item tractavit A. A. Nekrasov in quodam dissertatione inscripta : *Doctrina sancti Joannis Damasceni de relatione personali Spiritus Sancti ad Filium Dei* [2]. Ejus conclusio a conclusione Bogorodskii haud parum differt; siquidem, si ei credas, Damascenus theoriæ transitus instrumentalis Spiritus Sancti per Filium, quam Theodorus Muzalon olim excogitaverat, patronus fuerit :

« Secundum Joannis Damasceni doctrinam, inquit, Filius Dei, eo momento quo extra omne tempus et ab æterno ex Patre generatur, ab æterno compenetratur ac permeatur a Spiritu Sancto procedente ex eodem solo Patre; quem et ad manuum suarum opera, ac præsertim ad suos electos mittit virtute meritorum suæ redemptionis. Positio catholicorum vera non est : *Si Spiritus Sanctus procedit per Filium, ergo procedit a Filio.* Radii solares prodeunt per vitrum, sed non procedunt ex sole et vitro. Præpositio διά non significat *per* in sensu causali, sed *per* in sensu motus localis seu meri transitus (russice : *skvoz*, gallice : *à travers*). Dictio *per*

1. *Ucenie sv. Ioanna Damaskina ob iskhogdenii sv. Dukha, izlogennoe v sviazi s tezisami Bonnskoi konferentsii 1875 goda*, Petropoli, 1879, p. 31, 57, 165-171.
2. *Ucenie sv. Ioanna Damaskina o litchnom otnochenii Dukha sv. k Synu Bogiiu (Po povodu Bonnskoi konferentsii).* Dissertatio primum edita est in commentario *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, t. I, 1883, p. 217-234, 307-328, et iterum ut quartum supplementum ad opus : *Tchtenie greceskago Teksta sviatykh Evanghelii (Lectio græci textus sanctorum Evangeliorum)*, Kazanii, 1888, p. 163-200.

Filium respicit realem et æternam rationem relationis Spiritus Sancti ad Filium, et non tantum ejus temporalem et accidentalem manifestationem [1]. »

III. Doctrina Basilii Bolotovi.

Cum hæ variæ de sensu dictionis *per Filium* opiniones, ex polemistis byzantinis Medii Ævi repetitæ, inter Russos circumferrentur, anno 1898, in commentario : *Revue internationale de théologie*, theses numero viginti septem de processione Spiritus Sancti cujusdam theologi russi, cujus nomen tacebatur, germanice editæ sunt sub hoc titulo : *Thesen über das « Filioque ». Von einem russischen Theologen* [2]. Auctor autem erat Basilius V. Bolotov, in universitate Petropolis historiæ ecclesiasticæ professor celeberrimus, qui adhuc inter vivos degebat et nonnisi post mortem suam († 1900) ut harum thesium parens omnibus innotuit [3].

Quæstionem de processione Spiritus Sancti Bolotov investigavit occasione colloquiorum, quæ inde ab anno 1892 inter Veteres catholicos et Ecclesiam russicam instaurata sunt ad

1. *Op. cit.*, p. 191, 195-197. Hanc summam dissertationis Nekrasovi necnon operum Kokhomskii et Bogorodskii mutuamur a B. Bolotov, *Relatio proposita in sessione Commissionis pro quæstione vetero-catholica, die 22 januarii 1893 habita*, edita ab A. Brilliantov cum aliis opusculis Bolotovi sub titulo : *K voprossu o Filioque (De quæstione circa Filioque)*, Petropoli, 1914, p. 113-115.

2. *Revue internationale de théologie*, 1898, p. 681-712. Thesium versio germanica ex russico ab A. Kireev facta est. Bolotov tamen ipse quædam in linguam germanicam transtulit. Unicuique thesi quædam criticæ animadversiones subnectuntur ad earum verum sensum exponendum. In hac editione germanica, theses sunt tantum numero 27; 32 vero habentur in *Epistola Bolotovi ad archiepiscopum Antonium* (9-10 febr. 1893). Hæ quinque, quæ additæ sunt, spectant ad additionem vocis *Filioque* ad symbolum necnon ad doctrinam de processione Spiritus Sancti apud Veteres catholicos. *Theses* cum aliis Bolotovi opusculis de processione Spiritus ab A. Brilliantov, *op. cit.*, p. 29-73, cum præfatione et introductione ipsius auctoris russice, anno 1914, editæ sunt. Hac russica editione utimur.

3. Auctorem jam ab anno 1893 noverant tres tantum theologi russi nempe Antonius archiepiscopus, professor A. L. Katanskii, et archipresbyter I. L. Yanychev († 1910). Noverat etiam certe A. Kireev. Cf. *Præfationem Brilliantovi ad opuscula Bolotovi, op. cit.*, p. 1-27.

unionem in sacris perficiendam. Fuit enim unum e membris Commissionis pro quæstione *vetero-catholica* decreto Synodi Dirigentis, die 15 decembris dato, constituta, cujus præses fuit Antonius, Finniæ archiepiscopus, postea Petropolis metropolita. Commissio suam operam jam anno 1893 auspicata est, fuitque Bolotov titulo secretarii Commissionis decoratus, expediendis negotiis præpositus. In sessione autem die 29 januarii habita, quædam subcommissio instituta est ad exponendam doctrinam Ecclesiæ russicæ circa processionem Spiritus Sancti, ut de hac quæstione responsio publica daretur Veteribus catholicis. Hujus autem subcommissionis membra fuere archiepiscopus Antonius, professor A. L. Katanskii et ipse B. Bolotov. Porro, ubi de exponenda fide publica Ecclesiæ russicæ circa processionem Spiritus Sancti actum est, Katanskii et Bolotov inter se nequaquam consenserunt. Katanskii enim a veteri photianismo vix recedebat [1], dum Bolotov novam prorsus doctrinæ Patrum interpretationem proferebat, ut videre est ex quatuor opusculis seu documentis, quæ anno 1893 ineunte conscripsit, scilicet : 1° *Relationem propositam in sessione Commissionis pro quæstione vetero-catholica, die 22 januarii 1893;* 2° *Theses de « Filioque »;* 3° *Epistolam ad Antonium, Finniæ archiepiscopum;* 4° *Dissertationem de momento ordinis personarum sanctissimæ Trinitatis secundum conceptum Patrum orientalium.* Si *Theses de « Filioque »* excipias, quæ, ut mox diximus, anno 1898 germanice editæ sunt, tria alia documenta lucem non aspexerunt ante annum 1913, quo A. Brilliantov in commentario *Khristianskoe Tchtenie* illa publicavit [2]. Anno autem sequenti hujusmodi editio Petropoli separatim prodivit, cui idem Brilliantov aliquam introductionem, jam in *Lectione christiana* editam, præmisit [3]. Doctrina autem Bolotovi, prout eam ex quatuor præfatis documentis colligere licet, sic breviter declarari potest :

1. De opinione L. Katanskii quædam infra dicimus.

2. *Khristianskoe Tchtenie*, 1913, n. 4, p. 431-457; n. 5, p. 573-596; n. 6, p. 726-746; n. 7, p. 921-927; n. 9, p. 1046-1059; n. 11, p. 1289-1309; n. 12, p. 1391-1414.

3. B. B. Bolotov, *K voprossu o Filioque, s predislovieni prof. A. Brilliantov*, Petropoli, 1914, in-8°, VI-138 p.

Primum quidem notandum est quid nomine *theologumenon* Bolotov intelligat. *Theologumenon*, inquit, est *opinio theologica* edocta ab uno vel a pluribus ex Patribus Ecclesiæ indivisæ, ex eis præsertim qui doctores œcumenici appellantur. A theologumeno differt sententia theologica proprie dicta, quæ est opinio theologorum, qui post Patres venerunt. Campus dogmatum omnia, quæ fide *necessario* tenenda sunt, complectitur; campus autem theologumenorum ad ea, quæ *dubia* sunt, se extendit. Theologumenon uniucujusque liberæ optioni relinquitur. Si illud non recipio, non ideo eos damno, qui illud amplectuntur, et hoc propter reverentiam debitam Patri vel Patribus qui hujusmodi opinionem proposuerunt. Auctoritas theologumeni eo major est, quo major est numerus Patrum, qui illud tuiti sunt; attamen dogma non est, nec cum dogmate confundendum. Ad opinionem theologicam quod attinet, illam ut prorsus liberam habeo; theologi enim sunt mei æquales. Si illa vera mihi videtur, eam recipio; si falsa, ejus censuram ago eamque rejicio [1].

His præmissis, theologus noster sequentia docet :

1º Ecclesia russica orthodoxa hanc veritatem tantum tanquam dogma de fide credendum habet, scilicet quod Spiritus Sanctus ex Patre procedit et est Patri et Filio consubstantialis (Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται καὶ ὁμοούσιόν ἐστι τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ) [2].

2º Conceptus mysterii sanctissimæ Trinitatis, ex quo Spiritus dicitur *ex Patre per Filium procedere, prodire, splendere* (διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, πρόεισι sive ἐκλάμπει) non est quidem dogma proprie dictum, sed theologumenon maximæ auctoritatis, theologumenon œcumenicæ auctoritatis tum ob illius frequentem usurpationem in scriptis Patrum, ac præsertim Joannis Damasceni, tum quod legitur in synodica epistola sancti Tarasii, cujus orthodoxia a synodo œcumenica septima probata est. Nec illa dictio « per Filium » ad missionem temporalem Spiritus Sancti in mundum semper referri potest, quin aliquibus Patrum dictis vis inferatur; sed hoc saltem concedendum est : quod hujusmodi dictio « indicat aliquod momentum arcanum actionis æternæ, vitæ æternæ, relationum æternarum Spiritus Sancti ad Patrem et Filium, momentum quod nuncupatur etiam *mansio æterna, requies æterna* Spiritus Sancti in Filio ». Hoc autem momentum non est tantum figurata expressio consubstantialitatis Spiritus Sancti cum Patre et Filio, sed significat etiam hanc veritatem humanæ quidem rationi imperviam, sed in Evangelio revelatam, scilicet quod Spiritus Sanctus est tertia persona, Filius vero secunda Trinitatis persona [1].

1. *Præfatio ad theses, op. cit.*, p. 31-36.
2. *Thesis 1*, p. 62.

3º Ordo enim personarum divinarum, prout in Evangelio traditur, non est tantum extrinsecus et manifestationis historicæ singularum personarum indicativus, sed est vere intimus, immanens, æternus; *siquidem ordo manifestationis historicæ respondet ordini æterno processionum illumque imitatur ac repræsentat*, secundum Patrum doctrinam [2]. Contrarium asserere est sancto Gregorio Nazianzeno ac præsertim sancto Basilio (*Epist.*, LII, *P. G.*, t. XXXII, col. 396) contradicere, qui dicit : « Qui Spiritum Sanctum præponit Filio, aut illum prædicat Patre antiquiorem, hic Dei ordinationi resistit et a sana fide alienus est, doxologiæ rationem traditione acceptam non servans, sed ad placendum hominibus novitatem sibi effingens... Innovatio circa ordinem [personarum] earum existentiam evertit estque totius fidei negatio [3]. » Filius ergo *logice*, et non *chronologice* tantum, Spiritum Sanctum præcedit.

4º Hoc ergo saltem significat formula *a Patre per Filium procedit*, quod Filius ante Spiritum Sanctum ab æterno logice venit seu generatur a Patre. Hæc tamen dictio non directe respicit hoc momentum, hunc actum, qui revelatur in ver-

1. *Theses 2-5*, p. 63-68.
2. *Dissertatio de momento ordinis personarum sanctæ Trinitatis*, p. 81-94; *Præfatio ad theses*, p. 44-47.
3. Basilius Magnus, *Epist.*, LII, *P. G.*, t. XXXII, col. 396 : « Ὁ δὲ προτιθεὶς Υἱοῦ ἢ πρεσβύτερον λέγων Πατρός, οὗτος ἀνθίσταται μὲν τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ, ἀλλότριος δὲ τῆς ὑγιαινούσης πίστεως, μὴ ὂν παρέλαβε τρόπον δοξολογίας φυλάττων, ἀλλ' ἑαυτῷ καινοφωνίαν εἰς ἀρέσκειαν ἀνθρώπων ἐπινοῶν... ὥστε ἡ περὶ τὴν τάξιν καινοτομία αὐτῆς τῆς ὑπάρξεως τὴν ἀθέτησιν ἔχει, καὶ ὅλης τῆς πίστεως ἄρνησις. » Hunc Basilii locum quidam theologi russi in suam linguam non recte verterunt; quos corrigit Bolotov, p. 88-89.

bis : *ex Patre procedit*, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, si voces ἐκπορευτῶς, ἐκπορεύεται sumantur in suo stricto sensu, ut termini technici, quia Filius revera non est neque principium seu causa, neque *concausa* (συναίτιος) existentiæ Spiritus Sancti; sed, si causa non est, *est conditio necessaria, conditio sine qua non* hujus existentiæ, ita ut Spiritus Sanctus non procedat a Patre nisi præintellecto Filio generato; seu dici potest *Spiritum procedere a Patre jam possidente Filium* (ὑπάρχοντος, ὑφεστῶτος τοῦ Υἱοῦ, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον), sicut halitus procedit per vocem, vel sicut solaris radius per vitrum apparet, effulget, elucet. Et in hunc sensum illa æterna effulgentia seu manifestatio Spiritus Sancti per Filium, ἔκλαμψις, ἔκφανσις αἰώνιος, de qua loquuntur quidam Patres, accipienda est. Filius quidem nihil *positive* confert ad constituendum Spiritum Sanctum in suo esse hypostatico, sed Spiritus *a Patre per Filium semper procedit.* Hæc ultima formula significat processionem Spiritus consideratam in *actu primo* seu *in fieri.* Ubi vero eadem processio consideratur in *facto esse*, exprimitur hac formula : *A Patre procedit et in Filio quiescit*, καὶ ἐν τῷ Υἱῷ ἀναπαύεται [1].

Ergo Bolotov a dictione διὰ τοῦ Υἱοῦ excludit omnem significationem causalem proprie dictam; fateri tamen cogitur hanc interpretationem probari non posse testimoniis *positivis* Patrum græcorum, sed tantum *negative*, quatenus illorum quidam dicunt Patrem solum esse principium, μόνος αἴτιος ὁ Πατήρ, et eorum nullus expresse dixit Filium esse causam seu concausam (αἴτιος ἢ συναίτιος) Spiritus Sancti [2].

5º Spiritus Sanctus procedit a Patre solo, ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, si vox ἐκπορευτῶς stricto sensu sumatur. Sed pro, positio ista est solummodo *theologumenon, non dogma;* et hoc theologumenon, quod nulla synodus œcumenica sancivit-nullus Patrum expresse protulit [3], hunc auctoritatis gradum

1. *Theses 6 et 8*, p. 68-69. — *Præfatio ad theses*, p. 29-60.
2. *Thesis 8, Animadversiones*, p. 69, et *Præfatio*, p. 53-60. De Gregorio Nysseno dicit, p. 58 : « Ille haud semel omittit occasionem asserendi Filium esse *coprincipium* seu *cofontem* Spiritus Sancti. Tale silentium haud parvum habet momentum, nec omni caret vi probativa. »
3. Si nullus Patrum hoc dixit, ergo juxta ipsius Bolotovi definitiones, positio ista non est *theologumenon* veri nominis, sed mera opinio theologica. Hoc tamen fateri non est ausus, ne Photianorum aures durius offenderet.

non obtinet, quo theologumenon διὰ τοῦ Υἱοῦ gaudet. Hanc thesim probat Bolotov tum Patrum silentio, qui nunquam dicunt *a Patre solo procedit*, vel : *solus a solo procedit*, tum testimonio librorum *symbolicorum* Ecclesiæ russicæ *(Confessionis orthodoxæ P. Moghilæ, Confessionis Dosithei, Cathechismi Philareti*, immo *Enchiridii theologiæ dogmaticæ Macarii Bulgakov, Professionis fidei episcopo ordinando recitandæ)* [1]. Nec dictio *a Patre solo* ita intelligenda est, ut excludatur sequens propositio, aut alia ei similis : *Spiritus procedit quidem a Patre solo, prodit vero per Filium*, ἐκ μόνου μὲν τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, δι' Υἱοῦ δὲ πρόεισιν [2].

6º Formula : *Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit*, prout a sancto Augustino explicata est et ab Ecclesia occidentali retinetur, est *theologumenon*, quod sane non eumdem sensum habet ac dictio græcorum Patrum *a Patre per Filium*, cum Occidentales, post Augustinum, habeant Filium ut cum Patre *spirantem* Spiritum Sanctum, quod nullus Græcorum ad verbum dixit; nec eadem auctoritate insignitur, qua theologumenon Orientalium διὰ τοῦ Υἱοῦ, a septima synodo approbatum. Attamen est theologumenon veri nominis, quod multi Occidentales longe ante Photium (saltem inde a sancto Augustino; opinari enim licet theologumenon occidentale, *ante Augustinum*, non fuisse nisi versionem parum accuratam illius διὰ τοῦ Υἱοῦ, et eumdem sensum prætulisse) tenuerunt ac docuerunt, quin ab Ecclesia orientali damnarentur et ab ejus communione segregarentur, quamvis aliqua reclamatio ex parte Orientis tempore Martini papæ audita fuerit. Unde mirum non est Occidentales ut depositum sacrum habere sententias suorum Patrum, quos et ipsa Ecclesia orientalis veneratur. Cæterum, quæstio de *Filioque* nec in negotio monachorum Hierosolymitanorum,

1. *Thesis 7*, p. 68-69; *Relatio de quæstione vetero-catholica*, p. 115-117. Hoc loco Bolotov præcipua Patrum græcorum testimonia subjicit, quibus revera probatur hos Patres dogma catholicum docuisse, præsertim testimonia Athanasii, Cyrilli, Epiphanii, Anastasii Antiocheni, qui expresse dicit : Spiritus ex Filio existit, ἐξ αὐτοῦ ὑπάρχει.
2. *Animadversiones in thesim 7*, p. 69.

quod sæculo IX ineunte, Leone papa III sedente, accidit, nec Photii tempore, discidii Ecclesiarum causa fuit. Photius ejusque successores cum Ecclesia occidentali communionem servaverunt, quin ab ea reciperent, immo, ut videtur, quin ab ea exigerent explicitam renuntiationem formulæ hujusmodi. Unde hæc quæstio nec causa exstitit separationis Ecclesiarum, nec haberi potest tanquam *impedimentum dirimens* instaurationis communionis inter Ecclesiam orthodoxam orientalem et Ecclesiam vetero-catholicam [1].

His positionibus Bolotov pleraque evertit argumenta, quibus polemistæ photiani per sæculorum decursum usi sunt ad impugnandam doctrinam catholicam. Ipsius operis Photii *De mystagogia Spiritus Sancti* inscripti censuram agit in *Relatione de quæstione vetero-catholica*, ubi sequentia notat :

1° Photius in vanum conatur ostendere doctrinam voce *Filioque* expressam esse hæresim veri nominis, processionemque Spiritus Sancti a Patre solo esse dogma universalis Ecclesiæ. Eo tempore enim quo suum opus conscripsit, præ manibus non habebat, ut ipse fatetur, volumina Patrum; unde et de formula Græcorum *a Patre per Filium* penitus tacet. Nec traditionem latinam ejusque per totum Occidentem diffusionem bene noverat; secus enim nec in dubium vocasset authenticitatem locorum Patrum latinorum de processione a Patre et Filio, nec gratis affirmasset Patres illos ita locutos fuisse propter particulares circumstantias vel aliqua dispensatione seu *œconomia* utendo;

2° Prohibitio conciliorum œcumenicorum circa additiones ad symbolum non eum habet sensum, quem Photius ei tribuit. Cæterum, nec Photius, nec Leo papa III provocant ad decretum ephesinum, ut additiones interdicant; et merito quidem, cum ephesina synodus non de symbolo Constantinopolitano, sed de Nicæno loquatur, ejusque decretum respiciat tantum expositiones fidei symbolo Nicæno contrarias.

3° Contra doctrinam Occidentalium urgeri non potest criminatio Theodoreti in Cyrillum Alexandrinum. Theodoretus enim, ubi negat Spiritum Sanctum suam existentiam habere

1. *Theses 9-27*, p. 70-73; *Epistola ad Antonium archiepiscopum*, p. 74-78; *Relatio de quæstione vetero-catholica*, p. 116-122, 131-136.

vel *ex Filio*, vel *per Filium*, ὡς ἐξ Υἱοῦ, ἢ δι' Υἱοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, ad macedonianam hæresim alludit, ut colligere est ex iis, quæ alibi dicit [1].

4° Positio eorum qui asserunt Joannem papam VIII doctrinam de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio non tenuisse, vel eam condemnasse, omni fundamento caret [2].

Hæc theologus russus, cujus theses a doctrinæ catholicæ integritate longe sane distant, a positionibus vero consuetis theologorum photianorum longius adhuc recedunt atque in confitenda veritate historica, omnibus qui partium studio non indulgent manifesta, notabilem progressum arguunt. Cæterum Bolotov nullo modo demonstrat suas de doctrina Patrum hypotheses circa significationem utriusque formulæ : *a Patre et Filio* et : *a Patre per Filium*. Ex ejus *ad archiepiscopum Antonium epistola* concludere fas est eum non dictis Patrum coactum, sed de industria voluisse quacumque ratione invenire differentiam significationis inter *theologumenon* Orientalium et *theologumenon Occidentalium*, « ne boni catholici, jesuitæ e tutti quanti » faciliorem contra Photianos triumphum agerent, illis opponendo dictiones ex libris liturgicis Græcorum venatione captas : *Spiritus Filii — per Filium — Spiritum meum et Patris mitto*, etc. [3]

IV. — Controversia inter theologos russos circa theses Bolotovi [4].

Ubi theses Bolotovi, cujus nomen adhuc ignorabatur, in Russia innotuerunt, magnam ibi procellam excitarunt. Theo-

1. Cf. *Comment. in Epist. ad Romanos*, c. VIII, 10-11 : « Τὸ γὰρ πανάγιον Πνεῦμα καὶ Θεοῦ προσηγόρευσε καὶ Χριστοῦ, οὐκ ἐπειδή, κατὰ τοὺς δυσωνύμους αἱρετικούς, ἐκ τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ Υἱοῦ δεδημιούργηται, ἀλλ' ἐπειδὴ ὁμοούσιόν ἐστι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ. » *P. G.*, t. LXXXII, col. 132.

2. *Relatio de quæstione vetero-catholica*, p. 122-138.

3. *Epistola ad Antonium archiepiscopum*, p. 77-78. Nota Bolotovum primatui Romani Pontificis fuisse infensissimum, quamvis in suis *Prælectionibus historiæ veteris Ecclesiæ*, 4 vol., Petropoli, 1907-1918, sincere referat doctrinam Leonis Magni aliorumque romanorum Pontificum de privilegiis romanæ Sedis.

4. Hæc controversia innumeras dissertationes, articulos, responsiones in diversis commentariis russicis ecclesiasticæ indolis editas parturivit. Brevem illius conspectum conscripsit A. Brilliantov in *Introductione ad opuscula Bolotovi de « Filioque »*, *op. cit.*, p. 1-27. Præcipuas dissertationes in hac sectione indicamus.

logi russi in duas factiones invicem adversas mox divisi sunt, factionem scilicet eorum qui theologiæ classicæ, id est photianæ, addicti erant, et factionem amicorum Veterum catholicorum, qui unionem Ecclesiæ russicæ cum ipsis totis votis expetebant. De Photianis primum sermonem faciamus.

Jam ante thesium Bolotovi vulgationem, professor A. L. Katanskii, qui, ut diximus, una cum ipso Bolotovo et archiepiscopo Antonio illius subcommissionis membrum erat, quæ de doctrina publica Ecclesiæ russicæ circa processionem Spiritus Sancti deliberatura erat, ut responsum daretur Veteribus catholicis, in *Lectione christiana* dissertationem de processione Spiritus Sancti ediderat, in qua thesim photianam suo modo explanaverat Patrumque græcorum testimoniis firmare tentaverat. Ejus positio sic breviter contrahi potest :

In quæstione de processione Spiritus Sancti, Oriens a sacræ Scripturæ dictis totus pendet, Occidens vero una cum Augustino philosophicis speculationibus indulsit. Primus suum de Trinitate conceptum comparatione de voce et halitu exprimit; alter ad comparationem augustinianam de cognitione et amore recurrit. Personarum divinarum ordo, prout in Evangelio refertur, ad operationes Trinitatis ad extra seu ad missionem temporalem relativus est, nec ad vitam Dei immanentem transferi potest, quin eo ipso labefactetur æternitas Filii et Spiritus Sancti. Etenim nulla *antecessio logica* Filii respectu Spiritus Sancti concipi potest absque aliqua præcedentia chronologica. Antecessionem logicam in præcedentia temporali non fundata implicat. Ab æterno existunt quidem speciales relationes inter Filium et Spiritum Sanctum, at *non in linea existentiæ*, sed ad eorum manifestationem in creaturis. Spiritus Sanctus per Verbum manifestatur in creaturis, et in hoc sensu dicunt Orientales : Spiritus per Filium procedit, scilicet *pro mundo*. Manifestatur enim et cognoscitur *per Filium* et *post Filium* [1].

Statim ut Bolotovi theses publicatæ sunt, A. Th. Goussev († 8 jul. 1904), Academiæ Kazanensis professor, doctrinam in eis expressam vehementer impugnavit in *Responsione ad*

1. Katanskii, *Ob iskhogdeniia sv. Dukha (Po povodu starokat. voprossu)*, in *Khristianskoe Tchtenie*, t. I, 1893, p. 401-425.

Veterem catholicum Michaud de « Filioque » et transsubstantiatione, quæ in commentario *Viera i razum* (1898-1899) edita est [1]. Cum autem et Alexander Kireev et ipse Bolotov ei respondissent, in eos durioribus verbis invectus est in nova dissertatione inscripta : *Fraudulenta obstinatio in defendendo « Filioque » et neganda transsubstantiatione*, apertæ heterodoxiæ eos insimulans [2]. Paulo post, rogante J. Yanychev, qui, ut videtur, Bolotovo secreto suffragabatur, Goussev totam suam doctrinam de quæstionibus ad Veteres catholicos spectantibus thesibus quinquaginta sex complexus est, quæ in commentario *Pravoslavnyi Sobiesiednik* editæ sunt [3]. In eodem commentario, anno 1903, item publicavit *Responsum* ad episcopum Veterum catholicorum Beber nuncupatum [4], qui ejus thesim censuram egerat in *Revue internationale de théologie* [5]. Demum, cum jam e vita cessisset, ejus *Ultima verba de vetero-catholicismo ejusque apologetis russis* publici juris fecerunt commentarii *Pravoslavnyi Sobiesiednik* redactores [6].

Doctrina professoris Goussev a rigido photianismo vix differt. Ejus præcipuæ theses sunt sequentes :

1° Processio Spiritus Sancti *a Patre solo* est verum dogma Ecclesiæ græco-russicæ, non novum sed ab antiqua Ecclesia indivisa creditum. Quemadmodum hæc propositio : « Filius *a Patre solo* generatur » est verum Ecclesiæ dogma, quamvis a nullo concilio œcumenico unquam fuerit definitum, ita et hæc altera propositio : « Spiritus Sanctus *a solo Patre proce-*

1. *Viera i razum*, 1898, n. 24, et 1899, n. 1-4.
2. *Viera i razum*, 1900, n. 9-14.
3. *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, t. I, 1901, p. 3-39; *Tezissy po voprossu o Filioque i pressuchtchesvlenii. Theses 6-25*, p. 6-20, ad processionem Spiritus Sancti referuntur. Auctor haud semel aperte alludit ad theses Bolotovi illisque suas opponit.
4. *Starokatoliceskii otviet na nachi tezissy po voprossu o Filioque i pressuchtchestvlenii (Responsio vetero-catholica ad nostras theses de « Filioque » et transsubstantiatione)*, *Pravosl. Sob.*, t. I, 1903, n. 1-5.
5. Beber, *Nochmals zur Verständigung*, *Revue internationale de théologie*, 1902, n. 37-39. Hujus responsionis versio russica edita est in commentario *Tserokvnyi Viestnik*, 1902, n. 32-34.
6. *Posliednee nache slovo o starokatolicestvie i ego russkikh apologhetakh*, in *Provosl. Sob.*, t. I, 1904, p. 559-607, 693-726.

dit » est verum dogma, etsi a conciliis œcumenicis ad verbum non fuerit definitum. Quidam Patres, inter quos sanctus Epiphanius, *expresse* docuerunt Spiritum Sanctum a solo Patre procedere [1].

2º Filius nullam habet partem in processione æterna Spiritus Sancti, ut constat tum ex sacra Scriptura, in qua nullum apparet indicium participationis Filii ad hanc processionem; tum ex Patribus, quorum nullus, excepto *forsitan* Augustino (exceptis etiam *certe* quibusdam Occidentalibus post Augustinum, quibus Orientales, teste Maximo, aliquando reclamaverunt) docuit doctrinam in « Filioque » expressam, si eorum textus a contextu non separentur.

3º Formula Græcorum « a Patre *per Filium* procedit » aliquando vertenda est in *cum Filio*, vel: *simul cum Filio* (= σύν, ἅμα); aliquando vero præpositio *per* (διά) designat operationem vivificam Filii et Spiritus Sancti, *quatenus ab æterno mundum respicit*, necnon missionem temporalem Spiritus per Filium. Filius Dei enim, qua *Agnus Dei ab æterno occisus* (cf. Apoc., XIII, 8), a Patre accepit jus sui generis mittendi Spiritum propter merita suæ redemptionis. In hoc sensu quidam Patres dixerunt Filium esse fontem Spiritus Sancti.

4º Formula latina *a Patre Filioque*, quocumque modo intelligatur, sive in sensu Latinorum, qui docent Patrem et Filium simul sumptos unum esse principium Spiritus Sancti, sive in terminologia Veterum catholicorum, qui Filium vocarunt causam secundariam seu *coprincipium* Spiritus Sancti, dualitatem principii in Trinitatem necessario invehit.

1. Alludit ad locum Epiphanii in *Ancorato*, 2, *P. G.*, t. XLIII, col. 20 D, ubi legitur : Ἀλλὰ μόνος ἀληθινὸς Θεός, ἐπειδὴ μόνος ἐκ μόνου ὁ μονογενής, καὶ μόνον τὸ μόνον τὸ ἅγιον Πνεῦμα; in editione vero critica a K. Holl parata, p. 8, τὸ μόνον expunctum est. Goussev et alii recentes Russi, post Zernikavium, voluerunt referre verba: καὶ μόνον τὸ ἅγιον Πνεῦμα ad ἐκ μόνου, dum ἐκ μόνου respicit tantum τὸν μονογενήν. Revera inter utramque propositionem a Goussev post quosdam antiquos polemistas prolatam — non enim illius est adinventio — hæc intercedit differentia: quod generationem Filii a Patre solo multi Patres *ad verbum* docent, dum eorum nullus de Spiritu simpliciter dixit : *A Patre solo procedit.* Sancti Epiphanii sententia bene nota de processione Spiritus Sancti ab utroque debuisset utique Goussev et alios munire contra falsam Zernikavii interpretationem.

5º Etiamsi Filius dicatur tantum *conditio sine qua non* existentiæ Spiritus Sancti, aliquo modo tamen remanet causa ejus. Dicere autem Filium *prioritate logica* præcedere ab æterno Spiritum Sanctum coæternitatem et consubstantialitatem personarum divinarum evertit. *Præcedentia enim logica in præcedentia chronologica haud fundata est merum phantasiæ figmentum.* Qui antecessionem hujusmodi admittunt in quamdam arianismi formam sui generis incidunt [1].

6º Ordo personarum divinarum, prout in Evangelio refertur, solummodo respicit earum ad extra revelationem et manifestationem; nullo pacto vero nos edocet ordinem immanentem vitæ divinæ et processionum æternarum.

Alius theologus russus photianæ partis, V.-A. Kerenskii, easdem fere positiones ac Th. Gussev in non paucis articulis et opusculis tuitus est in *Pravoslavnyi Sobiesiednik* [2], in *Khristianskoe-Tchtenie* [3], *Strannik* [4], et *Viera i Razum* [5] editis. Primum quidem, nempe anno 1897, Veteribus catholicis concesserat quod quidam Patres orientales, v. g., Origenes et Didymus, illud *per Filium* intellexerant de causali dependentia Spiritus Sancti a Filio [6]. Postea etiam admisit Bolotovi theses : secundam (= Illud διὰ τοῦ Υἱοῦ est theologumenon œcumenicæ auctoritatis), tertiam (= Illud διὰ τοῦ Υἱοῦ apud Patres non potest semper intelligi de sola missione temporali) et vicesimam septimam (= Illud *Filioque*, utpote sententa privata theologica, non potest haberi tanquam impedimentum dirimens ad instaurandam unionem

1. Goussev interrogare quis possit de indole prioritatis inter Patrem et Filium existentis, quam nemo negare potest.
2. *De quæstione vetero-catholica. Responsio episcopo vetero-catholico Weber*, in *Pravosl. Sob.*, t. II, 1897, p. 495 sq.
3. *Krist. Tchtenie*, t. II, 1904, p. 113-128, 387-409 : *De quæstione vetero-catholica ; occasione responsi Alexandri Kireev.*
4. *Strannik*, 1906, t. I et II : *Vetero-catolicismus a P. Ia. Svietlov defensus.* Hæc dissertatio seorsim edita est.
5. *Viera i razum*, 1909, n. 13-18, 22 et 24, speciatim n. 13-16. Dissertatio separatim edita, Kharkoviæ, 1910, sub titulo : *Quid separavit et separat Ecclesiam orientalem orthodoxam ab Ecclesia occidentali vetero-catholica* (p. 9-70 : *De processione Spiritus Sancti*).
6. *Prav. Sob.*, t. II, 1897, p. 495.

inter Ecclesiam orthodoxam orientalem et Ecclesiam vetero-catholicam[1]). Nullo tamen pacto thesi de processione a Patre solo meram theologumeni auctoritatem tribuere consensit; nec impetere dubitavit ac pugnantes inter se declarare tres Commissionis synodalis pro quæstione vetero-catholica responsiones, de quibus mox agemus[2]. Ut autem probaret formulam *a Patre solo* apud Patres occurrere, ad textus quosdam Epiphanii[3], Gregorii Nysseni[4] et Michaelis Syncelli[5] provocavit, quos jam laudaverat Zernikavius.

Contra Gussev et Kerenskii doctrinam in thesibus Bolotovi expressam tuiti sunt tum A. Kireev et P. Svietlov, tum ipse Bolotov in quadam epistola ad redactorem commentari *Revue internationale de théologie* missam, in qua, tacito proprio nomine, hæc inter alia adversus theologos scholæ Gussevi proferebat :

1. *Khristianskoe Tchtenie*, t. II, 1904, p. 391.
2. *Viera i razum*, 1909, n. 13-15.
3. Agitur de loco supra memorato, p. 480, n. 1.
4. Agitur de hoc loco ex opere inscripto : Πρὸς Ἕλληνας, ἐκ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν : « Ἓν γὰρ καὶ τὸ αὐτὸ πρόσωπον τοῦ Πατρός, ἐξ οὗ ὁ Υἱὸς γεννᾶται καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκπορεύεται », *P. G.*, t. XLV, col. 180. Vides Gregorium simpliciter affirmare Filium et Spiritum Sanctum ex Patre procedere seu oriri, nec inde aliquid certo colligi posse pro processione Spiritus Sancti a Patre solo.
5. In *Vita Dionysii Areopagitæ*, *P. G.*, t. IV, col. 640 B, hæc habet Michael Syncellus, qui sæculo IX ineunte florebat : « τοῦ δ' αὖ Πνεύματος ἐξ αὐτοῦ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορευομένου καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ προϊόντος, καὶ τοῖς ἀνθρώποις πεφηνότος. » Ita fert lectio emendata, dum apud Zernikavium, *op. cit.*, ed. E. Bulgaris, t. I, tr. I, p. 144, locus sic se habet : « τοῦ δὲ ἁγίου Πνεύματος ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς ἐκπορευομένου καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐξιόντος, καὶ τοῖς ἀνθρώποις φανερωθέντος. » Auctoritatem Michaelis Syncelli recusavit P. Svietlov, *Starokatoliceskii vopros v dukhovnoi peçati za 1904 god (Quæstio vetero-catholica in litteratura ecclesiastica anni 1904)*, in commentario *Bogoslovskii Viestnik*, t. I, 1905, p. 326-330, quod Michael vixit exorta jam controversia de processione Spiritus Sancti, ea scilicet quæ Hierosolymis inter monachos latinos Montis Oliveti et Græcos anno 808 erupit. Verum in verbis Michaelis nihil habes quod in bonum sensum accipi non possit. Nihil enim profert ille præter id quod Damascenus docet, scilicet Spiritum Sanctum *ex* Filio μὴ ἐκπορεύεσθαι, attamen *per Filium procedere* seu *exire* et hominibus apparere. Unde æquivalenter repetit Syncellus formulam Damasceni : παρὰ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται — Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ οὐ λέγομεν.

« M. Gousseff et les théologiens de son école ont le grand tort non seulement d'identifier leurs idées avec celles de l'Église entière, mais encore d'accuser d'infidélité vis-à-vis de l'Église et de trahison tous ceux qui se permettent d'avoir des idées différentes des leurs. « Tout ce que nous avons dit « et tout ce que nous disons sur le *Filioque* et la transsubstan- « tiation, affirment ces messieurs, *doit* être affirmé et répété « par tous les orthodoxes, s'ils connaissent la doctrine de leur « Église et s'ils ne veulent pas être des traîtres à leur foi. » Non; c'est le contraire qui est vrai; ce sont ces messieurs qui, en voulant *per fas et nefas* donner raison au particulier, au local et au temporaire contre le général, l'universel et l'éternel dans l'Église, ce sont eux, dis-je, qui tombent dans l'erreur et qui sont infidèles à l'Église universelle et à la vérité[1]. »

Alexander Kireev vero positionem Bolotovi, ante et post ejus mortem, acriter ac indefesse defendit in pluribus articulis in commentariis *Khris. Tchtenie*, *Tserkovnyi Viestnik* et *Bogoslovskii Viestnik* publicatis[2]. Idem fecit P. Svietlov[3], qui et ultra Bolotovum progressus, nullam ponere videtur differentiam substantialem inter theologumenon orientale : *a Patre per Filium*, et theologumenum occidentale : *a Patre Filioque*, quantum ad utriusque significationem. Scribit enim in suo opere : *Doctrina christianæ fidei apologetice exposita :*

« Defectio [Ecclesiæ romanæ], quantum ad doctrinam de processione Spiritus Sancti *et a Filio (vel per Filium)*, revocanda esset, quia theologo russo turpe est pro hæresi adhuc habere illud *Filioque*, postquam contentionibus quæ inter duas factiones oppositas de quæstione vetero-catholica peni-

1. *Revue internationale de théologie*, 1899, p. 585. Hanc epistolam, sicut et suas theses sine nomine dedit Bolotov ne censuræ ecclesiasticæ rigorem in se concitaret.
2. *Khrist. Tcht.*, t. I, 1899, p. 100; *Tserk. Viestnik*, 1903, n. 26-28, sub titulo : *Veteres catholici et Ecclesia universalis; Bogoslov. Viest.*, t. I, 1904, p. 522-545 : *Responsio professori V. A. Kerenskii*, t. III, 1908 : *Præsens status quæstionis vetero-catholicæ*. Hos omnes articulos in unum collectos cum quibusdam mutationibus invenies in t. I *Operum Kireevi*, ed. D. N. Iakchitch, Petropoli, 1912.
3. P. Svietlov, *Gdie vselenskaia Tserkov? (Ubinam est Ecclesia universalis?)*, Serghiev Possad, 1905, p. 20, 52-56, ex *Bogos. Viestnik*, 1905, t. I et II; item in *Bogosl. Viest.*, t. II, 1903, et t. I, 1904.

tus habitæ sunt, in plenam lucem prodivit factum existentiæ hujusmodi doctrinæ, *qua piæ sententiæ theologicæ*, apud multos Patres ac Ecclesiæ doctores tum in Occidente, tum in Oriente, v. g., apud Tertullianum, Athanasium Magnum, beatum Augustinum, Epiphanium Cyprium, Didymum, Ambrosium Mediolanensem, Gregorium Nyssenum, Cyrillum Alexandrinum, Joannem Damascenum... Discrepantia Ecclesiarum circa *Filioque*, sicut et lis de azymis, fuit tantum prætextus, non causa separationis Ecclesiarum. Vera separationis causa exstitit contentio præsulum Ecclesiarum de papalibus primatus expostulationibus [1]. »

Alexandro Kireev et P. Svietolovo consentiebant alii, ut A. Brilliantov, J. L. Yanychev [2]; immo ipsa Commissio synodalis pro quæstione vetero-catholica non positionem Gussevi et Kerenskii, sed summam thesium Bolotovi ultimo amplexa est, ut ex nunc dicendis patebit.

V. — Publicæ responsiones Commissionis synodalis russicæ pro quæstione vetero-catholica examinanda constitutæ.

Supradicta Commissio synodalis tres dedit publicas responsiones de fide Ecclesiæ russicæ circa processionem Spiritus Sancti, ex quibus constat illam gradatim pervenisse ad positionem Bolotovi et tritis positionibus photianismi classici valedixisse.

Prima responsio, quæ anno 1893, die 23 februarii, data est, his tribus articulis constabat :

« 1º Credimus Patrem esse causam Filii et Spiritus : Filii per generationem, Spiritus Sancti per processionem. Pater generat Filium et emittit Spiritum Sanctum. Filius generatur ex Patre, et Spiritus Sanctus procedit ex Patre. Et ita veneramur unum principium et confitemur Patrem unam causam Filii et Spiritus *(Ex officio confessionis et promissionis episcopalis)*.

1. *Khristianskoe Vieroucenie v apologheticeskom izlogenii*, ed. 3, Kioviæ, 1910, p. 188-189; cf. p. VIII-IX.

2. Cf. ejus opus : *Novyia offitsialnyia i drughia dannyia dlia sugdeniia o vierie starokatolikov* (*Nova publica et alia documenta de fide Veterum catholicorum exploranda*, Petropoli, 1902).

« 2º In theologicis speculationibus vitamus cujuscumque generis conceptum et expressionem, vi cujus aliquatenus admitterentur in sancta Trinitate duæ causæ seu duo principia, quamvis ista secundum unam eamdemque significationem acciperentur, v. g., si Filius haberetur ut principium secundarium, vel causa secundaria Spiritus Sancti [1]; vel item si Pater et Filius conciperentur *ut in unum principium adunati ad producendum Spiritum Sanctum.*

« 3º Speculationi ac investigationi theologorum proponimus explicationem sententiæ apud quosdam Patres et doctores Ecclesiæ occurrentis de effulgentia Spiritus Sancti per Filium (τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς δι'Υἱοῦ φανεροῦται, ἢ ἐκλάμπει, ἢ πρόεισιν, ἢ ἐκπορεύεται), utrum scilicet hæc ex Patre per Filium effulgentia referatur tantum ad missionem temporalem Spiritus Sancti in mundum, ad beatificandas creaturas, an possit etiam concipi in vita æterna divinitatis [2]. »

Vides Commissionem jam dubiam hærere de significatione dictionis διὰ τοῦ Υἱοῦ, et aliquam propensionem manifestare ad illam referendam ad vitam Dei immanentem; quod est jam a photianismo classico aliquatenus deflectere.

In secunda responsione, anno 1897, die 8 augusti data, eadem fere leguntur ac in prima. Expressius tamen rejicitur dictio a Veteribus catholicis usurpata de Filio ut *causa secundaria* vel *concausa* (συναίτιος) Spiritus Sancti, quia, nedum ad elucidandum dogma sanctæ Trinitatis aliquid conferat, labefactat potius doctrinam de principio unico seu unica causa in Trinitate, paternitatem quadamtenus miscens cum filiatione, et quartæ propositioni in Collatione Bonnensi anni 1875 communiter receptæ contradicens : « Omnem reji-« cimus conceptionem vel expressionem, in qua continetur « acceptio duorum principiorum et duarum causarum in « sancta Trinitate. » Item Commissio adhuc manifestius significat se proclivem esse ad intelligendam dictionem patristicam διὰ τοῦ Υἱοῦ de aliquo momento æterno vitæ

1. Alluditur hic ad loquendi modum a veteribus catholicis usurpatum, quem etiam invenimus (saltem vocem συναίτιος) apud quosdam theologos byzantinos unitos.

2. Hujus responsionis textum russicum dat A. Brilliantov, *K voprossu o Filioque* (ed. opusc. Bolotovi), Petropoli, 1914, p. 3, n. 2.

divinitatis, exclusa tamen quacumque significatione, ex qua sequeretur Spiritum Sanctum suam existentiam etiam a Filio, et non a Patre solo, accipere.

« Theologorum examini, inquit, proponimus, ut conceptus de exsplendescentia, manifestatione, etc., Spiritus Sancti per Filium apud Patres et doctores occurrens etiam ad vitam æternam Trinitatis referatur, non quidem hujusmodi ἔκλαμψιν interpretantes de communicatione existentiæ (ὕπαρξις) quæ apud Patres et doctores ut non a Filio, sed a Patre dependens ponitur, sed sistentes intra limites doctrinæ Revelationis de æternitate vitæ trinitariæ necnon de *æterna præfinitione creationis mundi et dispensationis salutis cum participatione trium personarum Trinitatis* [1]. »

Horum ultimorum verborum ambiguitatem et obscuritatem mirare, quæ in tertia responsione, anno 1907, die 6/19 julii ad Veteres catholicos directa, in sensum thesium Bolotovi tandem elucidantur. Hujus enim responsionis tertius articulus sic concipitur :

« Orientales etiam nunc existimant appellationem *causa secundaria Spiritus Sancti* Filio tributam admitti non posse quantum ad vitam intimam divinitatis, quatenus proprietatem hypostaticam Patris ad Filium aliquo modo transfert, nec cum doctrina de Patre, quatenus est sola causa Filii et Spiritus, congruit. *Bene vero Orientales admittunt Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere*, huic dictioni eam significationem tribuentes, *qua Filius exhibetur ut mera conditio (uslovie), non vero ut causa producens seu emittens Spiritum Sanctum in ejus esse hypostatico* [2]. »

Addit Commissio hanc doctrinam tribus primis thesibus ex sancto Joanne Damasceno sumptis et a Veteribus catholicis in Collatione Bonnensi anni 1875 receptis esse plane consonam [3]; postea subjicit.

« Art. IV. Theologi orientales venerantur quidem Patres ad quos provocant Veteres catholici in sua ultima responsione; existimant tamen post illum theologum russum, cujus

1. Hanc secundam responsionem refert *Tserkovnyi Viestnik*, 1897, n. 39, col. 1256-1257.
2. *Bogoslovskii Viestnik*, t. III, 1908, p. 428.
3. Cf. supra, p. 464.

explicationes laudant ipsi Veteres catholici [nempe Bolotov], oportere differentiam ponere inter doctrinam Augustini et doctrinam aliorum Patrum, in quantum isti ab Augustino non dependent.

« A. V. Doctrina de unica spiratione seu de *Filioque* augustiniano, auctoritate privata Augustini potissimum innixa, *philosophumenon* indolis rationalis potius videtur esse quam *theologumenon* in positivæ revelationis documentis radicatum, ut dicit Langen, *Die Trinitar. Lehre in Bonns-Conf.*, Bonnæ, 1876. Hanc sententiam, prout ab Augustino exponitur, non docuerunt Orientales. Occidentales vero sub Augustini influxu eam receperunt. Et quamvis Ecclesiæ indivisæ tempore, ab Ecclesia orientali nunquam rejecta fuerit, attamen orientalis Ecclesiæ auctores eam in sensu orientalis dictionis διὰ τοῦ Υἱοῦ interpretari haud impossibile duxerunt, ut exemplo patet epistolæ Maximi ad Marinum.

« A. VI. Theologumenon œcumenice probatum Orientis orthodoxi fuit illa propositio : *Spiritus Sanctus* ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, et ad Augustinum usque dictio in Occidente usurpata, utpote dictionis διὰ τοῦ Υἱοῦ versio parum accurata, eamdem significationem generatim præferebat. Sancti Cyrilli dicta in responsione Veterum catholicorum prolata theologumeni orientalis limites haud prætergrediuntur.

« A. VII. Extra controversiam est quæstionem de *Filioque* separationem utriusque Ecclesiæ, orientalis et occidentalis, non genuisse, atque de hoc etiam conveniendum est, quod in notis circumstantiis illud *Filioque*, qua opinio theologica privata, haberi non possit ut momentum præferens impedimenti dirimentis ad instaurandam communionem inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam vetero-catholicam. Attamen simul timendum est ne inducat ad ponendum duplex principium in Trinitate, si ejus rigorosæ consequentiæ accipiantur, vel si plus minusve ad sensum theologumeni orientalis non vertatur; hoc autem esset ipsam dogmatis de Trinitate essentiam attingere. Unde, ut videtur, nonnisi cum quibusdam exceptionibus hæc sententia recipi debet. Nemo infitias ire potest doctrinam augustinianam in se non continere præmissas ad talem conclusionem: atque, integra

manente reverentia qua Augustinum prosequimur, quærendi adest locus utrum hujusmodi doctrina quadamtenus emendanda non sit ad sensum conceptus orientalis, ut ad veritatem propius accedamus, sicut hoc necessario faciendum est, v. g., circa ejusdem Augustini doctrinam de prædestinatione, vel circa doctrinam quorumdam sanctorum in Oriente liturgico cultu honoratorum de potestate papali, v. g. Leonis I et Gregorii Dialogi.

« A. VIII. Optandum est, ut Veteres catholici dictioni : *causa secundaria Spiritus Sancti* valedicant. Ducuntne possibilem congruentiam doctrinæ Augustini de spiratione unica Patris et Filii (ex qua oriuntur duo principia) cum positione in Collatione Bonnensi a Veteribus catholicis recepta de duobus principiis rejiciendis [1]. »

Ergo post tantam contentionem inter traditionalis photianismi asseclas et Bolotovi discipulos, Commissio synodalis pro Bolotovi thesibus suffragium tandem tulit, dictionemque διὰ τοῦ Υἱοῦ de conditione sine qua non existentiæ Spiritus Sancti interpretata est, illud ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς inter theologumena inferioris notæ implicite rejiciens, *Filioque* vero ad theologumeni dignitatem explicite promovens, post theologumenon orientale διὰ τοῦ Υἱοῦ ei locum assignans. Longe sane jam sumus a polemicæ antilatinæ positionibus per sæculorum decursum et nostris adhuc diebus a plerisque tam acriter propugnatis.

VI. — De recentibus theologis russis qui Patrum consensum circa dogmatis catholici substantiam prædicaverunt.

Aliquanto longius progressi sunt aliqui theologi russi, qui repagula inter utrumque theologumenon, occidentale scilicet et orientale, a Bolotovo excogitata prorsus arbitraria esse haud ægre detexerunt, inter quos jam supra nominavimus archipresbyterum P. Svietlov, ipsius verba referentes. Jam anno 1904, dum Photiani et Bolotovistæ acerrime inter se pugnabant, Petrus Leporskii confessus fuerat nullam

1. *Bogoslovskii Viestnik, loc. cit.*, p. 428-431. Documentum subscriptione firmarunt Sergius, Finniæ archiepiscopus, et theologus Vyborskii

adesse substantialem differentiam inter doctrinam Occidentalium de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio et doctrinam a Patribus græcis expressam per formulam *a Patre per Filium*. In sua enim dissertatione *De articulis 39 Ecclesiæ anglicanæ*, postquam inter dogmaticas differentias Anglicanos ab Orthodoxis russis separantes, illam recensuit, quæ est de processione Spiritus Sancti, in quadam nota hæc addidit :

« Cæterum præ oculis habendum est occidentales theologos illi *Filioque* eumdem prorsus sensum tribuere, quem formulæ διὰ τοῦ Υἱοῦα pud multos orientalis Ecclesiæ Patres occurrenti agnoscunt, ita ut discrepantia inter orthodoxiam orientalem et confessiones occidentales de isto capite indolem amittat cujuscumque substantialis differentiæ [1]. »

Occasione itineris, quod plures episcopi anglicani anno 1911 per Russiam fecerunt, Petropoli constituta fuit quædam Societas zelatorum unionis cum Ecclesia anglicana, quæ die 17 januarii 1912 a Synodo Dirigente publice probata est. Porro, mense maio ejusdem anni, Pater F. V. Puller, Societatis anglicanæ S. Joannis Evangelistæ [2] religiosus, Eulogio Chelmensi archiepiscopo et Societatis zelatorum unionis præside invitante, quatuor habuit publicas collationes de doctrina Ecclesiæ anglicanæ in ipsa domo summi procuratoris Synodi, Sabler, diebus 3, 7, 9 et 11 maii. Præter has publicas collationes, Puller duo habuit colloquia cum theologis russis, Academiæ ecclesiasticæ Petropolitanæ professoribus et membris consilii Societatis zelatorum unionis, inter quos erant J.-J. Lodygenskii, J.-P. Sokolov, A. Brilliantov. Die 9 maii, colloquium circa processionem Spiritus Sancti versabatur in ipsa domo archiepiscopi Eulogii, qui aderat. A. Brilliantov interrogavit Puller de additione vocis *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum in Ecclesia anglicana recepta. Puller, postquam de professione fidei Tarasii in septima synodo œcumenica lecta et approbata mentionem fecit, declaravit Anglicanos unum tantum principium (ἀρχὴν) divinitatis agnoscere, Patrem scilicet, e quo procedunt

1. *De articulis 39 Ecclesiæ anglicanæ*, in *Khristianskoe Tchtenie*, t. II, 1904, p. 635, in nota.
2. Hæc Societas anno 1865 a Benson fundata est.

et Filius et Spiritus Sanctus; Filio tamen tribuere aliquam participationem seu mediatam cooperationem in æterna spiratione Spiritus Sancti, ita ut Spiritus Sanctus a Patre *per Filium* procedat, et sub hoc respectu verum sit quod Spiritus Sanctus *a Patre et Filio* procedat; unde Anglicanos formulam *a Patre Filioque procedit* habere ut respondentem, quoad sensum, formulæ *a Patre per Filium procedit.* Puller hæc locuto respondit A. Brilliantov hanc explicationem cum doctrina Ecclesiæ græco-russicæ plene congruere.

« Quod autem gravius est, ait commentarius *publicus* Synodi Dirigentis, cui titulus *Tserkovnyia Viedomosti (Nuntia ecclesiastica)*, archiepiscopus Eulogius, qui colloquio præerat, in fine theologo anglicano dixit : Licentiam tibi do publice declarandi in collatione, quam hodie habiturus es [1], colloquium hodie fuisse de processione Spiritus Sancti, et quidem omnes communiter agnovisse formulam, qua processio Spiritus Sancti olim edocebatur, non eamdem fuisse in Oriente et in Occidente; attamen, post datas explicationes, omnes ad hanc devenisse conclusionem, scilicet quod quantum ad veritatis summam seu substantiam, *utraque sententia in idem recidit* [2]. »

Licentia concessa Puller large usus est, et tum in Russia, tum præsertim in Anglia, ubi illuc reversus est, professoris Brilliantov et Eulogii archiepiscopi verba tum verbis, tum scriptis vulgavit [3]; et, quod omnino notandum est, commentarii ecclesiastici russici, imprimis *Tserkovnyia Viedomosti*, collationum de hac materia, quas Puller in Anglia habuit, relationes scripserunt, de industria, ut videtur, hanc novam theologorum russorum positionem omnibus notam facientes [4].

1. Revera post hoc cum professoribus Academiæ privatum colloquium, Puller, vespere diei 9 maii, publicam habuit collationem coram plus quam ducentis auditoribus de doctrina Ecclesiæ anglicanæ.

2. *Tserkovnyia Viedomosti*, 1912, n. 42 (20 octobris), p. 1707. Cf. commentarium *Tserkovnyi Viestnik*, 1912, n. 21, col. 644.

3. Cf. ejus opus, *The continuity of the Church of England*, Londini, 1912, p. IX-XV.

4. Cf. *Tserkovnyia Viedomosti*, 1913, n. 33 (17 aug. 1913), p. 1414; *Tserkovnyi Viestnik*, 1912, n. 31 (2 aug.), p. 977.

Inter hanc positionem et ultimam responsionem Commissionis synodalis pro quæstione vetero-catholica supra relatam perspicis differentiam, quam magna sit. Revera, anno 1912, theologi russi, cum haud dubia Synodi Dirigentis approbatione, veritatem decreti Florentini de consensu Patrum quum latinorum tum græcorum circa processionem Spiritus Sancti publice agnoverunt. Hoc autem facientes, Joannis Kronstadiensis, viri inter Russos nostri temporis fama sanctitatis ac miraculorum gloria celeberrimi († 1908) [1], exemplum secuti sunt. Joannes enim, in suo opere inscripto : *Mea vita in Christo*, processionem æternam Spiritus Sancti a Patre per Filium aperte profitetur :

« Verbum, inquit, in homine manifestat ejus cogitationes ac animi sensus; per verbum nobis innotescit spiritus ejus invisibilis, dominator, artifex, verboque ex spiritu seu cogitatione hominis generato halitus spiritus ejus illum manifestat. Hoc idem in Deo aliquatenus contingit. Verbum enim seu Sermo Dei nobis revelat Patrem, spiritum nempe supremum, totius creationis auctorem; *per Verbum autem ab æterno ex Patre procedit et nobis apparet Spiritus Sanctus, omnia vivificans* [2]. »

Item in alio loco ejusdem operis :

« Quando bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum (Luc., VI, 4), hoc repræsentat Spiritum Sanctum, *qui a Patre per Filium procedit* [3]. »

Juvat huic nostræ de hac sterili controversia historicæ adumbrationi his Joannis Kronstadiensis verbis finem imponere, postquam tot Photii discipulos audivimus diserte negantes quod sanctus Tarasius in septima synodo œcumenica, Patribus approbantibus, publice confessus fuerat, scilicet quod Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit.

1. Fama cæterum nimis aucta et, ad miracula quod attinet, non probata. Cf. t. IV nostri operis, p. 562-563.

2. *Moia gizn vo khristê*, t. I, Mosquæ, 1894, p. 109-110 : *tchrez Slovo ge vietchno iskhodit i iavliaetsia liudam ot Otsa Dukh sviatyi givoriachtchii.* Cf. A. Staerk, *Ma vie en Jésus-Christ par le Père Jean de Kronstadt*, ed. 2, t. II, Parisiis, 1902, p. 194.

3. *Op. cit.*, ed. russ., p. 298 : *to eto est obraz iskhogdeniia sv. Dukha ot otsa tchrez Syna.* Cf. Staerk, *op. cit.*, p. 196.

ARTICULUS VIII

De processione Spiritus Sancti ex libris liturgicis Græco-Russorum.

Sicut ex Patrum græcorum scriptis, ita et ex libris liturgicis Ecclesiæ byzantinæ duo certe probari possunt, scilicet : 1º Personam Spiritus Sancti, et non tantum ejus gratiam et dona, per Filium mitti et fidelibus communicari; quod est contra communem sententiam discipulorum Photii, inde præsertim a Gregorio Palama; 2º Spiritum Sanctum ab æterno procedere a Patre per Filium, quod ab iisdem communiter item negatur.

I. — Primum caput arguunt sequentia dicta, inter alia multa selecta :

1º In Dominica Pentecostes, ad vesperas, in prima oratione, quam intra sanctuarium alta voce recitat sacerdos, hic locus occurrit :

« Exaudi nos, Domine, in hac præsertim die Pentecostes, in qua postquam Dominus noster Jesus Christus ad cœlos ascendit, et ad dexteram tuam, Deus et Pater, consedit, in sanctos ejus discipulos et apostolos misit Spiritum Sanctum, *qui et super unumquemque eorum sedit, et omnes indeficiente ejus gratia repleti sunt* [1]. »

Hic clare ostenditur donum increatum, seu ipsa persona Spiritus Sancti, ut distinctum a dono creato, seu gratia.

2º Item in officio vespertino feriæ quintæ post Pentecosten legitur.

« Spiritus Sanctus, charismatum distributor, in terram advenit, non ut prius sub umbra legis in prophetis elucens, *sed Christi mediatione nobis nunc substantialiter datus est*... Spiritus Sanctus, fons omnis bonitatis, *substantialiter* descendit, ut terræ fines per apostolos cœlesti repleret fortitudine [2]. »

1. « Κατέπεμψε τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐπὶ τοὺς ἁγίους αὐτοῦ μαθητὰς καὶ ἀποστόλους · ὃ καὶ ἐκάθισεν ἐφ' ἕνα ἕκαστον αὐτῶν, καὶ ἐπλήσθησαν ἅπαντες τῆς ἀκενώτου χάριτος αὐτοῦ. »

2. « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ διαιροῦν τὰ χαρίσματα, ἐπὶ γῆς ἐπεδήμησεν, οὐχ ὥσπερ τὸ πρότερον τῇ σκιᾷ τοῦ νόμου λάμψαν ἐν προφήταις, οὐσιωδῶς δὲ νῦν ἡμῖν τῇ μεσιτείᾳ Χριστοῦ δεδώρηται... Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, πηγὴ πάσης ἀγαθότητος, οὐσιωδῶς ἐπεδήμησε, τῆς γῆς τὰ πέρατα οὐρανίου σθένους διὰ τῶν ἀποστόλων πληρῶσαι. »

Vides distinctionem inter personam Spiritus et ejus dona adhuc expressius hic significari, et tum illam, tum hæc per mediationem Filii nobis communicari.

II. — Ad processionem æternam Spiritus per Filium quod attinet, non uno loco hæc innuitur. In eodem officio vespertino feriæ quintæ post Pentecosten hæc habemus :

« Spiritus Sanctus est Deus; consubstantialis et consessor Patris et Filii agnoscitur, lumen præstantissimum, *quod e luce effulsit, ex perfecto Patre principio carente et per Filium procedens* [1]. »

Ibi certo agitur de processione æterna. Nota etiam verbum ἐκλάμπειν ad significandam processionem æternam usurpari; immo unitatem principii insinuari verbis : *Lumen e lumine effulgens*, quæ ex contextu tum Patrem, tum Filium respicere videntur; item præpositionem ἐκ Patri, præpositionem διά Filio reservari.

III. — Utrumque autem, et Spiritus Sancti, qua personæ, missionem, et æternam ipsius per Filium processionem simul significant hæc sancti Joannis Damasceni verba in canone *anastasimo*, qui in *Octoecho* legitur :

« Matris tuæ precibus, Christe, misericorditer concedas nobis Spiritum, *bonitatis largitorem, ex Patre per te procedentem* [2]. »

Notanda sunt etiam hæc verba officii vespertini feriæ quartæ post Pentecosten, quibus ὁ Θεανθρωπος, id est Filius Dei homo factus, ut fons æternus Spiritus Sancti depingitur :

« Fons æterne, fluvium ineffabilem bonitatis ab æterno

1. « Τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον Θεός, συμφυὲς καὶ σύνθρονον Πατρὶ καὶ Λόγῳ γνωρίζεται, φῶς ὑπερτέλειον ἐκ φωτὸς ἐκλάμψαν, ἐξ ἀνάρχου τελείου Πατρὸς καὶ δι' Υἱοῦ προερχόμενον. » Alia formula occurrit in officio Dominicæ Pentecostes, I Vesp. : « Τὸ παρακλητὸν Πνεῦμα, τὸ ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον καὶ ἐν Υἱῷ ἀναπαυόμενον : *qui ex Patre procedit et in Filio requiescit.* »

2. « Ἵλεως νέμοις ἡμῖν Πνεῦμα μεταδοτικὸν ἀγαθότητος, ἐκ Πατρὸς διὰ σοῦ προερχόμενον. » Ad hæc verba jam provocabat Nicephorus Blemmides, *Epist. ad Jacobum Bulgariæ*, § 23.

emanans, aquam vivam semper fluens et connaturaliter profundens, tuis [vel ejus] rivulis animam meam irriga [1]. »

Fluvius ineffabilis bonitatis, aqua viva, ex sacra Scriptura, est Spiritus Sanctus (cf. Joa., VII, 38; Apoc., XXII, 1).

Fatendum est tamen in hymnis *triadicis*, qui in *Octoecho* sub nomine Metrophanis Smyrnensis, Ignatii Constantinopolitani et Photii coætanei, veniunt, quædam occurrere quæ photiano diagrammati Trinitatis primo aspectu favere videntur. Ita in canone officii matutini Dominicæ, ad *echum II*, Pater dicitur « fons et radix, *tanquam causa*, divinitatis consubstantialis, quæ in Filio et in Spiritu Sancto est [2] ». Item in canone officii matutini Dominicæ, ad *echum III*, Filius et Spiritus Sanctus comparantur *duplici stipiti ex Patre tanquam radice germinanti*, et vocantur germina connaturalia ex Deo nascentia floresque æterni [3]. Hujusmodi dicta et comparationes, quæ a Dionysio hymnographus mutuatus est, nihil sane habent quod processioni Spiritus Sancti per Filium vel a Filio directe contradicat, atque ad significandam Filii et Spiritus Sancti consubstantialitatem adhibita fuisse videntur; possunt tamen in sensum heterodoxum facile detorqueri.

Ex libris liturgicis probari potest non solum verbum ἐκλάμπειν, sed etiam alia, ut προϊέναι, προάγεσθαι, προέρχεσθαι, adhiberi ad significandam processionem æternam Spiritus Sancti ex Patre, vel per Filium, in eodem prorsus sensu ac ἐκπορεύεσθαι; immo hoc verbum ἐκπορεύεσθαι quandoque referri ad missionem temporalem [4].

1. « Ἡ πηγὴ ἡ ἀΐδιος, ἀενάως ἡ βρύουσα ποταμὸν ἀνέκφραστον ἀγαθότητος, ὕδωρ τὸ ζῶν ἀεὶ βλύζουσα, συμφύτως προχέουσα, ταῖς αὐτοῦ ἐπιρροαῖς τὴν ψυχήν μου κατάρδευσον. »

2. « Ἡ πηγὴ καὶ ῥίζα πεφυκώς, ὁ Πατὴρ ὡς αἴτιος τῆς ἐν Υἱῷ καὶ ἁγίῳ σου Πνεύματι συμφυοῦς θεότητος. »

3. « Στέλεχος διττὸν ἐκ Πατρὸς ὡς ῥίζης ἐβλάστησεν ὁ Υἱὸς καὶ Πνεῦμα τὸ εὐθές, οἱ συμφυεῖς βλαστοὶ καὶ θεόφυτοι καὶ ἄνθη συνάναρχα, ὡς τρία εἶναι φῶτα τῆς θεότητος. » Mirandum omnino est quod in septem hymnis triadicis Metrophanis in *Octoecho* contentis nihil occurrat, quod ad relationem Spiritus Sancti ad Filium directe alludat, nec semel ibi legatur formula a Patre per Filium. Forsitan Metrophanes ab influxu photiano haud plane immunis fuerit.

4. Cf. *Officia Dominicæ Pentecostes :* 1° *Ad Matutinum, trop. :* Τὸ Πνεῦμα κόλπων πατρικῶν « προηγμένον ». — Τὸ πανάγιον Πνεῦμα, τὸ « προϊὸν » ἐκ τοῦ Πατρός. — Πνεῦμα ἐκ Πατρὸς « ἐκπορευθὲν » καὶ δι' Υἱοῦ πιστοῖς ἡμῖν πεφηνός. Hoc loco verbum ἐκπορευθέν significat : « Spiritus qui ex Patre *profectus est*, ad homines venturus. » Eumdem prorsus sensum detegere licet in textu evangelico : « ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται. » Ut supra diximus, hæc verba *directe* significant : « Spiritus qui e domo, vel sinu Patris mox profecturus est, ut ad vos veniat. » Utique hic loquendi modus figuratus processionem immanentem supponit.

ARTICULUS IX

De interpretatione locorum sacræ Scripturæ ad processionem Spiritus Sancti spectantium apud Græco-Russos.

In interpretandis sacræ Scripturæ locis, quæ ad processionem Spiritus Sancti spectant, polemistæ byzantini et Græco-Russi moderni ab exegesi photiana, quam in tomo primo exposuimus [1], vix recedunt et novi admodum parum proferunt.

I. — Eorum palmare ac fere unicum argumentum *positivum*, ad quod semper provocant, est Christi effatum apud Joannem, XV, 26 : *Paraclitus, qui a Patre procedit*, ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, cui, post Photium, sensum exclusivum communiter tribuunt, quasi Christus dixisset : « Qui a Patre *solo* procedit, παρὰ μόνου τοῦ Πατρός. Quidam tamen a positiva additione appositi *solo* (μόνου) abstinent, sicque contra catholicos argumentantur :

« Adest in sacra Scriptura locus clarus directe enuntians Spiritum Sanctum a Patre procedere; deest vero in eadem Scriptura locus *expresse* dicens Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere. In affirmatione dominica sistere debemus et nihil amplius addere, ulterius non progredi [2]. »

His respondere possumus Patres et Ecclesiæ doctores dominico effato communiter aliquid addidisse, et dixisse : *A Patre per Filium procedit*, vel : *A Patre Filioque procedit;* et hoc, quia ex aliis sacræ Scripturæ locis, et ex ipso textu joannino,

1. P. 205-215.

2. Cf. inter multos alios, Macarium Bulgakov, *Theologia dog. orth.*, ed. cit., p. 268-270.

ad quem provocant, Spiritum Sanctum etiam ex Filio seu per Filium procedere collegerunt.

Plerique polemistæ in significatione omnino propria ac speciali verbi ἐκπορεύεσθαι insistunt, dicentes illud ad processionem temporalem seu missionem nullatenus referri posse et significare tantummodo : *accipere existentiam a Patre;* quibus haud pauci alii, præsertim inter modernos, contradicunt, docentes hoc verbum quandoque significare missionem seu manifestationem Spiritus [1]; immo *magis proprie* significare processionem donorum ad creaturam, quam processionem æternam Spiritus Sancti a Patre [2]; et ipsi quandoque hoc verbum indifferenter usurpant ad indicandam tum missionem temporalem, tum processionem æternam [3]. Quidam moderni bene perspexerunt ex solo verbo ἐκπορεύεσθαι certo probari non posse textum evangelicum referri ad processionem æternam Spiritus Sancti, non vero ad ejus adventum temporalem. Unde multum insudant, ut ostendant contextum necessario postulare processionem æternam [4].

II. — Quomodo theologi photiani argumentum pro dogmate catholico ex missione Spiritus Sancti a Filio desumptum enervare ac penitus convellere nitantur, jam in capite I, art. 3, hujus tractatus sufficienter diximus [5]. In hoc tamen a Photio discrepant, quod concedunt — loquimur præsertim de theologis periodi modernæ — Patrem non mitti a Filio et a Spiritu Sancto, referuntque ad Filium verba Isaiæ, XLVIII, 16 : *Et nunc misit me* [Filium scilicet] *Dominus* (= Pater) *et Spiritus ejus* [6]. Illis enim satis est tenere Filium mitti a Spiritu Sancto; quod ut statuant, laudant etiam Is., LXI, 1 : *Spiritus Domini super me*, et Luc., IV, 18.

III. — Quantum ad verba Christi : *De meo accipiet* (Joa., XVI, 13-15), omnes fere usque ad Nicephorum Blemmidem interpretationem photianam : *De meo Patre* (ἐκ τοῦ ἐμοῦ

1. Cf., v. g., Macarium Ancyranum, supra, p. 391.
2. Ita Metrophanes Critopulus, supra, p. 429.
3. Ita Meletius Pigas, supra, p. 426-427.
4. Ita præsertim Theophanes Procopovitch, supra, p. 436, ejusque discipuli, ut Theophylactus Gorskii, p. 440.
5. Supra, p. 233-247.
6. Ita, v. g., Zernikavius, supra, p. 242; Procopovitch, p. 244.

Πατρός) repetunt. Postquam autem Nicephorus Blemmides illius censuram egit [1], plerique illam reliquerunt [2], et in ejus locum alias protulerunt, dicentes : 1° vel hic agi de missione seu processione temporali, ut constat ex usu futuri λήψεται : Doctrina quam Spiritus Sanctus a Filio accipit non est essentia divina, sed complexus veritatum hominibus revelandarum. Filius hanc revelationem incepit; Spiritus Sanctus eam complere debet, nihil traditurus quod a Filii dictis discrepet, cum sint consubstantiales eamdemque omnino habeant sapientiam et operationem [3]; 2° vel cum Metrophane Critopulo :

« *De meo accipiet*, id est : Omnem suam sapientiam in me, *ut homine*, divinitas reposuit tanquam in aerario aliquo, juxta illud : *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (Col., II, 9). Ex illa igitur doctrina, ex illa sapientia accipiet Spiritus Sanctus, et annuntiabit vobis. Non enim reliquum quidquam alicubi est, quod in me non reposuerit divinitas, ut aliunde accipiat Paraclitus; sed omnia in me reposuit, ex quibus ipse capiet [4]. »

IV. — Effatum : *Spiritus Christi, Spiritus Filii* de consubstantialitate personarum divinarum communiter interpretantur post Photium, cujus sophisticas deductiones contra Latinorum interpretationem quandoque iterant [5]. Quidam autem, ut Nicephorus Blemmides, qui plures alias tradit interpretationes, docent Spiritum Sanctum ideo dici Spiritum Filii, quod Filius ab æterno potestatem accepit mittendi et dandi Spiritum Sanctum tanquam proprium thesaurum [6].

V. — Argumentum ex ordine personarum, prout in Evangelio refertur, petitum labefactant dicendo hunc ordinem non insinuare mutuam personarum divinarum dependen-

1. Cf. supra, p. 334, in nota.
2. Occurrit tamen adhuc apud quosdam modernos, v. g., apud Jeremiam II, *Responsio II ad Tubingenses*, ed. Ged. Cyprii, t. I, p. 138; in *Encyclica epistola patriarcharum Orientis ad fideles Antiochenos, anno 1722 datum*, Mansi-Petit, *Collectio concil.*, t. XXVII, col. 168.
3. Insistunt in futuro λήψεται; tacent de præsenti λαμβάνει (Joa., XIV, 15).
4. *Confessio fidei*, Kimmel, t. II, c. I, p. 36.
5. Cf. t. I, p. 212-213.
6. Cf. supra, p. 330, 331.

tiam in ratione originis nec esse immanentem, sed respicere tantum uniuscujusque personæ historicam manifestationem ad creaturas [1]. Absolute loquendo, hic ordo immutari posset, et absque errore Spiritus Sanctus secundus post Patrem nominari potest, inter Patrem et Filium medius existens; et revera quidam Patres Spiritum ponunt inter Patrem et Filium [2]. Georgius Scholarius haud negat absolute ordinem formæ baptismalis esse intrinsecum, sed contendit hoc certo probari non posse ex sacra Scriptura [3]. Pauci concedunt ordinem in natura divina fundari et esse æternum, non quod Spiritus a Filio etiam procedat, sed vel quod Filius a Patre ab æterno habeat potestatem mittendi Spiritum Sanctum [4], vel quod Filius logice præcedat Spiritum sitque quasi conditio sine qua non ejus productionis a Patre [5].

VI. — Argumento ex insufflatione Domini in discipulos post Resurrectionem desumpto (Joa., xx, 22) omnem vim denegant, quia 1º refertur ad missionem temporalem Spiritus Sancti; 2º Vox *Spiritus Sanctus* hic ponitur non pro persona, sed pro aliquo speciali charismate Spiritus Sancti. Alioquin, dicunt quidam, fatendum esset Spiritum Sanctum ex apostolis procedere, quod Spiritum Sanctum ipsi per impositionem manuum communicabant [6].

1. Ita Palamas, supra, p. 385; Nilus Damylas, p. 392; Marcus Ephesius, p. 404; Metrophanes Critopulus, p. 430, etc.
2. Ita, v. g., Epiphanius (*Ancor.*, 7) dicit Spiritum Sanctum esse *Trinitatis vinculum, in medio esse Patris et Filii*, σύνδεσμος τῆς Τριάδος, ἐν μέσῳ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ. Inde tamen non sequitur Epiphanium negare ordinem personarum esse immanentem, sed hoc de Spiritu Sancto asserit sub aliquo respectu, quatenus nempe a Patre et Filio tanquam ab uno et communi principio procedit; quod est ipsissimus conceptus Latinorum.
3. Supra, p. 481.
4. Ita Gemistus Pletho, p. 417.
5. Ita Bolotov ejusque discipuli, p. 463 sq.
6. Ita, post multos alios, Macarius, *op. cit.*, p. 283.

ARTICULUS X

De Patrum doctrina circa processionem Spiritus Sancti juxta Græco-Russos.

Prænotamina.

Ex omnibus, quæ controversiæ historicam evolutionem narrando retulimus, clare constat doctrinam Patrum quum latinorum tum græcorum polemistis et theologis græco-russis maximum negotium semper fecisse, illosque a difficultatibus inde orientibus non aliter se expedire potuisse quam ad vana effugia recurrendo, violentas ac contortas interpretationes excogitando, et haud raro apertæ evidentiæ lumini mentis oculos claudendo. Juvat hic eorum omnium, quæ in septem primis hujus capitis articulis per singula exposuimus, synopticum quemdam conspectum paucis delineare, ut vera theologiæ dissidentis positio circa hoc primum ac præcipuum dissensionis caput luculente appareat. Loquemur :

1º De testimoniis positivis ex Patrum traditione haustis, ad quæ provocare solent dissidentes, tum ut doctrinam catholicam labefactent, tum ut suam de processione Spiritus Sancti a Patre solo sententiam stabiliant;

2º De variis explicationibus dictionis *per Filium* seu διὰ τοῦ Υἱοῦ, quæ sæpius apud græcos Patres, rarius apud latinos occurrit;

3º De significatione formulæ *a Patre Filioque* vel *ab utroque* quam communiter latini Patres, et haud raro quidam græci usurparunt.

I. — De testimoniis positivis ex Patrum traditione haustis, quæ Græco-Russi contra dogma catholicum et pro sua sententia proferre solent.

I. — Eumdem canonem photianum, quo ad interpretanda verba Christi apud Johannem, c. xv, 26, utuntur, item adhibent ad venanda testimonia in Patrum scriptis contra dogma catholicum de processione Spiritus ab utroque et pro sua

sententia de ejusdem processione a Patre solo. Quicumque Pater, vel scriptor ecclesiasticus, quodcumque symbolum vel concilium simpliciter affirmans, secundum textum evangelicum, Spiritum Sanctum a Patre procedere, statim laudatur ut testis processionis a Patre solo. Hac regula ductus, Adamus Zernikavius pro dogmate photiano collegit circa mille locos ex orientalibus auctoribus quinquaginta septem ad novem prima sæcula pertinentibus, et occidentalibus quadraginta quinque, qui per octo prima sæcula fuerunt. Potuisset utique multa alia hujusmodi invenire quin ejus thesis inde firmior evaderet. Patet enim simplicem propositionem affirmativam in exclusivam logice converti non posse, præsertim cum plerique Patres, apud quos Zernikavius sua carpsit testimonia, aliis in locis Spiritum Sanctum a Patre per Filium, vel a Patre Filioque procedere, prodire, etc., explicite tradant.

II. — Quæsierunt, sed non invenerunt locos, ubi explicite dicatur : « Spiritus Sanctus *a Patre solo* procedit. » Per Medium Ævum, inde a sæculo XIII, polemistæ unum locum spurium Cyrilli Alexandrini, et alterum adulteratum Gregorii Nysseni jactitabant, de quibus supra locuti sumus [1]. Recenter vero quidam theologi russi tres alios textus, Epiphanii unum, Gregorii Nysseni unum et tertium Michaelis Syncelli, protulerunt, sed immerito prorsus, ut ostendimus [2].

III. — Quæ pro sua thesi in traditione patristica firmiora reperierunt, ad quatuor vel quinque testimonia obscuriora reducuntur, quæ in suis tractatibus polemicis ad satietatem usque etiam atque etiam repetunt. Habes :

1° Verba pseudo Dionysii (*De div. nom.*, c. II, 5, 7) : *Pater est solus fons* superessentialis deitatis, ita ut Pater non sit Filius, nec Filius sit Pater — Pater est fontana deitas, Jesus vero et Spiritus Sanctus deitatis fecundæ, si ita fas est dicere, germina divinitus plantata, floresve ac lumina supersubstantialia [3].

1. Vide supra, p. 373, 392.
2. Supra, p. 470, n. 1; p. 472, n. 4 et 5.
3. « Μόνη δὲ πηγὴ τῆς ὑπερουσίου θεότητος ὁ Πατήρ, οὐκ ὄντος Υἱοῦ τοῦ Πατρός, οὔτε Πατρὸς τοῦ Υἱοῦ. — Πηγαία θεότης ὁ Πατήρ· ὁ δὲ Ἰησοῦς καὶ τὸ Πνεῦμα τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλαστοὶ θεόφυτοι καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα. » Vides hæc verba nihil habere quod

2° Effatum Gregorii Nazianzeni (*Orat.*, XXIX) : *Filius et Spiritus Sanctus ad unam causam* (Patrem scilicet) *referuntur* [1]. Item in *Or.*, XLV : *Salvator noster et Spiritus Sanctus, geminus ille Patris radius* [2].

3° Locum Maximi Confessoris in *Epistola ad Marinum*, ubi Maximus explicat formulam Romanorum : *A Patre Filioque procedit* [3].

4° Verba Theodoreti adversus anathematismos Cyrilli Alexandrini, ubi Cyrensis episcopus negat Spiritum Sanctum *ex Filio aut per Filium existentiam habere* [4].

5° Præsertim tres Joannes Damasceni locos : *a) Spiritum Sanctum et ex Patre esse et Patris Spiritum nominamus. At vero eum ex Filio esse non dicimus; Filii tamen Spiritum nominamus* [5]. *b) Filii quoque Spiritus dicitur, non velut ex ipso, sed per ipsum ex Patre procedens; solus enim Pater auctor est* [6]. *c) Spiritus Sanctus ex Filio non habet existentiam* [7].

Si Theodoreti verba excipias, quæ ad rem pertinere non videntur [8], textus hujusmodi aliquam sane obscuritatem et ambiguitatem præ se ferunt; possunt tamen absque ulla vi in sensu accipi doctrinæ catholicæ haud opposito, ut videre

doctrinæ catholicæ adversetur; nunquam enim catholici contenderunt Filium esse fontem originalem divinitatis. Sed Athanasius Filium vocavit fontem Spiritus Sancti. Quantum ad comparationem de duobus germinibus vel floribus, vide supra, p. 285.

1. « Εἷς Θεός, εἰς ἐν αἴτιον Υἱοῦ καὶ Πνεύματος ἀναφερομένων. » *P. G.*, t. XXXVI, col. 1072 C.

2. « Ὁ σωτὴρ ὁ ἡμέτερος καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἡ δίδυμος τοῦ Πατρὸς ἀκτίς. » *P. G.*, t. XXXVI, col. 1105 C; cf. col. 1108 A. Cf. supra, p. 285.

3. Cf. supra, p. 400. De authenticitate hujus epistolæ dubitarunt tum Græci tum Latini.

4. Cf. supra, p. 467.

5. *De fide orthodoxa*, l. I, c. XII, *P. G.*, t. XCIV, col. 832 B : « Ἐκ τοῦ Υἱοῦ δὲ τὸ Πνεῦμα οὐ λέγομεν, Πνεῦμα δὲ Υἱοῦ ὀνομάζομεν. »

6. *De fide orthodoxa*, l. I, c. XIII, *P. G.*, t. XCIV : « Καὶ Υἱοῦ δὲ Πνεῦμα οὐχ ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ ἐκπορευόμενον. » De hujus loci genuinitate cf. supra, p. 338, n. 1.

7. *Homilia in Sabbatum Sanctum*, *P. G.*, t. XCVI, col. 605 : « Ἀλλ' οὐκ ἐξ αὐτοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον. » Nota Damascenum non negare Spiritum Sanctum habere existentiam *per Filium*, δι' αὐτοῦ, sed tantummodo ἐξ αὐτοῦ, ne videatur ponere Filium tanquam principium originale Spiritus, vel principium a Patre distinctum et independens.

8. Cf. supra, p. 467.

est ex interpretatione theologorum catholicorum, præsertim vero Byzantinorum unitorum, qui de illis sæpe disseruerunt [1]. Cæterum eo minus contra dogma catholicum faciunt supra dicti loci Maximi et Joannis Damasceni, quo expressius isti Patres docuerunt Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere.

II. — De variis explicationibus formulæ: « A Patre per Filium procedit » a Græco-Russis excogitatis.

Formulam : *Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit*, de qua Photius astute siluerat, crucem ac verum tormentum fuisse polemistarum et theologorum antilatinorum, ex omnibus, quæ de historia controversiæ hactenus protulimus, attentus lector certe animadvertit. Ut autem res in plenissima luce ponatur, nobis satis erit ordine enumerare diversas illas ac inter se pugnantes hujus formulæ interpretationes, quæ sæculorum decursu a variis auctoribus adinventæ sunt. Sed antea notemus oportet theologorum dissidentium agendi rationem, qua locorum patristicorum duplicem seriem tanquam extra quæstionem positam arbitrario prorsus eliminant.

Prima series illa est ubi Patres docent Spiritum Sanctum vel *a Filio existere*, quasi differentia intersit inter *a Filio existere* et *a Filio existentiam habere* [2]; vel *ex Filii essentia esse*, quasi hæc dictio nihil aliud significet quam Spiritum esse Filio consubstantialem [3]; item, ubi Filius dicitur *fons Spiritus Sancti*, quod ad donorum spiritualium largitionem referunt [4].

Altera series eorum locorum est, ubi illud διὰ τοῦ Υἱοῦ occurrit non cum verbo ἐκπορεύεσθαι, sed cum aliis ejusdem omnino significationis, ut ex contextu plerumque patet, scilicet cum verbis προέρχεσθαι, προϊέναι, ἐκλάμπειν, πεφηνέναι, πρχεῖσθαι, ἀναβλύζειν, πηγάζειν, aliquando etiam ἐκπέμπεσθαι, etc..

1. Cf. supra, p. 323, 338, 348, etc.
2. Ita Georgius Cyprius et alii; cf. supra, p. 359.
3. Cf. *ibid.*
4. Cf. supra, p. 388.

Ut haud semel supra vidimus [1], plerique polemistæ, quamvis in regulis interpretationis statuendis non semper inter se plene consentiant, locos in quibus formula διὰ τοῦ Υἱοῦ cum hujusmodi verbis contexitur, ad missionem temporalem, seclusa quacumque relatione ad processionem æternam, referre solemne habent.

Ubi vero ad verbum occurrit dictio : ἐκ τοῦ Πατρὸς διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται, tunc in varias ac prorsus miras abeunt interpretationes, quas non minus quam quindecim numero esse deprehendimus :

1° Tum tempore, tum eorum, qui eam amplexi sunt, multitudine prima est illa quæ hanc formulam ad processionem temporalem seu missionem in omni casu refert; quod sane cum obvia et aperta saltem quorumdum locorum patristicorum significatione omnino pugnat. Dicunt quidam hujus sententiæ tenaces verbum ἐκπορεύεσθαι duplicem sensum præferre : Ubi simpliciter dicitur : *Spiritus Sanctus a Patre* ἐκπορεύεται, vox de processione æterna intelligenda est (πρόοδος εἰς τὴν ὕπαρξιν). Ubi vero ponitur : *Spiritus Sanctus a Patre per Filium* ἐκπορεύεται tunc Patres de processione temporali seu de egressu ad creaturas (πρόοδος εἰς τὰ κτίσματα) loqui intendunt [2].

2° Alii dicunt formulam referri tum ad processionem æternam, tum ad processionem temporalem. Refertur ad processionem æternam in prima sui parte, qua dicitur Spiritus a Patre procedere, ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται; refertur vero ad processionem temporalem seu missionem in altera parte, qua dicitur : *Spiritus per Filium procedit*, διὰ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεται. Est quædam *compendiosa expressio* ad utramque processionem significandam respondetque huic duplici propositioni : *Spiritus Sanctus ab æterno a Patre procedit seu existentiam habet, et per Filium in tempore mittitur et creaturis communicatur :* ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται καὶ διὰ τοῦ Υἱοῦ χορηγεῖται seu μεταδίδοται [3].

1. Cf. p. 340, 385, 387, 378, 380, n. 2, etc.
2. Cf. supra, p. 300, 468.
3. Ita Georgius Cyprius, p. 360, 364; Nilus Cabasilas, p. 387; Josephus Bryennus, p. 380, n. 2; Margunius, p. 422-423; N. Damalas, p. 453; Andrutsus, p. 454.

3° Alii tenent quidem illud διὰ τοῦ Υἱοῦ respicere missionem Spiritus per Filium; subjiciunt vero hanc facultatem mittendi Spiritum, quam Filius a Patre habet, esse quid *æternum* et pertinere ad *proprietatem hypostaticam* Filii, qua hic a Spiritu Sancto revera distinguitur [1].

4° Palamitæ et quidam recentes, qui theologiæ Palamæ non adhærent, dicunt illud διὰ τοῦ Υἱοῦ intelligendum esse de *processione æterna* Spiritus per Filium, sed *secundum gratiam seu operationem, non secundum existentiam* [2].

5° Quinta explicatio, quam multi tradiderunt, in dictione διὰ τοῦ Υἱοῦ merum videt loquendi modum ad exprimendam consubstantialitatem Filii et Spiritus Sancti. Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, id est : *Eamdem ac Filius essentiam accipit a Patre;* procedit a Patre *ad Filii modum*, κατὰ τὸν Υἱόν, *substantialiter, non per creationem* [3].

6° Juxta multos, διὰ τοῦ Υἱοῦ significat : οὐκ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ, *non sine Filio;* οὐκ ἐκτὸς τοῦ Υἱοῦ, οὐ δίχα τοῦ Υἱοῦ, *non extra Filium, non seorsim a Filio;* ἐν τῷ Υἱῷ, *in Filio;* id est : summam conjunctionem, indivisionem, circumincessionem personarum divinarum [4].

7° Juxta quosdam alios, hujusmodi dictio ponitur ad indicandam *meram relationem Patris ad Filium*, ut nomen Patris declaretur ac explicetur. Si enim tantum diceretur : *A Patre procedit*, ratio cur Pater dicitur *Pater* non appareret. Ideo Filii nomen interponitur, ut ratio paternitatis ostendatur. Aliis verbis : *A Patre per Filium procedit* nihil aliud significat quam : *A Patre Filii procedit* [5].

8° Secundum aliam explicationem, quæ præcedenti affinis est, ista locutio usurpatur ad manifestandam *distinctionem* personarum ad invicem, πρὸς τὴν διάκρισιν τῶν προσώπων, nullo modo ad significandam aliquam participationem Filii ad productionem Spiritus Sancti [6].

1. Ita Nicephorus Blemmides, p. 329; Gemistus Pletho, p. 417; Margunius, p. 423; Katanskii (?), p. 468.
2. Cf. p. 190, 395; Zikos Rhosis, p. 462; Yanychev, p. 466.
3. Cf. supra, p. 300-302, 328, 354, 411.
4. Ita præsertim Scholarius, p. 411; multi alii.
5. Ita Georgius Cyprius, p. 356, et alii polemistæ sæculi XIII, p. 357.
6. Ita Marcus Ephesius, p. 404; Scholarius, p. 411; alii.

9° Secundum plerosque theologos et polemistas, inde a sæculo XIII exeunte, præpositio διά in casu vertenda est in σύν, ἅμα, μετά cum genitivo, ita ut dictio exprimat *coexistentiam* Filii et Spiritus Sancti et utriusque processionis, generationis scilicet et processionis, in eodem momento convenientiam [1].

10° Haud pauci, post Georgium Scholarium, præpositionem διά mutant in μετά cum accusativo : Διὰ τοῦ Υἱοῦ idem sonat ac μετὰ τὸν Υἱόν : Spiritus Sanctus *post Filium* procedit. Unde dictio patristica significat *ordinem personarum divinarum*, seclusa quavis notione causæ in Filio respectu Spiritus Sancti. Cæterum, qui de hoc personarum ordine loquuntur non conveniunt inter se de ejus natura. Juxta plerosque agitur de mero ordine manifestationis ad extra; juxta alios vero, hic ordo est immanens et naturalis: Filius et ordine præcedit Spiritum Sanctum in processionibus divinis [2].

11° Juxta Theodorum Muzalonem, A. Nekrasov et quosdam alios, præpositio *per* διά, in formula, significat *merum transitum organicum* per Filium [3].

12° Georgius Cyprius, cui assentiunt aliquot recentes, loquitur de quodam *exspledescentia* seu *manifestatione æterna* Spiritus Sancti *per Filium* [4].

13° Secundum Georgium Scholarium, dictio significat etiam *unitatem principii in Trinitate*, τὸ ἑνιαῖον καὶ μοναρχικὸν τῆς θεότητος [5].

14° Alii docent formulam significare Filium esse *conditionem sine qua non* existentiæ Spiritus Sancti, ita ut Filius, quamvis non sit causa Spiritus, illum tamen necessario præcedat, non quidem tempore, sed *ordine* et *logice* [6].

1. Ita Georgius Moschabarus, p. 355; Palamas, p. 384; Nilus Cabasilas, p. 388; J. Bryennius, p. 390; Marcus Ephesius, p. 404; Scholarius, p. 411; Bogorodskii, p. 459; Gussev, p. 470, etc.
2. Ita G. Scholarius, p. 411; Zernikavius, p. 433; Theophanes Procopovitch, p. 438.
3. Vide supra, p. 327, 431, 439, 459.
4. Supra, p. 358-359, 431, 439, 454.
5. Cf. p. 412.
6. Ita M. Critopulus, p. 430; E. Bulgaris, p. 432; S. Kokhomskii, p. 458; B. Bolotov, p. 464; Commissio synodalis russica pro quæstione vetero-catholica, p. 476-478.

15° Multi demum illud διὰ τοῦ Υἱοῦ ad processionem æternam Spiritus Sancti retulerunt et in sensu a decreto Florentino tradito illud intellexerunt, ita ut, juxta ipsos, formulæ Latinorum *a Patre Filioque procedit* plane respondeat. Ita sæculo XII, Nicetas Nicomediensis [1], Nicetas Maronensis [2], et forsitan quidam alii [3]; sæculo XIII, Nicephorus Blemmides [4] et Georgius Pachymeres [5] præter Joannem Veccum et alios unionistas; sæculo XIV, Barlaamus [6], Demetrius Cydones [7], Manuel Calecas [8], qui proprio studio ad doctrinam catholicam accesserunt; sæculo XV, metropolitæ et clerici græci viginti novem, qui decreto unionis Florentinæ subscripserunt, inter quos eminent Bessario [9] et Gregorius Mammas [10]; aliquando Georgius Scholarius [11]; sæculo XVII, Cyrillus Lucaris [12]; sæculo XIX, P. Svietlov [13], P. Leporskii [14], A. Brilliantov et Societas russica zelatorum unionis cum Ecclesia anglicana [15], Joannes Kronstadiensis [16].

Notandum est unum eumdemque theologum non unam tantum ex his explicationibus, sed plures simul, sola quinta decima excepta, communiter amplecti ac proponere [17]. Plura suffragia tulerunt apud polemistas prima, secunda, quinta, sexta et nona interpretatio.

1. P. 308-312.
2. P. 313-326.
3. Eustratius Nicænus, p. 301; Andronicus Camaterus (?), p. 301.
4. P. 334-342.
5. P. 366-368.
6. P. 375.
7. P. 377-379.
8. P. 380-382.
9. P. 418.
10. P. 419.
11. P. 406-409.
12. P. 428.
13. P. 473.
14. P. 478.
15. P. 480.
16. P. 481.
17. Ita præsertim G. Scholarius qui, ut diximus, p. 411, differentias inter varias explicationes dictionis διὰ τοῦ Υἱοῦ a dissedentibus prolatas minuere vel etiam penitus tollere conatur. Cf. etiam Andrutsum, p. 454.

III. — De Patrum latinorum doctrina necnon de significatione formulæ « a Patre Filioque », vel « ab utroque procedit » secundum theologos græco-russos.

Per totam periodum byzantinam polemistæ de Patrum latinorum doctrina plerumque tacent, eo quod illos ignorant. Solus Augustinus, inde a sæculo XIV, illis satis bene innotuit ex versione *Librorum de Trinitate* a Maximo Planude facta. Si quando de illis Patribus sermonem faciunt, ab eorum auctoritate photiano modo se expedire solent :

1° Primum quidem illis solemne est in dubium vocare authenticitatem eorum locorum, in quibus Patres diserte asserunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere. Hoc interpolationis argumento potissimum usus est Marcus Ephesius in concilio Florentino [1].

2° Dicunt Patres singillatim sumptos non esse infallibiles, sed errare potuisse. Hanc rationem sæpius urget G. Scholarius ad minuendam sancti Augustini auctoritatem [2].

3° Addunt Patres haud semper *dogmatice* locutos fuisse, sed *contentiose* adversus hæreticos certando, οὐ διδασκαλικῶς ἀλλὰ ἀγωνιστικῶς.

4° Si omnino impossibile esset, aiunt, demonstrare Latinos cum Orientalibus seu Asianis de processione Spiritus Sancti convenire, præponendi essent Orientales, vel quod numero prævaleant [3], vel quod eorum doctrina cum dictis sacræ Scripturæ et synodorum magis congruat [4].

In periodo moderna, Græco-Russi traditionem Ecclesiæ occidentalis haud ignorant. Attamen veterum polemistarum effugiis rarius abstinent. Ubi vero concedunt Patrum latinorum dicta non fuisse corrupta, asserere non dubitant formulam *a Patre Filioque* vel *ab utroque* ab his Patribus usurpatam non eum habere sensum, quem nunc catholici ei attribuunt, sed plerumque referri ad missionem seu processionem temporalem; vel ad unam ex variis explicationibus

1. Cf. supra, p. 413.
2. Cf. *Œuvres complètes de G. Scholarios*, t. II, p. 54-65; t. III, p. 50-56.
3. Ita M. Glykas, p. 301, n. 2.
4. Ita G. Scholarius, *Œuvres complètes*, t. III, p. 61.

formulæ græcæ supra relatis (ultima utique semper excepta) eam reducunt. Hanc interpretandi rationem in periodo byzantina jam adhibuerant Josephus Bryennius [1], Georgius Scholarius [2] et quidam alii. Apud modernos autem omnino communis est ante Collationes Bonnenses. Illam invenimus apud Meletium Pigam [3], Gabrielem Severum [4], Georgium Coressium [5], Margunium [6], Zernikavium [7], Theophanem Procopovitch [8]. Hanc exegesim accommodant ad ipsa adeo diserta Augustini testimonia. Ad dictionem autem *procedere principaliter* quod attinet, quidam, ut Meletius Pigas [9], de processione æterna seu *hypostatica* illam interpretantur; alii, ut Georgius Coressius [10], ad missionem temporalem eam detorquent.

Evidentiæ historicæ cedere non incipiunt ante sæculi XIX alterum dimidium, præsertim sub influxu Veterum catholicorum et Anglicanorum, quibuscum unionem perficere tentant. Ab hoc tempore, ut supra diximus, plerique jam fatentur Augustinum doctrinam catholicam revera docuisse. Cæterum, ex una parte, ejus influxum exaggerant, dum dicunt illum hujus doctrinæ genuinum parentem fuisse; ex alia vero, ejusdem auctoritatem deprimunt, dum autumant eum non ex Revelationis fontibus, sed ex philosophicis suppositis catholicum dogma conclusisse; quod, si illis credas, non ut veritatem fidei, sed ut meram opinionem privatam proposuerit; siquidem de ipsa veritatis summa affirmant quod de aliquo eam explicandi tentamine sanctus doctor asseruit. Nec hi recentes negant illud *Filioque* apud quosdam Patres latinos Augustino priores occurrere; sed contendunt hanc dictionem primitus non habuisse eam significationem, quam

1. Cf. supra, p. 390.
2. P. 412-413.
3. P. 426.
4. P. 428.
5. P. 431.
6. P. 424.
7. P. 433.
8. P. 438.
9. Cf. supra, p. 428.
10. P. 431.

Augustinus illi præfixit [1]; et dum ex eis aliqui sententiam augustinianam tanquam errorem rejiciunt, alii inter theologumena liberæ electionis eam computare non dubitant. Pauci tantum his ultimis annis plenam veritatem confessi sunt, quam sæculo XII agnoverant Nicetas Nicomediensis et Nicetas Maronensis, sæculo vero XV definivit Florentinum, latinos Patres scilicet et græcos unam eamdemque de processione Spiritus Sancti doctrinam tenuisse formulis paulum diversis expressam.

Porro notum est non solum Patres latinos, verum etiam et quosdam Græcos, v. g., Didymum, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum, formulam *a Patre Filioque* vel *ab utroque* haud semel usurpasse. Quid Græco-Russi de suorum locis hujusmodi? Illos eodem prorsus modo tractarunt ac Occidentalium dicta, omnem aucupantes vocem vel ex contextu probabilem prætextum, ut ad missionem temporalem eos referre possent. Ubi vero ejusmodi interpretationi nullam ansam capere potuerunt, vel locum adulteratum fuisse, vel eum ex aliis ejusdem Patris dictis explicandum esse, vel unius sententiam contra plures prævalere non debere pronuntiarunt; vel demum totum quod photiano dogmati adversabatur ad consubstantialitatem personarum significandam convertere consueverunt. Ita præsertim egerunt cum Epiphanio et Cyrillo, in quorum dictis interpretandis multi polemistæ insudarunt [2].

ARTICULUS XI

De argumentis Photianorum ex ratione theologica petitis.

Ubi agitur de quæstione humanæ rationis captum prorsus excedente, patet argumenta humanis ratiociniis ac deductionibus innixa esse omnium infirmissima, nec aliquid valere nisi aliquod certum fundamentum in fontibus Revelationis

1. Ita Bolotov ejusque discipuli, p. 465, 467, 476.
2. Cf., v. g., Zernikavium, *op. cit.*, t. I, tr. I, p. 50-59; t. II, tr. XV, p. 411-431.

habeant. Accidit autem ut in controversia de processione Spiritus Sancti, quæ sane ad illas quæstiones pertinet, quæ humanum superant intellectum, ratiocinia mere logica, non in certo principio revelato sed in præsuppositis seu axiomatibus photianis fundata, primas partes sæpius habuerint. Axiomata hujusmodi necnon sophismata ex eis ab ipso Photio deducta in tomo primo fuse exposuimus, nec est cur in præsenti articulo de illis iterum disseramus. Sequentia tantum notare sufficiat :

1º Nova quæ in provincia theologiæ speculativæ, quantum ad hanc quæstionem, post Photium occurrunt, jam supra memoravimus, ubi egimus : *a)* de principio distinctionis personarum divinarum ad invicem [1]; *b)* de theoria augustiniana et thomistica in theologia Græco-Russorum [2]; *c)* de variis comparationibus et analogiis a Patribus Ecclesiæ usurpatis ad ingerendam aliquam mysterii notitiam et explicationem [3].

2º Alia omnia, quæ in scriptis polemistarum et theologorum græco-russorum, inde a sæculo XII, ad elementum philosophico-dogmaticum pertinent, intra scholasticæ photianæ limites revera comprehenduntur. In hac provincia, Photius semper mansit magister insuperabilis, ejusque discipuli satis habent ejus axiomata et argumenta vel ad verbum exscribere, vel aliis terminis proponere.

3º Inter photiana axiomata illud sæpius redit quod, post Hergenröther, primum posuimus : *Spiritus Sancti productionem etiam Filio tribuere, est introducere duo principia in Trinitatem.* Illud semper in ore habent polemistæ tum veteres, tum novissimi. Dicant, repetant ac explicent Latini se non tenere nisi unum principium Spiritus Sancti oriens ex unitate virtutis spirativæ Patri et Filio communi : nihil agunt. Adversarii dictis eorum animum vix attendunt. Personas distinctas semper considerantes, in ipsam naturam divinam mentis oculum figere non valent. Hanc communem virtutem spirativam, circa quam lis tota versatur, ut commentum quid latinum habent, eo quod Scriptura et Patres de ea non

1. C. I, art. 2, p. 231 sq.
2. C. II, a. 3, p. 260-285.
3. C. II, a. 4, p. 285-295.

expresse, sed implicite tantum mentionem faciant; immo inter polemistas talem invenies, qui spirationem activam ad processionem temporalem seu missionem referat [1].

4º Frequentissime item in polemistarum lucubrationibus occurrit eorumque plerisque argumentis subjacet axioma secundum : *Spiratio* (seu προβολή) *est proprietas hypostatica Patris.* Exinde otiosa omnino evadit omnis cum adversariis disputatio, cum a priori ponatur illud ipsum quod in quæstionem venit [2]. Revera tota hæc cum Latinis contentio ex parte Græco-Russorum non est nisi mera petitio principii per longa sæcula etiam atque etiam repetita atque protracta. Huic simplici distinctioni non attendunt : *Pater, non qua Pater, sed qua spirator seu* προβολεὺς *Spiritum Sanctum emittit.*

5º In tricas prorsus inextricabiles se conjecisse Latinos putant, ubi quartum axioma photianum pronuntiaverint : *Quidquid in Trinitate concipitur, aut trium personarum commune est, aut personæ unius proprium.* Vides etiam hic supponi quod probandum est. Item ex his et similibus effatis, gratis omnino et a priori suppositis, bene perspicis quam vanum sit quæstionis solutionem quærere ex ratiociniis humanis, sed omnia ad lucem fontium Revelationis examinanda ac discutienda, præsertim vero ex traditione Patrum antiquorum, qui non simpliciter docuerunt : *Spiritus a Patre procedit*, sed etiam sæpissime dixerunt : *Spiritus a Patre procedit et a Filio accipit — Spiritus a Patre per Filium procedit — Spiritus a Patre Filioque procedit.* Inde quis Photii discipulus suspicari possit communem virtutem spirativam a Latinis positam aliquod fundamentum forsitan habere, nec esse eorum phantasiæ inane commentum. Sed ut talis suspicio mentem subrepat et libenter suscipiatur, spiritui contentionis valedicendum est, et verum sincero animo quærendum. Infeliciter plerique Byzantini et Græci moderni quæstionem

1. Ita Georgius Coressius; cf. supra, p. 431.
2. Hoc bene animadverterat Demetrius Cydones polemistarum antilatinorum opera perlegendo : « Συνεχῶς δὲ, inquit, ὑπέκειτο καὶ τὸ ἐν ἀρχῇ, τοῦτο δὴ τὸ καταγελαστότατον καὶ πολλῆς ἀναισχυντίας καὶ λήθης γέμον. » *Apologia fidei suæ ad concives*, ed. G. Mercati, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone*, etc., Romæ, 1931, p. 387.

sub hoc aspectu rarius perpenderunt, alium præ oculis habentes, quem aliquis recens theologus candide nobis aperit:

« Hæc de *Filioque* contentio, inquit, præcipuum fuit propugnaculum, quo Ecclesia orientalis contra Romam se protexit, propriam servans independentiam [1]. »

6° Referamus demum hanc rationem, qua polemistæ quidam, post Nicolaum Mesaritem [2], additionem appositi *solo* (μόνου) ad formulam Evangelii et symboli Nicæno-Constantinopolitani : *a Patre procedit* jure fieri processionemque Spiritus Sancti *a Patre solo* esse dogma Ecclesiæ demonstrare volunt. De fide est, inquiunt, Filium Dei *a Patre solo generari*, quamvis in symbolo fidei simpliciter ponatur : *ex Patre natum*. Pari modo, ad fidem pertinet, et merito confitemur Spiritum Sanctum *a Patre solo procedere* etsi Christus in Evangelio dicat tantum : *a Patre procedit* idemque habeat symbolum fidei [3]. Hoc argumentum theologice omni vi carere exinde constat, quod Ecclesiæ Patres sæpe sæpius prædicarunt Filium Dei *a Patre solo generari*, dum e contra, neque Scriptura, neque Patres unquam docuerunt Spiritum Sanctum *a Patre solo* procedere, sed alia dixerunt, quæ illum etiam a Filio procedere haud obscure significant.

ARTICULUS XII

De additione vocis « Filioque » ad symbolum. De additionibus ad symbolum apud Russos.

Prænotamina.

Postquam doctrinam Græco-Russorum de processione Spiritus Sancti exposuimus, restat dicere quid sentiant de

1. « Ὑπελείφθη εἶτα εὐλόγως ὡς τὸ κύριον ὅπλον, δι' οὗ ἡ Ἀνατολική Ἐκκλησιά περιέσωσεν ἑαυτὴν ἀπὸ τῆς Ῥώμης, διατηρήσασα τὴν ἰδίαν αὐτῆς αὐτοτελῆ οὐσίαν. » C. Andrutsus, Συμβολικὴ ἐξ ἐπόψεως ὀρθοδόξου, ed. 2, Athenis, 1930, p. 149-150.

2. Cf. supra, p. 302, n. 2. Ita etiam sentit N. Amvrazis Ἡ ὀρθόδοξος Ἐκκλησία ἐν σχέσει πρὸς ὅλας τὰς ἄλλας χριστιανικὰς Ἐκκλησίας ἐξεταζομένη, Athenis, 1902, p. 52, 53, qui dicit Byzantinos non movisse quæstionem de processione Spiritus Sancti nisi ut auctoritatem Romani Pontificis detrectarent.

3. Ita Gregorius Palamas, supra, p. 384; Gussev, p. 469, alii.

ipsa additione vocis *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum in se considerata, abstractione scilicet facta a veritate dogmatica illa additione expressa. Hanc distinctionem inter quæstionem dogmaticam et quæstionem disciplinarem seu liturgicam ipsi Græci in concilio Florentino explicite fecerunt, et utinam semper fecissent! Sæpius enim eorum theologi et polemistæ in suis scriptis utrumque miscent et confundunt; quod sane ad rem illustrandam nihil confert, sed potius illam obscurat, æquumque de controversia præpedit judicium.

Porro de præsenti quæstione in tomo primo nostri operis haud pauca jam protulimus. Egimus enim 1° de additione ad symbolum ante Photium [1]; 2° de historia disputationis photianæ [2]; 3° de tempore quo Ecclesia romana additionem recepit [3]; 4° de epistola spuria Joannis papæ VIII ad Photium circa additionem [4]; 5° De illo *Filioque* ut causa separationis Ecclesiarum juxta Græco-Russos [5]. De hac ultima quæstione aliqua hic adjiciemus. Præcipuum autem nostrum opus in præsenti articulo in hoc erit, ut varias opiniones variaque argumenta referamus, quibus dissidentes additionem contra legem factam fuisse ostendere conantur. Cum vero ad hoc probandum sibi potissimum subsidio comparent decretum concilii Ephesini et conciliorum œcumenicorum subsequentium de *non componenda altera fide*, haud abs re erit verum hujus decreti sensum paucis declarare, ut quantum a veritate historica in hac contentione polemistæ antilatini aberrent, omnium oculis luce clarius appareat. Nec silentio prætereunda erit res haud parvi momenti, quæ nostris nondum innotuisse videtur, scilicet quod in Ecclesia russica, per decursum temporum, symboli Nicæno-Constantinopolitani textus quasdam passus est mutationes et interpolationes, quas ipsa Ecclesia russica his ultimis temporibus apud suos *Edinoviertsos* seu *in fide Unitos* publice tolerabat. Demum de Ecclesiæ catholicæ agendi ratione quantum ad

1. Cf. t. I, p. 162-179.
2. P. 179-192.
3. P. 245-247.
4. P. 247-256.
5. P. 374-391.

additionem vocis *Filioque* ad Nicæno-Constantinopolitanum, quæ pro temporum diversitate et Orientalium unitorum indole variavit, quædam subjicere juvabit. Unde hujus articuli quatuor sectiones erunt, nempe :

1° Græco-Russorum variæ sententiæ de tempore, momento et illiceitate additionis vocis *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum;

2° De vero sensu decreti Ephesini et aliorum conciliorum œcumenicorum de altera fide non componenda;

3° De additionibus ad symbolum apud Russos;

4° De catholicæ Ecclesiæ agendi ratione circa additionem ad symbolum [1].

I. — Græco-Russorum variæ sententiæ de tempore, momento et illiceitate additionis vocis « Filioque » ad symbolum.

1. DE TEMPORE ADDITIONIS. — De tempore quo additio facta est, cum Græci, tum Latini haud pauca falsa protulerunt. Sæculo XI, cardinalis Humbertus Græcos accusavit *quod a symbolo abscidissent Spiritus Sancti processionem a Filio* [2]. In ipso concilio Florentino, Latini ex codice vetustissimo probare voluerunt additionem vocis *Filioque* ad symbolum factam fuisse in synodo œcumenica Nicæna II [3]. Com-

1. De additione ad symbolum historice, theologice et apologetice multi auctores catholici egerunt, inter quos præcipue notandi sunt : 1° Manuel Calecas, *Contra errores Græcorum*, l. IV, in *P. G.*, t. CLII, col. 187-212; L. Allatius, *De Ecclesiæ occidentalis et orientalis perpetua consensione*, l. II, c. VI, Coloniæ, 1648, p. 573-591; 3° ejusdem, *Contra Hottingerum*, c. XX, XXI, Romæ, 1661, p. 499-569; 4° Bernardus de Rubeis (Rossi), *Dissertatio historica et dogmatica de additione vocis « Filioque » ad symbolum deque vano inde sumpto Græcorum scissionis prætextu (Introductio in opera Georgii Cyprii)*, in *P. G.*, t. CXLII, col. 143-220, qua nihil doctius, accuratius et abundantius de quæstione sub aspectu historico scriptum est; 5° Franzlin, *Examen doctrinæ Macarii Bulgakov de processione Spiritus Sancti*, Romæ, 1876, p. 168-209; ejusdem, *Tractatus de Deo trino*, ed. 3, Romæ, 1881, p. 598-619; 6° A. Palmieri, art. *Filioque*, in *Dictionnaire de la foi catholique*, *Vacant*, t. V, col. 2309-2343.

2. Cf. t. I, p. 275.

3. In sess. V Actorum græcorum, in collatione VI Act. lat. Cf. De Rubeis, *op. cit.*, col. 182-184.

muniter asserunt auctores catholici et quidam dissidentes [1] additionem primum introductam fuisse a synodo Toletana III anno 589, sub rege Recaredo; quod tamen certum non est. In Actis autem synodi Toletanæ VIII (653) symbolum cum additione jam certo occurrere quidam asserunt. Extra omne dubium est — et hoc non negant Græco-Russi — additionem receptam fuisse circa finem sæculi VIII non solum in Ecclesiis Hispaniæ, sed etiam in pluribus Ecclesiis Germaniæ et Galliæ Errant certe Zernikavius [2], Theophanes Procopovitch [3], Macarius Bulgakov [4] et alii, dum inter additionis adversarios computant Paulinum II Aquileiensem et Alcuinum. Paulinus enim ipse auctor fuit additionis in synodo Forojuliensi anno 796 habito, longoque sermone probavit hanc additionem esse licitam, immo et necessariam, nec conciliorum œcumenicorum decreto de non componenda altera fide contraire [5]. Alcuinus vero, ubi ad fratres Lugdunenses scribit : *Symbolo catholicæ fidei nova nolite inserere* [6], non ad particulam *Filioque*, sed ad errorem adoptianorum, qui tunc in Hispania exorta erat, certo alludit. Erat enim ille processionis Spiritus Sancti disertus assertor, cui primum tractatum de hac materia debemus [7].

De singulari opinione Maximi Margunii, quem unum inter Græco-Russos additionem fuise licitam dixisse invenimus, jam supra locuti sumus [8]. Documenta, quibus suam sententiam fulciebat, ignoramus, cum ejus tractatus de hac quæs-

1. Ita Andrutsus, Συμβολική, p. 158; Balanus, Περὶ ἁγίας Τριάδος Athenis, 1911, p. 33. Cf. A. Palmieri, art. *Filioque*, col. 2312.

2. *Op. cit.*, t. I, p. 329-330, 400, 403-407, 469-474.

3. *Historia controversiæ Spiritus Sancti*, ed. Rudnev, Gothæ, 1772, p. 20-23; *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, c. XIX, p. 433. Gratis asserunt Zernikavius et Procopovitch Acta synodi Forojuliensis, prout nunc exstant, a quodam falsario adulterata fuisse.

4. *Op. cit.*, t. I, p. 257-258. Notandum est Sylvestrum Malevanskii in suo opere : *Opyt pravoslavnago dogm. bogosloviia*, t. II, ed. 3, Kioviæ, 1892, de Paulino jam tacere; adhuc tamen meminit Alcuini, p. 590.

5. Cf. quæ diximus in tomo I, p. 165-166; Franzlin, *De Deo trino*, p. 609-614.

6. *P. L.*, t. C, col. 288.

7. Cf. t. I, p. 164; Franzlin, *Examen doctrinæ Macarii Bulgakov*, p. 184-190.

8. Supra, p. 422, n. 1.

tione sint inediti. Conjici potest illa eadem fuisse, de quibus loquuntur Manuel Calecas [1] et Josephus Methonensis [2].

II. DE MOMENTO ADDITIONIS. — Symbolo addere voculam unam, quæ veritati revelatæ non contradicat, in se aliquid omnino leve est ac nullius momenti, præsertim si in memoriam revocetur illa facilis licentia, quam olim sibi sumebant Ecclesiæ particulares, pluribus additionibus vel lectionibus variantibus tum symbolum apostolorum, tum formulam Nicænam interpolandi. Græco-Russis autem, inde a perfecto schismate, additio vocis *Filioque* ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum nefandum crimen semper visa est. Si illis credas, illa fuerit vera separationis Ecclesiarum causa. Hac rupta fuerit Occidentem inter et Orientem fraterna concordia. Hæc in fraternum amorem, a Christo adeo vehementer commendatum, maximum scelus. Marcum Ephesium audi in synodo Florentino suas cum Latinis disputationes his verbis auspicantem :

« Peccavit Ecclesia romana in fraternam caritatem erga sororem suam Ecclesiam orientalem dogma sibi per additionem constituens. Hoc dogmate promulgato, sublato amore, sublata pax est et ex eo schisma natum [3]. »

Sæculo XIX, adhuc grandius loquitur Alexius S. Khomiakov, qui additionem *fratricidii moralis* nomine nuncupare non dubitat :

« Par le fait de l'addition, le romanisme était protestant à son origine. Le droit de décider les questions dogmatiques se trouvait subitement déplacé. Jusqu'alors il avait résidé dans l'universalité de l'Église, il se trouvait maintenant résider dans une Église locale... Le monde romain avait commis un fratricide moral. Un concile, c'est-à-dire un témoignage, devenait inutile pour le condamner [4]. »

1. *Contra errores Græcorum*, l. IV, *P. G.*, t. CLII, col. 196.
2. *Refutatio Marci Ephesini*, *P. G.*, t. CLIX, col. 1033. Cf. Allatium, *Contra Hottingerum*, p. 501-509.
3. *Acta græca*, sess. III, ed. Nickes, Romæ, 1864, p. 32 : « Διὰ τῆς ἐκφωνήσεως ταύτης ἡ ἀγάπη λυθεῖσα συνδιέλυσε τὴν εἰρήνην, καὶ ἀπὸ τούτου τὸ σχίσμα παρηκολούθησε. » Ante jam dixerat : « Ἡ προσθήκη ἐγένετο κατ' ἀρχὰς αἰτία τοῦ σχίσματος. »
4. *L'Église latine et le protestantisme au point de vue de l'Église d'Orient*, Lausanne, 1872, p. 36, 217.

Ut in tomo primo jam diximus [1], per totum Medium Ævum hæc fuit perpetua polemistarum antilatinorum cantilena : « Hanc vocem in symbolo deleatis. Has quatuor syllabas nobis concedatis, et schisma cessabit, et pax inter nos erit [2]. » Schismate jam consummato ejusque veris causis oblivioni traditis, Ecclesiarum divisionem hoc facto explicare illis jucundum erat. Hanc saltem de Latinis amoris proprii victoriam reportare volebant, ut ex symbolo expungerent illi quod inconsultis ipsis addiderant.

In periodo moderna, quanquam jam multi schismatis causam in paparum ambitionem refundere incipiunt [3], multi etiam byzantinam thesim retinent divisionisque originem ab additione repetere pergunt, quam ut omnium novitatum latinarum, quæ subsecutæ sunt, fontem repræsentant [4]. Unde Veteres catholici, ut Ecclesiæ russicæ gratiam sibi conciliarent, illud *Filioque* ex symbolo in sacra liturgia jam deleverunt [5]; nec tamen hæc suppressio unionem parturivit.

His tandem ultimis annis, quidam theologi russi, V. Bolotovo præeunte [6], veritatem historicam indubiam ex parte agnoverunt, palam confitentes additionem ad symbolum nequaquam fuisse schismatis byzantini causam [7]. P. Svietlov Khomiakovi et Slavophilorum declamationem de fratricidio morali optime his verbis refellit :

« Historia phantasiæ fetibus hujusmodi non suffragatur. In synodorum hispanicarum Actis nullum additionis, quæ

1. P. 374-380.
2. Georgius Scholarius ipse, postquam unioni valedixit, additionem fuisse schismatis causam etiam atque etiam repetit; qua suppressa, si ei aurem præbeas, unio sponte sequetur. Cf. *Œuvres complètes de Scholarios*, t. II, p. 13-14, 231; t. III, p. 78-84, 115.
3. Cf. t. I, p. 374-383.
4. Cf. *Epist. encyclicam quatuor patriarcharum Orientis anno 1848 datam ad omnes orthodoxos*, in qua in unum collectas invenies veterum et recentiorum criminationes contra additionem. Mansi-Petit, *Ampl. coll. concil.*, t. XL, col. 377-418.
5. Cf. A. Palmieri, art. *Filioque*, *loc. cit.*, col. 2331-2342.
6. Bolotovi positionem vide supra, p. 476.
7. Dico : « veritatem *ex parte* agnoverunt », quia schismatis causam additioni denegant, ut in paparum ambitionem transferant. Quidam tamen, ut Suvorov (cf. t. I, p. 381), facta æquius referunt et integræ veritati jam accedunt.

de industria facta fuisset, vestigium reperimus. Interpolatio seu veri nominis additio textum definite statutum præsupponit. Atqui in Actis concilii Toletani anni 589, ubi symbolum nostrum bis profertur, præter *Filioque*, non minus quam duodecim lectiones variantes numerantur. Deficiente textus symboli Nicæno-Constantinopolitani immutabili lectione, notandæ a symboli littera discrepantiæ in ipsa Ecclesia græca usque ad sæculum VIII finiens deprehenduntur [1]. »

Revera additio non ex maligna intentione vel infenso animo in Orientales primum introducta est, sed gradatim apud Occidentales ante Photium usu communis evaserat. Nec statim post Photium, qui veritatem ab additione expressam aperte negaverat, ita ut jam gravis ratio adesset hanc veritatem publice profitendi, romana Ecclesia additionem recepit, sed sæculo XI tantum, occasione quadam occurrente, nullo solemni decreto vel synodali sententia, non sponte sed rogata, usui per totum Occidentem jam fere universali adhæsit.

III. DE ILLICEITATE ADDITIONIS SENTENTIÆ VARIÆ. — Uno excepto Maximo Margunio, qui additionem a Damaso papa, ante concilium Constantinopolitanum anni 381, in quadam synodo romana, cui interfuerint etiam Orientales, factam fuisse putavit [2], Græco-Russi omnes tam moderni quam veteres, tam illi qui additioni ut causæ separationem adscribunt, quam illi qui contrariam sententiam tenent, tam illi qui veritatem dogmaticam illius *Filioque* agnoverunt [3], quam dogmatis catholici negatores vel theologumenorum tenaces, uno ore clamant hanc additionem non fuisse legitimam, et ideo abrogandam.

1° Ratio omnibus communis hæc est : Quia facta est ab Ecclesia *particulari* ad symbolum *œcumenicum*, inconsultis et insciis aliis Ecclesiis orbis catholici. In Collationibus Bonnensibus Anglicani, Veteres catholici et Græco-Russi de hoc saltem inter se omnes convenerunt quod additamentum particulæ *Filioque* non factum fuerit *secundum modum legitimum in Ecclesia receptum* [1]. Nec illis respondere potes totum illum Ecclesiarum occidentalium cœtum qui Romano Pontifici, Ecclesiæ universæ visibi capiti, obedit, ut Ecclesiam particularem haberi posse, sed Ecclesiam catholicam revera constituere, quia primatum romanum non agnoscunt. Potiori ratione illis suggerere poteris additionem licitam jam evasisse, postquam nempe in duobus conciliis œcumenicis, Lugdunensi II scilicet et Florentino, Græco-Russi additioni suffragati sunt. In Florentino præsertim, post longas disputationes et disquisitiones, viginti novem ex ipsis propria manu decretum firmaverunt in quo hæc leguntur :

« Diffinimus explicationem verborum illorum *Filioque* veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam [2]. »

Neque huic novæ rationi cedent, cum Lugdunense et Florentinum pro œcumenicis habere recusent. Aliam responsionem ex Ecclesiarum usu antiquo depromptam et omnino ad rem, Svietolovi dictis mox relatis consonantem profert Bernardus de Rubeis, quam ægre rejicient :

« Primis Ecclesiæ sæculis, inquit ille, apostolorum symbolo, quod intemeratum servabat romana Ecclesia, voces plures propter hæreses prodeuntes inseruerunt Orientales, inconsulta sine dubio Sede apostolica. Formulam Nicænam privati in Oriente episcopi aliquibus additamentis auxere eamque sic auctam approbaverunt *centum et quinquaginta Orientales* in concilio Constantinopolitano, quin romanum Pontificem aliosque Occidentis episcopos consulerent. Prævio nullo cum Occidentalibus consilio, tradi in Oriente primum cœpit in baptismate symbolum Nicænum, relicto apostolico, ac deinde Constantinopolitanum, relicto Nicæno, quod etiam inter sacræ liturgiæ partes relatum est. Hæc agere

1. *Khristianskoe Vieroucenie*, ed. 3, Kioviæ, 1910, p. 189.
2. Cf. supra, p. 432.
3. Ut, v. g., Nicetas Maronensis, Nicephorus Blemmides, Georgius Pachymeres.

1. « Δὲν ἐγένετο κατὰ νόμιμον ἐκκλησιαστικὸν τρόπον καὶ δύναται νὰ ἐξαλειφθῇ διὰ μελλούσης ἀληθοῦς οἰκουμενικῆς συνόδου. » N. Damalas, Ἔκθεσις πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον, etc., p. 19. Ut jam diximus, Veteres catholici concilium œcumenicum non exspectaverunt jamque particulam e symbolo expulerunt.

2. « Ἔτι διοριζόμεθα τὴν τῶν ῥημάτων ἐκείνων ἀνάπτυξιν τὴν « καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ », χάριν τοῦ τὴν ἀλήθειαν σαφηνισθῆναι, ἀνάγκης τε τότε ἐπικειμένης, θεμιτῶς τε καὶ εὐλόγως ἐν τῷ συμβόλῳ προστεθῆναι. »

Orientalibus licuit, Sede romana inconsulta; neque tamen Sedes ipsa romana suam ipsis communionem negavit unquam. Cur pari jure occidentales Ecclesiæ non uterentur? Cur *voculam unam* rectæ fidei consonam, quæ pari jure pro rerum circumstantiis adjici potuit, ac deinceps poterit, scissionis prætextum fecere Græci [1]? »

Revera ad historiæ lumen evanescit hic novi generis juridismus, quo Ecclesias occidentales et Romanam ipsam de illicita agendi ratione arguere volunt dissidentes.

2º Nec validior est alia ratio, quam promunt, de additionis illiceitate, nempe quod *sine sufficienti ratione facta sit*, et sine sufficienti ratione adhuc retineatur; quod potissimum probant tum ex verbis agendique ratione Leonis papæ III, tum ex epistola Joannis VIII ad Photium de additione. Hoc duplex argumentum in tomo primo jam explosimus. Addere hic sufficiat Hispanos sufficienti motivo haud caruisse additionem faciendi, qua personarum divinarum consubstantialitatem contra Arianos accurate simul ac breviter declarabant. Postquam autem Photius ejusque discipuli processionem Spiritus Sancti ab utroque aperte impugnarunt, ratio jam plus quam sufficiens aderat veritatem revelatam etiam in symbolo prædicandi. Leo papa III ante Photium vixit. Quis autem pro certo dare possit eum ita locuturum ac acturum fuisse sicut locutus est et egit, sæculo IX ineunte, si post Photium vel Cærularium Ecclesiæ præfuisset?

Animadvertas velim hanc secundam rationem præsupponere additiones ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum licitas esse ac permissas, ubi motivum sufficiens adfuerit illas faciendi; quod sane omnino rationabile est; quod tamen perpauci tantum ex dissidentibus per sæculorum decursum concesserunt. Inter hos paucos primus venit ipse Photius, qui in sua synodo Sanctæ Sophiæ (an. 879-880), in sessione sexta expresse agnovit additiones ad symbolum licitas esse, ubi nova hæresis exoriatur :

« Sincerrimam fidei christianæ formulam, inquit, lingua et mente complectimur et omnibus clara voce adnunciamus, nihil detrahentes, nihil adjicientes, nihil immutantes, nihil

1. *Dissert. cit.*, *loc. cit.*, col. 219-220.

adulterantes. Detractio enim et additio, *nulla existente hæresi per Maligni artes introducta* (μηδεμιᾶς ὑπὸ τῶν τοῦ πονηροῦ τεχνασμάτων ἀνακινουμένης αἱρέσεως), condemnationem infert eorum, qui nullam merentur condemnationem Patribusque injuriam imponit inexcusabilem [1]. »

Ergo Photius integritatem verbalem absolutam symboli Nicæno-Constantinopolitani nullatenus propugnat. Cum autem ipse novam hæresim de processione Spiritus Sancti *a Patre solo* docuerit, Ecclesiæ catholicæ rationem sufficientem præbuit voculam *Filioque* symbolo inserendi.

Polemista anonymus, qui sæculo XIII ineunte scribebat, expresse asserit additiones licitas esse, si veritati revelatæ consonent. Latinis Græcos de additione appositi *solo* (ἐκ μόνου τοῦ Πατρός) redarguentibus ita respondet :

« Non quælibet additio reprehensibilis est, sed ea quæ novitatem inducit, quæ suppositicia est ac spuria, ut est ista : *Filius producit Spiritum Sanctum*. Si enim concederetur omnem additionem culpandam esse, tunc sub anathemate caderent illius *consubstantialis* (τοῦ ὁμοουσίου) assertores, et secunda synodus propter ea quæ de Spiritu Sancto prædicavit, et illi qui beatam virginem Deigenitricem esse publica definitione extulerunt [2]. »

3º Tertiam rationem protulit Photius in sua synodo Sanctæ Sophiæ, in sessione septima :

« Detrahere vel adjicere, inquit, imperfectam arguit confessionem nostram de sancta et consubstantiali Trinitate, quæ usque in hanc diem a majoribus descendit, et apostolicam traditionem Patrumque doctrinam condemnat [3]. »

Aliis verbis eamdem proposuerunt alii polemistæ, insis-

1. Harduinus, *Coll. concil.*, t. VI, col. 336. Cf. t. I hujus operis, p. 189.

2. *Op. cit.*, p. 5; cf. supra, p. 302, n. 1; p. 305 : « Οὐ γὰρ πᾶσα πρόσθεσις ἐπιτιμητέα, ἀλλ' ἡ καινοτόμος καὶ ὑποβολιμαία, οἵα καὶ τὸ τὸν Υἱὸν ἐκπορεύειν τὸ Πνεῦμα. Εἰ γὰρ δοθείη, ὡς πᾶσα πρόσθεσις ὑπεύθυνος, ἀποκηρυχθεῖεν οἱ τοῦ ὁμοουσίου κήρυκες, καὶ ἡ δευτέρα σύνοδος ὑπὲρ τῶν εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα προρρηθέντων, καὶ οἱ ἀναστηλώσαντες τὴν ἁγίαν παρθένον θεοτόκον. »

3. Harduinus, *loc. cit.*, col. 340 : « Τὸ γὰρ ἀφελεῖν, ἢ προσθεῖναι ἀτελῆ εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον Τριάδα μέχρι σήμερον ἀνέκαθεν κατιοῦσαν ὁμολόγησιν ἡμῶν δείκνυσι, καὶ τῆς τε ἀποστολικῆς παραδόσεως καὶ τῆς τῶν πατέρων διδασκαλίας καταγινώσκει. »

tentes præsertim in hoc quod Patres secundi concilii œcumenici doctrinam de Spiritu Sancto omni ex parte absolutam contra Arianos et Macedonianos tradere intenderint, ita ut illorum formulæ fidei aliquid addere sit inscientiæ eos arguere. Injuria cadit etiam in concilia œcumenica subsequentia, quæ symbolum Nicæno-Constantinopolitanum absque additione recitarunt et approbarunt [1].

Vides hanc rationem cum præcedenti mire pugnare. Si enim symbolo aliquid addere est injuria afficere eos qui illud composuerunt vel approbarunt, ergo in nullo casu, etiam nova hæresi oriente, additio permittetur. Si additio arguit nostram confessionem hactenus fuisse imperfectam, ergo omnis nova fidei definitio prohibenda. Ergo Patres concilii Constantinopolitani Nicænos Patres inscitiæ damnarunt eorum formulæ aliquid addendo de Spiritu Sancto. Cæterum gratis supponitur 150 Patres Constantinopolitanos doctrinam de Spiritu Sancto omni ex parte completam tradere sibi proposuisse, præsertim cum historice constet eos symbolum, quod sub ipsorum nomine venit, ab eis non fuisse compositum, sed tantummodo approbatum [2].

4° Sed veniamus ad palmare argumentum, quod Græci in concilio Florentino contra liceitatem additionis protulerunt ac per tredecim integras sessiones propugnarunt, quod etiam ab illo tempore a plerisque propositum fuit et nostris adhuc diebus retinetur. Sic enuntiari potest :

« Synodus Ephesina œcumenica tertia, sub pœnis depositionis pro clericis, anathematis pro laicis prohibuit quin symbolo Nicæno-Constantinopolitano quidquam adderetur, etiamsi additio unam ex veritatibus a Deo revelatis exprimeret. Voluit synodus symboli litteram absque ulla, vel

1. In synodo Florentina, sess. III, Marcus Ephesius dixit : « Ab illis Patribus in symbolo fidei nihil arbitramur omissum, neque positum omnino quidquam esse quod sit mancum et aut correctione, aut additamento indigeat. » *Acta græca*, ed. cit., p. 35; lat., p. 30.

2. Notum est Nicæno-Constantinopolitanum fere ad verbum legi in *Ancorato* Epiphanii, § 120, *P. G.*, t. XLIII, col. 232, anno 373-374 scripto. Hanc formulam ab apostolis et a concilio Nicæno traditam fuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ dicit Epiphanius. Hanc synodus Constantinopolitana anni 381 approbaverit, quam Cyrillus Hierosolymitanus tanquam propriam fidei professionem Patribus exhibuerit.

minima mutatione in perpetuum servari. Prohibitio ligat non solum privatos, non solum Ecclesias particulares, sed etiam Ecclesiam universalem et concilium œcumenicum ipsum. Synodus Ephesina quidquam addere sibi ipsi interdixit. Prohibitioni steterunt eamque renovarunt aliæ synodi œcumenicæ usque ad septimam inclusive, quæ proprias definitiones symbolo non inseruerunt, sed seorsum enuntiaverunt.

Hanc incredibilem positionem totis viribus propugnarunt tunc Marcus Ephesius, tum ipse Bessario [1]. In sessione quinta Marcus dixit :

« Statutum est a Patribus, ut ex eo tempore nemo symbolum Nicænum *vel, quod idem est, Constantinopolitanum (vi enim hoc continetur illo, et ambo pro uno sunt habita*[2]*)* immutandi haberet potestatem. Hanc licentiam, quæ usque ad hæc tempora fuerat, et sibi ipsis præcludunt et reliquis omnibus. Itaque factis dicta sua confirmarunt; nam vocem illam *Deipara* (Θεοτόκος) symbolo addere non sunt ausi [3]. »

In sessionibus autem octava et nona, Bessario multo explicitius idem asseruit :

« Explicationes ad sacrum symbolum addere vetitum est; atque id sane factum est necessario; nam usque ad secundum generale concilium facultas erat Patribus utendi explicationibus uti volebant; post illud vero, quoniam nonnulli facultate hac abusi sunt... Patres tertiæ synodi statuerunt et obsignantes decreverunt eo quo sciebant modo, ut nihil tale deinceps fieret... Illud quoque necessario est annotandum

1. Volebat quidem Bessario cum quibusdam aliis, ut Græci a quæstione dogmatica disputationem inirent. Cum autem hoc illis persuadere non potuisset, dicere statuit, ut ipse postea narravit (*De processione Spiritus Sancti ad Al. Lascarim*, ed. lat., *P. G.*, t. CLXI, col. 415) « quæ expedirent nationi et honori ejus... Tota ratio nostra, qua credebamus hanc rem posse probari, in dictis tertii concilii Ephesini consistebat, cum asseveraremus illam primam in fine sui decreti hanc inhibitionem de quacumque videlicet additione edidisse. Nam etsi non sit verum talem inhibitionem illud concilium fecisse, qui tamen contendere volunt, possunt aliquid adjumenti hinc habere propter æquivocationem et ambiguitatem verborum. »

2. Vides quomodo gratis asserat Patres Ephesinos, qui de solo symbolo Nicæno loquuntur et Constantinopolitanum prorsus ignorant, ambo pro uno habuisse, quod primum virtualiter alterum contineat.

3. *Acta græca*, ed. cit., p. 40.

interdici hoc universo Ecclesiæ corpori... Aliud ergo synodus prohibet præter id quod prius fuerat vetitum, *vocum scilicet mutationem*, quod ad ea usque tempora licebat; *idque universali interdicit Ecclesiæ, non privatis tantum*... Nosse volumus Reverentiam vestram *a nobis facultatem hanc negari universæ Ecclesiæ, et synodo etiam œcumenicæ, non tantum romanæ Ecclesiæ;* negamus autem non ipsi a nobis, sed arbitramur hoc Patrum decretis negari... Nos dicimus sanctorum Patrum decreta prohibere in universum; et quando dicunt non esse addendum, aut detrahendum, aut quidquam aliud agendum, *de syllaba* illos et *dictione* verba facere (καὶ περὶ συλλαβῆς τὸν λόγον ἐκεῖνοι ποιοῦνται καὶ λέξεως) [1]. »

Hanc thesim plerique polemistæ epochæ modernæ ad nostra usque tempora suam fecerunt acriterque tuiti sunt; quod omnino mirum est. Illam invenies, v. g., apud Georgium Coressium [2], Zernikavium [3], Macarium Bulgakov [4], auctores theologiæ polemicæ apud Russos [5], Chrysostomum,

1. *Acta græca*, ed. lat., *loc. cit.*, p. 81, 89; Mansi, *Ampl. coll. concil.*, t. XXXI A, col. 609, 626.

2. Ἐγχειρίδιον, ed. Dosithei, *loc. cit.*, c. XI, p. 359 : « Οὔτε ἐπιτρέπομεν (ait Ephesina) ἑαυτοῖς ἢ ἑτέροις ἢ λέξιν ἀμεῖψαι τῶν ἐγκειμένων ἐκεῖσε, ἢ μίαν γοῦν παραβῆναι συλλαβήν· τοῦτο δὲ ἐρρέθη περὶ τῆς ἐν Νικαίᾳ συναχθείσης συνόδου· ἡ δὲ τετάρτη, κ.τ.λ. »

3. Hujus *Tractatus* VII, ed. E. Bulgaris, t. I, p. 504-525, ita inscribitur : « Κἂν ἀληθὲς εἶναι τὸ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι ὑποτεθείη, οὐδέν τι ἧττον μὴ θέμις εἶναι τῷ ἱερῷ συμβόλῳ τοῦτο προστίθεσθαι.

4. *Pravosl. dogm. bogoslovie*, t. I, ed. 4, Petropoli, 1883, p. 289-290, ubi ostendere nititur synodum Ephesinam nomine symboli Nicæni intellexisse etiam Constantinopolitanum; *Wedenie v pravosl. bogoslovie*, ed. 5, Petropoli, 1884, p. 388-404 (§ 143-145), ubi ad discernendam veram Christi Ecclesiam hoc statuit criterium : « Nomen *Ecclesiæ orthodoxæ* ad illam ex Ecclesiis nunc existentibus tantum pertinet, quæ hunc sanctissimum canonem absque ulla vel minima additione vel demptione ad integrum servavit. » Agitur de decreto Ecclesiæ universæ, quo omnibus generationibus futuris Nicæno-Constantinopolitanum et alias fidei definitiones tanquam fidei regulam inviolatam ac immutabilem custodire jussit. » Additio vocis *Filioque* ad symbolum Macario sufficiens est indicium falsitatis Ecclesiæ catholicæ. Cf. t. IV hujus operis, p. 584-585.

5. Cf., v. g., Perov, *op. cit.*, p. 40-41. Hic auctor dicit antiquam Ecclesiam sibi consciam fuisse quod symbolum Nicæno-Constantinopolitanum absque ulla mutatione servandum esset.

Dramæ episcopum [1], etc. Hi omnes post Marcum Ephesium repetunt synodum Ephesinam pro uno habuisse utrumque symbolum, Nicænum nempe et Constantinopolitanum; unde et ejus decretum non solum ad illud, sed etiam ad hoc referri dicere non dubitant.

Quidam tamen sententiam Ephesii et Bessarionis defendi non posse duxerunt, eamque paulum mitigarunt, asserentes synodum Ephesinam additiones non interdixisse concilio œcumenico. Ita theologi Kiovienses sæculi XVIII. Hilario Negrebetskii hæc habet :

« Licita quidem fuit additio in tempore illorum septem conciliorum, sed *synodaliter*, cum approbatione legitima omnium, non vero additio privata et in privato quorumdam arbitrio fundata, carens illa synodali approbatione : *Sic visum est Spiritui Sancto et nobis;* et talis est illa additio Romanorum. » *(Cod. cit.)*

Idem tenet Theophanes Procopovitch qui, utpote principiis lutheranismi imbutus, conciliis œcumenicis auctoritatem mere humanam tribuit a sacræ Scripturæ divina auctoritate pendentem :

« Ubi de illa sanctione sermo est, rursus non quæritur an tanta sit synodi Ephesinæ atque adeo illius sanctionis auctoritas, ut nulli alii auctoritati possit cedere. Cum enim synodus illa, quantumvis maxima, quippe quæ totam Ecclesiam referebat, *fuerit nihilominus congregatio humana, nec*

1. Περὶ Ἐκκλησίας, t. II, Athenis, 1896, p. 397-398 : « Symbolum fidei Patrum necesse est incorruptum maneat atque immutatum. Tum ecclesiastici canones, tum Patres romanique pontifices decreverunt statueruntque ne verbum aliquod vel syllaba in hac fidei summa immutaretur, vel tolleretur, vel adderetur, vel in alium sensum detorqueretur. *Additio ad symbolum ipsum, aut suppresio vel syllabæ unius est hæresis*, in synodos œcumenicas rebellio, quæ anathemate plectitur, excommunicationis pœna mulctatur. Etiamsi illud *Filioque* non esset impia sententia maximeque a vero absona, etiamsi cunctis nobilioribus veri dogmatis orthodoxi cohonestaretur titulis, liceret utique illud edocere in specialibus litteris dogmaticis et confessionibus, in variis catechismis et fidei orthodoxæ expositionibus; at nunquam fas esset illud in symbolum fidei invehere, *aut verbum aliquod vel syllabam in eo immutare* : οὐδέποτε ὅμως καὶ πάλιν οὐδέποτε ἐπετρέπετο νὰ εἰσελάσῃ εἰς τὸ τῆς πίστεως τοῦτο σύμβολον τῶν πατέρων, καὶ νὰ προστεθῇ, ἢ καὶ ν' ἀλλαγῇ λέξις τις ἢ συλλαβὴ ἐν αὐτῷ. »

habuerit (quantum quidem ad res a Scriptura non præceptas) auctoritatem divinæ auctoritati æqualem, potest auctoritati sibi æquali, hoc est, alteri synodo œcumenicæ concedere in rebus (quod hic inculco diligenter) mutabilibus et per se adiaphoris, qualis symboli verbalis est formula, idque si hoc flagitaverit summa aliqua necessitas : potest, inquam, alia œcumenica synodus aliquid symbolo addere, sed ostendendo necessitatem et adjiciendo cautelam quod hoc fiat non ad infringendam auctoritatem synodi Ephesinæ, sed alium finem salutarem, si talis quandoque acciderit, et si aliter sine scandalo, sine periculo et remedio necessario fieri nequeat [1]. »

Alia via Græcorum thesim vulnerat Procopovitch, dum aliquas mutationes mere verbales in symboli textu permittit. Distinguit siquidem inter explicationem *grammaticam* et explicationem *logicam* :

« Grammatica est, cum sententia aliis vocabulis, sed clarioribus quam quibus erat proposita, exponitur... quæ duplex est : una *paraphrasis*, altera *metaphrasis*... Logica vero interpretatio est, cum non tantum verba, sed et conceptus clariores adhibentur, ostendendo quid sit rei maxime proprium, per quid differat ab omni alio, in quo scilicet consistit ipsius essentia, qualis est definitio; vel etiam alias rei proprietates, partes, causas, effectus, adjuncta exponendo, quales descriptiones sunt [2]. »

Jam vero Theophanes explicationes mere *metaphrasticas* concedit; reprobat vero explicationes *paraphrasticas* et a fortiori explicationes *logicas*. Atqui illud *Filioque* est explicatio logica [3]. Sed interpretationes metaphrasticæ *litteram* symboli corrumpunt. Tales non admittit thesis classica polemistarum, prout a Marco Ephesio in concilio Florentino exposita est.

Cæterum eadem licentia, qua Marcus Ephesius usus est, Procopovitch pronuntiat « synodum Ephesinam nomine

1. *Tractatus de processione Spiritus Sancti*, c. XIX, § 319, ed. Rudnef, Gothæ, 1772, p. 428-429.
2. *Ibid.*, § 321, p. 442-443. Exemplum metaphrasis : *scripsit epistolam*, pro : *exaravit litteras*. Exemplum paraphrasis : *Judæus factus est christianus*, pro : *Homo ex circumcisione Christo nomen dedit.*
3. *Ibid.*, p. 443-444.

Nicænæ fidei comprehendisse symbolum ut est editum Nicææ et auctum Constantinopoli; comprehendisse autem uno nomine *propter faciliorem, breviorem magisque expeditam loquendi rationem* [1]. »

In concilio Florentino, Georgius Scholarius, unioni tunc favens, Marci Ephesii sententiæ aperte contradixit, declarans Ephesinum decretum non ligare synodum œcumenicam, sed tantummodo homines privatos, nec prohibere quodcumque additamentum, sed additiones symbolo fidei contrarias; immo suos gentiles hortatus est, ut particulam *Filioque* symbolo ipsi adjicerent : « Quæ enim, inquit, credere licet, confiteri quoque permissum est... Aut demonstrandum est Latinorum sententiam a veritate prorsus alienam esse; aut, si hoc non potestis, ut vera illa honoranda est, et fides in symbolo declaranda [2]. »

Consilio Scholarii Græci nonnisi ex parte accesserunt, concedentes quidem additionem a synodo œcumenica vel de patriarcharum consensu fieri posse, immo agnoscentes Latinos, necessitate cogente, vocem *Filioque* addidisse, renuentes vero symbolo Orientalium quidquam adjicere [3].

1. *Op. cit.*, § 321, p. 435.
2. *Œuvres complètes*, t. I : *Discours à Florence sur les obstacles à la paix religieuse*, n. 17, 18, p. 342-343 : « Ἔπειτα, εἰ καὶ Λατίνοις μόνοις ἢ Γραικοῖς Λατίνων χωρὶς οὐκ ἔξεστι καὶ ὁτιοῦν προστιθέναι, ἀλλά γε τὴν οἰκουμενικὴν σύνοδον οὐδεὶς τουτὶ τὸ γέρας ἀφελέσθαι δυνήσεται... Καὶ μὴν ἃ κωλύει πιστεύειν, ταῦτα καὶ τῷ συμβόλῳ τῆς πίστεως προστιθέναι οὐκ ἐᾷ · ...ἃ δὲ πιστεύειν ἔξεστι, ταῦτα καὶ ὁμολογεῖν συγκεχώρηται... Ἢ τοίνυν τὴν τῶν Λατίνων δόξαν δεικτέον τῆς ἀληθείας πόρρω που βάλλουσαν, ἢ τοῦτο μὴ δυναμένους ὡς ἀληθῆ τιμητέον καὶ φρονητέον, εἶτα καὶ τῷ συμβόλῳ τὴν πίστιν φανερωτέον. » Cf. *Discours sur les moyens d'obtenir la paix religieuse*, 26, *ibid.*, p. 371. Ad schisma autem reversus, Scholarius sententiam Marci Ephesii amplexus est ac defendit : Cf. *Tractatum I de processione Spiritus Sancti*, l. I, c. V, *Œuvres complètes*, t. II, p. 14-15 : « Οὐκ ἐξῆν αὐταῖς (scilicet synodis œcumenicis) ἅπτεσθαι τοῦ συμβόλου, ἕως ἄθικτον αὐτὸ διαμένειν ἡ τρίτη σύνοδος ὥρισεν · αὗται δὲ τοὺς ἐκείνης νόμους ἐξ ἀνάγκης ἐτήρουν. »
3. *Acta græca*, sess. XV, in fine, ed. Nickes, lat., p. 254, 256; græc. 304, 306. Primum dixerunt : « Quomodo nobis affirmare liceat romanam Ecclesiam licentiam habere addendi vel demendi sine fratribus patriarchis? Quapropter, etsi pium est quod additum fuit, qui tamen hoc facere ausus fuerit sine cognitione synodica culpa nequaquam vacabit. » Postea vero subjecerunt : « Ad additionem quod attinet, nos eam nun-

Nostris tandem diebus, Russus Bolotov aliique pauci historicam veritatem tandem agnoverunt ac prædicarunt, scilicet quod decretum Ephesinum nullo pacto respicit symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, sed formulam Nicænam genuinam; item quod prohibitio *alteram fidem* componendi a concilio Chalcedonensi lata a synodo œcumenica sexta intellecta est de non introducenda formula fidei priorum conciliorum definitionibus contraria :

« Conclusio Photii, ait Bolotov, quod œcumenicæ synodi complementa ad symbolum prohibeant, et consequenter quod *Filioque* ut doctrinam condemnent, cogente vi dialectica caret, quatenus *Filioque* occurrit apud illos Patres et auctores, quos œcumenicæ synodi recipiunt; unde hanc sententiam non ducunt esse suis definitionibus contrariam.

« Nec Photius, nec Leo III canonem septimum tertii concilii œcumenici memorant [1], qui revera non symboli Constantinopolitani, sed Nicæni integritatem et auctoritatem tuetur.

« In conclusione definitionis Chalcedonensis tum Photius, tum Leo III inveniunt prohibitionem quidquam addendi ad textum symboli Constantinopolitani. Porro interdictio componendi *alteram fidem proxime* respicit ac munit integritatem definitionis fidei Chalcedonensis, quæ immediate præcedit. Patres concilii œcumenici sexti hujus definitionis textum compleverunt verbis : *Unus de sancta Trinitate*, et : *vere et proprio sensu (Deipara)* (una et altera explicatio ex Actis concilii œcumenici quinti sumpta) necnon sua propria expositione dogmatis de duabus in Christo voluntatibus et operationibus, atque in conclusione suæ confessionis fidei (id est, novæ redactionis definitionis concilii Chalcedonensis) de non exponenda *altera fide* prohibitionem iterarunt. Consequenter, Patres concilii sexti dictione : ἑτέραν πίστιν intelligunt fidei

quam admittemus, sed eam vobis in vestris Ecclesiis habere permittimus, non tamen in orientalibus; dicimusque necessitate cogente a vobis symbolum explicatum fuisse. »

1. Hoc bene nota, quod e nostris plerique non animadvertunt; quod et Photii et Leonis papæ III scientiam commendat. Uterque ad concilium Chalcedonense provocat, quod revera, ante propriam definitionem, primum Nicæni, deinde Constantinopolitani symboli textum recitat. Cf. *De Spiritus Sancti mystagogia*, 79-80, *P. G.*, t. CII, col. 362-366.

expositionem, quæ aliquid a doctrina Patrum concilii Chalcedonensis discrepans contineat [1]. »

Hæc theologi russi verba sunt prorsus ad rem, et Græcorum argumentum præcipuum contra additionis vocis *Filioque* liceitatem funditus evertunt.

Notemus demum multos polemistas et theologos modernos ad decretum Ephesinum contra additionem provocare, quin hujus prohibitionis vim certe definiant, utrum scilicet ad privatos vel ad Ecclesias particulares tantum, an etiam ad Ecclesiam universam et ad ipsum concilium œcumenicum se extendat. Illis satis est Latinos arguere quod decretum alicujus concilii œcumenici infregerint [2].

II. — De vero sensu decreti Ephesini et aliorum conciliorum œcumenicorum de altera fide non componenda.

Die 22 julii 431, synodi Ephesinæ Patres, in sua sessione sexta, hoc tulere decretum :

« Statuit sancta synodus *alteram fidem* nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, *præter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis sive ex gentilitate, sive ex judaismo, sive ex qualicumque hæresi : hos quidem, si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu et clericos a clericatu decrevit; si vero laici fuerint, anathemati subjici [3]. »

Ad rectam horum verborum interpretationem, ea referre necesse est, quæ hanc legem ferendi synodo ansam præbue-

1. *K voprossu o Filioque*, ed. A. Brilliantov, Petropoli, 1914, p. 129-130.

2. Vide, v. g., Zikum Rhosim, Δογματική, p. 255-256; Andrutsus, Συμβολική, ed. 2, p. 157.

3. « Ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προσφέρειν, ἤγουν συγγράφειν ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἐν τῇ Νικαίᾳ συνελθόντων σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι · τοὺς δὲ τολμῶντας ἢ συντιθέναι πίστιν ἑτέραν, ἤγουν προσκομίζειν, ἢ προσφέρειν τοῖς ἐθέλουσιν ἐπιστρέφειν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἢ ἐξ ἑλληνισμοῦ, ἢ ἐξ ἰουδαϊσμοῦ, ἢ ἐξ αἱρέσεως οἱασδηποτοῦν... » Harduinus, *op. cit.*, t. I, p. 1525 DE.

runt : Charisius, Ecclesiæ Philadelphiensis presbyter et œconomus, Patribus narravit presbyterum quemdam Constantinopolitanum nomine Jacobum, qui errore nestoriano imbutus erat, venisse Philadelphiam, quosdam ibi quartodecimanos et novatianos convertisse, eisque obtulisse aliquam fidei formulam hæresim nestorianam aperte exprimentem; cui propria manu subscripserant illi. Cum autem Charisius huic agendi rationi reclamavisset, illum ut hæreticum excomunicaverant ac officio dejecerant Jacobi nestoriani amici ac socii. Ut autem probaret se esse orthodoxum ac veram fidem Nicænam tenere, Charisius coram synodo recitavit suam fidei professionem, quæ, ut videtur, nihil aliud erat quam formula baptismalis in Ecclesia Philadelphiensi recepta; nec *ad verbum* cum symbolo Nicæno congruebat, quædam omittens et haud pauca in fine addens [1]. Lecta postea est coram synodo formula fidei hæretica cum subscriptionibus conversorum. His auditis, Patres decretum mox relatum edixerunt, subjicientes specialem sententiam depositionis et excommunicationis in eos qui doctrinam hæreticam in symbolo nestoriano a Charisio delato contentam amplecterentur.

Ex his circumstantiis satis clare constat synodum eo spectasse, ut privatis personis quibuscumque interdiceret ne componerent novam fidei formulam præter symbolum Nicænum proprie dictum, eamque ad fidem conversis proponerent. Bene nota :

1º Hic agi non de symbolo Constantinopolitano, sed de Nicæno proprie dicto, prout a Patribus concilii I Nicæni promulgatum est et initio sessionis sextæ synodi Ephesinæ recitatum fuit [2]. Ephesina enim synodus, et item Latrocinium Ephesinum anni 449, symbolum Nicæno-Constantinopolitanum prorsus ignorant, quidquid in contrarium insinuare voluerint polemistæ antilatini. Synodus Constantinopolitana anni 381 tempore concilii Ephesini ut œcumenica communiter nondum habebatur, neque reapse fuerat. Œcumenicitas post factum — et sane non quantum ad omnia ejus decreta — inde a concilio Chalcedonensi gradatim ei obvenit;

2º Prohibitionem directe respicere *compositionem* novæ formulæ *integræ*, non vero meram unius vel duorum verborum additionem ad symbolum receptum, si tamen supponamus verba addita sensum orthodoxum præ se ferre [1]. Si ad *novum* seu *alterum* symbolum efficiendum, sufficeret unius voculæ adjectio, tunc mire multiplicaretur symbolorum numerus pro lectionem variantium unius ejusdemque formulæ multitudine, haberemusque non solum multa symbola *apostolica*, sed etiam plura symbola Nicæno-Constantinopolitana;

3º Prohibitionem spectare ad personas privatas, sive sint episcopi vel clerici, sive laici, non vero, ut videtur, ad cœtum aliquot episcoporum in synodum adunatorum; a fortiori eam non ligare supremam auctoritatem Ecclesiæ universæ et synodum œcumenicam. De facto, ephesina synodus epistolam dogmaticam Cyrilli Alexandrini de maternitate divina B. Mariæ virginis approbavit (Καταφλυαροῦσι), quæ specialem constituit fidei declarationem de mysterio Incarnationis;

4º De sensu dictionis *alteram fidem*, ἑτέραν πίστιν, dubitari posse, et revera inter doctos de hac quæstione aliquam controversiam esse. Omnes sane concedunt concilium prohibere omnem formulam Nicæno symbolo *contrariam*. Multi autem volunt hoc tantum vetari, et nihil amplius : Ita oratores latini in concilio Florentino, et communius theologi catholici. Alii autem putant decretum respicere etiam formulas a Nicæno *distinctas*, *etsi non oppositas*, si a privatis personis,

1. Hoc symbolum ta desinit : « καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, τὸ παράκλητον, ὁμοούσιον Πατρὶ καὶ Υἱῷ· καὶ εἰς ἁγίαν καθολικὴν Ἐκκλησίαν, εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν, εἰς ζωὴν αἰώνιον. » Harduinus, col. 1516 B. Ut notum est, symbolum Nicænum simpliciter habet « καὶ εἰς τὸ ἅγιον Πνεῦμα ». Post hæc verba, veniunt ea, quæ ad hæresim arianam spectant.

2. Post symboli recitationem, Petrus, Alexandriæ presbyter, dixit : « τῆς ἁγίας ταύτης συνόδου ὁριζούσης κρατεῖν τε καὶ βεβαίαν εἶναι τὴν πίστιν τὴν ἐκτεθεῖσαν διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν κατὰ καιρούς ἐν τῇ Νικαέων πόλει συνειλεγμένων. »

1. Difficultatem pro sua thesi inde orientem bene perspexit Procopovitch, qui, *op. cit.*, c. XIX, § 321, p. 435, respondet : « Si aliud symbolum publicare non licet præter Constantinopolitanum seu Nicænum seu Nicæno-Constantinopolitanum, *nihil ergo licet addere; nam si addas vel diminuas*, jam *aliud erit symbolum;* certe nostrum symbolum aliud esse a suo dicere debent Latini. » At non dicunt, neque tu ipse dicis, neque tui; semper enim de additione *ad symbolum* vos loquimini.

vel etiam ab Ecclesiis particularibus componantur ac proferantur [1]. Nostro judicio, prima sententia probabilitate non caret, si ad meras additiones, ut est vocula *Filioque*, restringatur, quia revera decretum additiones non respicit, sed integram fidei formulam. Si vero de formula integra a symbolo Nicæno plerisque verbis diversa agatur, prohibitionis sensus obvius attingit etiam formulas hujusmodi, ne scilicet a privatis quibuscumque, etiam ab episcopis, conscribantur ac conversis ad fidem proponantur. Verum hæc omnino addenda sunt : *a)* Decretum hoc sensu intellectum (nempe quod prohibeantur formulæ non sententiis oppositæ, sed verbis et explicationibus a formula Nicæna diversæ) est mere *disciplinare*, non dogmaticum, et ideo *mutabile*, et sive alio auctoritatis competentis decreto, sive *etiam consuetudine* abrogationi obnoxium; *b)* Synodum Ephesinam nullo pacto interdicere voluisse multiplices formulas baptismales in diversis Ecclesiis jam existentes et ut orthodoxas receptas, sed novas formulas deinceps condere, et fidelibus vel conversis offerre; quod satis aperte constat ex agendi ratione Patrum erga Charisium ejusque fidei professionem, quæ, ut diximus, ipsa erat baptismalis formula Ecclesiæ Philadelphiensi plus ab apostolorum symbolo quam a Nicæno pendens; *c)* Ipsum decretum Ephesinum, quatenus prohibet compositionem novarum fidei formularum symbolo *Nicæno non contrarias vix in praxim Ecclesiæ deductum fuisse, sed litteram pene mortuam* remansisse, et statim post concilium, præsertim vero inde a concilio Chalcedonensi, *usu communi Ecclesiarum et etiam privatorum ita intellectum fuisse ac si tantummodo prohibere intendisset compositionem formularum heterodoxarum et hæreticarum*, quæ cum

1. Ita Manuel Calecas, *Adversus Græcos*, l. IV, *P. G.*, t. CLII, col. 187B : « Non igitur communem fidem declarare interdictum est, sed vel *aliam*, vel contrariam inducere, ut ipsæ quoque litteræ testantur; sive *quibuslibet hominibus* interdictum est, ne horum quisque passim sibi proprium symbolum conscribens et aliquos a communi confessione separans « cum hoc deceptos baptizet fiantque conventicula ». Item Franzlin, *De Deo trino*, ed. cit., p. 600 : « Decretum prohibens « aliam fidem proferre » necessario intelligendum est vel ut decretum fidei proscribens symbola aliena a professione catholica, vel *ita ut jus determinandi formulam solennis professionis fidei declaretur non singulis sed ipsi dumtaxat universali et supremo in Ecclesia magisterio competere.* »

Nicæna fide componi non possint illique adversentur et revera constituant *alteram fidem*, ἑτέραν πίστιν, id est formulam non verbis tantum diversam, sed etiam sententiis Nicæno symbolo oppositam.

Hoc multis factis indubiis comprobatur. Vix enim duo a synodo Ephesina anni elapsi erant, cum Orientales Antiocheni et episcopi Ægypti de aliqua nova fidei formula *verbis a fide Nicæna diversa*, quæ nomine *symboli unionis* nuncupata est, inter se convenerunt et propria subscriptione firmaverunt. Hac occasione quidam Cyrillum Alexandrinum insimularunt quod hanc novam formulam approbando contra decretum synodi Ephesinæ egisset, debuitque sanctus doctor suam agendi rationem defendere, quod sequentibus verbis fecit :

« Sancta quippe et œcumenica synodus, quæ Ephesi convenerat, necessario providit non oportere aliam fidei expositionem in Ecclesias Dei inferre (πίστεως ἔκθεσιν ἑτέραν) præter eam, quæ jam exstabat, quam beatissimi Patres nostri [Nicæni scilicet] in Spiritu Sancto locuti definiverant. Illi tamen, ab hac semel, nescio quo modo, dissentientes, et quod neque recte sentirent, neque apostolicis et evangelicis dogmatibus adhærerent in suspicionem adducti, numquid tacendo ab hac ignominiosa nota se liberassent, an plena potius suæ sententiæ declaratione (τῆς ἑνούσης αὐτοῖς δόξης τὴν δύναμιν ἐμφανίζοντες, *nempe per hoc unionis symbolum*)? Atqui divinus Christi discipulus scriptum reliquit : « Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe (I Pet., III, 15). *Qui hoc init consilium nihil utique novi molitur, nec fidei expositionem innovare deprehenditur; sed potius eam, quam de Christo habet fidem, interrogantibus perspicuam reddit* [1]. »

1. Epist. XL, *Ad Acacium Melit.*, *P. G.*, t. LXXVII, col. 189 AB : « Ὁ δὲ τοῦτο δρᾶν αἱρούμενος καινουργεῖ μὲν οὐδέν, ἀλλ' οὐδὲ πίστεως ἔκθεσιν ὁρᾶται καινοτομῶν· ἐναργῆ δὲ μᾶλλον καθίστησι τοῖς ἐρομένοις αὐτὸν ἣν ἂν ἔχοι πίστιν περὶ Χριστοῦ. » Mirandum omnino est quod Græco-Russi, ut suam de inviolabilitate verbali symboli Constantinopolitani thesim tueantur, ad hæc verba Cyrilli in *Epistola ad Joannem Antiochenum* provocare soleant : « Nullo modo patimur, ut ab aliquo fides illa, sive fidei symbolum concutiatur, quod a sanctis quondam

Ergo, juxta Cyrillum, decretum Ephesinum non violat qui interrogatus, vel de hæresi suspectus suam exponit fidem modo explicatiori verbisque a formula Nicæna diversis. Hac interpretatione usi sunt doctores catholici et concilia œcumenica subsequentia tum contra Nestorianos, tum præsertim contra Eutychianos et Monophysitas, qui prohibitionem Ephesinam ita intelligere volebant ac si Ecclesiæ catholicæ, post synodum Ephesinam, nullam novam fidei definitionem edere in posterum licuisset [1]. Unde concilium Chalcedonense et alia concilia œcumenica quæ subsecuta sunt usque ad septimum inclusive, aut *explicite, aut implicite* decretum Ephesinum iisdem fere verbis iterant de *non componenda altera fide.* At vero bene nota hanc prohibitionem in Actis illorum conciliorum venire tum post utriusque symboli, Nicæni scilicet et Constantinopolitani proprie dicti, litteram, tum post propriam definitionem cujusque concilii, ita ut respiciat non solum symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, sed etiam Nicænum et proprias cujusque concilii definitiones, et *altera fides non conscribenda* significet *fidei formulam non verbis discrepantem, sed sententiis contrariam fidei catholicæ ab omnibus conciliis œcumenicis præcedentibus et ab ipso concilio œcumenico præsenti definitæ.*

Non solum concilia œcumenica, sed etiam particulares

Patribus Nicænis editum est. Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam præterire permittimus, memores ejus qui dixit : « Ne transferas terminos antiquos quos posuerunt patres tui (Prov., XXII, 28) : Οὔτε μὴν ἐπιτρέπομεν ἑαυτοῖς, ἢ ἑτέροις ἢ λέξιν ἀμεῖψαι τῶν ἐγκειμένων ἐκεῖσε, ἢ μίαν γοῦν παραβῆναι συλλαβήν. » *P. G.*, t. LXXVII, col. 180-181. In hac ipsa enim epistola, Cyrillus *materialiter* transgreditur decretum Ephesinum *de non componenda altera fide*, dum *symbolum unionis* anni 433 recitat et approbat. Præterea, loquitur non de formula Constantinopolitana, sed de formula Nicæna pura. Demum non loquitur de *additione*, sed de *mutatione eorum quæ ibi posita sunt* (id est non de solis verbis, sed potissimum de sententiis) necnon de *qualicumque omissione.* Vides quam longe sint hæc omnia a positione Marci Ephesii!

1. Vide, v. g., quæ acta sunt tum in *Latrocinio Ephesino* a Dioscoro ejusque sociis, Harduinus, *op. cit.*, t. II, col. 257 sq., tum in concilio Chalcedonensi, Harduinus, *ibid.*, col. 453, 644, 649. De decreto Ephesino, quantum ad controversiam monophysiticam, multa dicenda essent; de quibus vide Bernardum de Rubeis, *dissert. cit.*, col. 156-176.

Ecclesiæ et privati homines, præsertim episcopi et patriarchæ, post synodum Ephesinam, suam fidem exponere consueverunt variis modis interpolando et aliis verbis explicando symbolum Nicæno-Constantinopolitanum, prohibitionem *de altera fide non componenda* eodem prorsus modo intelligentes, non contradicentibus sed etiam aperte approbantibus ipsis synodis œcumenicis. Ad rem Bernardus de Rubeis :

« Formulam fidei in Nicæna synodo constitutam spectat *lex ephesina*, qua nihilominus non obstante, vigebant ævo illo peculiares formulæ *Antiochena, Hierosolymitana, Philadelphiensis* ac *Constantinopolitana.* Præcipuum ergo Ephesinæ legis consilium effulget quam maxime, ut hominum scelestorum cohiberetur fidentia novas in dies condendi formulas Nicænæ fidei adversas. Utramque formulam, *Nicænam* et *Constantinopolitanam*, approbavit Chalcedonensis œcumenica synodus, eaque approbatione factum est, ut Constantinopolitana formula, relicta Nicæna, passim uterentur in baptismate ac in sacra etiam liturgia orientales Ecclesiæ; id vero pro sua libertate peregerunt Ecclesiæ, non synodi alicujus œcumenicæ jussu. Lex attamen Ephesina, ac etiam Chalcedonensis, *aliquo modo* servata est, propterea quod simplex illa Constantinopolitana adhiberetur in baptismate et inter missarum solemnia. At sibi licitum duxerunt Orientales formulas proferre aut conscribere, aut componere peculiares, a Nicæna et Constantinopolitana differentes, quibus prolixioribus verbis rectam fidem profiterentur, aut sese ab omni erroris suspicione purgarent. Prostant ipsæ in œcumenica synodo sexta et septima. Digna est animadversione quæ a Tarasio, episcopo Constantinopolitano, ad alios transmissa fuit patriarchas, ubi verba habentur additamento Latinorum similia : *Et in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem, qui ex Patre per Filium procedit.*

« Reponebant Græci in synodo Florentina formulas istas fidei particulares esse, non communes. Verum enimvero, legi Ephesinæ, si verborum adhæreas rigori, adversantur ipsæ, easque nihilominus, pace et unitate salva, ad se mutuo transmittebant episcopi, neque synodi œcumenicæ ad se delatas rejiciebant. Minus utique contra legem Ephesinam piaculum videtur, *si quod esset, quod nullum est*, una voce, rectæ fidei

consona ac temporum circumstantiis convenienti symbolum Constantinopolitanum auxisse [1]. »

Vides quam ruinosa sit tota hæc photianæ polemicæ tabulatio ex decreto Ephesino aliorumque conciliorum œcumenicorum ædificata; quod a fundamento penitus ruat, nihil firmitatis habens, et ad veritatis historicæ solem ut inanis nebula evanescens.

III. — De additamentis ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum apud Russos.

Antiquæ versiones slavicæ symboli Nicæno-Constantinopolitani haud semper inter se concordant, et omnes fere a textu græco, prout nunc intra sacram liturgiam recitatur, in quibusdam discrepant. Ita in articulo secundo, ad verba : *genitum, non factum* (γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα), pleræque versiones slavicæ habent : *genitum* ET *non factum (rogdenna* A *neçotvorenna)*. Eædem, ad articulum tertium, loco : « καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ ἐνανθρωπήσαντα », legunt : *Et incarnatus est ex Spiritu Sancto, et (ex) Maria virgine homo factus est*, virgulam ponentes post *ex Spiritu Sancto*, et *homo factus est* ad *ex Maria virgine* referentes. Item, in articulo septimo, versiones slavicæ habent : *cujus regni* NON EST *finis*, loco : *cujus regni* NON ERIT finis *(ego ge tsartsviiu niest kontza*, loco : *ego ge tsarstviiu ne budet kontza)*. Lectio autem varians omnium gravissima occurrit in ipso articulo octavo, qui est de Spiritu Sancto ; agitur vero de quadam *additione;* de additione non mere *metaphrastica*, ut verbis utamur Theophanis Procopovitch, nec pure *paraphrastica*, sed revera de *additione logica*. Ubi enim genuinus textus habet : « Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιόν », slavicæ versiones ferunt : *Et in Spiritum Sanctum, Dominum* VERUM *et vivificantem* (= *i v Dukha sviatago gospoda* ISTINNAGO *i givotoriachtchago*). Addunt ergo appositum *verum*, quo *novus conceptus* in symbolum invehitur; unde additio est vere logica. Non tamen omnes versiones hujusmodi appositum præferunt, sed quædam cum textu

1. Bernardus de Rubeis, *Dissertatio cit., loc. cit.*, col. 218-219.

originali conveniunt; aliæ vero voce *Dominum* carent, cujus loco ponunt epithetum *verum, istinnago* [1]. Porro, anno 1551, *synodus centum capitum*, quam Russi nomine *Stoglav* designant, inter utramque lectionem dubia hærens, alterutram vocem decrevit esse delendam : aut *gospoda (Dominum)*, aut *istinnago (verum)*. Accidit autem, ut plerique, ne alterutram eligendo falsæ lectionis periculo se exponerent, utramque tum in missalibus, tum in catechismis retinerent; unde pro vera lectione totum mox receptum est, et inde a secundo dimidio sæculi XVI, communiter cantaverunt Russi Nicæno-Constantinopolitanum cum additione *verum* post *Spiritum Sanctum Dominum*.

Sæculo autem XVII mediante, patriarcha Mosquensis, Nicon, tsaro approbante, liturgicos libros Ecclesiæ russicæ corrigere aggressus est ad normam græcorum exemplorum, inde ab ineunte sæculo XVI Venetiis editorum. Tunc in versione slavica symboli suppressæ sunt omnes lectiones a textu græco discrepantes. Hujusmodi autem correctionibus, ut in tomo primo jam diximus [2], reclamaverunt clerici haud pauci, quibus suffragati sunt bona pars fidelium. Inde russici schismatis, quod *raskol* appellant, origo; inde *Starovierorum* seu *Veterum Credentium* sectæ multiplices; inde vehemens ac longa polemica theologica, quæ hactenus perdurat, inter Niconianos et Starovieros de illis futilibus discrepantiis liturgicis vel disciplinaribus, inter quas primas tenent præfatæ differentiæ in littera symboli Nicæni-Constantinopolitani. Starovieri Niconianos accusant de *ablationibus*, Niconiani Starovieros de *additamentis*. Utrique decretum illud Ephesinum necnon prohibitionem de altera fide non componenda ab aliis conciliis œcumenicis iteratam in adversariorum caput vicissim conjiciunt :

« Post annos mille, ait Theodorus Ivanov, Starovierorum diaconus, Roma a fide deflexit, additione verborum *et ex*

1. Hujus lectionis origo a significatione vocis græcæ κύριος, non pro substantiva, sed pro adjectiva sumptæ, repetenda est; κύριος enim, qua adjectivum, significat : *proprius, genuinus;* unde ex slavicis translatoribus quidam vocem reddiderunt per *istinnago, verum;* alii per *Gospoda, Dominum*.

2. P. 569-572.

Filio symbolum adulterans, atque inde quasdam alias hæreses excogitans. Deinde Uniatæ, post 1600 annos, et ipsi a fide defecerunt idem symbolum corrumpentes et cum Latinis se conjungentes. Postquam autem anni sexaginta sex ab anno 1600 completi sunt, heu! in Magna Russia corruptio fidei accidit malignius ac dolosius quam prius : symbolum enim falsavit Nicon apostata et crucis Christi inimicus; nec alia fidei dogmata custodivit lingua illa adulatrix, ille Ecclesiæ Christi hostis, Evangelii Filii Dei adversarius [1]. »

Postquam autem ad Starovieros in suum sinum reducendos omnem modum omnemque viam incassum tentavit, Ecclesia niconiana, vanitatem totius illius contentionis circa tales nugas tandem agnoscens, Starovierorum saniori factioni, quam *Popovtsorum* vocant, anno 1800 significavit se paratam esse habere veteres ritus ut legitimos et abrogare anathemata a concilio Mosquensi anni 1667 in eos prolata, si Synodi Dirigentis jurisdictioni se subjicere vellent. Sectariorum parvus numerus oblatas condiciones accepit cœtumque efformavit *Unitorum in fide* seu *Edinovierorum*, quos cum Catholicis rituum orientalium comparare potes. *Edinoviertsy* ad Ecclesiam russicam revera pertinebant, et ut *orthodoxi* a Synodo Dirigente publice habebantur, quamvis omnes suos veteres libros, ritus et usus retinerent, et symbolum Nicæno-Constantinopolitanum cum additione *istinnago* ad articulum de Spiritu Sancto aliisque variantibus supra relatis intra missarum solemnia decantarent. Anno 1886, ut Popovtsorum majorem numerum ad unionem alliceret, Synodus anti-

1. *Skazanie o tserkonykh dogmatiekh i oblicenie na eretikov i otstypnikov (Narratio de dogmatibus ecclesiasticis et confutatio hæreticorum et apostatarum)*, ed. N. Subbotin, *Materialy dlia istorii rascola (Documenta ad historiam rascoli pertinentia)*, t. VI, Mosquæ, 1881, p. 272. In sua *Collectione*, novem volumina complectente, Subbotin præcipua primorum doctorum Starovierorum scripta edidit. Ad mutationes in littera symboli quod attinet, de eis egerunt archipresbyter Avvakum, Subbotin, t. V, p. 2, 130; Lazarus, t. IV, p. 211, 269; Nikita Pustoviat, t. IV, p. 124; diaconus Theodorus Ivanov, t. VI, p. 7-10, 13, 15-16, 18, 20, 34, 139, 154, 155, 269-271; monachus Avramii, t. VII, p. 25, 215, 277, 332 sq. Cf. K. Plotnikov, *Rukovodstvo po obliceniiu russkago rascola (Enchiridium ad russicum schisma confutandum)*, Petropoli, 1897, p. 64-69, et alios compendiorum theologiæ polemicæ auctores.

quorum anathematismorum in veteres ritus anno 1667 prolatorum authenticam interpretationem edidit, qua declarabat veteres ritus olim non fuisse condemnatos nisi propter contumaciam sectariorum, qui Ecclesiæ auctoritatem detrectavissent et sententias quasdam hæreticas professi fuissent. Hæc sane benigno interpretatio Edinoviertsis haud parum arrisit; qui anno 1900 primum sui reditus ad ovile orthodoxiæ centenarium solemni pompa celebrarunt [1].

Ergo, inde ab anno 1800, Ecclesia russica quasdam in symbolo Nicæno-Constantinopolitano mutationes verbales unamque ad articulum de Spiritu Sancto additionem logicam apud suos *in fide Unitos* receptas toleravit ac publice agnovit; nec propterea ipsius theologi et polemistæ, Zernikavii ac Theophanis Procopovitch vestigiis inhærentes, catholicam Ecclesiam de additione vocis *Filioque* ad symbolum, etiam supposita hujus additionis veritate, carpere destiterunt, quasi hujusmodi additio a synodo Ephesina necnon ab aliis conciliis œcumenicis sub depositionis et excommunicationis pœnis prohibita fuisset. Inter illam et hanc agendi rationem congruentia sane haud apparet.

IV. — De catholicæ Ecclesiæ agendi ratione circa additionem vocis « Filioque » ad symbolum.

Circa additionem vocis « Filioque » ad symbolum haud una semper fuit romanorum Pontificum agendi ratio, sed pro circumstantiarum varietate catholicis rituum orientalium hanc additionem nunc præscripserunt, nunc omittere permiserunt. Semper tamen professionem veritatis dogmaticæ de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio tanquam ab uno principio ab omnibus expostularunt.

Hanc agendi rationem jam ineunte sæculo IX secutus fuerat Leo papa III qui, quamvis additioni, utpote illo tempore nondum necessariæ, sed et attentis Græcorum in Latinos studiis parum consultæ, aperte repugnaret, attamen publicis litteris Orientalibus omnibus doctrinam catholicam significavit, docens Spiritum Sanctum *a Patre et a Filio æqualiter procedere.*

1. Cf. A. Palmieri, *La Chiesa russa*, Florentiæ, 1908, p. 451-456.

Quæstio de additione ad symbolum, quod ad Græcos attinet, primum moveri incepit, ut videtur, occasione colloquiorum, quæ sub Theodoro II Lascari (1254-1259) Græcos inter et Latinos de unione instauranda inita sunt. Ex litteris enim Alexandri papæ IV ad episcopum Urbevetanum, quem pontifex legatum ad Theodorum II mittebat, anno 1256 datis, discimus Innocentium IV, Alexandri prædecessorem († 1254), jam Græcis, si unio fieret, concessisse, ut symbolum immutatum servarent; quod et ratum habuit ipse Alexander IV, cujus verba recitare juvat :

« Idem prædecessor noster satis absonum reputavit quod in concilio celebrando ille solus articulus symboli Nicænæ synodi, in quo de processione Spiritus Sancti græca Ecclesia aliquantulum a Romana dissonare videtur, per præfatos nuntios a romani Pontificis excipiebatur judicio, adjicientes quod diffinitioni ejus in concilio græca non acquiesceret Ecclesia, nisi quod definitum esset per Scripturæ authenticæ testimonium, vel divinum oraculum comprobaret... Verumtamen ne aliquod ex hoc reconciliationem ipsius Ecclesiæ impedimentum vel obstaculum impediret, prædecessor ipse concessit in concilio imminenti tenorem prædicti symboli adjectione qualibet, nisi forte de mutua conniventia, quam sicut confidimus, reconciliationis inducet concordia, non mutari, sed in ea forma penes græcam Ecclesiam remanere, quam dicta synodus promulgavit, dummodo de sanctæ Trinitatis fide græca Ecclesia in omnibus catholice consentiat cum Romana [1]. »

In concilio Lugdunensi (1274), in sessione quarta, Græci et Latini intra missarum solemnia symbolum cantaverunt cum additione, quam bis repetierunt. Græci autem et tunc et postea, nempe anno 1277 [2], et adhuc anno 1279 [3], postularunt, ut Ecclesia byzantina symbolum diceret sicut illud dicebat ante schisma, id est absque additione vocis *Filioque :*

1. Wadding, *Annales minorum*, t. I, p. 147.
2. Cf. *Litteras Michaelis Palæologi ad papam Joannem XXI mense aprili anno 1277 datas*, apud A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum græcæ et latinæ*, Vindobonæ, 1872, p. 11.
3. *Ibid.*, p. 15. (*In professione fidei Michaelis imperatoris* ad Nicolaum III anno 1279 missam.)

« Rogamus Magnitudinem vestram, *ut nostra Ecclesia dicat symbolum, prout dicebat hoc ante schisma et usque ad hodiernum diem*, et permaneamus in nostris ritibus, quibus utebamur et ante schisma, qui ritus non sunt contra præscriptam fidem, nec contra divina mandata, nec contra Vetus et Novum Testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium conciliorum et sanctorum Patrum acceptorum per sacra concilia, quæ celebrata sunt spirituali dominatione Ecclesiæ romanæ. Hoc igitur non grave est Vestræ Sanctitati *nec inconsuetum*, et nobis nunc difficile propter populi immensam multitudinem [subaudias : aliquid immutare [1]]. »

Gregorius papa X postulata *saltem implicite* annuit. Mox vero ejus successores Innocentius V († 1276), Joannes XXI (1276-1277) ac præsertim Nicolas III (1277-1280) et Martinus IV (1281-1285) Græcis præscripserunt, ut symbolum cum additione *Filioque* reciperent. Hujus agendi rationis præcipua causa, *saltem in principio*, fuit, quod haud pauci ex græcis præsulibus et clericis, qui unioni pulbice adhæserant, non sincere, sed *œconomia utentes*, ut narrat Pachymeres, hoc fecerant. Unde romani Pontifices voluerunt, ut per additionem omnis tolleretur de Græcorum fide suspicio. At infeliciter accidit, ut unio penitus destrueretur, nedum ad symbolum additio fieret. Cæterum, quod supra dicti Summi Pontifices a Byzantinis exigere voluerunt, ab aliis Græcis vel Orientalibus unitis, qui alias regiones habitabant, eodem tempore non petierunt. Etenim sæculo XIV Manuel Calecas hæc scribebat :

« Sed et nunc quoque in Sicilia et ea quæ magna et antiqua Græcia dudum vocabatur, cum Græci plurimi inhabitent orientalisque Ecclesiæ moribus et ritibus utantur, quia solum romanæ Ecclesiæ subditi sunt, non coguntur symbolum cum additione legere, sed sola, ut dictum est, obedientia Ecclesiæ impensa, cum non sint contrariæ opinionis, nihil ab eis amplius exigitur, Latinis arbitrantibus una hac re cætera etiam contineri [2]. »

1. « Ἀξιοῦμέν σου τὴν μεγαλειότητα, ἵνα ἡ ἡμετέρα Ἐκκλησία λέγῃ τὸ ἅγιον σύμβολον ὡς ἔλεγε τοῦτο πρὸ τοῦ σχίσματος καὶ μέχρι σήμερον. » *Ibid.*, p. 19.
2. *Adversus Græcos*, l. IV, *P. G.*, t. CLII, col. 198 B C.

In concilio Florentino, a Græcis nihil amplius exquisitum est quam ut profiterentur vocem *Filioque* « veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate *licite* ac *rationabiliter* symbolo fuisse appositam »; quæ verba tum professioni fidei a Gregorio XIII Græcis præscriptæ, tum formulæ ab Urbano VIII pro Orientalibus editæ inserta sunt. In eodem tamen concilio Florentino, Eugenius IV Armenis præcepit, ut symbolum cum additione Filioque recitarent [1], « eo quod fortasse, ait Benedictus XIV, Armenos non æque ac Græcos ejusmodi additamento repugnantes deprehenderat [2] ».

Paulo post Florentinum, anno scilicet 1455, Callistus III per inquisitorem Fr. Simonem Cretensibus Græcis injunxit, ut symbolum cum additione *Filioque* dicerent [3]. Multi enim Græci ex Constantinopoli aufugientes, in Cretam insulam se receperant. Timuerit pontifex ne isti Græci in eo fidei dogmate minus firmi essent.

Clemens VIII neque Italo-Græcos, neque Ruthenos ad fidem catholicam recenter conversos coegit, ut additionem ad symbolum facerent [4]. Postquam autem inter Italo-Græcos additionis usus invaluit, Benedictus XIV, in bulla *Etsi pastoralis* (26 maii 1742) hanc consuetudinem, ubicumque jam recepta fuerat, servandam esse statuit. Idem autem pontifex tum in præfata bulla, § 1, tum in constitutione *Allatæ sunt*, 30 (26 julii 1755), expressis verbis declaravit Græcos unitos ad additionem non teneri :

« Dummodo hi (scilicet Italo-Græci, et a fortiori alii Græci extra diœceses ritus latini degentes) Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere fateantur, et agnoscant Ecclesiæ fuisse potestatem addendi symbolo vocem *Filioque*, minime jubentur symbolum cum hac additione recitare, nisi forte, ea prætermissa, scandalum immineret; aut certo aliquo in loco peculiaris consuetudo jam invaluisset recitandi symbolum cum additione *Filioque;* aut denique necessarium puta-

1. Harduinus, *Coll. concil.*, t. IX, col. 435 BC.
2. Constitutio « *Allatæ sunt* », 30.
3. G. Trapezuntius, *Epistola ad Cretenses*. Apud Allatium, *Græcia orthodoxa*, t. I, p. 537.
4. Decretum die 31 augusti anno 1595 datum.

retur, ut symbolum ab illis cum prædicta additione recitaretur ad eliciendam indubiam rectæ ipsorum fidei probationem [1]. »

Disciplina a Benedicto XIV his verbis statuta adhuc viget. Plerique tamen Orientales uniti additionem sponte receperunt. Ita, præter Armenos, Rutheni, inde a synodo Zamosciæ (1720), Maroniti in concilio Libani (1736), Melkitæ, inde a constitutione suæ Ecclesiæ (sæculo XVIII ineunte).

ARTICULUS XIII

Conclusio capitis de processione Spiritus Sancti.

Hujus longissimi capitis conclusio brevissima erit. Ex omnibus, quæ de Græco-Russorum doctrina circa processionem Spiritus Sancti inde a sæculo XII historice retulimus, aperte constat :

1° Doctrinam, quæ tenet Spiritum Sanctum *a Patre solo, exclusa quavis participatione Filii*, ab æterno procedere, haberi non posse ut dogma proprie dictum Ecclesiæ græco-russicæ, sed esse tantum opinionem theologicam seu, ut dicunt quidam theologi russi inter recentiores, merum *theologumenon* a majori parte theologorum hujus Ecclesiæ receptum. Hoc potissimum patet tum ex libris quos multi habent pro symbolicis (cf. art. VI), tum ex theologorum russorum ipsiusque Synodi Dirigentis recenti doctrina (cf. art. VII);

2° Processionem æternam Spiritus Sancti a Patre cum aliqua participatione seu mediatione Filii, quæ tamen principii seu causæ rationem non habeat, sæculorum decursu a non paucis theologis dissidentibus edoctam fuisse, novissime vero a multis theologis russis et ab ipsa Commissione publica russica apud Synodum Dirigentem pro quæstione vetero-catholica constituta (cf. art. VII et X).

3° Processionem Spiritus Sancti *a Patre per Filium* seu a *Patre et Filio* sensu catholico acceptam, inde a sæculo XII ad nostra tempora, propugnatam fuisse a præclaris theologis

1. *Constitutio « Allatæ sunt »*, n. 30

qui Ecclesiæ catholicæ nomen publice non dederunt et in Ecclesia græco-russica remanserunt. Huic conclusioni paulo ante recens bellum aperte adhæsit Societas russica zelatorum unionis cum Ecclesia anglicana, Synodo Dirigente Petropolitana haud obscure approbante (cf. art. VII et X);

4° Ecclesiam græco-russicam, inde a perfecta separatione, omnino imparem sese semper exhibuisse cuiquam certi definiendo de quæstione controversa, sed sæculorum decursu tum in documentis publicæ auctoritatis, tum per suorum theologorum scripta in varias atque contrarias abiisse sententias præsertim circa Patrum græcorum doctrinam. Recole illas quindecim interpretationes diversas dictionis patristicæ διὰ τοῦ Υἱοῦ, inter quas occurrit et ipsa interpretatio catholica, in articulo X, § 2, ordine enumeratas;

5° Hanc de Spiritus Sancti processione quæstionem a Græco-Russis plerumque eo tractatam fuisse, non ut veram Patrum doctrinam detegerent ac sincere manifestarent, sed potius ut adversariis, id est catholicis, per fas et nefas contradicerent hocque pacto, *his armis*, ut ex ipsis quidam fatentur, unionem cum Ecclesia romana procul arcerent. Inde tot numero, mole scripta tanta omni scientiæ pondere vacua. Inde immensus per tot sæcula labor incassum protractus, ex quo nullus fere fructus ad scientiæ theologicæ incrementum emersit [1]. His tantum ultimis annis, docti quidam Russi in doctrina Patrum investiganda animum a partium studio satis liberum ostenderunt. Contigit autem, ut Patres utriusque Ecclesiæ, Occidentalis scilicet et Orientalis, in edocenda eadem catholica doctrina de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, vel a Patre per Filium, prout in unionis Florentinæ decreto explicatur, unanimes fuisse mox invenerint (cf. art. VII, § VI);

6° Argumenta dissidentium contra liceitatem additionis vocis *Filioque* ad symbolum, in se spectatæ tum sub aspectu historico, tum sub aspectu theologico, omni fundamento carere polemistasque antilatinos de hac quæstione inutilem prorsus contentionem movisse (cf. art. XII);

7° Dogma de processione Spiritus Sancti a Patre solo a Photio adinventum, quod per tot sæcula præcipuum exstitit schismatis byzantini jam perfecti theologicum fundamentum, ex ipsa controversiæ historia penitus ruere, et amplius a Græco-Russis proferri non posse ut insuperabile obstaculum ad unionem cum Ecclesia catholica instaurandam, sed ex hac parte concordiæ liberam in posterum viam patere.

1. De indole scriptorum polemicorum circa processionem Spiritus Sancti a Byzantinis compositorum Demetrius Cydones, qui omnia, ut ipse narrat, opera hujusmodi diligenter evolverat, severum sane, at vero minime iniquum profert judicium in *Apologia suæ fidei ad concives dissidentes*, a G. Mercati novissime edita, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone, Manuele Caleca e Teodoro Meliteniota*, etc., Romæ, 1931, p. 386 sq. Sufficiat hic locum sequentem exscribere : « Ἔδοξάν μοι οἱ τῶν λόγων ἐκείνων πατέρες πολλῆς μὲν ὀργῆς, πολλοῦ δὲ θυμοῦ, μεγάλης δὲ πικρίας καὶ μίσους τὰ βιβλία ἐμπλῆσαι, καὶ τοῦ μὲν κακῶς εἰπεῖν μόνον πολλὴν σχόντες φροντίδα, τῆς δὲ ἀληθείας θαυμαστὴν ὅσην λήθην · αἵ τε γὰρ ἀποδείξεις αὐτοῖς οὐκ ἀρκούντως τὸ προκείμενον ἐδόκουν ἀποδεικνύναι· ἢ γὰρ οὐδὲ συνελογίζοντο τὴν ἀρχὴν παρανόμως τοῖς σχήμασι χρώμενοι, ἢ τῇ παρὰ τὸ διττὸν τῶν ὀνομάτων ἀπάτῃ καὶ τῷ ψευδῆ λαμβάνειν οὐχ οἷοί τ' ἦσαν ὑγιῆ συμπεραίνειν... Τῇ μὲν οὖν ἀναγνώσεως τῶν συγγραμμάτων ἐκείνων, πολλῶν τε ὄντων καὶ πολλῇ φιλοτιμίᾳ συντεθειμένων, οὐδεν, ὡς ἔοικεν, ἀπωνάμην, πλὴν ὅσον εἴ γ' ἐβουλόμην παντοδαπῆς συκοφαντίας καὶ ὕβρεως τρόπους μαθεῖν καὶ οἷα ἂν εἴποι νίκης μὲν ὀρεγόμενος ἄνθρωπος, τὸν δὲ εἴργοντα τῆς φιλοτιμίας αὐτὸν καὶ τοῦ στεφάνου κακίζων. » P. 387, 388-389.

TRACTATUS
DE
DEO CREANTE ET ELEVANTE

PRÆNOTAMINA

Theologi græco-russi moderni, in suis compendiis theologiæ dogmaticæ, de Deo creatore agere solent post tractatum de sanctissima Trinitate, et quidem plerumque secundum ordinem a sancto Thoma in *Summa theologica* delineatum. Post caput de creatione in genere, veniunt capita de angelis seu de mundo spirituali, de mundo materiali, de homine seu microcosmo, de Deo providente et gubernante. Quidam tamen, ut Philaretus Gumilevskii, non seorsim agunt de Deo providente, sed singulis capitibus (de angelis, de mundo visibili, de homine) specialem articulum annectunt de providentia Dei.

Ad doctrinam autem quod attinet, cum theologia catholica pleraque communia habent, saltem si ad ea, quæ de fide sunt, animum attendamus; neque unquam de quæstionibus, quæ ad præsentem tractatum referuntur, catholicis criminationem aliquam intulerunt ante sæculi XIX alterum dimidium, ex quo Russi quidam tum circa primigenium hominis statum, tum circa originalis peccati indolem Ecclesiam romanam erroris insimulare inceperunt, doctrinam catholicam plerumque perperam intelligentes, quam nonnisi ex protestantium dicteriis cognoverunt; vel cum opinionibus quorumdam nostrorum eam confundentes; vel demum ipsi a recto veritatis revelatæ tramite deflectentes.

Hæc quidem de dissidentium doctrina *hodierna* proferuntur. Si enim ad præteritum tempus oculos convertamus, theologiam græco-russicam per diversa momenta transivisse variasque cognovisse vicissitudines deprehendimus. Ut enim sæpe diximus, theologia hujusmodi diversis influxibus temporum decursu obnoxia fuit; ad quod vix attendunt theologi græco-russi nostri temporis, qui nihil solemnius habent quam ut pro vera suæ Ecclesiæ doctrina proprias opiniones nobis proferant, suorum antecessorum epochæ byzantinæ, vel posterioris ævi sententias oblivioni mandantes. Generatim loquendo, usque ad sæculum XIV inclusive, prævalet communis doctrina antiquorum, prout in opere Damasceni : *Expositio fidei orthodoxæ* exprimitur. Inde vero a sæculo XV, ac præsertim a sæculo XVI, theologiæ scholasticæ Occidentalium influxus maximus deprehenditur; cui apud Russos, sæculo XVIII mediante, succedit influxus scholasticæ lutheranæ. Hæc autem apud eosdem primas tenet usque ad Protasovi reformationem (an. 1838-1840). Ab anno 1840, Russorum theologia *classica* ad theses theologorum sæculi XVII, theologiæ catholicæ consonas, revertitur, dum privatorum theologorum doctrina theologiæ protestanticæ affinis est. Græci vero, si quosdam recentes excipias, doctrinam confessionum fidei sæculi XVII fidelius retinuerunt. Sententias autem *specifice byzantinas* plerique dereliquerunt, quas et omnino ignorare videntur.

Ad præsentem tractatum pertinentia quæcumque notanda invenimus, sub his tribus capitibus ordinamus, scilicet :

Caput I : De creatione in genere;
Caput II : De angelis;
Caput III : De homine.

CAPUT PRIMUM

DE CREATIONE IN GENERE

Prænotamina.

De creatione in genere vix aliquid apud Græco-Russos occurrit, quod a theologia catholica discrepet, vel alioqui mentione dignum videatur. Quæstiones mere speculativas de accurata notione creationis, de possibilitate creationis ab æterno, de causa instrumentali creationis, quæ ad philosophiam magis quam ad theologiam pertinent, generatim omittunt. Quidam vero inter recentiores quæstiones novas de transformismo, de concordia narrationis mosaicæ cum scientiis naturalibus haud negligunt, solutionesque antiquæ traditioni magis consonas generatim propugnant. Ea pauca, quæ de præsenti capite collegimus, ad tres articulos revocamus :

Articulus I : De causa efficiente creationis;
Articulus II : De tempore creationis;
Articulus III : De ordine creationis; De cosmogonia mosaica.

ARTICULUS I

De causa efficiente creationis.

Deum solum, unum et trinum, omnium quæ exstant causam esse creatricem seu ex nihilo productricem uno ore docent Græco-Russi. Hoc dogma, quod ab antiqua Ecclesia hæreditate acceperunt, tum contra quosdam philosophos hellenizantes, tum contra varias sectas dualismo manichæo imbutas tueri olim habuerunt.

Sæculo XI, Joannes Italus accusatus est quod materiam

doceret ab æterno ac per se existere; quod platonicis ideis veram existentiam tribueret; quod omnia creata et æterna et immutabilia haberet, aliasque sententias a veritate revelata absonas proferret; contra quem, sub patriarcha Eustratio Garida (1081-1084), Alexii Comneni jussu, synodus Constantinopolitana anno 1082 congregata est. Errores hujusmodi profligati sunt undecim anathematismis *Synodico* Dominicæ Orthodoxiæ mox insertis et hactenus ibidem relatis, ex quibus hæc ad nostrum propositum pertinentia excerpimus :

« Dogmatizantibus materiam et ideas sine principio esse vel omnium creatori coævas, cælumque ac terram cæteraque creata æterna esse et absque principio, et immutabiliter permanere, contrariaque ponentibus ei qui dixit : *Cælum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt*, ...anathema [1].

« Iis qui, inter alia fabulosa commenta, et nostram formationem propria sponte refingunt, platonicasque ideas ut veras accipiunt, dicentes materiam per se subsistentem ab ideis informari, atque manifesto labefactant libertatem creatoris, qui ex nihilo omnia produxit et ut omnium conditor, omnibus initium et finem potestative ac dominative imposuit, anathema [2]. »

Jam ante schisma perfectum, Ecclesia byzantina haud

1. « Τοῖς τὴν ὕλην ἄναρχον, καὶ τὰς ἰδέας, ἢ συνάναρχον τῷ δημιουργῷ πάντων καὶ Θεῷ δογματίζουσι, καὶ ὅτιπερ οὐρανὸς καὶ γῆ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν κτισμάτων ἀΐδιά τε εἰσὶ καὶ ἄναρχα καὶ διαμένουσιν ἀναλλοίωτα, καὶ ἀντινομοθετοῦσι τῷ εἰπόντι· « Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι » ....ἀνάθεμα. »

2. « Τοῖς μετὰ τῶν ἄλλων μυθικῶν πλασμάτων ἀφ' ἑαυτῶν καὶ τὴν καθ' ἡμᾶς πλάσιν ἀναπλάττουσι, καὶ τὰς Πλατωνικὰς ἰδέας ὡς ἀληθεῖς δεχομένοις καὶ αὐθυπόστατον τὴν ὕλην παρὰ τῶν ἰδεῶν μορφοῦσθαι λέγουσι, καὶ προφανῶς διαβάλλουσι τὸ αὐτεξούσιον τοῦ δημιουργοῦ, τοῦ ἀπὸ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγόντος τὰ πάντα, καὶ ὡς ποιητοῦ πάντων ἀρχὴν καὶ τέλος τοῖς πᾶσιν ἐπιτιθέντος ἐξουσιαστικῶς καὶ δεσποτικῶς, ἀνάθεμα. » De vera Joannis Itali doctrina vix aliquid certi constat, cum ejus scripta nondum edita sint. Quædam habent tum P. Uspenskii, *Ocerki po istorii vizantiiskoi obrazovannosti*, Petropoli, 1891 (opus primum editum in commentario : *Journal ministerstva narodnago prosviechtcheniia*, t. CCLXXVII, 1891, p. 105-145), tum S. Salaville, *Philosophie et théologie ou épisodes scolastiques à Byzance de 1059 à 1117*, *Échos d'Orient*, t. XXIX (1930), p. 141-146, ubi etiam invenies indicationes bibliographicas.

unam noverat sectam Manichæorum principiis imbutam, Massalianos nempe seu Euchitas, Paulicianos et alios. Sæculo X mediante, in Phrygia nova secta exorta est, quæ primum quidem *Phundaitarum*, vel *Phundagiatarum* vel *Phundagiagitarum* dicta est, mox vero in Bulgaria sub Bogomilorum nomine innotuit multosque asseclas præsertim in balchanica peninsula sibi adscivit. Bogomilismus nihil aliud est nisi nova quædam manichæismi forma fabulosis commentis involuta, cujus descriptionem invenies tum in *Panoplia dogmatica* Euthymii Zigabeni [1], tum in quodam sermone presbyteri Bulgari, Cosmæ nuncupati, qui sub Bulgarorum tsaro Petro (927-969) vivebat [2], tum etiam in Actis synodi Trinoviensis sub tsaro Bulgarorum Borisio (1207-1218) contra sectarios congregatæ [3]. Sæculo XII ineunte, Bogomili haud paucos asseclas in ipsa civitate Constantinopoli habebant; contra quos Alexius Comnenus (1081-1118) et Joannes Comnenus (1118-1143) dure sævierunt pluresque synodos convocarunt [4]. In prima synodo, quæ circa annum 1110-1111 habita est, quatuordecim anathematismi contra eos prolati sunt [5]. Anno 1140, mense maio, alia synodus damnavit libros cujusdam Constantini Chrysomalæ erroribus Massalianorum et Bogomilorum refertos [6]. Anno vero 1143, die 20 mensis

1. Πανοπλία δογματική, tit. XXVII, *P. G.*, t. CXXX, col. 1289-1332.

2. *Sermo contra hæresim Bogomili nove exortam*, editus in commentario russico *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, an. 1864, fasc. 4-8.

3. M. Poprugenko, *Sinodik tsaria Borissa*, Odessæ, 1899; cf. P. Lavrov, *K voprossu o sinodikie tsaria Borissa (De synodico tsari Borisii)* in *Annalibus (Lietopis) Societatis historico-philologicæ apud universitatem Novorossiiskiensem. Sectio byzantino-slavica*, t. V, Odessæ, 1900.

4. Bogomilorum Constantinopolis præco primarius fuit quidam Basilius medicus, qui combustionis pœna mulctatus est. Cf. Annam Comnenam, *Alexias*, l. XV, *P. G.*, t. CXXXI, col. 1167-1186.

5. Ἔλεγχος καὶ θρίαμβος τῆς βλασφήμου καὶ πολυειδοῦς αἱρέσεως τῶν ἀθέων Μασσαλιανῶν, καὶ τῶν Φουνδαϊτῶν, καὶ Βογομίλων καλουμένων, καὶ Εὐχιτῶν, καὶ Ἐνθουσιαστῶν, καὶ Ἐγκρατητῶν, καὶ Μαρκιωνιστῶν, in *P. G.*, t. CXXXI, col. 39-48, ubi synodale decretum venit sub nomine Euthymii Zigabeni. Hoc primum edidit Jacobus Tollius, *Insignia itinerarii italici*, Ultrajecti, 1696, p. 106-126.

6. Decretum synodale habes apud Allatium, *De perpetua consensione utriusque Ecclesiæ*, Coloniæ Agrippinæ, 1648, l. II, c. XI, 1, col. 644-652 et in Σύνταγμα τῶν κανόνων Rhallis et Potlis, t. V, p. 76-82.

augusti, episcopi regionis Tyanorum, Sasimorum et Balbissæ, præter canones ordinati et Bogomilorum hæreseos insimulati, synodali sententia depositi sunt [1]. Item eodem 1343 et anno sequenti, plures monachi, inter quos erat monachus Niphon, anathemati subjecti sunt, eo quod Bogomilorum hæresi addicti essent [2]. Demum, anno 1147, die 26 februarii, patriarcha Constantinopolis Cosmas Attices, bogomilismi ipse convictus, solemni decreto a synodo et senatu edito depositus est [3]. Synodicum Dominicæ Orthodoxiæ contra hæresim hujusmodi quinque anathematismos olim præferebat, ex quibus secundus his verbis concipiebatur :

« Iis qui non confitentur Deum esse factorem cæli et terræ omniumque creaturarum, et Adami plasmatorem, et Evæ creatorem, sed dicunt Adversarium esse principem et factorem universi et humanæ naturæ creatorem, talibus anathema [4]. »

1. Allatius, *ibid.*, l. II, c. XII, 3, col. 671-673, et 674-678.
2. *Ibid.*, col. 676-683.
3. *Ibid.*, col. 683-689.
4. « Τοῖς μὴ ὁμολογοῦσι τὸν Θεὸν ποιητὴν εἶναι τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς καὶ πάντων τῶν κτισμάτων καὶ πλάστην τοῦ Ἀδὰμ καὶ δημιουργὸν τῆς Εὔας, ἀλλὰ τὸν ἀντικείμενον λέγουσιν ἄρχοντα καὶ ποιητὴν τοῦ παντὸς καὶ πλάστην τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, τοῖς τοιούτοις ἀνάθεμα. » Anathematismos contra Bogomilos non habent *Triodia* typis impressa. Illos ex codicibus manuscriptis edidit Th. Uspenskii in suo opusculo, *Sinodik v nedieliu pravoslaviia*, Odessæ, 1893, p. 19-20. De Bogomilis copiosa exstat litteratura historico-theologica. Præcipuas indicationes bibliographicas invenies tum in *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Bogomiles* (F. Vernet), t. II, col. 926-930, tum in *Pravoslavnaia bogoslovskaia entsiklopediia* russica, art. *Bogomilstvo*, t. II, col. 751-767, ubi notantur præcipua scripta Russorum de hac materia. Cf. præsertim Th. Uspenskii, *Ocerki po istorii vizandiiskoi obrazovannosti*, Petropoli, 1891, et P. Uspenskii, *Istoriia Athona*, t. III, ed. Syrku, Petropoli, 1892, p. 274-283, 861-923. Quædam nova de origine et historia Bogomilorum scripsit et edidit Gerhard Ficker, *Die Phundagiagiten*, Lipsiæ, 1908. De hoc opere egimus in *Échos d'Orient*, t. XII (1909) : *Phoundagiagites et Bogomiles*, p. 257-262. Dicta Fickeri non plene congruunt cum iis, quæ de *popa* Bogomilo narrant Bulgari et Russi ex slavicis fontibus. Nota nomen *Bogomilus* nomini græco *Theophilus* respondere.

ARTICULUS II

De tempore creationis.

Thesis Græco-Russorum de tempore creationis est thesis catholica : *Mundus non ab æterno, sed in tempore, seu potius cum tempore creatus est.* In præcedenti articulo vidimus doctrinam contrariam a synodo Constantinopolitana anni 1082 damnatam fuisse, saltem quatenus aliquid ex iis, quæ existunt, potentiæ creatrici Dei subtraheretur, et poneretur ut a se et per se ab æterno subsistens.

Philosophorum antiquorum argumenta de materia æterna et mundo ex se existente perpendit ac confutat Theophanes Nicænus († 1381) in quodam opusculo de æternitate mundi nondum edito [1]. Quæstionem vero philosophicam : *Utrum Deus ab æterno aliquid creare potuerit?* Græco-Russi generatim omittunt, *saltem nostris diebus* [2]. Quidam tamen sententiam sancti Thomæ Aquinatis de possibilitate creationis ab æterno, vel potius de impotentia rationis humanæ ad demonstrandam repugnantiam creationis ab æterno, obiter memorant, vel ut eam impugnent [3], vel tanquam periculosam et pantheismo viam aperientem denuntient [4].

1. Opusculum occurrit in *cod. Paris. 1249*, fol. 1-19, necnon in *cod. Taurinensi 316*, fol. 21 sq. Apud Fabricium, *Bibliotheca græca*, t. XI, p. 221, opusculum hoc falso titulo indicatur : *Disputatio, qua ostenditur mundum ab æterno esse potuisse*, dum *ex cod. Taurinensi* habetur : *Demonstratio ex notionibus quibusdam, quas necessarias existimant, quod res ex se gigni potuerint, atque subversio ac refutatio hujus et cujuscumque fallaciæ ex argumentorum necessitate deductæ.*
2. Dico : *saltem nostris diebus*, quia olim Kiovienses quæstiones scholasticas tractabant, *Summam theologicam* sancti Thomæ pro enchiridio usurpantes.
3. Ita Zikos Rhosis, *op. cit.*, p. 342, n. 1, qui modo parum intelligibili sententiæ Aquinatis censuram agit.
4. *Opyt prov. dog. bog.*, t. III, ed. 2, Kioviæ, 1889, p. 91-92.

ARTICULUS III

De ordine creationis. De cosmogonia mosaica.

De ordine creationis Græco-Russi *communiter, non omnes*, tenent sententiam Gregorii Nazianzeni et Joannis Damasceni, qui in *Expositione fidei orthodoxæ*, l. II, c. III, hæc habet :

« Quidam dicunt angelos ante omnem aliam creaturam fuisse conditos, quemadmodum his verbis testatur Gregorius Theologus : « Primum angelicas et cælestes virtutes cogitat, « ac cogitatio illa opus exstitit. » Alii post primum cælum eos creatos malunt ; quod autem ante hominis formationem, apud omnes constat. Ego vero Theologo suffragor. Decebat enim primum creari intelligentem naturam, deinde sensibilem, atque ita demum hominem ex utraque constantem [1]. »

Narrationem mosaicam de opere sex dierum Græco-Russi moderni ut *vere historicam* generatim accipiunt et *pleraque* in sensu litterali sumunt. Eugenius Bulgaris quorumdam antiquorum opinionem de creatione simultanea omnium, sancto Thoma duce, confutat [2]. Theophylactus Gorskii pronuntiat « mosaicam historiam allegoricis interpretationibus neutiquam esse obscurandam [3] ».

Macarius Bulgakov, post catechismum Philareti aliosque catechismos in Ecclesiis autocephalis usitatos, sex dies gene-

1. *P. G.*, t. XCIV, col. 873 AB ; cf. l. IV, c. XIII, *P. G.*, *ibid.*, col. 1136 C. Vide etiam *Confessionem orthodoxam Petri Moghilæ*, I p., q. XVIII ; *Confess. Metrophanis Critopuli*, c. II. Quidam tamen, ut Eugenius Bulgaris, Θεολογικόν, p. 329, et Kursulas, *op. cit.*, t. I, p. 295, tenent angelos *simul* cum cælo et terra creatos fuisse, et quidem primo die creationis. Ut notum est, hæc opinio inter Latinos communior est ; quam a Latinis mutuati sunt E. Bulgaris et Kursulas. Item Sylvester Lebedinskii, *op. cit.*, p. 192, hæc habet : « Angeli diu ante mundum conditum nec exstiterunt, nec creati sunt... Creati sunt intra sex dies, quia Deus sex diebus creavit omnia... Ergo videtur angelos creatos fuisse una cum cælo *in principio* (Gen., II, 1 ; Col., I, 16). »
2. Θεολογικόν, p. 370-374.
3. *Op. cit.*, ed. Petrop., 1818, p. 113.

siacos pro veris diebus habet hancque thesim propugnat *Narratio mosaica de origine mundi materialis est historia.* Consuetas difficultates ex scientiis naturæ petitas solvit provocando ad Dei omnipotentiam, « qui in instanti efficere potest ea quæ secundum vires ac leges naturæ nonnisi per multa sæcula formari possint. Hujusmodi vires ac leges suam efficaciam eo tempore tantum exserere inceperunt, quo ipsa natura una cum existentia perfectam a Deo accepit constitutionem [1] ». Cæterum animadvertit geologiæ conclusiones valde incertas esse doctorumque sententias haud raro inter se pugnare [2].

Sylvester Malevanskii narrationis mosaicæ litteralem et historicum sensum item tuetur, dicens hunc ex ipso contextu haud obscure elucere et a plerisque Ecclesiæ Patribus et doctoribus, paucis exceptis, propugnatum fuisse. Recentiorum systema allegoricum rejicit variasque concordismi theorias fuse exponit, quin eas expresse damnet, earum defectus detegere satis habens [3].

Secundum N. Malinovskii, cosmogonia genesiaca est vera historia a Moyse divinitus accepta, non ex rerum contemplatione naturali rationis lumine inventa et acquisita [4]. Utrum vero vox *dies* significet consuetum diem, an aliquod longius temporis intervallum, in incerto relinquit, dicens hoc Deo soli esse notum ; excludit tamen longissimas quorumdum geologorum epochas annorum myriadas plurimas complectentes [5]. Ad difficultates autem ex scientiis naturæ petitas quod attinet, Malinovskii animadvertit eas plerumque quocumque fundamento carere, convenientiam autem inter textum sacrum et certas scientiarum conclusiones *in præcipuis*, et quandoque etiam *in singulis* haud obscure apparere, naturæ peritos, præsertim vero geologos, haud pauca arbitrario asserere. Sufficiens, inquit, adest fundamentum sperandi congruentiam inter librum sacrum et certa scientiæ adin-

1. *Op. cit.*, t. I, ed. Pet., 1883, p. 424.
2. *Ibid.*, p. 417-426.
3. *Opyt prav. bog.*, t. III, ed. 2, Kioviæ, 1889, p. 97-126.
4. *Ocerk prav. dogm. bog.*, t. I, p. 236-239.
5. *Ibid.*, p. 248.

venta eo manifestiorem fore, quo scientificos progressus ampliores [1].

Græcus Zikos Rhosis item dicit narrationem mosaicam cum scientiis naturæ in præcipuis convenire. Porro diesperiodi illi arrident. Rejicit autem, tanquam fundamento carentem, theoriam evolutionis seu transformismi a Darwino aliisque excogitatam [2]; quod et faciunt quidam theologi russi, præsertim ad originem hominis quod attinet [3].

J.-E. Mesoloras de præsenti quæstione hæc habet :

« Nos τὴν ἑξαήμερον creationis accipimus prout habetur in sacra Scriptura, quæ non est liber physicus, vel geologicus, vel geographicus, sed religiosus, scopo propter quem compositus est plane congruens. Nihil certi eruere possumus ex minutis geologorum descriptionibus, circa quas ipsa scientia deficiens deprehenditur. Narratio Moysis est substantialiter vera; ex qua colligimus Deum sapientissime mundum condidisse. *Cæterum patet nos non posse ad litteram omnia interpretari, quandoquidem sacra Scriptura religiosas veritates in multis allegorice homini revelare consuevit* [4]. »

C. Andrutsus notat quæstionem de cosmogonia mosaica potius ad Exegesim et Apologeticam quam ad theologiam dogmaticam spectare. Sub aspectu dogmatico, inquit, antiquis creationis simultaneæ sectatoribus respondendum est creationem mundi cum progressu perficiendam fuisse, quemadmodum et reformatio novi hominis in regno gratiæ gradatim efficitur. Recentioribus autem, qui diversa concordiæ systemata excogitarunt, ut dicta sacræ Scripturæ cum scientiarum naturalium assertis componerent, dicendum « Scrip-

1. *Op. cit.*, t. I, p. 253-254.
2. *Op. cit.*, p. 371-382. Transformismum mitigatum, qui Deum causam omnium agnoscit, vix memorat, p. 382.
3. Cf. quæ dicuntur infra, p. 546, de origine primi hominis.
4. Συμβολική, t. II, ed. 1, Athenis, 1901, p. 135-136 in nota : « Ἡμεῖς παραδεχόμεθα τὴν ἑξαήμερον τῆς δημιουργίας ὡς ἔχει ἐν τῇ ἁγίᾳ Γραφῇ, ἥτις δὲν εἶνε βιβλίον φυσικὸν ἢ γεωλογικὸν ἢ γεωγραφικόν, ἀλλὰ θρησκευτικόν, πληροῦν ἀκριβῶς τὸν ἱερὸν σκοπόν, δι' ὃν συνετάχθη... Κατ' ουσίαν ἡ διήγησις τοῦ Μωϋσέως εἶνε ἀληθής, ἐξ ἧς ἐξάγομεν, ὅτι ὁ Θεὸς ἐδημιούργησε τὸν κόσμον πανσόφως. Βέβαιον δ' ἐπίσης εἶνε, ὅτι δὲν δυνάμεθα πάντα κατὰ γράμμα νὰ ἐξηγήσωμεν, τῆς ἁγίας Γραφῆς ἐν πολλοῖς καὶ ἀλληγορικῶς τὰς θρησκευτικὰς ἰδέας ἀποκαλυπτούσης τῷ ἀνθρώπῳ. »

turam non esse librum historiæ naturalis, nec ejus scopum esse, ut scientiam doceat; siquidem res exponit forma et verbis ad notiones et captum hominum, propter quos scripta est, accommodata, hoc unum sibi proponens, ut mundi originem adscribat Deo. Scientiæ naturales, e contra, historiam mundi investigant ex præsenti ejus forma rem aggredientes, supponentes nimirum mundum iisdem rectum fuisse legibus tempore primæ rerum effectionis et evolutionis, quibus nunc subjicitur. At vero hujusmodi hypothesis nulla ex parte demonstratur; unde scientias naturæ non decet e propriis finibus egredi, ut hypotheses et theorias circa universi primordia delineent. Res enim extra illarum campum versatur [1]. »

Hujusmodi verba S. Balano audaciora visa sunt illaque ita carpit, quasi ex ipsis logice flueret negatio inspirationis et inerrantiæ sacræ Scripturæ [2].

Fusius ac doctius quam cæteri præsentem quæstionem tractat Russus P. Ia. Svietlov in suo opere : *Doctrina christianæ fidei apologetice exposita* [3]. Docet quidem cum aliis narrationem mosaicam veræ historiæ indolem præ se ferre; notat vero, et merito quidem, eam potius esse *geogoniam* quam *cosmogoniam* completam, quatenus eo præsertim spectat, ut describat hominis domicilium, id est terram et ea quæ cum terra immediate connectuntur. Si hoc præ oculis habeas, inquit, ipso facto evanescunt pleræque difficultates, quas contra libri sacri veritatem scientiarum naturalium nomine aliqui protulerunt. Insuper ad auctoris inspirati scopum

1. Δογματική, p. 111-112 : « Ἡ Γραφή, μὴ ἀποτελοῦσα φυσιογνωστικὸν βιβλίον, μηδὲ προστιθεμένη νὰ διδάξῃ ἐπιστήμην, ἐκτίθησι τὰ πράγματα ἐν μορφῇ καὶ γλώσσῃ συμφώνῳ πρὸς τὰς ἰδέας καὶ τὴν ἀντίληψιν τῶν ἀνθρώπων καθ' οὓς ἐγράφη, εἰς ἓν μόνον ἀποβλέπουσα, νὰ ἀποδώσει τὴν γένεσιν τοῦ κόσμου τῷ Θεῷ. Αἱ φυσικαὶ ἐπιστῆμαι, τοὐναντίον, ἐρευνῶσι τὴν ἱστορίαν τοῦ κόσμου ἐκ τῆς παρούσης αὐτοῦ μορφῆς ἀφορμώμεναι, καὶ ὑποτιθεῖσαι φυσικῶς, ὅτι οἱ αὐτοὶ καὶ σήμερον νόμοι διεῖπον τὸν κόσμον καὶ κατὰ τὴν πρώτην τῶν ὄντων διάπλασιν καὶ ἀνέλιξιν. Ἀλλ' ἡ μὲν ὑπόθεσις αὕτη οὐδαμόθεν ἀποδείκνυται. »
2. Κρίσις τῆς δογματικῆς τοῦ Χ. Ἀνδρούτσου, in commentario Νέα Σιών, 1907, p. 683-684.
3. *Khristianskoe Vieroucenie v apologheticeskom izlogenii*, ed. 3, Kioviæ, 1910, p. 486-509.

attendendum est : non enim sibi proponit ille, ut veritates scientificas de terra ejusque vicinis speculative nos edoceat, sed veritatem moralem et religiosam, ad praxim, non ad speculationem ordinatam, nobis tradere imprimis intendit. Ergo nimii et superflui videntur magni illi concordistarum conatus ad ostendendam omnimodam congruentiam inter Genesim et scientiarum experimentalium conclusiones plus minusve hypotheticas. Repugnantia inter scientiam et sacram Scripturam tunc tantum constaret, si scientia certa demonstratione labefactaret unum ex his tribus ab auctore sacro edoctis : 1º Deus mundum totum ex nihilo creavit; 2º Homo ad Dei similitudinem factus est, ex anima et corpore constans, terræ et cæli civis, naturæ rex, terræ dominus; 3º Vita in terra apparuit per specialem creationem aliquot specierum perfectarum, non per viam evolutionis et spontaneæ generationis ex materia æterna et increata. Atqui veritates hujusmodi extra scientiæ experimentalis campum versantur. Cæterum, animadvertit Svietlov sacram Scripturam non excludere participationem virium naturalium et elementorum in mundi formatione et ordinatione, nec adversari notioni evolutionis, dummodo causæ supremæ actio creatrix ac regulatrix non negetur [1]. Unam tantum alicujus momenti invenit differentiam inter narrationem mosaicam et geologiam, illam scilicet quæ est de *sex diebus ;* nec quæstionem solvere tentat, ad varias interpretationes a diversis auctoribus propositas lectorem remittens [2].

1. *Ibid.*, p. 487.
2. *Ibid.*, p. 492.

CAPUT SECUNDUM

DE ANGELIS

Prænotamina.

Communis doctrina Græco-Russorum de angelis cum theologiæ catholicæ assertis in præcipuis omnino convenit. Hoc tamen non impedit quominus apud illos, sicut et apud nostros, opinionum varietas occurrat circa multas quæstiones, quæ liberæ theologorum disputationi relinquuntur nec ad fidem ullatenus pertinent.

Sanctus Joannes Damascenus, in *Expositione fidei orthodoxæ*, angelologiam jam habet satis evolutam, in qua quædam omnino certa sunt, vel etiam de fide dicenda; aliqua vero in opinionum campo versantur. Certis semper adhæserunt Byzantini et Græco-Russi moderni; circa alia vero multa libertate usi sunt, præsertim in periodo moderna, ubi illos videmus ab scholasticis latinis haud pauca mutuari.

Præsens caput in quatuor articulos dividimus. Loquemur : 1º De angelis in genere; 2º De angelis bonis, ac præsertim de angelis custodibus; 3º De cultu angelorum in Ecclesia græcorussica; 4º De angelis malis.

ARTICULUS I

De angelis in genere.

De angelis in genere easdem fere quæstiones elucidandas sibi proponunt Græco-Russi, quas et theologi catholici. De eorum tamen dotibus naturalibus, præsertim vero de eorum intellectu ac modo cognoscendi, brevius agunt.

Quidam rationes convenientiæ existentiam angelorum pos-

tulantes satis fuse evolvunt. Ita Philaretus Gumilevskii [1], Sylvester Malevanskii [2], P. Svietlov [3], N. Malinovskii [4].

Omnes item compendiorum auctores quæstionem de tempore creationis angelorum non omittunt; de qua jam supra locuti sumus [5].

Aliæ quæstiones, de quibus communiter tractant, referuntur ad angelorum naturam, gratiam, numerum, hierarchiam, probationem.

I. — De angelorum natura.

Angeli tum in theologorum scriptis, tum in liturgicis libris Ecclesiæ byzantinæ passim vocantur *spiritus*, νόες, *immateriales*, ἄϋλοι, frequentissime *incorporei*, ἀσώματοι. Utrum autem illorum immaterialitas seu incorporeitas sit *absoluta*, an *relativa* tantum, non est una omnium sententia.

Notum est ex antiquis Patribus haud paucos angelis tribuisse corpus tenue, æthereum, impalpabile, invisibile; quibus suffragari videtur Damascenus, ubi scribit :

« Quod angelus incorporeus ac immaterialis dicitur, hoc nostri ratione intelligendum est; quidquid enim cum Deo confertur, qui solus nulli comparari potest, crassum et materiale invenitur. Sola quippe divina natura vere materia et corpore vacat [6]. »

Porro inter Byzantinos, item etiam inter Græcos modernos usque ad hodiernam diem quosdam invenimus, immaterialitatis relativæ tenaces. In suo opere *De operatione dæmonum*, Michael Psellus ex professo docet angelos tum bonos tum malos subtile quoddam corpus habere, quod in bonis sit lucidum ac materiæ crassæ prorsus expers, in malis vero tenebricosum atque opacius, etsi oculis humanis invisibile [1]. Hanc sententiam firmat tum quorumdum Patrum testimonio, tum eo quod pœnæ ignis sunt obnoxii.

1. *Op. cit.*, t. I, p. 176-178.
2. *Op. cit.*, t. III, p. 152-157.
3. *Op. cit.*, p. 446-448.
4. *Op. cit.*, t. I, p. 219-221.
5. Cf. supra, p. 543.
6. *De fide orthodoxa*, l. II, c. III, *P. G.*, t. XCIV, col. 868 A : « Ἀσώματος λέγεται καὶ ἄϋλος, ὅσον πρὸς ἡμᾶς· πᾶν γὰρ συγκρινόμενον πρὸς Θεόν, τὸν μόνον ἀσύγκριτον, παχύ τε καὶ ὑλικὸν εὑρίσκεται· μόνον γὰρ ὄντως ἄϋλον τὸ θεῖόν ἐστι καὶ ἀσώματον. »

Marcus Ephesius tenet quidem angelos spirituales prorsus creatos fuisse, dæmonibus vero post lapsum data fuisse corpora quædam aerea vel ignea, « sicut et Adam, post violatum præceptum, tuniceas pelliceas sibi induisse dicitur, crassiorem nimirum carnem et mortalem et reluctantem [2] ».

Inter theologos recentes, verba Damasceni repetunt ac probare videntur Russus Antonius [3] et Zikos Rhosis [4]. *Pedalii* auctores doctrinæ de immaterialitate relativa angelorum omnino favent [5] ; quam aperte propugnarunt Constantius I, patriarcha Constantinopolitanus (1830-1834) [6] et quidam alii [7]. C. Andrutsus quæstionem in incerto relinquit [8].

Multo communior tamen, immo communissima dicenda est, præsertim inter Russos modernos, sententia de absoluta spiritualitate angelorum tum bonorum, tum malorum; quod theologiæ catholicæ influxui ex parte tribuendum est. Hanc

1. Περὶ ἐνεργείας δαιμόνων,, c. VII, VIII, *P. G.*, t. CXXII, col. 836-840. Nota Psellum suæ dæmonologiæ pleraque a Neoplatonico Proclo mutuari. Cf. J. Bidez, *Michel Psellos : Épître sur la chrysopée, opuscules et extraits sur l'alchimie, la météorologie et la démonologie*, Bruxelles, 1928; K. Svoboda, *La démonologie de Michel Psellos*, Brunæ, 1927.
2. *De igne purgatorio oratio II*, 8, ed. L. Petit in *Patrologia orientali*, t. XV, p. 149 : « Τοὺς δαίμονας δὲ ἡμεῖς οὐκ ἀπολήψεσθαι μέλλειν σώματά τινα ἀέριά φαμεν ἢ πύρια, ἵνα ἐπιτηδειότερα ὦσιν εἰς τὰς βασάνους, ἀλλ' ἔχειν αὐτὰ μετὰ τὴν πτῶσιν ἐκείνην καὶ τὴν εἰς τὸν σωματικὸν τοῦτον κόσμον προσπάθειαν, καθάπερ καὶ ὁ Ἀδὰμ μετὰ τὴν παράβασιν τοὺς δερματίνους χιτῶνας ἐνδεδύσθαι λέγεται. »
3. *Op. cit.*, § 97, ed. gr., p. 148.
4. *Op. cit.*, p. 387.
5. Πηδάλιον, ed. Ath., 1908, p. 308 in nota.
6. Ὅτι ἄγγελοι οὐ πάντη ἀσώματοι. *Biographia et opuscula*, Constantinopoli, 1866, p. 167-168.
7. Ita director commentarii publici patriarchatus œcumenici « Ἀλήθεια ἐκκλησιαστική » (an. 1880, 5 nov., p. 93) scribit : Ἀγγέλους λέγοντες ἀσωμάτους, δὲν ἐννοοῦμεν αὐτοὺς πάντη ἀσωμάτους ὡς τὸν Θεόν, ἀλλὰ λεπτοσωμάτους. »
8. Δογματική, p. 123.

doctrinam expresse tenent Photius [1], Georgius Scholarius [2], theologi Kiovienses et scholastici græci sæculorum XVII et XVIII [3], theologi russi recentiores fere omnes, qui ut opinionem privatam habent sententiam quorumdam antiquorum de immaterialitate relativa [4].

Secundum Damascenum, angelus est immortalis *non natura, sed Dei munere.* « Quidquid enim, inquit, initium habuit, finem quoque suapte natura habiturum est. Solus siquidem Deus semper est, imo et sempiterno superior. Non enim sub tempore sed supra tempus est, qui fecit tempora [5]. » Hæc Damasceni verba plures theologi byzantini et moderni repetunt. Multi tamen, ii præsertim qui latinæ theologiæ notitiam habuerunt, immortalitatem ut dotem naturalem angelorum habent. Sylvester Malevanskii utramque sententiam conciliare tentat, dicens angelos in sua quidem natura *immortalitatis pignora* habere, eam vero a seipsis non tenere sed a Deo, *qui solus habet immortalitatem*, ut donum accipere [6].

Angeli *circumscripti*, περιγραπτοί, dicuntur, non quod in loco sint sicut corpora, sed quod finitam virtutem habeant, nec immensitate vel omnipræsentia gaudeant. « Cum in cælo sunt, in terra non versantur, nec cum a Deo in terram mittuntur in cælo remanent [7]. »

Non possunt esse simul in pluribus locis[8]. « Sunt in loco

1. Quæst. CCLV, *ad Amphil.*, *P. G.*, t. CI, col. 1065; q. LXXXIX, 2, *ibid.*, col. 561. Cf. Hergenröther, *Photius von Konstantinopel*, t. III, p. 431-432.

2. Λογός εἰς τὸν εὐαγγελισμόν, 6 : *Œuvres complètes*, t. I, p. 6 : « Ἡ μὲν οὖν καθαρῶς ἀσώματος φύσις ἡ τῶν ἀγγέλων. »

3. Cf. Kursulam, *op. cit.*, t. I, p. 260; Eug. Bulgarim, *op. cit.*, p. 325 : οὐσία ὕλης ἀμιγής.

4. Cf. Th. Gorskii, *op. cit.*, p. 122 : « Angeli sunt omnis materiæ expertes »; S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 191 : « creaturæ mere spirituales »; M. Bulgakov, *op. cit.*, p. 389-393; Phil. Gumlevskii, *op. cit.*, p. 187; Malinovskii, *op. cit.*, p. 227; Svietlov, *op. cit.*, p. 445, etc.

5. *De fide orthodoxa*, *loc. cit.*, col. 868 B : « Ἀθάνατος οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι. » Eamdem sententiam tenent plures Patres græci.

6. *Op. cit.*, t. III, p. 172-173.

7. Joannes Dam., *op. cit.*, col. 869 A.

8. Ita Michael Glykas, Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς κεφάλαια, ed. S. Eustratiades, t. I, (c. XXI) p. 248. Hoc utique ambiguum est, et explicatione indiget.

definitive, non *circumscriptive*, quia solius Dei proprium est esse ubique [1]. »

Ad quæstionem : *Utrum angeli omnes sint ejusdem naturæ et speciei*, alii aliter respondent, multi quæstionem omittunt. Sanctus Joannes Damascenus primum quidem docuit eos esse unius ejusdemque naturæ [2]; postea vero scripsit nos ignorare utrum sint inter se quoad essentiam æquales, an dispares; differre vero et illuminatione et gradu : « sive pro splendoris proportione gradum sint consecuti, sive, contra, pro sedis discrimine splendorem perceperint [3]. » Georgius Scholarius sententiam sancti Thomæ amplectitur docetque unumquemque angelum unam speciem constituere et ab aliis natura differre [4]. Pro una omnium natura tenent Kursulas [5], E. Bulgaris [6], Athanasius Pariensis [7], Macarius Bulgakov [8]. Sylvester Malevanskii ponit eos natura inter se differre, quin asserat singulos unam speciem seu formam esse [9]. Omnes docent eos gradu et perfectione inæquales esse et aliquam hierarchiam seu societatem inæqualem constituere; quod ut probent, quidam ad anathematismos II et XIV

1. Ita S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 193.

2. *Institutio elementaria*, 1, *P. G.*, t. XCV, col. 100 C : « Οἱ ἄγγελοι μία φύσις εἰσί. »

3. *De fide orthodoxa*, l. II, c. III, col. 869-872 : « Εἴτε ἴσοι κατ' οὐσίαν, εἴτε διαφέροντες ἀλλήλων οὐκ ἴσμεν. Μόνος δὲ ὁ ποιήσας αὐτοὺς Θεὸς ἐπίσταται... Διαφέροντες δὲ ἀλλήλων τῷ φωτισμῷ κα τῇ στάσει. »

4. *De providentia et prædestinatione*, l. I, 8 : *Œuvres complètes*, t. I, p. 396 : « Εἴδεσι διακεκριμέναι εἰσὶ καὶ ἐν τῇ ἀτομότητι αὐτῶν εἶδός ἐστιν ἄλλο αὐτῶν ἑκάστη. » De progressu beatitudinis angelorum, 2 : *Œuvres complètes*, t. III, p. 399 : « μᾶλλον δὲ ἀκριβέστερον ἡμῖν θεωροῦσιν ἐντελέχεια τῶν ἀγγέλων ἐστὶ ἕκαστος, οὐκ εἶδος. »

5. *Op. cit.*, p. 264. Kursulas opinionem Scotistarum amplectitur : « ἴσους εἶναι κατά τε τὸ εἶδος καὶ τὴν οὐσίαν, εἴτε πάντας, εἴτε γοῦν ὅσοι ὑπάρχουσι τῆς αὐτῆς ἱεραρχίας, ἢ ὅσοι γοῦν εἰσὶ τῆς αὐτῆς τάξεως. »

6. *Op. cit.*, p. 345 : « Οὐσία μία, ὥσπερ καὶ ἀνθρώπων μία. » Addit tamen : « Εἰκὸς οὖν καὶ μᾶλλον δοκεῖ εὐπρεποῦς λόγου ἐχόμενον ἑκάστην τῶν αγγελικῶν ἱεραρχιῶν, ἤγουν ἕκαστον τάγμα φύσιν νοερὰν φέρειν τῷ εἴδει τῶν ἄλλων διαφέρουσαν. »

7. Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, p. 220-221.

8. *Op. cit.*, t. I, p. 396.

9. *Op. cit.*, t. III, p. 177, 180-182.

contra Origenem concilii œcumenici V tempore latos provocant [1].

De angelorum intellectu, voluntate, motu quidam olim disserebant ad instar nostrorum scholasticorum, ab eis pleraque mutuantes, nunc Aquinatis, nunc Scoti opinionem sectantes [2].

II. — De angelorum gratia.

Angelos ad statum supernaturalem per gratiæ divinæ communicationem, ante lapsum quorumdam, evectos fuisse communis est Græco-Russorum doctrina, quamvis aliqui obscure et implicite tantum istud significent. Damascenus dicit angelos non a natura sua, sed a Spiritu Sancto sanctitatem habere [3]. Marcus Ephesius docet eos omnes statim a principio divinam illuminationem pariter accepisse [4]. Theologi Kiovienses, scholastici græci, ut Kursulas [5] et E. Bulgaris [6], et generatim theologi russi inde a sæculo XVIII tenent angelos in sanctitate et justitia supernaturali fuisse creatos [7].

1. Ita Macarius, p. 396; Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, p. 162. Anathematismi contra Origenem (cf. Mansi, *Coll. concil.*, t. IX, col. 396, 400) non videntur in casu ad rem pertinere.
2. Ita præsertim N. Kursulas et E. Bulgaris.
3. *De fide orthodoxa*, *loc. cit.*, col. 869 B : « Ἔξωθεν τῆς οὐσίας τὸν ἁγιασμὸν ἐκ τοῦ Πνεύματος ἔχοντες. »
4. Περὶ τῶν αγγέλων πρὸς τὴν τοῦ Ἀργυροπούλου γνώμην : opusculum a S. Lampros editum, Ἀργυροπούλεια, p. ρκ-ρκε'. Invenitur in pluribus codicibus, v. g., in *cod. Paris. 1292*, fol. 58-62. Latinophron Argyropulus scripserat Luciferum cum suis ideo cecidisse, quod divinam illuminationem non postulassent. Inscientiæ eum arguit Marcus, qui docet omnes angelos statim ab initio divinam illuminationem accepisse, immo omnes pro suo captu Deum vidisse : « Ἅμα τῷ ὑποστῆναι τὴν θείαν ἔλλαμψιν ἐκληρώσαντο καὶ τὸν Θεὸν ἑώρων. — Ὁ Ἑώσφορος τὸ θεῖον ἑώρα πρόσωπον κατὰ τὸ ἐφικτὸν αὐτῷ. »
5. *Op. cit.*, p. 296.
6. *Op. cit.*, p. 352-353.
7. Cf. T. Gorskii, *op. cit.*, p. 123 : « Quidam ex eis *inditam sibi ab origine sanctitatem* non amiserunt. » S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 193, 200, eadem verba repetit. Sylvester Malevanskii, *op. cit.*, p. 378 : « Tenendum est divinæ gratiæ thesauros angelis apertos fuisse in ipso instanti eorum creationis, ut ad suum sublimem finem, nempe ad unionem cum Deo pervenire possent. »

Secundum quosdam theologos byzantinos, angelorum gratia a Verbi incarnati meritis dimanat, et per beatæ Mariæ virginis mediationem ad eos pervenit. Ita sentiunt Gregorius Palamas [1], Theophanes Nicænus († 1381) [2], alii [3].

III. — De angelorum numero.

Qui de angelorum numero sermonem faciunt, alii dicunt eum esse incertum [4], alii eum superare numerum hominum [5], alii vero esse hominum numero inferiorem. Hanc ultimam sententiam tenet Michael Psellus, sequenti ratione ductus :

« Pauciores multitudine sunt angeli quam homines. Vide enim quomodo numeri omnes quo propiores sunt monadi, eo minores sunt numeris longius ab ea distantibus, ut binarius, ternarius et quaternarius, minores vicenario et tricenario. Sicut igitur propiores unario numeri sunt minores, longius vero remoti majores, sic qui uni et soli Deo propiores sunt, iidem quoque pauciores exstant; qui vero longius sunt,

1. *Sermo II in Præsentationem Deiparæ*, ed. K. Sophoclis, Γρηγορίου τοῦ Παλαμᾶ ὁμιλίαι κϐ', Athenis, 1861, p. 159 : « Οὐκοῦν αὕτη μόνη (= Deipara) μεθόριόν ἐστι κτίστης καὶ ἀκτίστου φύσεως, καὶ οὐδεὶς ἂν ἔλθοι πρὸς Θεόν, εἰ μὴ δι'αὐτῆς καὶ τοῦ ἐξ αὐτῆς μεσίτου· καὶ οὐδὲν ἂν ἐκ τοῦ Θεοῦ τῶν δωρημάτων, εἰ μὴ δι' αὐτῆς, γένοιτο καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις. »
2. Λόγος εἰς τὴν πανάχραντον καὶ παναγίαν δέσποιναν ἡμῶν Θεοτόκον, in *cod. Barocc. Oxoniensi 193*, fol. 252-306. Theophanes docet mysterium incarnationis esse finem propter quem omnia de nihilo Deus produxit, et omnes creaturas intellectuales, angelos videlicet et homines, a Verbo Incarnato accepisse τὸ εὖ εἶναι, id est participationem vitæ divinæ per gratiam deificantem; hanc autem gratiam et angelis et hominibus non obvenisse *ante Incarnationem*, et sane per mediationem beatæ Mariæ, Christo mediatori subordinatam : « Οὐδὲ τοῖς ἀγγέλοις ἄρα τοιοῦτον ὕψος (= ἡ πρὸς τὸ θεῖον ἕνωσις) καὶ μέγεθος δωρεᾶς πρὸ τῆς κατὰ Χριστὸν οἰκονομίας ἐδόθη. » Fol. 272v. De doctrina Theophanis fusius infra loquimur, ubi de motivo Incarnationis.
3. Cf. quæ dicuntur infra, de motivo Incarnationis.
4. Ita Lebedinskii, p. 193; Athanasius Pariensis, p. 221.
5. Ita Macarius Bulgakov, p. 396. E. Bulgaris, *op. cit.*, p. 342, varias theologorum enumerat opiniones, quin unam præ aliis seligat. Citat *Responsum pseudo-Athanasii ad Antiochum*, ubi præsenti quæstioni accommodatur parabola de centum ovibus : Nonaginta novem repræsentant multitudinem angelorum, centesima vero hominum numerum.

numero plures sunt. Propiores autem Deo sunt angeli, archangeli et his superiores potestates; longius vero ab illo absunt homines. Igitur plures sunt homines quam angeli; unde et angeli quoad numerum jam circumscripti sunt; hominum vero generatio in infinitum effunditur; quæ tamen et ipsa sistetur in sæculorum consummatione [1]. »

IV. — De angelorum hierarchia.

Post sanctum Joannem Damascenum, cui suffragatur *Confessio orthodoxa Petri Moghilæ* (q. xx), Græco-Russi novem angelorum choros, prout a pseudo Dionysio Areopagita distributi sunt, quasi unanimiter admittunt. Unum invenimus repugnantem, scilicet Theophanem Procopovitch (vel hujus *Theologiæ christianæ* perfectorem), qui a quodam theologo lutherano de ordinatione Dionysiana hæc ad verbum mutuatus est :

« Nos ista dogmata Scripturæ sacræ prorsus ignota, immo nec a viris apostolicis aliisque antiquis theologis celebrata, admittere non audemus [2]. »

1. *De omnifaria doctrina*, 19, *P. G.*, t. cxxii, col. 700-701. Cf. *cod. Monacensis græc. 548* : « Ἐλλάτους τῶν ἀνθρώπων κατὰ τὸ πλῆθος οἱ ἄγγελοι. Σκόπει γάρ· πάντες οἱ ἀριθμοὶ πλησιάζοντες τῇ μονάδι ἐλάττους εἰσὶ κατὰ τὸ πόσον τῶν πορρωτέρω ἀριθμῶν, οἷον ἡ δυὰς καὶ ἡ τριὰς καὶ ἡ τετρὰς ἐλλαττότεραί εἰσι τῶν εἴκοσι καὶ τριάκοντα. Ὥσπερ οὖν οἱ ἐγγύτερον τῆς ἑνάδος ἀριθμοὶ ἐλάττους εἰσίν, οἱ δὲ πορρώτερον πλείους, οὕτως οἱ ἐγγύτερον τοῦ ἑνὸς καὶ μόνου Θεοῦ ἔλαττον ἔχουσι τὸ πόσον, οἱ δὲ πορρώτερον, πλέον· ἐγγυτέρω δὲ τοῦ Θεοῦ ἀρχάγγελοι καὶ ἄγγελοι καὶ ὑπερκείμεναι δυνάμεις, πορρωτέρω δὲ οἱ ἄνθρωποι. Ὅθεν καὶ οἱ μὲν ἄγγελοι ἤδη κατὰ ἀριθμὸν ἐπερατώθησαν, τοῖς δὲ ἀνθρώποις εἰς τὸ ἄπειρον προχεῖται ἡ γένεσις. Σταθήσεται δὲ καὶ αὕτη κατὰ τὸν τῆς συντελείας καιρόν. » Notum est sanctum Thomam ex alia ratione colligere homines esse angelis numero pauciores : *Summa theologica*, I p., q. l, a. 3 : « Cum perfectio universi sit illud quod præcipue Deus intendit in rerum creatione, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata. » Ipsam Pselli rationem ut objectionem sibi proponit Aquinas; ad quam ita respondet : « Ad secundum dicendum quod ex hoc quod natura angelica est Deo propinqua, oportet quod habeat minimum de multitudine in sui compositione, non autem ita quod in paucis salvetur. »

2. *Theologia christiana dogmatica*, l. IV, c. vii, § 69. Hæc verba Philareto Gumilevskii, *op. cit.*, p. 161 in nota, scandalo sunt, et bene notat ea ex protestantico fonte manare.

Theophanis vero discipuli de novem choris silentium servabant [1]. Plerique theologi russi, post quosdam Patres, inter quos Joannes Chrysostomus (*De incomprehensibili hom.*, iv, 4), animadvertere solent novem tantum angelorum ordines nobis revelatos fuisse, sed plures alios exstare, quos in vita futura cognoscemus [2].

Metrophanes Critopulus *decimum ordinem* angelorum novit, quem Deus mundi sublunaris gubernationi præfecerat; qui totus cum suo duce Lucifero adversus conditorem rebellavit et miserabili casu divina gloria excidit [3].

V. — De angelorum probatione.

Angelos aliquamdiu in via fuisse, nec in statu beatitudinis fuisse creatos, omnes admittunt. De temporis vero spatio eorum probationis perpauci loquuntur. Quidam sancti Thomæ sententiam amplectuntur dicuntque probationem fuisse brevissimam. Ita Georgius Scholarius [4] et N. Kursulas [5]. Alii, ut Macarius [6], putant probationem diu durasse nec omnes dæmones eodem tempore lapsos fuisse. Secundum Marcum Ephesium, angeli boni non evaserint impeccabiles nisi post Domini incarnationem [7].

1. Ita S. Lebedinskii et Th. Gorskii.
2. Ita Phil. Gumilevskii, p. 161; Macarius, p. 400; S. Malevanskii, p. 178-179; Malinovskii, p. 233-234.
3. *Confessio fidei*, c. ii, Kimmel, t. ii, p. 54-56.
4. *De progressu beatitudinis angelorum : Œuvres complètes*, t. iii, p. 399-400 : « ὁ μεταξὺ τῆς δημιουργίας καὶ τῆς βεβαιώσεως ἐλάχιστος χρόνος ἦν. »
5. *Op. cit.*, p. 296-302. Kursulas varias theologorum latinorum opiniones de hac quæstione recenset ac perpendit.
6. *Op. cit.*, p. 406.
7. *De angelis adversus Argyropulum, loc. cit.* « Λόγος δέ τις ἡμᾶς ἐν ἀπορρήτῳ παιδεύει παρὰ τῶν πατέρων ἡμῶν εἰς ἡμᾶς ἀφιγμένος, μετὰ τὴν τοῦ Κυρίου σάρκωσιν καὶ τὴν τοῦ προσλήμματος θέωσιν, καὶ τοὺς ἀγγέλους προσλαβεῖν τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀκίνητον κατὰ χάριν, διακόνους γενομένους τῆς ἡμῶν σωτηρίας : Verbum a patribus nostris ad nos perductum secreto nos docet post Domini incarnationem et carnis assumptæ deificationem et angelos nactos fuisse immutabilitatem secundum gratiam et in bono confirmationem, quippe qui nostræ salutis ministros facti sunt. » Marcus non dicit ex quonam fonte hoc hauserit.

ARTICULUS II

De angelis bonis. De angelis custodibus.

I. — De gloria angelorum.

Angeli, qui fideles inventi sunt et in gratia Dei permanserunt, ad cælestem beatitudinem evecti sunt, et ita Summo Bono adhærent, ut ab eo deflectere nunquam possint. Hoc tenent omnes post Damascenum, qui dicit :

« Angeli nunc ad malum omnino moveri non possunt non suapte natura, sed gratia eaque constantia qua unico illi bono adhærent [1]. »

Eorum beatitudo in visione Dei consistit. « Deum intuentur, ait Damascenus, ut fert captus ipsorum, eoque cibo aluntur [2]. »

Notandum est autem Palamitas, secundum suam de Dei visione doctrinam, angelis, sicut et hominibus, visionem ipsius essentiæ divinæ denegare. Unde Symeon Thessalonicensis, in *Responso III ad Gabrielem Pentapolitanum*, hæc habet :

« Minime secundum essentiam Deum vident angeli, cum et ipsis omnino invisibilis sit natura Dei, quippe qui creaturæ sunt et creatorem, qui illos natura excellit, videre non possunt. Si enim nos angelos, qui supra nos sunt, sensu

1. *De fide orthodoxa*, l. II, c. III, *loc. cit.*, col. 872 B : « νῦν δὲ ἀκίνητοι, οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι, καὶ τῇ τοῦ μόνου ἀγαθοῦ προσεδρείᾳ. » Singularem opinionem Marci Ephesii de tempore quo angeli in bono confirmati fuerint, mox retulimus.

2. *Ibid.* : « Ὁρῶντες Θεὸν κατὰ τὸ ἐφικτὸν αὐτοῖς, καὶ ταύτην τροφὴν ἔχοντες. » Cf. Photium, Quæst. XV, *Ad Amphilochium*, *P. G.*, t. CI, col. 129 A : « Οἱ δὲ τῷ θείῳ θρόνῳ περιϊστάμενοι τῆς μακαρίας ἐκείνης καὶ φοβερᾶς θέας, ὅσον ἐγχωρεῖ φύσει κτίστῃ, τὰς μαρμαρυγὰς ὑποδέχονται. » Joannes Mauropus : Εἰς τὴν σύναξιν τῶν ἁγίων ἀγγέλων, *in cod. Vatic. 676*, fol. 115-132 : « ἀθανάτου δόξης ἀθάνατοι μύσται καὶ θεωροί », fol. 118v. Cf. Paul de Lagarde, *Joannis, Euchaitarum metropolitæ, quæ in cod. Vatic. græc. 676 supersunt*, Göttinguæ, 1882.

videre non possumus, multo minus ipsi increati naturam assequentur [1]. »

Quærebant olim Byzantini utrum angeli in beatitudine proficere possint. Utraque sententia suos habuit sectatores. Affirmativam docuit Josephus Bryennius :

« Si nullatenus proficiunt angeli, inquit, aut sicut qui carent ratione manent, aut infinitum illis comprehensibile factum est; porro utrumque mendacio conjungit blasphemiam [2]. »

Specialem dissertationem de hac quæstione conscripsit Georgius Scholarius, in qua doctrinæ sancti Thomæ (*S. Theol.*, I p., q. LXII, a. 9) suffragatur : Cum angeli non sint amplius viatores et ad finem ultimum pervenerint, certum gloriæ gradum jam adepti sunt, ultra quem progredi non possunt. Admitti tamen potest eorum beatitudinis aliquis profectus improprie dictus et accidentalis tum ex iis, quæ Deus illis revelare potest circa universi gubernationem, tum quatenus eorum scientia naturalis de habitudinali potentia transit ad actum [3].

Visionem beatificam angelorum non interrumpi nec aliquatenus remitti communis est doctrina theologorum, etiam Græco-Russorum [4]. Aliter sentit Marcus Ephesius, qui in concilio Florentino contendit angelos a Deo videndo cessare, dum circa varia ministeria sibi a Deo commissa occupantur. Inde sumit argumentum ad probandam dilationem beati-

1. *P. G.*, t. CLV, col. 841 D : « Οὐ γὰρ κατ' οὐσίαν αὐτὸν ὁρῶσι · καὶ τούτοις γὰρ ἀθεώρητος φύσει ἐστὶν ὁ Θεός, κτίσμασι τελοῦσιν αὐτοῦ, καὶ τὸν ὑπὲρ φύσιν αὐτῶν καὶ κτίστην ὁρᾶν οὐκ ἰσχύουσιν. »

2. *Epistola II ad Nicetam Myrsiniotam. Opera*, ed. E. Bulgaris, t. III, p. 130 : « Εἴγε οὐ προκόπτουσιν ὅλως οἱ ἄγγελοι, ἢ ὡς ἄλογοι μένουσιν, ἢ καταληπτὸν αὐτοῖς τὸ ἄπειρον γέγονεν · ἅπερ ἀμφότερα πρὸς τῷ ψεύδει καὶ τὸ βλάσφημον ἐπιφέρεται. »

3. Ὅτι οἱ ἄγγελοι οὐ προκόπτουσιν εἰς τὴν μακαριότητα μετὰ τὸ βεβαιωθῆναι ἐν αὐτῇ, καίτοι τι τῆς προκοπῆς λαμβάνουσιν. *Œuvres complètes*, t. III, p. 396-406. Dissertatio juxta exemplum alicujus articuli thomistici concinnatur : Præmittuntur objectiones quinque; sequitur thesis expositio; in fine solvuntur objecta. Quidam moderni, ut Russus Sylvester Malevanskii, *op. cit.*, t. III, p. 381, angelis progressum indefinitum tribuere videntur.

4. Cf. S. Malevanskii, *op. cit.*, t. III, p. 394-395.

tudinis animarum justorum usque ad carnis resurrectionem [1].

II. — De angelis custodibus.

Præcipuum angelorum officium est sane laudare Deum : « In cælo degunt, ait Damascenus, unumque hoc munus habent, ut Deum laudent divinamque ejus voluntatem exsequantur [2]. » Porro Deus eorum uti ministerio consuevit in regenda rerum universitate, ac potissimum in gubernandis hominibus, ut constat tum ex sacra Scriptura, tum ex Patrum unanimi traditione. Hanc traditionem semper tenuerunt Græco-Russi. De hoc angelorum ministerio pauca tantum habet Damascenus :

« Certas, inquit, terræ partes custodiunt, nationibus ac regionibus præsident, prout a conditore præfecti sunt; res nostras gubernant ac nobis opem ferunt [3]. »

Non loquitur expresse de angelo custode singulorum hominum. Hanc tamen doctrinam apud Byzantinos communiter receptam fuisse inde a Patrum ævo atque inter Græco-Russos semper viguisse, innumeris constat testimoniis. Sæculo XI, Joannes Mauropus, Euchaitarum metropolita, in quodam sermone : Εἰς τὴν σύναξιν τῶν ἀγγέλων, totam de angelis doctrinam clare exponit. De angelis vero custodibus dicit singulas nationes, tribus, Ecclesias, familias, homines suum specialem habere, hujusque custodis munia ac beneficia fuse

1. *Marci Ephesii responsio ad quæstiones Latinorum*, 2, ed. L. Petit, *Documents relatifs au concile de Florence*, in *P. O.*, t. XV, col. 154-156 : « Οὔτε παρ' ἡμῖν ὢν αὖθις καὶ τὰ καθ' ἡμῶν ἐνεργῶν ἀκραιφνῶς ὁμοῦ δύναται θεωρεῖν τὸν Θεόν, ἔνθα φαίνεσθαι πέφυκε, καὶ ὑμνεῖν, ἀλλ' ἀνάγκη τοῦτον ἀπολείπεσθαι τῆς ἐνεργείας ἐκείνης, εἰ καὶ πρὸς μικρὸν χρόνον... Hanc etiam ob causam, inquit, Dominus in Evangelio non absolute dixit : « Angeli eorum semper vident », sed : « Angeli eorum *in cælis* semper vident faciem Patris mei qui in cælis est. » Dum in cælo sunt, inquit, semper vident faciem ejus qui in cælis conspicitur; hinc fit, ut si neutiquam in cælis fuerint, ne videbunt quidem faciem ejus qui se in rebus corporeis manifestum facere non consuevit. »

2. *De fide orthodoxa, loc. cit.*, col. 872 C.

3. *Ibid.*, col. 872 A.

describit [1]. Eidem debetur elegans ac pietatem spirans *Canon precatorius in angelum custodem vitæ hominis*, qui ad calcem *Horologii* Græcorum apponitur [2]. In theologorum dissertationibus vel compendiis, in prædicatorum sermonibus mentio angeli custodis passim occurrit [3]. In ipso sacræ liturgiæ textu, paulo ante communionem, diaconus hanc invocationem alta voce recitat :

« Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum et corporum a Domino petamus [4]. »

Quando dicimus singulos homines suum habere angelum custodem, hoc intelligendum est de singulis *fidelibus*, et quidem ab eo momento, quo revera fideles sunt, id est inde ab

1. Εἰς τὴν σύναξιν τῶν ἀγγέλων, in *cod. Vatic. 676*, fol. 122, 129 : « Ἐντεῦθεν πάσης φυλῆς, ἐκκλησίας, οἰκίας, τοῦ κοινοῦ, τοῦ καθ' ἕκαστον προστάτας καὶ κηδεμόνας, ἀπαθεῖς κακῶν ἀβουλήτων ὑφ' ἑαυτοῖς συντηροῦντας καὶ τοῖς ἐκ θελήματος ἧττον περιπίπτειν ἐῶντας. Τίς ἂν κατὰ μέρος αὐτῶν τὰς ἐνεργείας ἐξείποι;... Κυκλόθεν ὑπερασπίζει ὁ τοῦ φωτὸς οὗτος ἄγγελος, ὁ ἐκ νεότητός σε ῥυόμενος καὶ τὴν σὴν οἰκονομῶν φυλακήν. »

2. Κανὼν ἱκετήριος εἰς τὸν ἄγγελον τὸν φύλακα τῆς τοῦ ἀνθρώπου ζωῆς (In *editione Romana Horologii*, p. 329-334). In ode octava, hæc verba occurrunt : « Σκέπασόν με, φρούρε μου, ὡς ἀετὸς σκεπάζει τὰ ἑαυτοῦ νοσσία. »

3. Cf., inter multos alios, Theophylactum, *Expositio in Act. apost.*, c. XII, *P. G.*, t. CXXV, col. 686 A : « Παντὶ γὰρ πεπιστευκότι εἰς τὸν Κύριον ἄγγελος παρεδρεύει, ἐὰν μήποτε ἡμεῖς αὐτὸν ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων ἀποδιώξωμεν; » M. Glykas, Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς κεφάλαια, *ed. cit.*, t. I, c. XXXI, p. 366 : « Φύλακα τῆς ἡμετέρας ζωῆς ἄγγελον ἀγαθὸν ὁ Θεὸς προεστήσατο; » G. Scholarius, *Œuvres complètes*, t. I, p. 7, 416, 423.

4. « Ἄγγελον εἰρήνης, πιστὸν ὁδηγόν, φύλακα τῶν ψυχῶν καὶ τῶν σωμάτων παρὰ τοῦ Κυρίου αἰτησώμεθα. » Ad hæc verba dicit Nicolaus Cabasilas in *Expositione sacræ liturgiæ*, c. XXXIV, *P. G.*, t. CL, col. 445 D : « Oramus autem pro bono angelo non ut tunc nobis detur : *datus est enim ab initio unicuique fidelium angelus* (δέδοται γὰρ ἐξ ἀρχῆς ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἄγγελος); sed ut operetur et suo officio fungatur et custodiat, et nos in viam rectam deducat, nec abscedat succensus propter peccata nostra. » Putat tamen Goarius, *Euchologium Græcorum*, ed. Ven., 1730 : *In S. Joannis Chrysostomi missam notæ*, p. 125, hic agi non de angelo custode proprie dicto, sed de angelo paci Ecclesiæ procurandæ præposito, ad quem alludit Chrysostomus in *Homil. III in Epist. ad Colossenses*. In præfatione missæ sancti Basilii, quæ antiquissima est, sermo est de angelis custodibus in genere : « ἀγγέλους ἐπέστησας φύλακας. »

eorum baptismate. Ita enim sentiunt plerique theologi græco-russi, qui vel alios homines excludere videntur [1], vel de eis tacent [2]. Quidam tamen cuicumque homini custodem angelum tribuunt [3].

Communiter docent angelum custodem suum pupillum nunquam deserere, nisi forte ad tempus propter quædam nefanda crimina, vel etiam Deo sic disponente, ut videlicet servorum Dei adversus dæmones luctantium absque angelorum præsidio sanctitas clarius innotescat. Hæc tutela usque ad mortem perdurat, immo etiam post mortem protrahitur, quandoquidem, secundum teloniorum dæmoniacorum theoriam [4], custos angelus animam per hæc telonia transeuntem comitatur et contra dæmones tuetur, usquedum ad Dei tribunal perveniat [5].

1. Ita Macarius, *op. cit.*, p. 556, qui antiquorum Patrum testimoniis innititur; Kursulas, *op. cit.*, p. 262 : « ἑκάστῳ ἀνθρώπῳ, καὶ ταῦτα πιστῷ, δέδοται θεόθεν εἷς ἄγγελος εἰς τὴν αὐτοῦ φυλακήν. » Item auctor dissertationis *De angelis custodibus (Ob anghelakh khraniteliakh)*, in commentario *Pribavleniia k izdaniu tvorenii sviatykh ottsev*, t. VIII (1849), p. 511-592, qui dogmatice et ascetice de argumento optime ac plene disserit.

2. Ita Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, p. 165-166; S. Malevanskii, p. 383; Zikos Rhosis, p. 388; Bernardakis, Ἱερὰ κατήχησις, ed. 3, Constantinopoli, 1876, p. 75 : « Ὁ φύλαξ δὲ οὗτος ἄγγελος διαμένει ἀχώριστος μετὰ παντὸς χριστιανοῦ ἀπὸ τῆς στιγμῆς τῆς πνευματικῆς του ἀναγεννήσεως μέχρι τοῦ θανάτου του, ἐκτὸς ἐὰν τὸν ἀποδιώξῃ αὐτὸς ὁ ἴδιος διὰ τῶν ἀσεβῶν καὶ κακῶν του πράξεων. »

3. Ita Andrutsus, *op. cit.*, p. 125 : « Ἕκαστος ἄνθρωπος, καὶ ἰδίως ὁ εὐσεβὴς διατελεῖ ὑπὸ τὴν προστασίαν ἑνὸς ἀγγέλου φύλακος. » Eugenius Bulgaris, *op. cit.*, p. 346. S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 196, dicit : *An dentur hominibus, saltem fidelibus, custodes sui?* « Nobis quidem affirmativa sententia videtur esse certissima, et hoc esse ordinarium officium angelorum. »

4. De teloniis vide *Tractatum de novissimis*, t. IV, p. 22-31.

5. Joannes Mauropus in *Canone deprecatorio* ad telonia haud semel alludit : « Videam te miseræ animæ meæ a dextris assistentem, fulgidum et mansuetum, auxiliatorem et patronum meum, quando spiritus meus a me violenter deficiet, acerbosque hostes me comprehendere quærentes in fugam converte... Sis mihi protector ac defensor invincibilis, quando telonia terribilis principis hujus sæculi pertransibo : « Γενοῦ μοι ὑπερασπιστὴς καὶ πρόμαχος, ἄμαχος ὅταν διέρχωμαι τοὺς τελῶνας τοῦ δεινοῦ κοσμοκράτορος. » (Ode nona.)

III. — De nominibus quorumdam angelorum.

Præter tres archangelos in sacra Scriptura nominatos, Michaelem scilicet, Gabrielem et Raphaelem, quidam theologi russi quatuor alios archangelos, vel etiam quinque norunt. Demetrius Tuptalo, episcopus Rostoviensis († 1709), in suo opere *Tcheti Minei* (= *Menologion*), duo nomina mutuatur a l. III Esdræ (IV, 1 et V, 16), nempe *Uriel* (= *ignis* vel *lumen Dei*) et *Salathiel (= oratio ad Deum)*, duo alia a traditione, scilicet *Iegudiel (= gloria Dei)* et *Barachiel (= benedictio Dei)*, et ita adinvenit *septem spiritus qui stant ante thronum Dei* (Apoc., I, 4; VIII, 2). Omittit vero *Jeremiel (= altitudo Dei)*, qui item occurrit in III Esd., IV, 36. In hymnis liturgicis, hi septem vocantur *archistrategi cælestium exercituum*. Ad thronum Dei proxime appropinquant, super omnes choros cælestium constituti, quorum ministerio Deus utitur ad omnes alios ordines vel hierarchias angelicas dirigendas [1]. Philaretus Gumilevskii memorat tantum Uriel et Salathiel [2]; Sylvester Lebedinskii, Uriel, Salathiel et Jeremiel [3].

ARTICULUS III

De cultu angelorum in Ecclesia græco-russica.

Byzantini et Græco-Russi omnium angelorum festum agunt, die 8 novembris. In Menæis hæc festivitas communiter vocatur : Ἡ σύναξις τῶν ἀρχιστρατήγων Μιχαὴλ καὶ Γαβριὴλ καὶ τῶν λοιπῶν ἀσωμάτων δυνάμεων : *Solemnitas* (seu *sacer conventus fidelium in festo) archistrategorum Michaelis et Gabrielis et cæterarum incorporearum virtutum*. Festivitas antiquissima est, cujus origo repetenda est a dedicatione templi sancti

1. Ita, post Demetrium Rostoviensem, Malinovskii, *op. cit.*, p. 235, et N. Kolnikov, *O mirie nevidimom anghelakh i zlykh dukakh (De mundo invisibili angelorum et spirituum malorum)* in *Trudy Academiæ Kioviensis*, t. II, 1904, p. 349-350.

2. *Op. cit.*, p. 160-161, in nota.

3. *Op. cit.*, p. 194.

Michaelis archangeli ad thermas Constantinopolitanas Arcadii[1]. In officio illius diei, haud semel sermo est de angelis hominum custodibus[2]; immo, juxta Joannem Mauropum, festum eo potissimum spectat, ut angelorum ministerium memoret erga homines et creaturas in genere[3], ita ut aliquatenus haberi possit pro festivitate angelorum custodum.

Præter hanc generalem solemnitatem, die 6 septembris agitur *commemoratio miraculi Michaelis archangeli in Chonis* (seu *Colossis*) ; diebus vero 26 martii et 13 julii, sanctus Gabriel celebratur. De sancto Raphaele nulla fit mentio; apparet tamen in picturis cum angelis apocryphis Uriel et Jeremiel. Insuper, in ritu byzantino, feria secunda cujusque hebdomadis sanctis angelis dicatur. Illa die, in eorum honorem recitant varia troparia et canonem supplicatorium a sancto Josepho Hymnographo compositum[4]. De canone precatorio in angelum custodem, auctore Joanne Mauropo, in præcedenti articulo locuti sumus. Post hunc canonem, occurrit in *Horologio* oratio brevior ad angelum custodem.

1. Cf. J. Pargoire, *L'Église byzantine de 527 à 847*, ed. 3, Parisiis, 1923, p. 84, 116, 238; L. Petit, art. *Ange dans les Églises orthodoxes*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. I, col. 1252. Voci σύναξις, quæ directe significat *conventum sacrum* fidelium, alterum sensum tribuerunt, saltem inde a sæculo X (cf. H. Delehaye, *Synaxarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, p. 203. *Act. sanct. Propylæum mensis novembris;* Nilles, *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiæ*, t. I, Œniponte, 1896, p. 319-320), ita ut σύναξις sumeretur pro *concursu unanimi* bonorum angelorum sub ductu Michaelis contra Luciferum ejusque socios rebellantes, atque inde pro victoria, quam cum Michaele convenientes de Satana retulerunt : « Ἡ τοιαύτη οὖν συγκρότησις ὠνομάσθη σύναξις, τουτέστι προσοχή, ὁμόνοια καὶ ἕνωσις. » Huic vocis σύναξις interpretationi reclamat Athanasius Pariensis, Ἐπιτομὴ τῶν θείων δογμάτων, p. 230.

2. Ita ad Matutinum, in canone (ode tertia) : « Ἀγγέλους ἐπέστησας φύλακας τοῖς ἀνθρώποις. » In altero canone Michael et Gabriel laudantur « ὡς τῶν ψυχῶν φρουροὶ ἔνθεοι, ὡς φύλακες τοῦ κόσμου καὶ τῆς Ἐκκλησίας. »

3. « Παρὰ Θεοῦ ἐδόθησαν ἡμῖν ἐπὶ παντοίαις εὐεργεσίαις καὶ πρὸς Θεὸν ἡμᾶς ἄγοντες... δι' αγγέλων σῴζει καὶ κυβερνᾷ τὰ ποιήματα. » In *cod. Vatic. 676*, fol. 124.

4. Κανὼν ἱκετήριος εἰς τὰς ἐπουρανίους δυνάμεις καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους. Habetur in fine *Horologii*.

ARTICULUS IV

De angelis malis.

De angelis malis, ut notum est, varias quæstiones ponunt theologi, quarum pleræque ex fontibus Revelationis certo solvi non possunt. Inde opinionum magna varietas.

Primo, quæritur quandonam in peccatum lapsi fuerint. Laurentius Zizanii in suo *Magno catechismo* docuit Satanam e cælo præcipitatum fuisse quarta die creationis, quando Deus solem et lunam et stellas condidit[1]. Metrophanes Critopulus vero simpliciter dicit eos cecidisse post mundi visibilis ordinationem, ante hominis creationem. Secundum eumdem, Deus hominem creaverit ad supplendum mundum ex apostatarum defectione quasi truncatum ac mutilatum[2].

Secundo, quæritur quinam ceciderint. Secundum Damascenum, primus omnium contra Deum rebellavit princeps ordinis terræ custodiendæ præpositi, qui secum in ruinam traxit ex angelis sibi subditis innumerabilem multitudinem[3]. Metrophanes Critopulus paulo aliter sentit : Primus cecidit decimi ordinis dux, Lucifer dictus, cui Deus sublunaris mundi administrationem commiserat. Ille omnes suos a Deo apostatare fecit[4]. Alii vero communiorem inter Occidentales opinionem amplectuntur, dicentes Luciferum ad ordinem seraphicum pertinuisse et quosdam ex omnibus ordinibus cum eo lapsos fuisse[5].

Quotnam ceciderint? Cum sancto Thoma respondent N. Kursulas[6] et E. Bulgaris[7] eorum numerum inferiorem esse numero eorum qui in veritate permanserunt.

Satanam ejusque socios superbia cecidisse, communis est

1. *Magnus catechismus*, ed. Mosq., 1627, p. 154.

2. Confessio fidei, c. II, Kimmel, t. II, p. 53-54, 56 : « Ἵνα γοῦν μὴ ἐλλειπὴς ᾖ ὁ λογικὸς κόσμος κολοβωθεὶς τῇ ἐκπτώσει τῶν ἀποστατῶν, ἠθέλησεν ὁ τὰ πάντα σοφῶς οἰκονομῶν ἀναπληρῶσαι τοῦτον. »

3. *De fide orthodoxa*, l. II, c. IV, *P. G.*, *loc. cit.*, col. 874-876.

4. *Op.* et *loc. cit.*, p. 54-55.

5. Ita G. Scholarius, *Sermo in Annunt.*, 6 : *Œuvres complètes*, t. I, p. 6; N. Kursulas, p. 313; E. Bulgaris, p. 354.

6. *Op. cit.*, p. 312-313.

7. *Op. cit.*, p. 354.

Græco-Russorum doctrina. Alii vero hujus superbiæ indolem aliter explicant. Quidam, ut Scholarius [1] et E. Bulgaris [2], sententiam sancti Thomæ recipiunt. Alii, ut Macarius [3], varias opiniones referunt, quin unam præ aliis amplectantur. N. Kursulas, postquam quatuor opiniones exposuit, quintæ adhæret, quæ tenet angelos malos Deo obtemperare noluisse circa ministeria sibi commissa, et independentiam omnimodam quantum ad proprios actus appetivisse [4]; quod sententiæ Damasceni dicentis dæmonum principem se extulisse, ut Deo resisteret et contra eum rebellaret, consonare videtur [5].

Ad dæmonum statum quod attinet, Damascenus expresse docet eos in malo omnino induratos esse ac pænitentiæ incapaces : « Quod mors est hominibus, inquit, hoc angelis est lapsus. Post lapsum, nulla ipsis pænitentia est, uti nec hominibus post mortem [6]. » Hanc doctrinam firmiter semper tenuerunt Græco-Russi. Unum tantum invenimus, qui docuerit angelorum malorum statum nondum esse definitive decretum, ita ut pænitentiæ via nondum sit illis omnino præclusa : « Possuntne dæmones, ait Philaretus Gumilevskii, suam sortem mutare per pænitentiam? Secundum rectum de divina misericordia conceptum, absque dubio hoc possunt; sed cum sint in malo obstinati, pænitentiæ desiderium vix illis inerit [7]. »

1. *Loc. cit.*, p. 6.
2. *Op. cit.*, p. 356-357.
3. *Op. cit.*, p. 407-410.
4. *Op. cit.*, p. 310-311 : « Ἐπαρθέντες ἐπὶ τῇ τῆς ἰδίας τελειότητος θεωρίᾳ, οὐκ ἠθέλησαν ὑπείκειν Θεῷ περὶ τὰς κατ' ἐνέργειαν λειτουργίας, εἰ καὶ τό γε εἰς τὴν φύσιν ἧκον ἤθελον τοῦ Θεοῦ ἠρτῆσθαι. »
5. *Op.* et *loc. cit.*, col. 876 A : « Ἐπήρθη κατὰ τοῦ πεποιηκότος αὐτὸν Θεοῦ, ἀντᾶραι αὐτῷ βουληθείς. »
6. *Ibid.*, col. 877 C : « Ὅπερ ἐστὶ τοῖς ἀνθρώποις ὁ θάνατος, τοῦτο τοῖς ἀγγέλοις ἡ πτῶσις. Μετὰ γὰρ τὴν ἔκπτωσιν οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς μετάνοια, ὥσπερ οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις μετὰ τὸν θάνατον. » In *Dialogo contra manichæos*, 32-35, 71, dicit Damascenus diabolum pænitentiam omnino refugere; quod si resipiscere vellet, Deus illi veniam concederet.
7. *Op. cit.*, p. 173. In nota, Philaretus carpit Procopovitch, quod ille doceat dæmones suam sortem immutare non posse per pænitentiam. Paulo inferius, p. 176, sibi ipsi contradicere videtur, dum scribit : « Experti norunt malos spiritus nolle fieri bonos, et Origenistarum spes de futura sortis ipsorum mutatione, sæculo VI, synodali sententia damnata est. »

Ideo ad hanc sententiam devenit Philaretus, quod in quibusdam S. Scripturæ locis (II Pet., II, 4; Epist Jud., 6) dæmones dicantur *in judicium reservati*. Exinde alii collegerunt non quidem illos pænitere posse, sed gehennæ igni nondum traditos esse. Hanc sententiam haud pauci tum ex antiquis, tum ex recentioribus docuerunt [1]. Alii tamen communi Latinorum sententiæ adhærent, tenentque eos jam pœnam ignis sustinere, sive in gehenna, sive etiam extra gehennam, ex qua exire possunt, Deo sic permittente, ad homines in tentationem inducendos [2].

De tentatione diabolica, de possessionibus dæmoniacis communem catholicorum doctrinam omnes referunt. Quidam possessionum veritatem contra rationalistas ex professo propugnant [3]. De partibus dæmoniorum in theoria de teloniis post mortem agitur in *Tractatu de novissimis* [4].

1. Ita Marcus Ephesius in concilio Florentino, *Responsio ad quæstiones Latinorum*, 12, ed. L. Petit, in *P. O.*, t. XV, p. 165-166 : « τὴν κόλασιν δὲ καὶ αὐτοὺς ὅμως οὐ τελείαν ὑπέχειν· πρόσκειται γὰρ τὸ « εἰς κρίσιν τηρουμένους », ὅπερ ἐστὶ τότε τὴν τελείαν κόλασιν ὑποστησομένους. » Metrophanes Critopulus, *op.* et *loc. cit.*, p. 56 : « προώρισεν αὐτοῖς τὴν αἰώνιαν κόλασιν, τάξας ἡμέραν καθ' ἣν τοὺς ἀποστάτας ἐκεῖσε πέμψει. » Athanasius Pariensis, *op. cit.*, p. 242 : « τὴν ἐσχάτην καταδίκην, τὴν τοῦ αἰωνίου δηλαδὴ πυρός, οὔπω κατέλαβεν. » S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 205 : « Pœna angelorum lapsorum est duplex : pœna *damni* et *sensus*... *Pœna sensus* sunt cruciatus, quos persentiscunt dæmones, inde a lapsu permagnos; majores subibunt in die extremi judicii. » Antonius, ed. græc., p. 162 : « ἐν δὲ τῷ μέλλοντι ἀναμένει αὐτοὺς πῦρ αἰώνιον. »
2. Kursulas, *op. cit.*, p. 320-321 : « Θετέον ὅτι νῦν οὐ πάντες οἱ δαίμονες πρὸ τῆς ἡμέρας τῆς κρίσεως ἐν τῷ αὐτῷ βασανίζονται χώρῳ· οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἐν τῷ τῇδε ἀέρι, οἱ δὲ ἐν τῷ τοῦ ᾅδου βασανίζονται χώρῳ. » E. Bulgaris, *op. cit.*, p. 363-367. Circa modum, quo dæmones pœnam ignis pati possunt, Kursulas et Bulgaris varias theologorum occidentalium opiniones referunt. Cf. Symeonem Thessal., *Resp. III ad Gabrielem Pentap.*, *P. G.*, t. CLV, col. 841 A.
3. Ita præsertim Svietlov, *op. cit.*, p. 472-483.
4. Cf. t. IV, p. 22-31. De dæmonum scientia vel præscientia Michael Glykas integrum caput habet (c. XLI), *op. cit.*, t. II, p. 1-7, ubi communem theologorum de hac quæstione doctrinam refert. In c. XXXI, *op. cit.*, t. I, p. 361-366, ostendit diabolum non esse causam *omnium* peccatorum ab hominibus patratorum. De phantasmatica dæmonologia Michaelis Pselli in opere Περὶ ἐνεργείας δαιμόνων, *P. G.*, t. CXXII, col. 819-876, non loquimur, quandoquidem ad magiam magis quam ad theologiam pertinet. Auctor a Proclo Neoplatonico ex toto fere illam mutuatus est.

CAPUT TERTIUM

DE HOMINE

Prænotamina.

Varii influxus, quos in theologia Græco-Russorum pro temporum diversitate deprehendere est, in præsenti capite de hominis natura, statu primigenio et lapsu potissimum patefiunt. Unde in doctrina dissidentium de hac materia exponenda historicus ordo necessario sequendus est. Tres erunt articuli. In primo, doctrina sancti Joannis Damasceni, cujus auctoritas apud theologos epochæ byzantinæ prævalens fuit, quam clarissime referre conabimur. In secundo, byzantinorum theologorum sententias cum Damasceni dictis conferemus. In tertio vero theologorum epochæ modernæ opiniones breviter proponentur secundum auctorum rationes et extraneos influxus, quibus se dederunt. Ut per se patet, unusquisque articulus plures habebit sectiones ex materiæ implicatione postulatas.

ARTICULUS I

Sancti Joannis Damasceni doctrina de hominis natura, statu primigenio et lapsu.

Sanctus Joannes ut doctrinæ Patrum græcorum compilator atque epitomator merito habetur, præsertim in suo tripartito opere inscripto Πηγή γνώσεως : *Fons scientiæ*, quippe qui, ut ipse in *Prologo* fatetur, nihil e suo proprio penu protulerit, sed omnia a probatisque quibusque doctoribus mutuatus fuerit et in unum collegerit [1]. Cum autem apud Patres

1. *P. G.*, t. XCIV, col. 525 A : « Ἐγὼ δὲ ἐμὸν μέν, ὡς ἔφην, οὐδέν· τὰ δὲ τοῖς ἐκκρίτοις τῶν διδασκάλων πεπονημένα εἰς ἓν συλλεξάμενος ὅση δύναμις, συντετμημένον λόγον ποιήσομαι. »

de una eademque quæstione diversæ quandoque occurrant sententiæ, Damascenus unam præ aliis eligere debuit. Unde non omnia, quæ dixerunt græci Patres, sed tantum præcipua in ejus opere invenimus. Cæterum in hac brevi ejus doctrinæ de homine expositione texenda, non solum illum *Fontem scientiæ* ac præsertim tertiam partem, cujus titulus est : Ἔκθεσις ἀκριβὴς τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, adhibebimus, sed etiam alia sancti doctoris opera, in quibus propriam sententiam liberius profert, consulemus.

I. — De hominis origine et natura.

Damascenus narrationem mosaicam de primi hominis, vel etiam primæ mulieris formatione ad litteram sumit. Homo duplici tantum elemento constat, visibili uno, corpore scilicet, quod Deus propriis manibus, οἰκείαις χερσί, effinxit; invisibili altero, anima nempe, ratione et intelligentia prædita, quam propria insufflatione corpori tribuit. « Porro corpus et anima simul creata sunt; non autem, uti deliravit Origenes, hæc prius, illud posterius [1]. »

Homo bipartitus, non tripartitus est. Damascenus quorumdum antiquorum *trichotomiam* aperte rejicit : « Anima, inquit, non aliam se sejunctam mentem habet. Mens enim (ὁ νοῦς) nihil aliud est quam subtilissima ipsius pars : quod enim oculus in corpore, hoc mens in anima est [2]. »

Dogma catholicum, quo edocemur « animam rationalem esse per se et essentialiter corporis formam », diserte asserit Joannes ubi dicit : « Anima rationis et intelligentiæ particeps, corpore utitur organis instructo, cui vitam, incrementum, sensum et gignendi vim tribuit [3]. »

De ipsis vero animæ humanæ dotibus et potentiis in l. II *Expositionis fidei orthodoxæ* fuse disserit [4]. Præcipuas alicubi enumerat :

1. *De fide orthodoxa*, l. II, c. XII, *P. G.*, col. 920-921.
2. *Ibid.*, col. 924 B : « οὐχ ἕτερον ἔχουσα παρ' ἑαυτὴν τὸν νοῦν, ἀλλὰ μέρος αὐτῆς τὸ καθαρώτατον. »
3. *Ibid.* : « ὀργανικῷ κεχρημένη σώματι, καὶ τούτῳ ζωῆς, αὐξήσεώς τε καὶ αἰσθήσεως καὶ γεννήσεως παρεκτική. »
4. *Op. cit.*, l. II, c. XII-XXVIII, col. 925-962.

« Anima est vivens, simplex et incorporea substantia, oculis corporeis suapte natura invisibilis, immortalis, rationalis et intellectiva, ...arbitrii libertate volendique et agendi facultate prædita, mutabilis, hoc est, quæ voluntatis mutationem subire queat, eo quod creata sit. Hæc omnia creatoris beneficio *secundum naturam* (κατὰ φύσιν) consecuta est, a quo nimirum accepit et ut esset et ut hujus naturæ esset [1]. »

II. — De origine animæ cujusque hominis.

De origine animæ humanæ Damascenus obscure loquitur. In *Expositione fidei orthodoxæ* simpliciter dicit ortum seu nativitatem nostram *ad creatricem Dei potentiam* spectare [2]; quod ambiguum est. Ambigua item sunt verba mox laudata : « Anima a Deo accepit (græce : εἴληφεν) et ut esset, et hujus naturæ esset »; quæ ad primam hominis creationem alludere videntur, non vero respicere originem singulorum hominum. In quodam autem *Dialogo inter christianum et Saracenum* [3], sub ejus nomine in aliquot codicibus occurrente, generatianismum aperte docet : « Deus, inquit, post primam hebdomadam, qua mundus factus est, nihil amplius creat. Homines vero multiplicantur vi illius benedictionis ac mandati, quo Deus protoplastis dixit : Crescite et multiplicamini, et replete terram. Quamobrem homo hominem gignit [4]. »

Hæc Damasceni sententia haud parvam admirationem movet cum græci Patres plures creatianismum diserte docuerint. Verum, animadvertendum est ex illis aliquot generatianismo favisse, inter quos venit ipse sanctus Gregorius Nazianzenus, cui præ aliis, ut notum est, Joannes addictus erat [5].

1. *Ibid.*, l. II, c. XII, col. 924-925.
2. *Ibid.*, c. XXVIII, col. 961 C : « Ἡ γένεσις ἡμῶν τῆς δημιουργικῆς αὐτοῦ δυνάμεως ἐστί. »
3. Hujus *Dialogi* fragmentum edidit Le Quien, *P. G.*, t. XCIV, col. 1590-1598; integrum dedit Gallandus in *Bibliotheca Patrum*, t. XIII, col. 272 sq. (in *P. G.*, t. XCVI, col. 1335-1348).
4. *P. G.*, t. XCVI, col. 1337-1340.
5. Sanctus Gregorius Nazianzenus, in *Orat. II* (*P. G.*, t. XXXV, col. 425 BC), dicit animam *ex Deo et divinam esse*, ψυχὴν τὴν ἐκ Θεοῦ καὶ θείαν. In *oratione XL* vero (*In sanctum baptisma*, 2, *P. G.*, t. XXXVI, col. 361 A), loquens de tribus hominis nativitatibus (nempe de carnali, de spirituali in baptismo, de gloriosa in resurrectione), dicit Christum has tres nativitates honorasse, et primam quidem, scilicet illam quæ est ex corporibus, τὴν ἐκ σωμάτων, *per primam et vivificam insufflationem* : « ὁ ἐμὸς Χριστὸς τὴν πρώτην γέννησιν ἐτίμησε τῷ ἐμφυσήματι τῷ πρώτῳ καὶ ζωτικῷ »; ex quo colligere licet Deum, secundum Gregorium, in generatione cujusque hominis non intervenire per aliquam specialem operationem creatricem a primi hominis creatione distinctam, sed animam singulorum hominum ex Deo esse vi primæ illius insufflationis, qua anima Adami creata est. Quomodo autem hoc fiat, Gregorius non explicat, sed alibi dicit rem esse mysterio plenam. Unus autem ex commentatoribus orationum ejus, scilicet Nicetas Serronius, Heracleensis metropolita, ad locum laudatum hæc habet : « Corporea generatio una est, quam cogitatione dividimus in inspirationem et formationem, quandoquidem, quantum ad generationem, duplex est humanæ naturæ ratio, altera animæ, altera corporis. Anima siquidem *ineffabili modo ex inspiratione divina producitur;* corpus autem ex subjacente materia formatur. » *In Orat. XL S. Gregorii*, *P. G.*, t. CXXVII, col. 1246 AB. Mens Gregorii videtur esse singulas hominum animas a Deo produci vi primæ illius actionis creatricis, qua Adami animam produxit, *virtualiter adhuc perseverantis* et ad unamquamque humanam generationem ineffabili modo se extendentis.

III. — De imagine et similitudine Dei in homine.

Notum est Patres græcos de imagine et similitudine Dei in homine sermonem sæpe facere; et quosdam quidem inter imaginem (τὸ κατ'εἰκόνα) et similitudinem (τὸ καθ'ὁμοίωσιν) non distinguere, plures vero hujusmodi distinctionem ponere; item eos inter se non plane consentire in utraque *dictione* definienda. Porro Damascenus ad illos pertinet qui distinctionem ponunt; haud unam autem eamdemque semper utriusque notionem in ejus operibus invenire est; nec primo adspectu decernere facile est utrum tum τὸ κατ'εἰκόνα, tum τὸ καθ'ὁμοίωσιν, secundum sanctum doctorem, ad naturam humanam *in se spectatam* pertineant, an vero alterutrum, puta τὸ καθ'ὁμοίωσιν, vel etiam utrumque, ex parte saltem, illi elemento quod nostri theologi nunc vocant *præternaturale*, vel etiam *supernaturali proprie dicto* respondeat. Post attentam locorum nostri doctoris considerationem, ad hanc devenimus conclusionem, scilicet quod secundum ejus mentem, tum τὸ κατ'εἰκόνα, tum τὸ καθ'ὁμοίωσιν ad naturam humanam proprie dictam, prout a Deo in protoplastis creata est, pertinebant,

seclusis donis cum supernaturalibus tum præternaturalibus, de quibus, aliis verbis utens, sermonem etiam facit.

Quid est *imago*, τὸ κατ'εἰκόνα? In *Expositione fidei orthodoxæ*, Damascenus dicit illam consistere in vi intellectiva, τὸ νοερόν, et in libero arbitrio, τὸ αὐτεξούσιον [1].

In opusculo autem *De duabus voluntatibus*, plures alias affert *imaginis* significationes. Ad quæstionem : *Quot modis dicitur* τὸ κατ'εἰκόνα, sic respondet :

« [Homo est imago Dei] secundum rationem, mentem et liberum arbitrium; item, secundum quod mens gignit verbum et profert spiritum, et etiam *propter principatum*, κατὰ τὸ ἀρχικόν. Secundum hæc tria et angeli et homines sunt ad imaginem. Insuper autem homines ad imaginem sunt ratione ingeniti, quod in Adamo perspicitur; et geniti, quod in Abel; ac processionis, quæ in Eva. Præterea, ex eo quod homo natura principatum teneat; anima enim a natura corpus subditum habet, cui dominetur. Item, quod universam creaturam in se colligit (καὶ κατὰ συνάγειν πᾶσαν τὴν κτίσιν); quidquid enim creatum est cum in Deo, tum in homine unitur; siquidem homo spiritualis sensibilisque naturæ vinculum est. Denique, quod Dei Filius ad ejus imaginem futurus esset; non enim angelus factus est, sed homo [2]. »

In his omnibus nihil reperitur quod naturale non sit. Ad similitudinem autem quod attinet, sanctus doctor illam intelligere videtur : 1° de naturali rectitudine, virtutibus moralibus infusis constante, qua Adamus sponte et natura sua ad bonum inclinabatur ac ferebatur; 2° de actuali exercitio hujusmodi virtutum, ad quod necessaria erat cooperans gratia Dei, sine qua nihil boni velle vel operari possumus, et per quod homo perfectionem Dei imitatur eique magis ac magis se similem reddit. En præcipui textus :

« Τὸ καθ'ὁμοίωσιν significat similitudinem virtutis, quantum fieri potest [3]... »

« Fecit Deus hominem innocentem, rectum, probum, tristitiæ et sollicitudinis expertem, omni virtutum genere decoratum [1]... Fecit illum ad similitudinem suam, id est in *virtutibus perfectum, quantum quidem humanæ naturæ consequi datum est;* hæ siquidem divinæ naturæ veluti notæ sunt, nempe cura ac sollicitudine vacare, simplicitate, bonitate, sapientia ac justitia pollere [2]...

« Naturales sunt virtutes ac naturaliter et peræque omnibus insunt, etiamsi non omnes æqualiter ea quæ naturæ consentanea sunt, operemur. Ex eo siquidem quod secundum naturam erat in quod contra naturam est divini mandati transgressione prolapsi sumus [3]...

« Sciendum est virtutem a Deo in natura nostram datam esse; et ipsum omnis boni fontem et auctorem esse; et absque ejus cooperatione et auxilio nos bonum neque velle neque facere posse. A nobis autem pendet aut in virtute perstare Deumque ad eam vocantem sequi, aut a virtute recedere ac diabolum, qui nulla vi injecta ad illud nos vocat, ducem sequi. Vitium enim nihil aliud est quam recessus a bono, veluti tenebræ, recessus a luce. Ac proinde in illo quod secundum naturam est, permanentes, in virtute sumus; ab eo autem statu, hoc est a virtute deflectentes, in id quod naturæ repugnat incidimus, et in vitio constituimur [4]. »

Imaginis et similitudinis divinæ tum indoles, tum differentia ex duobus sequentibus locis adhuc elucet :

« Secundum imaginem Dei dicitur quilibet homo secundum mentis et animæ dignitatem, nempe secundum incomprehensibile, invisibile, immortale, liberum, dominatum in alios, artem fabrilem et architectonicam. Secundum ejusdem vero similitudinem, ratione virtutis et illarum actionum vere divinarum, quibus Deum imitamur, nempe per humanitatis opera erga proximum : conservos commiserescere, diligere,

1. L. II, c. XII, col. 920 B; l. IV, c. IV, col. 1108 A.
2. *De duabus voluntatibus*, 30, *P. G.*, t. XCV, col. 168 BC.
3. *De fide orth.*, l. II c. XII, col. 920 B.

1. *Ibid.*, col. 921 A : « Ἐποίησεν οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον ἄκακον, εὐθῆ, ἐνάρετον, ἄλυπον, ἀμέριμνον, πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαϊσμένον. »
2. *Ibid.*, l. IV, c. IV, col. 1108 AB : « καὶ καθ' ὁμοίωσιν, ἤτοι ἐν ἀρεταῖς τέλειον. »
3. *Ibid.*, l. IV, c. XIV, col. 1045 A : « φυσικαὶ γάρ εἰσιν αἱ ἀρεταί, καὶ φυσικῶς καὶ ἐπίσης πᾶσιν ἐνυπάρχουσιν. »
4. *Ibid.*, l. II, c. XXX, col. 972-976 : « Μένοντες ἐν τῷ κατὰ φύσιν, ἐν τῇ ἀρετῇ ἐσμεν· ἐκκλίνοντες δὲ τοῦ κατὰ φύσιν, ἤγουν ἐκ τῆς ἀρετῆς, εἰς τὸ παρὰ φύσιν ἐρχόμεθα καὶ ἐν τῇ κακίᾳ γινόμεθα. »

omnem in eos misericordiam et compassionem impendere, secundum illud : *Estote misericordes, sicut et Pater vester cælestis misericors est* (Luc., v, 36). Et imaginem sane (τὸ κατ'εἰκόνα) quilibet homo possidet; sine pænitentia enim sunt Dei dona; similitudinem vero (τὸ καθ'ὁμοίωσιν) perrari, et soli illi qui virtuti operam navant, et sancti sunt, et Dei bonitatem pro virium humanarum imbecillitate æmulantur [1]. »

« Dominus ex eo quod est contra naturam in id quod est secundum naturam nos revocavit: hoc enim est τὸ κατ'εἰκόνα καὶ καθ'ὁμοίωσιν [2]. »

Ex his et similibus locis satis clare constat τὸ κατ'εἰκόνα et τὸ καθ'ὁμοίωσιν, si utrumque *in se spectetur*, esse quid naturale secundum Damasceni doctrinam; et τὸ κατ'εἰκόνα quidem facultates animæ *physicas directe* respicere, unde et inamissibiles esse atque in omnibus hominibus, etiam in peccatoribus, inveniri; τὸ καθ'ὁμοίωσιν vero ad *ordinem moralem* pertinere, et tum virtutibus seu bonis inclinationibus, quibus naturam humanam Deus principio ditavit, tum præsertim exercitio harum virtutum cum divinæ gratiæ cooperatione constitui; unde et illud amitti posse et in solis virtuosis existere. Cæterum ultimus locus citatus et quidam alii innuere videntur ipsum τὸ κατ'εἰκόνα per peccatum originale amissum fuisse, *saltem ex parte*. Hanc contradictionem solvere et explicare infra conabimur, ubi doctrinam Damasceni de peccato originali exponemus [3].

1. *De institutione elementari*, *P. G.*, t. xcv, col. 97.
2. *De fide orthodoxa*, l. III, c. xiv, col. 1045 A : « Ὁ δὲ Κύριος ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἡμᾶς ἐπανήγαγε· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν. »
3. Quæri potest utrum id totum, quod Damascenus nomine τοῦ κατ' εἰκόνα καὶ τοῦ καθ' ὁμοίωσιν comprehendit, aliquid includat quod sit supra, aut præter naturam *philosophice*, non *historice* spectatam. Putamus Damascenum naturam intendisse *in se* seu *philosophice* consideratam; attamen gratia cooperans, de qua loquitur tanquam de auxilio ad exercitium virtutum necessario, supernaturalis dicenda est, quia homo ad finem supernaturalem ordinabatur.

IV. — De donis gratuitis et supernaturalibus quibus primus homo a Deo ornatus fuit.

Naturæ humanæ ita constitutæ seu τῷ εἶναι Deus ex mera liberalitate quædam dona addidit, quæ Damascenus dictione τὸ εὖ εἶναι seu *bene esse* quandoque designat [1], respondentque tum supernaturalibus donis proprie dictis, tum et præternaturalibus, de quibus theologi nostri temporis sermonem faciunt.

Primum quidem Damascenus clare docet Adamum ad divinæ naturæ participationem per gratiam evectum fuisse, ut patet ex sequentibus locis :

« Deus hominem creavit... per mentis ad Deum conversionem deificatum, quod finis est mysterii [ad eum spectantis]; *deificatum autem divinæ illustrationis participatione*, non in divinam substantiam translatione [2]...

« Homo, quantum ad animam, ...*Deum hospitem suum habebat pro domo, imo et pro illustri vestimento, ejusque gratia circumvestitus erat*, illius contemplatione, quæ sola dulcissimus fructus est, velut alius quispiam angelus, multa cum voluptate fruens, eaque enutritus [3]... Deus per sui communicationem ad incorruptionem hominem subvehebat [4]... Propriæ imaginis est sui ipsius Spiritus participem eum fecit [5]. »

« Hominem condidit masculum, *ei divinam suam gratiam impertiens atque per eam in sui ipsius communicatione illum constituens* [6]. »

Præter gratiam deificantem, ad τὸ εὖ εἶναι Adami pertine-

1. Cf. *De fide orth.*, l. III, c. i, col. 981 A; *Homilia in Sabbatum sanctum*, 11, *P. G.*, t. xcvi, col. 612; *In Dormitionem*, ii, 8, *P. G.*, *ibid.*, col. 733 C.
2. *De fide orth.*, l. II, c. xii, col. 924 A : « τῇ πρὸς Θεὸν νεύσει θεούμενον· θεούμενον δὲ μετοχῇ τῆς θείας ἐλλάμψεως, καὶ οὐκ εἰς τὴν θείαν μεθιστάμενον οὐσίαν. »
3. *De fide orth.*, l. II, c. xi, col. 916 C : « Θεὸν ἔχων οἶκον τὸν ἔνοικον, καὶ αὐτὸν ἔχων εὐκλεὲς περιβόλαιον, καὶ τὴν αὐτοῦ περιβεβλημένος χάριν. »
4. *Op. cit.*, l. IV, c. iv, col. 1108 B : « Διὰ τῆς ἑαυτοῦ κοινωνίας ἀνήγαγεν αὐτὸν πρὸς τὸ ἄφθαρτον. »
5. *Op. cit.*, l. IV, c. xiii, col. 1137 B : « Μετέδωκεν ἡμῖν τῆς ἰδίας εἰκόνος καὶ τοῦ ἰδίου Πνεύματος. »
6. *Op. cit.*, l. II, c. xxx, col. 976 A : « Μεταδοὺς αὐτῷ τῆς ἑαυτοῦ θείας χάριτος, καὶ ἐν κοινωνίᾳ ἑαυτοῦ διὰ ταύτης αὐτὸν ποιησάμενος. »

bant alia privilegia cum ipsa gratia et unione cum Deo intime connexa, scilicet :

1º *Scientia* ex assidua Dei contemplatione hausta [1]. Hujus scientiæ supernaturalis indicium fuit illa animantium nominatio, qua Adamus *prophetarum more* animalibus « veluti mancipiis suis herili quadam potestate » nomina convenientia imposuit [2];

2º *Principatus super omnia animantia* omnesque res terrenas [3];

3º *Incorruptio omnimoda*, ἀφθαρσία. Hoc privilegio Adamus eximebatur variis vitæ vegetativæ et animalis necessitatibus miseriisque physiologicis, cibo nempe et potu, somno, morbis, vulneribus, fluxionibus ex motu vitali, prout nunc existit, manantibus, immo generatione carnali [4]. Docet enim Damascenus, post haud paucos Patres Ecclesiæ græcæ, matrimonium et generationem carnalem esse peccati originalis sequelam. Ideo creavit Deus feminam, quia Adami lapsum prævidit, eamque Adamo dedit sociam et adjutricem, ut genus humanum per generationem ex successione conservaretur [5]. Si homo non peccasset, Deus alio modo generis nostri propagationi providisset [6];

1. *Op. cit.*, l. II, c. xi, col. 916 A, C : « καὶ τοῦ μόνου γλυκυτάτου καρποῦ τῆς αὐτοῦ θεωρίας κατατρυφῶν. »

2. *Ibid.*, c. xxx, col. 976 A : « ὅθεν τὴν τῶν ζῴων ὀνομασίαν προφητικῶς, ὡς δούλων αὐτῷ δοθέντων, δεσποτικῶς ἐποιήσατο. »

3. *Ibid.*, col. 976 A : « εἰκότως τὴν τῶν ἐπιγείων ἀρχὴν ἐνεχειρίζετο ὑπὸ τοῦ κοινοῦ ἁπάντων δημιουργοῦ τε καὶ δεσπότου. » Cf. l. II, c. xii, col. 921 A : « βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς, βασιλευόμενον ἄνωθεν.

4. *Op. cit.*, l. II, c. xi, col. 917 CD : « Ἀμήχανον ἄφθαρτον διαμένειν τὸν τῆς αἰσθητῆς βρώσεως ἐν μετουσίᾳ γινόμενον. » — *Hom. in Sabbatum sanctum*, 27, *P. G.*, t. xcvi, col. 628 B : « Τῶν γηΐνων ποιεῖται τὴν ἀπόθεσιν ὁ Κύριος, οὐ σώματός φημι, τῶν δὲ τοῦ σώματος, ὕπνου καὶ κόπου, πείνης καὶ δίψης, τομῆς τε καὶ ῥεύσεως. Ταῦτα γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς εἰς τὸν ἡμέτερον εἰσέφρησε τὸν ἡμέτερον. »

5. *De fide ort.*, l. II, c. xxx, col. 976 BC : « Εἰδὼς ὁ προγνωστὴς Θεὸς ὡς ἐν παραβάσει γενήσεται καὶ τῇ φθορᾷ ὑποκείσεται, ἐποίησεν ἐξ αὐτοῦ θῆλυ, βοηθὸν αὐτῷ κατ' αὐτόν· βοηθὸν δὲ πρὸς τὴν διὰ γεννήσεως μετὰ τὴν παράβασιν τοῦ γένους ἐκ διαδοχῆς σύστασιν. »

6. *Op. cit.*, l. IV, c. xxiv, col. 1205-1208 : « Ἡ παρθενία ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐνεφυτεύθη τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων... Ἐν παραδείσῳ παρθενία ἐπολιτεύετο... Ἠδύνατο γὰρ ὁ Θεὸς καὶ ἑτέρῳ τρόπῳ τὸ γένος πληθύναι, εἰ τὴν ἐντολὴν μέχρι τέλους ἐτήρησαν ἀπαραχάρακτον. »

4º *Impassibilitas*, ἀπάθεια, seu animi perfecta serenitas, oriens tum ex immunitate a carnali concupiscentia, tum ex liberatione ab omni cura inquieta et rerum temporalium sollicitudine. « Tales enim nos Deus esse volebat omnique perturbatione vacare; hoc enim ad perfectam ἀπάθειαν pertinet; ac præterea ut omni sollicitudine carentes, in aliud opus non incumberemus, nisi quod angelorum est; nempe ut creatorem perpetuis laudibus celebraremus [1]. »

5º *Immortalitas corporalis* [2].

Hujusmodi privilegia naturæ humanæ in se spectatæ indebita erant. Adamus ea amittere poterat Dei mandatum transgrediendo et ab ejus communione, quæ per gratiam erat, recedendo. Hoc expresse docet Damascenus, præsertim quantum ad immortalitatem :

« Deus, inquit, mortem non fecit, sed illam nobis accersivimus. *Quanquam enim ea omnis compositi natura est, ut dissolvatur aliquando, attamen quamdiu Adamus per contemplationem cum Deo conjunctus erat, in se vitam habebat, qua mortalis ipsius natura supra naturæ leges vivificaretur.* Postquam autem ab unione cum vita, id est cum Deo, recessit, ab ea incorruptione quæ naturæ vires excedebat, in dissolutionem naturæ compositi consentaneam, hoc est in mortem incidit [3].»

Ex his colligere licet statum Adami innocentis, quod ad corpus attinet, ad gloriosæ resurrectionis statum prope accessisse; siquidem, secundum Damascenum et eos Patres quorum doctrinæ inhæret, caro Adami omnino incorrupta erat et impassibilis, cibo et potu non egens, carnali concupis-

1. *Op. cit.*, l. II, c. xi, col. 913-916 : « Τοιούτους δὲ ἀπαθεῖς ἐβούλετο εἶναι ἡμᾶς ὁ Θεός· ἀπαθείας γὰρ ἄκρας τοῦτό ἐστιν· [scilicet immunitas a concupiscentia carnali] ἔτι δὲ καὶ ἀμερίμνους, ἓν ἔργον ἔχοντας, τὸ τῶν ἀγγέλων, ὑμνεῖν ἀλήκτως καὶ ἀδιαλείπτως τὸν κτίσαντα καὶ τῆς αὐτοῦ κατατρυφᾶν θεωρίας. »

2. *Ibid.*, col. 916 B : « τῷ θανάτῳ οὐχ ὑποκειμένοις. » Cf. l. II, c. xxx, col. 977.

3. *Dialogus contra manichæos*, 71, *P. G.*, t. xciv, col. 1569 BC : « Φύσει μὲν γὰρ πᾶν σύνθετον διαλύεται· ἀλλ' ὅσον Θεῷ διὰ θεωρίας ἥνωτο ὁ Ἀδάμ, ἐν ἑαυτῷ εἶχε τὴν ζωὴν ὑπὲρ φύσιν ζωοποιοῦσαν τὴν θνητὴν αὐτοῦ φύσιν. Ὅτε δὲ ἀπέστη τῆς πρὸς τὴν ζωήν, ἤγουν πρὸς τὸν Θεὸν ἑνώσεως, ἦλθεν ἐκ τῆς ὑπὲρ φύσιν ἀφθαρσίας εἰς τὴν κατὰ φύσιν τοῦ συνθέτου διάλυσιν, ὅπερ ἐστὶ θάνατος. »

centiæ et generationi subtracta. « Per peccatum homo mortalitatis carnisque crassitie coopertus fuit; quod mortuarum pellium vestitu designatur [1]. » Hæc tamen inter Adamum innocentem et gloriosa resurrectione donatos intercedit differentia, quod gloriosæ resurrectionis dotes inamissibiles sunt, dum Adamus sua privilegia perdere poterat ac de facto perdidit. Erat enim adhuc in via et probationi subjectus, nondum in bono confirmatus [2].

Ad paradisum quod attinet, Damascenus admittit quidem verum paradisum terrestrem et sensibilem, Dei manibus consitum, supra terram elevatum, omnibus oblectamentis ac pulchritudinibus decoratum, in quo nullum rationis expers animal versabatur, sed homo solus [3]; attamen tum arborem vitæ, tum arborem scientiæ boni et mali aliaque ligna de quibus loquitur narratio mosaica, allegorice accipit [4].

V. — De peccato originali ejusque sequelis tum in Adamo, tum in ejus posteris.

Patres græci et ipsa Ecclesia græca semper docuerunt Adamum, per divini mandati transgressionem, non sibi soli, sed et suis posteris nocuisse, ita ut omnes qui ex eo per viam carnalis generationis originem trahunt, sint coram Deo vere peccatores, ipsius Adami peccati necnon ejus sequelarum participes facti. Unde cum pelagianus error, sæculo v ineunte, erupit, non solum in Occidente, verum etiam in Oriente synodicis anathematismis profligatus est, primum in synodo Diospolitana, anno 415, deinde Constantinopoli sub Attico, annis 417 et 424, demum in synodo Ephesina (can. 1), anno 431. Præterea Trullana synodus (691) corpori juris Ecclesiæ byzantinæ adjunxit collectionem canonum Ecclesiæ africanæ, inter quos veniunt (sub nomine canonum 113 et

1. *De fide orth.*, l. III, c. I, p. 981 A : « καὶ περιβληθέντα τὴν νέκρωσιν, ἤτοι τὴν θνητότητα καὶ παχύτητα τῆς σαρκός· τοῦτο γὰρ ἡ τῶν δερμάτων ἀμφίασις. »
2. *Op. cit.*, l. II, c. xxx, col. 976-980.
3. *Op. cit.*, l. II, c. xi, col. 909-913.
4. Vide ejus varias interpretationes ab antiquis Patribus græcis mutuatas, *ibid.*, col. 913-918.

114 vel 120 et 121 concilii Carthaginensis) duo primi canones concilii Milevitani (416), a synodo Carthaginensi anni 418 iterum promulgati, quibus damnantur quicumque docuerint Adamum, primum hominem, ante lapsum non fuisse immortalem, vel negaverint « parvulos recentes ab uteris matrum non esse baptizandos, dicentes eos nihil ex Adam traxisse *originalis peccati*, quod lavacro regenerationis expietur [1]. »

Hoc fundamentale de peccato originali dogma diserte docet Damascenus, atque in suis scriptis, præsertim vero in *Expositione fidei orthodoxæ*, sæpissime memorat. In Adamo nos videt omnes, ita ut quidquid de eo profert, quantum ad hanc primam divini mandati in paradiso transgressionem, de nobis idem ipsum asserat. Per Adamum et una cum Adamo coram Deo peccatores constituti sumus; cujus iram, condemnationem vel maledictionem incurrimus. Adami peccatum est etiam nostrum peccatum; ejus transgressio, nostra transgressio. Quidquid ille pro se perdidit, pro nobis etiam amisit; hoc ipsum nos ipsi in eo amisimus. Distinguit enim sanctus doctor inter peccati reatum, quem vocibus ἁμαρτία, κατάρα, κατάκρισις vel ὄφλημα plerumque designat, et ejus effectus seu sequelas. Porro Adamus per suum peccatum sibi et nobis amisit tum Dei gratiam deificam, qua Deum ipsum in se habebat hospitem, cum eo filialiter communicans, tum ea dona gratuita, quæ ab ipsa gratia tanquam effectus a causa pendebant, incorruptionem scilicet, impassibilitatem seu ἀπάθειαν, et immortalitatem.

Ad τὸ κατ'εἰκόνα autem et τὸ καθ'ὁμοίωσιν quod attinet, Damasceni dicta paulum involuta sunt. Peccatum originale nobis certe subtraxit τὸ καθ'ὁμοίωσιν, quod in variis virtutibus

1. De doctrina Patrum græcorum circa originale peccatum quædam scripsimus tum in articulo : *Immaculée conception dans l'Église grecque après le concile d'Éphèse*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. vii, col. 894-904, tum præsertim in opusculo : *Julien d'Halicarnasse et Sévère d'Antioche. La doctrine du péché originel chez les Pères grecs*, p. 12-46. Cf. *Échos d'Orient*, t. xxiv (1925). De erroris pelagiani damnatione in Oriente tempore concilii Ephesini vide M.-Th. Disdier, *Le pélagianisme au concile d'Éphèse*, in *Échos d'Orient*, t. xxx (1931), p. 314-333.

seu ad bonum inclinationibus consistebat; in quarum locum nobis reliquit *aversionem a Deo et propensionem seu conversionem ad materiam* et res sensibiles. *Prima enim in nobis voluntas morbum contraxit* [1], per Adami scilicet voluntariam transgressionem. Quantum autem ad *imaginem* (τὸ κατ'εἰκόνα), in uno quidem loco, quem supra recitavimus [2], Damascenus dicit singulos homines illam possidere, ita ut amitti non possit. Alibi vero docet ipsam imaginem per peccatum originale *obscuratam fuisse, ejusque ductus ac characteres confusos fuisse.* Utrumque conciliari potest, quandoquidem notio imaginis, apud Damascenum, plus minusve extenditur. Ut supra vidimus, imaginem quandoque restringit ad intellectum et liberum arbitrium; alibi vero illam extendit ad principatum hominis tum in animantia et res externas, tum in proprium corpus. Patet autem hunc principatum valde imminutum fuisse per donorum immortalitatis, impassibilitatis et incorruptionis amissionem. Insuper facultates spirituales intellectus et liberæ voluntatis, quamvis qua facultates integræ remanserint, vulneratæ tamen sunt et quodammodo confusæ atque obscuratæ per τοῦ καθ'ὁμοίωσιν sublationem et hanc a Deo aversionem et ad creaturas conversionem, quæ exinde subsecuta est.

Juxta Damascenum ergo, natura humana ipsa, prout eam intelligit ac definit, per peccatum originale verum vulnus accepit, non quod essentia hominis corrupta sit, vel quod ejus naturales facultates, qua facultates, vitiatæ vel adulteratæ fuerint, sed quod aliquid perdiderint a Deo naturæ ejusque facultatibus initio inditum, illam scilicet rectitudinem et virtutes seu bonas inclinationes, quas secundum naturam esse Damascenus etiam atque etiam repetit : *Per divini mandati transgressionem*, inquit, *ex eo quod secundum naturam erat in id quod est contra naturam prolapsi sumus. At Dominus ex eo quod est contra naturam in id quod naturæ consentaneum est, nos revocavit. Hoc enim est* τὸ κατ'εἰκόνα et τὸ καθ'ὁμοίωσιν [3]. Notat præterea Joannes naturam humanam

1. *De fide ort.*, l. III, c. XIV, col. 1041 D : « Εἰ οὖν θέλων ὁ 'Αδὰμ ὑπήκουσε καὶ θέλησας ἔφαγεν, ἄρα πρωτοπαθὴς ἐν ἡμῖν θέλησις. »
2. Vide supra, p. 471.
3. *De fide ort.*, l. III, c. XIV, col. 1045 A. Cf. supra, p. 473, n. 3.

per peccatum valde debilitatam fuisse ex vehementi concupiscentia, qua in servitutem redigimur et ad vitia inclinamur [1]; ex quo conjicere licet eum ut naturalem non habuisse hanc concupiscentiam in eo intensionis gradu, quo in homine lapso manifestatur [2].

Nunc vero, si quæras in quonam Joannes posuerit essentiam peccati originalis, prout hoc peccatum unicuique poste-

1. *Homilia in ficum arefactam*, 1, *P. G.*, t. XCVI, col. 576-577 : « 'Αλλ'ἀδυνάτως εἶχεν πρὸς τὴν ἐπιστροφήν, ἅπαξ ἑαυτὸν καταδουλώσας τῇ ἁμαρτίᾳ καὶ συγκραθεὶς τῇ γηΐνῃ ἐπιθυμίᾳ ἐκ προαιρέσεως. Διὸ δὴ ὁ ὑπεράγαθος δεσπότης ἐξασθενήσασαν τὴν φύσιν ἰδών, ταύτην ἀναλαμβάνει. » Cf. *Hom. in Sabbatum sanctum*, 10, *ibid.*, 612 A : « 'Εντεῦθεν λαβοῦσα νομὴν ἡ ἁμαρτία, καταδουλοῦταί με τὸν τρισάθλιον, καὶ πᾶν εἶδος κακίας ἐν ἐμοὶ κατεργάζεται. »

2. Hi sunt loci præcipui, quibus nostra doctrinæ Damasceni compendiosa expositio innititur : 1° *Loci de ipso originali peccato et præcipuis ejus sequelis : De fide orthodoxa*, l. IV, c. XIII, col. 1137 BC : « 'Ηλευθέρωσε τὴν φύσιν ἡμῶν τῆς ἁμαρτίας τοῦ προπάτορος, τοῦ θανάτου καὶ τῆς φθορᾶς... Γεννηθέντες ἐκ τοῦ 'Αδάμ, ὡμοιώθημεν αὐτῷ, κληρονομήσαντες τὴν κατάραν καὶ τὴν φθοράν. » *De duabus voluntatibus*, 44, *P. G.*, t. XCV, col. 185 AB : « 'Ανέλαβε [ὁ Χριστὸς] καὶ τὰς ἐπὶ τῇ πρώτῃ παραβάσει τιμωρίας, ἵνα τὸ καθ' ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποτίσας ὄφλημα, ἐλευθερώσῃ ἡμᾶς τῆς κατακρίσεως. » Cf. *ibid.*, col. 164 A; 2° *Loci de sequelis peccati : De fide orth.*, l. II, c. XXVIII, col. 961 C : « δι' ἀνθρώπου δὲ μᾶλλον ὁ θάνατος, τουτέστι τῆς 'Αδὰμ παραβάσεως, ὁμοίως καὶ αἱ λοιπαὶ τιμωρίαι. » *Ibid.*, c. XXX, col. 977-980; l. III, c. I, col. 981 : « τὴν τοῦ δημιουργοῦ ἐντολὴν μὴ φυλάξαντα, καὶ γυμνωθέντα τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρὸς Θεὸν παρρησίαν ἀπεκδυσάμενον, καὶ σκεπασθέντα τῇ τοῦ μοχθηροῦ βίου τραχύτητι... καὶ τοῦ παραδείσου γεγονότα ἐξόριστον, καὶ θανάτῳ κατάκριτον, καὶ φθορᾷ ὑποχείριον οὐ παρεῖδεν ὁ συμπαθής. » *Dialogus contra manichæos*, 71, col. 1569 C; *In ficum arefactam*, 1, *P. G.*, t. XCVI, col. 576-577; *In Sabbatum sanctum*, 7, 11; *ibid.*, t. XCVI, col. 609-612. 3° *De imagine et similitudine : De fide orth.*, l. IV, c. IV, col. 1108 B : « 'Επειδὴ καὶ διὰ τῆς παραβάσεως τῆς ἐντολῆς τοὺς τῆς θείας εἰκόνος χαρακτῆρας ἐξεφώσαμέν τε καὶ συνεχέαμεν, καὶ ἐν κακίᾳ γενόμενοι, τῆς θείας κοινωνίας ἐγυμνώθημεν. » *Ibid.*, l. IV, c. XIII, col. 1137 B : « 'Επειδὴ γὰρ μετέδωκεν ἡμῖν τῆς ἰδίας εἰκόνος καὶ τοῦ ἰδίου πνεύματος, καὶ οὐκ ἐφυλάξαμεν μεταλαμβάνει αὐτὸς τῆς πτωχῆς καὶ ἀσθενοῦς ἡμῶν φύσεως. » 4° *De aversione a Deo et inclinatione ad creaturas : De fide orth.*, l. II, c. XXX, col. 977 CD : « Διὰ δὲ τῆς παραβάσεως πρὸς τὴν ὕλην μᾶλλον κινηθεὶς καὶ τῆς αὐτοῦ αἰτίας, τοῦ Θεοῦ φημί, ἀποσπάσας τὸν νοῦν, τῇ φθορᾷ προσοικειοῦσθαι... καὶ τὴν μὲν ἔφεσιν ἐκ Θεοῦ πρὸς τὴν ὕλην, τὸν δὲ θυμὸν ἐκ τοῦ τῆς σωτηρίας ἐχθροῦ μεταφέρειν πρὸς τὸ ὁμόφυλον. » *In Sabbatum sanctum*, 10, *P. G.*, t. XCVI, col. 612 A.

rorum Adami proprium est et ab ejus sequelis distinguitur, respondendum videtur eum simpliciter docuisse ipsum Adami peccatum esse peccatum nostrum, quatenus in Adamo unus homo virtualiter seu seminaliter sumus omnes. Ejus de hac quæstione sententia nobis satis aperte innotescit tum ex illius consueto loquendi modo de originali peccato, tum ex interpretatione verborum Apostoli : *In quo omnes peccaverunt*, ἐφ'ὧ πάντες ἥμαρτον :

In quo, ait, id est : *per quem*. Dicit vero : « Quemadmodum illo, scilicet Adamo, cadente, illi quoque qui de ligno non comederunt ex eo omnes facti sunt mortales; ita, resurgente Christo, omne corpus immortalitatis particeps evasit [1]. »

ARTICULUS II

Theologorum byzantinorum doctrina de homine.

Theologi byzantini Damasceni doctrinæ quoad præcipua generatim adhærent. In quibusdam tamen quæstionibus ab eo aliqui recedunt propriasque proferunt sententias; in aliis vero nunc clarius, nunc obscurius atque ille loquuntur. In fine autem hujus periodi, theologiæ occidentalis influxus apud quosdam jam manifestus apparet.

I. — De natura hominis.

Hominem duplici elemento constare, corpore scilicet et anima spirituali atque immortali, quæ corpori substantialiter uniatur sitque vera ejus forma, communiter docent Byzantini. Photius quidem aliquando accusatus fuit quod tenuerit hominem duas animas habere; inde concilium œcumenicum octavum (869-870) occasionem sumpserit definiendi in suo canone 11 hominem unam tantum animam, rationalem nempe et intellectualem, habere [2]; verum talis erroris

1. *In epist. ad Rom.*, c. v, 12, *P.G.*, t. xcv, col. 477 A.
2. Mansi, *Ampl. coll. concil.*, t. xvi, col. 166, 404.

nullum occurrit vestigium in photianis scriptis, quæ ad nos pervenerunt; quin contra, haud uno in loco Photius communem Ecclesiæ doctrinam diserte exprimit [1]. Hujus criminationis originem alii aliter explicant [2].

Sæculo xi, Michael Psellus haud pauca de anima scripsit, in quibus varias antiquorum philosophorum opiniones recenset, quin facile sit decernere quid ipse senserit. In quibusnam enim locis doctrinis Platonicorum de humano composito haud obscure favet et tres animas admittere videtur; in aliis autem cum Aristotele pronuntiat animam esse corporis formam illudque statim a principio vivificare [3].

Trichotomiam Apollinaris textibus antiquorum Patrum confutat Michael Glykas in uno e suis *Capitibus in sacrae Scripturæ difficultates* [4].

1. Cf., v. g., *Contra manichæos*, l. II, 1, *P. G.*, t. cii, col. 85; *Ad Amphil.*, q. lxxiii, *P. G.*, t. ci, col. 453, ubi hominis hanc tradit definitionem : « ζῷον ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος συνεστώς. » Cf. Hergenröther, *Photius von Konstantinopel*, t. iii, p. 444-446.
2. Cf. Hergenröther, *ibid.;* M. Jugie, art. *Constantinople (IVe concile de)*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. iii, col. 1299-1301; Chrysostomus Papadopulus, Περὶ τῆς ἀποδιδομένης εἰς τὸν Φώτιον δοξασίας περὶ ὑπάρξεως δύο ψυχῶν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, in commentario Νέα Σιών, t. xxv (1930), p. 409-418. Hic auctor putat calumniosi criminis originem quærendam esse in *Sermone post terræ motum anni 860*, quem Photius ad populum habuit. In hoc, qui deperiit, Photius ambigua quædam de anima protulerit, ex quibus ejus inimici calumniam conflarint. Probabiliorem putamus narrationem Anastasii Bibliothecarii in *Præfatione in concilium octavum*, Mansi, *loc. cit.*, col. 6.
3. Cf. *De omnifaria doctrina*, 29, 30, 31, 43, *P. G.*, t. cxxvii, col. 708, 716 AB; *De anima opiniones*, *ibid.*, col. 1040 AB, ubi hæc habet : « Λέγω γὰρ ὅτι ὥσπερ ἑνωθεῖσα ἡ ψυχὴ τῷ σώματι τούτῳ, δοκεῖ μὲν ἕν τι πρᾶγμα ποιεῖν, κατὰ ἀλήθειαν δὲ οὐχ ἕν τί εστιν, οὕτω τῇ τε ἀλόγῳ καὶ τῇ φυτικῇ συνημμένη μίαν μέν τινα συνέχειαν ποιεῖ διὰ τὴν συνάφειαν· ἐξῆπται γὰρ προσεχῶς τῆς μὲν λογικῆς ἡ ἄλογος, τῆς δὲ ἀλόγου ἡ φυτική· διὰ δὲ τὴν γινομένην ἐκ τῆς συναφείας συμπάθειαν μίαν φαμέν, ὅτι ὡς ὀργάνοις κέχρηται ταῖς ἄλλαις δυνάμεσιν ἡ λογική. » Cf. etiam col. 1075-1060. De anima apud Byzantinos præsertim sub aspectu philosophico quædam scripsit L. Petit in art. *Ame chez les Grecs*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. i, col. 1006-1016.
4. C. lxxx : Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς κεφάλαια, ed. Eustratiades, t. ii, p. 316-321; cf. c. xci, *ibid.*, p. 416-417.

Animam rationalem esse corporis formam expressis verbis haud pauci [1], dictionibus idem valentibus alii docent [2].

II. — De origine animæ et tempore animationis.

Quotquot legere potuimus, creatianismum expresse docent, et traducianismum seu generatianismum tanquam errorem, vel etiam hæresim, rejiciunt. Inter se autem disputant circa tempus, quo anima rationalis a Deo creatur et in corpus infunditur.

Creatianismus ut veritas fide tenenda proponitur in professione fidei palamitica ab episcopo ordinando recitanda, quæ Philotheum Kokkinum auctorem habuit :

« Credo animas humanas ex nihilo creari immortales, et unamquamque in resurrectione proprio corpori uniendam [3]. »

Pro animatione immediata (seu a primo instanti conceptionis) tenent, inter alios, 1º Michael Glykas, qui oppositæ

1. Ita Theophanes, Mediæ episcopus, Λόγος περὶ ψυχῆς, ad calcem operis inscripti : Νικηφόρου μοναστοῦ καὶ πρεσβυτέρου τοῦ Βλεμμίδου ἐπιτομὴ λογικῆς, Lipsiæ, 1784, p. 50 et 58 : « Ἐντελέχεια καὶ εἶδός ἐστιν ἡ ψυχή τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἐν αὐτῷ οἰκουροῦσα ἐνεργεῖ τὰ ἑαυτῆς καὶ ἀπαλλάττουσα τούτου θνητοῦ ὄντος καὶ ὑλικοῦ, αὕτη ἀθάνατος οὖσα, ἔτι καὶ βέλτιον ζῇ. » — « Ἐντελέχεια δή ἐστιν ἡ ψυχὴ καὶ εἶδος ἐντιθεῖσα τῷ σώματι καὶ μίαν ὑπόστασιν ἐργαζομένη τὸν ἄνθρωπον. » Ita etiam sæpe sæpius Georgius Scholarius tum in tract. II, περὶ τῆς λογικῆς καὶ ἀνθρωπίνης ψυχῆς, 18 (*Œuvres complètes*, t. I, p. 499-500), ubi hæc leguntur : « Ἄνθρωπός ἐστιν ἀληθῶς τὸ συναμφότερον (anima scilicet et corpus), ὡς ἐξ ὕλης μέν πῃ, τοῦ σώματος, εἴδους δὲ τῆς λογικῆς ψυχῆς ὑφεστώς, » tum in *Commentario opusculi sancti Thomæ « De ente et essentia »* (*Œuvres complètes*, t. VI, p. 177 sq., passim).

2. Ita Michael Glykas, *op. cit.*, c. XCI, t. II, p. 453-455 : « Τὸ φθαρτὸν ἑνοῦται κατὰ κρᾶσιν τῷ ἀφθάρτῳ. » Nicephorus Blemmides, Λόγος περὶ ψυχῆς (ad calcem operis Ἐπιτομὴ λογικῆς mox laudati) : « Μόνον ἄνθρωπος ἁπάσας ἐνεργείας ἐπιτελεῖ λογικάς, ζωϊκάς, φυτικάς..., ἐπειδὴ συνημμένην ἔχει ἐν ἑαυτῷ καὶ φύσιν ἔχει καὶ πᾶσαν ζωὴν διὰ τῆς μιᾶς τελεωτάτης ψυχῆς, αὐτῆς οὔσης αὐτῷ κατὰ πάντα καὶ πρώτης μόνης ἀρχῆς παρεκτικῆς », p. 43. Gregorius Palamas, *Capita physica, theologica*, etc., 38, *P. G.*, t. CL, col. 1148 A : « Ἡ δὲ νοερὰ καὶ λογικὴ φύσις τῆς ψυχῆς, ἐπεὶ γηΐνῳ συνεκτίσθη σώματι, καὶ ζωοποιὸν ἔλαβε τὸ πνεῦμα παρὰ τοῦ Θεοῦ, δι' οὗ συνέχει καὶ ζωοποιεῖ τὸ συνημμένον σῶμα. »

3. Ὁμολογία τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ἐκτεθεῖσα παρὰ τοῦ μητροπολίτου Ἡρακλείας Φιλοθέου, in *cod. Monacensi 508*, fol. 123.

sententiæ de animatione mediata censuram agit, et contra Theodoretum provocat ad auctoritatem Gregorii Nysseni, Joannis Chrysostomi, Maximi, Anastasii Sinaitæ, pseudo-Athanasii in *Responsis ad Antiochum*, Joannis Damasceni [1]; 2º Nicephorus Blemmides, qui item animationem mediatam omni fundamento carere dicit, quamvis plerique huic commento suffragentur [2]; 3º Symeon Thessalonicencis [3]; 4º Michael Psellus utramque opinionem in quodam loco refert, quin unam præ altera amplectatur; in alio vero animationem immediatam expresse docet [4].

Animationi mediatæ favere videtur Photius [5]; ex professo autem sæculo XV illam propugnant Theophanes Mediæ epis-

1. *Op. cit.*, c. XLVIII, t. II, p. 45-51; c. XCI, *ibid.*, p. 410-417 : « Εὔδηλον οὖν ὅτι κατ' αὐτὴν τὴν σύλληψίν καὶ ἡ νοερὰ ψυχὴ παρυφίσταται... Σῶμα λοιπὸν καὶ ψυχὴ κατὰ ταὐτὸν ἕν γε τῇ μήτρᾳ συντρέχουσι καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ καθ' ὑπόστασιν ἕνωσις. » Utrum præfatos Patres pro sua sententia *jure* laudet, nostri non est hic decernere.

2. *Op.* et *loc. cit.*, p. 45 : « Τὸ γοῦν λέγειν, ὡς οἱ πολλοί, τὴν τῆς ψυχῆς οὐσίαν μετὰ τὴν τοῦ σώματος διάπλασιν ἔρχεσθαι καὶ ἀπάρτισιν ἐκ τοῦ μὴ δύνασθαι τὸ ἔμβρυον ὡς ζῷον τέλειον ἐνεργεῖν, πλασματῶδες τέως γοῦν ἐμοὶ καταφαίνεται. »

3. *Resp. II ad Gabrielem Pentap.*, *P. G.*, t. CL, col. 840 : « οὔσης μὲν ψυχῆς ἐν αὐτῷ φυσικῶς ἀρχῆθεν τῷ σπέρματι δημιουργικῇ θείᾳ δυνάμει, ὡς ὁ Νύσσης φησὶ Γρηγόριος. »

4. *De omnifaria doctrina*, 42, *P. G.*, col. 713-716; *ibid.*, 29, 692 AB : « Ἄλλη οὐσία ψυχῆς, καὶ ἄλλη σώματος· ὁμοϋπόστατα δὲ κατὰ τὴν χριστιανικὴν δόξαν· οὔτε γὰρ ἡ ψυχὴ προγενεστέρα τοῦ σώματος, οὔτε τὸ σῶμα πρεσβύτερον τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ὁμοῦ ψυχὴ καὶ σῶμα, ὥστε ὅσα διαφέρει κατὰ τὴν οὐσίαν, ὁμόχρονα καὶ συνάλληλα ὑφέστηκεν. » Philippus Solitarius, *Dioptra*, l. II, c. VI, *P. G.*, t. CXXVII, col. 768 CD, docet etiam animationem immediatam : « Anima quippe ab initio corpori immissa, velut visco adhæret et tota quodammodo illi coaluit. »

5. *Ad Amphil.* CCLXVII, *P. G.*, t. CI, col. 1089 B. In hac responsione, Photius explanat verba Exodi, XXI, 22-23, prout in versione LXX interpretum leguntur : « Si rixati fuerint viri et percusserint mulierem prægnantem, et exierit infans *nondum formatus*, μὴ ἐξεικονισμένον, mulcta punietur... Si vero infans *formatus fuerit*, ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, dabit animam pro anima. » Ex hac lectione, quæ neque textui hebraico, neque Vulgatæ latinæ respondet, sumpserunt Theodoretus et alii suum præcipuum argumentum ad tuendam thesim de animatione mediata. Provocant etiam ad Gen., I, 11, ubi Deus dicitur corpus Adami primum formasse, deinde in illud animam insufflasse. Hoc duplici argumento utitur Photius in sua responsione.

copus [1] et Georgius Scholarius [2] in tractatibus specialibus, ubi etiam variis argumentis veritatem creatianismi stabiliunt.

III. — De statu primigenio hominis.

I. *De imagine et similitudine.* — Plerique theologi byzantini, post Damascenum, distinguunt inter τὸ κατ'εἰκόνα et τὸ καθ'ὁμοίωσιν, sed in utroque definiendo non semper conveniunt. Pauci hanc distinctionem non recipiunt.

Photius duas quæstiones habet de hac materia, in quibus

1. Theophanis tractatus, *loc. cit.*, p. 49-76, sic inscribitur : Λόγος ἀποδεικνύων ὅτι τοῦ ἀνθρωπείου σπέρματος ἀψύχου καταβληθέντος, τῇ δὲ σπερματικῇ αὐτοῦ δυνάμει συμπήξαντος ἐν τῇ μήτρᾳ τὸ ἔμβρυον, ἐνίησιν αὐτῷ τὴν ψυχὴν ὁ Θεός. Theophanes confutat non solum Materialistas, quos Αὐτοματιστάς vocat, sed etiam generatianismi sectatores : « Anima, inquit, non generat animam, secundum insipientium deliramenta : « Ἡ ψυχὴ δὲ οὐ γεννᾷ ψυχήν, κατὰ τοὺς τῶν ἀφρόνων λήρους », p. 61. Postea evertere nititur sententiam eorum qui animationem immediatam propugnant : « Οὐκ ἄρα ἐστὶν ἐν τῷ ἐμβρύῳ ἡ ἀθάνατος λογικὴ ψυχή, ἀλλὰ μετὰ τὸν ἐξεικονισμόν, ᾗ φησιν Ἀναστάσιος. » Animam autem vegetativam et animam sensitivam, quæ animæ rationalis adventum præcedunt, habet tanquam diversas virtutes seu potentias, quæ non destruuntur, sed animæ rationali uniuntur fiuntque ei propriæ et unum quid cum ea constituunt : « Τοιαῦτα γάρ τινα αἱ φθάσασαι ψυχικαὶ δυνάμεις τῇ σφῶν αὐτῶν κυρίᾳ τῇ λογικῇ ψυχῇ προητοίμασαν· αἳ καὶ εἰσδεξάμεναι αὐτήν, οἰκεῖαι οὖσαι αὐτῇ καὶ δυνάμεις αὐτῆς γεγενημέναι μετ'αὐτῆς, καὶ αὐτῆς οὐ ἀντιλαμβανομένης αὐτῶν ὡς οἰκείων δυνάμεων, μίαν σύνθετον ὑπόστασιν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, τὸν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος λογικὸν ἄνθρωπον ἀπετέλεσαν. » P. 71-72.

2. G. Scholarius duos habet de origine animæ tractatus, quorum alter psi Theophani Mediensi dicatur, et ad calcem ejusdem operis Nicephori Blemmidæ, Ἐπιτομὴ λογικῆς, Lipsiæ, 1784, primum editus est, p. 77-102. Utrumque, et primum quidem cum quodam supplemento circa Gregorii Nysseni sententiam, habes in t. I, *Operum*, p. 462-504. Sicut Theophanes, creatianismum contra traducianistas primum tuetur provocando tum ad sacram Scripturam (Eccl., XII, 7; Zachar., XII, 1; Job., X, 19, 20; Ps. XXXII, 15), tum ad Patres, tum ad Verbi incarnationem; deinde animationem mediatam docet, nostrorum scholasticorum instar : Anima rationalis a Deo immediate creatur, et in corpus circa diem quadragesimum post conceptionem infunditur. Anima vegetativa locum cedit sensitivæ; quæ iterum evanescit, adveniente anima rationali. Cf. p. 464-465.

varias prædecessorum opiniones refert præsertim circa τὸ κατ'εἰκόνα. Distinctionem inter τὸ κατ'εἰκόνα et τὸ καθ'ὁμοίωσιν probare non videtur [1].

Secundum M. Psellum, quælibet anima imaginem Dei refert, non omnis autem habet τὸ καθ'ὁμοίωσιν. Τὸ κατ'εἰκόνα enim designat facultatem bona opera agendi, estque quasi principium et causa bonarum actionum ac virtutum adumbratio. Τὸ δὲ καθ'ὁμοίωσιν est ipsa perfectio et imago absoluta [2].

Michael Glykas loquitur tantum de imagine, quam de animæ facultatibus interpretatur [3].

Gregorius Palamas inter imaginem et similitudinem bene distinguit. Et de imagine quidem jam ejus sententiam retulimus, ubi de imagine Trinitatis in homine egimus [4]. Τὸ κατ'εἰκόνα quippe, secundum hunc theologum, totum est in facultatibus naturalibus, quæ in quolibet homine inveniuntur, nec per peccatum originale, nec per peccata actualia amittuntur vel læduntur. Ostendit autem Palamas hominem, sub quibusdam respectibus, ad Dei imaginem magis esse quam ipse angelus, quatenus nempe angelus non habet corpus, quod vivificet, vel cui imperet et dominetur [5]. Ad similitudinem autem quod attinet, Palamas hoc elementum cum gratiæ deificæ dono intime connectit, ita ut unum, id est τὸ καθ'ὁμοίωσιν, ab altero, id est gratia, pendeat. Τὸ καθ'ὁμοίωσιν est progressiva cum Deo conjunctio per jugis Dei contemplationis et amoris, necnon per aliarum virtutum exercitium acquisita

1. *Ad Amph.*, q. XXXVI, *P. G.*, t. CI, col. 251-262; q CCLIII, col. 1059-1062, quæ ex Theodoreto tota desumpta est.

2. *De omnifaria doctrina*, 32, *P. G.*, t. CXXII, col. 709 A : « Καὶ πᾶσα μὲν ψυχὴ κατ' εἰκόνα πεποίηται Θεοῦ, οὐ πᾶσα δὲ ἔχει τὸ καθ' ὁμοίωσιν. »

3. C. XXXVI, ed. Eustratiades, t. I, p. 393 : « Κατὰ τὸ αὐτεξούσιον, κατὰ τὸ ἀρχικόν τε καὶ ἡγεμονικὸν εἰκὼν ὁ ἄνθρωπος λέγεται τοῦ Θεοῦ. »

4. Cf. supra, p. 271.

5. *Capita physica, theologica*, etc., 38-39, 62, *P. G.*, t. CL, col. 1148, 1165 A : « Ἡ νοερὰ καὶ λογικὴ φύσις, μόνη νοῦν ἔχουσα καὶ λόγον καὶ πνεῦμα ζωοποιόν, μόνη καὶ τῶν ἀσωμάτων ἀγγέλων μᾶλλον κατ' εἰκόνα Θεοῦ παρ' αὐτοῦ δεδημιούργηται· καὶ τοῦτ' ἔχει ἀμεταποίητον, κἂν μὴ ἐπιγνῷ τὴν ἑαυτῆς ἀξίαν. Ταῦτ' ἄρα καὶ μετὰ τὴν προγονικὴν ἐκείνην ἐν τῷ παραδείσῳ διὰ τοῦ ξύλου παράβασιν... τὸ καθ' ὁμοίωσιν εἶναι θείαν ἀποβαλόντες, τὸ κατ' εἰκόνα οὐκ ἀπωλέσαμεν. »

sub divinæ gratiæ ductu. Unde amissa per peccatum gratia, amittitur etiam τὸ καθ'ὁμοίωσιν [1].

Dum Damascenus ut quid naturale habet virtutes a Deo animæ hominis principio inditas, Palamas docere videtur hoc fuisse gratuitum Dei donum :

« Virtus, inquit, quæ ab æterno in Deo est, animæ nostræ *secundum gratiam* a Deo initio indita fuit [2]. »

Marcus Ephesius τὸ κατ'εἰκόνα intelligit non de potentiis seu facultatibus animæ naturalibus, sed de ipsa participatione Spiritus Sancti per gratiam deificam, quam significabat illud divinum insufflamen protoplasto in principio datum [3]. Josephus Bryennius, e contra, tum τὸ κατ'εἰκόνα, tum τὸ καθ'ὁμοίωσιν ad naturam hominis refert, excluso omni dono sive præternaturali, sive supernaturali [4].

II. *De dono gratiæ deificæ seu de elevatione hominis ad statum supernaturalem.* — Cum Damasceno communiter docent Byzantini Adamum statim ab initio accepisse gratiam divinam et participationem Spiritus Sancti. Verba Gregorii Palamæ necnon Marci Ephesii hoc expresse asse-

1. *Capita phil. et theol.*, 39-40, *loc. cit.*, col. 1148-1149; *Hom.* LIV, *de retributione post Christi adventum*, 6, ed. Sophoclis : Γρηγορίου τοῦ Παλαμᾶ ὁμιλίαι κϐ', Hierosolymis, 1861, p. 185 : « Ὁ Θεὸς τὸν Ἀδὰμ τὸν ἡμετερόν ποτε προπάτορα κατ' εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν ἑαυτοῦ κτίσας, κακίαν οὐδεμίαν ἐνέθηκεν αὐτῷ, ἀλλὰ μετὰ τῆς ψυχῆς ἐνέπνευσεν αὐτῷ καὶ τὴν τοῦ θείου Πνεύματος χάριν συντηροῦσαν αὐτὸν ἐν καινότητι καὶ περιέπουσαν αὐτῷ τὴν ὁμοίωσιν. »

2. *Homilia III*, *P. G.*, t. CLI, col. 37 A : « Ἡ ἀρετή, ἐξ ἀϊδίου ἐν τῷ Θεῷ οὖσα, τῇ ἡμετέρᾳ τὴν ἀρχὴν παρὰ Θεοῦ κατὰ χάριν ἐντεθεῖσα ψυχῇ. »

3. *Contra Argyropulum, De Luciferi lapsu*, in *cod. Paris. 1292*, f. 58-62. Marcus suam facit sententiam Cyrilli Alexandrini in *Thesauris* : « Τὸ δοθὲν ἐμφύσημα θεῖον τῷ πεπλασμένῳ οὐκ αὐτὴν εἶναί φαμεν τὴν ψυχήν· ἢ γὰρ ἂν ἄτρεπτος ἦν ὡς ἐκ τοιαύτης προελθοῦσα φύσεως· ἀλλὰ τὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος μετουσίαν, ἐντεθεῖσαν ἐξ ἀρχῆς τῇ ἀνθρωπείᾳ ψυχῇ. »

4. Ὑπόμνημα εἰς τὴν Γέννησιν τῆς Θεοτόκου : *Opera*, ed. E. Bulgaris, t. III, p. 4 :« Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν· καὶ κατ' εἰκόνα μέν, νοῦν παράσχωμεν αὐτῷ, ἀντίτυπον ἐμοῦ, τοῦ Πατρός· λόγον δὲ εἰς τύπον σοῦ, τοῦ Υἱοῦ· πνεῦμα δὲ εἰς εἰκόνα σοῦ, τοῦ Παρακλήτου. Καὶ τοῦτο μὲν τὸ κατ' εἰκόνα ἡμετέραν ἔσται τῷ πρὸς ἡμῶν πλαστουργηθησομένῳ ἀνθρώπῳ. Καθ' ὁμοίωσιν δέ, ἵν' αὐτεξούσιος ᾖ, καὶ ἄρχῃ πάντων αἰσθητῶν, καὶ θέσει ἔχει τὸ εἶναι θεὸς τοῖς ἐν γῇ. »

rentia mox laudavimus [1]. Hanc doctrinam sæculo XIV in suis scriptis passim profitentur tum Palamitæ, tum eorum adversarii. Unum tamen invenimus palamismo addictum, scilicet Theophanem Nicææ metropolitam († 1381), qui aliquando contrarium tenere visus est. In illo enim *Sermone in beatam Deigenitricem* nondum edito, de quo jam locuti sumus, duplicem hominis statum distinguit : primum quidem, in quo Adamus principio simplex esse, τὸ εἶναι, a Deo accepit; alterum vero, quem *bene esse*, τὸ εὖ εἶναι, vocat, in consummatione sæculorum per Verbi incarnationem et beatæ Virginis mediationem non solum hominibus, verum et ipsis angelis collatum. Τὸ εὖ εἶναι autem est ipsa gratia deificationis, θέωσις, quam nos vocamus gratiam sanctificantem [2]. Unde, secundum Theophanem, et angeli et homines ad statum vere supernaturalem evecti non fuissent ante Verbi incarnationem. Porro huic miræ opinioni stetisse non videtur ille. Ins ua enim *Epistola ad sacerdotes et clericos*, a communi doctrina Byzantinorum non recedit :

« Cum Deus, inquit, nos ad esse perduxit, suæ gratiæ nos participes effecit, et hinc ad sui imaginem et similitudinem creavit; postea vero nostram naturam assumpsit, homo vere factus [3]. »

1. « Μετὰ τῆς ψυχῆς ἐνέπνευσεν αὐτῷ καὶ τὴν τοῦ θείου Πνεύματος χάριν », Palamas, *loc. cit.* — « Πνεύματος ἁγίου μετέσχεν ὁ Ἀδὰμ ἅμα τῇ ἐμφυσήσει, καὶ προφητικοῦ χαρίσματος ἠξιώθη, καὶ τὸν Θεὸν αὐτῷ διαλεγόμενον εἶχε καὶ ἐνηχούμενος ὑπὸ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος διδασκαλίας. » Marcus Ephesius, *loc. cit.*

2. Λόγος εἰς τὴν πανάχραντον Θεοτόκον, in *cod. Barocciano 193* : « Δημιουργεῖται τοίνυν ἡ κτίσις διὰ τοῦτο καὶ δίς, καὶ λαμβάνει τὸ μὲν ἁπλῶς εἶναι ἐν τῇ τῶν αἰώνων ἀρχῇ, τὸ δὲ εὖ εἶναι ἐπὶ συντελείᾳ τούτων », fol. 255v — « Οὐκ ἐν τῷ Ἀδὰμ πρώτως τὴν φύσιν ἡμῶν ἀναπλάττει, ἵν' ὥσπερ ἐπὶ τῆς πρώτης δημιουργίας, οὕτω καὶ νῦν τούτου πρώτως τὸ εὖ εἶναι λαβόντος, καὶ οἱ ἐξ ἐκείνου τοῦτ' αὐτὸ λαμβάνωσι παρ' αὐτοῦ· ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ πρώτως ταύτην ἀνακαινίζει καὶ τελειοῖ καὶ τὸ εὖ εἶναι δίδωσι », fol. 256r — « Ὅτε δ' ἐνεργεῖν ἔμελλε τὴν δευτέραν δημιουργίαν, ἥτις τὸ εὖ καὶ κυρίως εἶναι τοῖς πᾶσι δεδώρηται ». fol. 267r — « Οὐδὲ τοῖς ἀγγέλοις ἄρα τοιοῦτον ὕψος καὶ μέγεθος δωρεᾶς πρὸ τῆς κατὰ Χριστὸν οἰκονομίας ἐδόθη », fol. 272v.

3. *P. G.*, t. CL, col. 325 BC : « Τότε γάρ, ὅτε δηλονότι παρήγαγεν ἡμᾶς εἰς τὸ εἶναι, μετέδωκεν ἡμῖν τῆς ἑαυτοῦ χάριτος, κατ' εἰκόνα ἑαυτοῦ καὶ ὁμοίωσιν ἐντεῦθεν ἀπεργασάμενος. »

Adamus acceperat τὸ θεοειδὲς ὁμοίωμα[1]. Adest tamen aliqua differentia inter primigenium hominis statum et homines per sacrum baptisma regeneratos, quatenus regenerati fratres sunt Christi, qui per incarnationem nostræ naturæ particeps factus est[2]. Secundum Michaelem Glykam, primus homo statim ab initio, id est cum ipso vitæ spiraculo, a Deo accepit gratiam, et quidem gratiam perfectam et omni ex parte absolutam[3].

III. *De donis præternaturalibus ac præsertim de incorruptione seu* ἀφθαρσία *corporali.* — Doctrina Damasceni de immortalitate ac perfecta incorruptione (seu ἀφθαρσία) Adami in paradiso quantum ad corpus inter Byzantinos communissima est, et a quibusdam multo clarius atque explicitius proponitur. Corpus primi hominis erat *natura* immortale et impassibile, ejusque caro subtilior. Cibo et potu non egebat; omnibus vitæ animalis necessitatibus subtrahebatur, corpori Christi glorioso omnino simile iisdemque privilegiis decoratum, non excepta illa mira claritate, qua Christus in monte Thabor refulsit, qua etiam fulgebunt justi in regno Dei post gloriosam resurrectionem. Hanc doctrinam, quæ a communi sententia theologorum occidentalium adeo recedit, firmant auctoritate tum Damasceni, tum multorum aliorum Græcorum, Gregorii Nysseni scilicet, Joannis Chrysostomi, Macarii Ægyptii, pseudo-Athanasii ad Antiochum, Barsanuphii, Maximi Confessoris, Anastasii Sinaitæ, immo Gregorii Nazianzeni, quamvis in hujus scriptis quosdam locos difficiliores et suæ thesi parum consonos inveniant, quos explicare nituntur. Eam logice deducunt ex hoc principio inter theologos trito : Reformatio seu renovatio (ἀνάπλασις, ἀνακαίνισις) naturæ humanæ effecta per Christum Redemptorem est reditus (ἐπάνοδος) ad statum primigenium hominis in paradiso. Atqui reformatio per Christum non absolvetur nisi in gloriosa resurrectione, quando *novissima inimica destruetur mors*

1. *Ibid.*, col. 329 A.
2. *Ibid.*, col. 332 BC : « Τοὺς γὰρ ἀναγεννωμένους ἐν πνεύματι μόνους τῆς ἀδελφότητος ἀξιοῖ, θεοὺς κατὰ χάριν ἐντεῦθεν γεγενημένους. »
3. C. IV, t. I, p. 15 : « καὶ ἦν ἡ χάρις εὐθέως ἐν αὐτῷ τελεία τε ἅμα καὶ ἀπηρτισμένη παντάπασι. » C. V, t. I, p. 63 : « Διὰ τοῦ ἐμφυσήματος ἐνέθηκεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ καὶ χάριν καὶ ἔλλαμψιν. » C. LXVII, t. II, p. 202 : « Ὁ Ἀδὰμ θείας ἐπεπλήρωτο χάριτος. »

(1 Cor., XV, 26). Provocant etiam ad hæc Scripturæ verba : *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis et similis factus est illis* (Ps. XLVIII, 13).

Hunc de statu primigenio conceptum plus minusve explicatum invenies : 1° apud Theodorum Balsamonem canonistam[1]; 2° apud Michaelem Glykam, qui de tota hac quæstione fuse disserit[2]; 3° apud Gregorium Palamam[3]; 4° Gre-

1. Balsamon, *In canonem* 113 *Carthaginensem*, *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 368 B, quanquam primum dicit : « Deus Adam nec mortalem fecit, nec immortalem », mox hæc subjungit : « Etsi carnem tunc quoque habebat homo, non tamen qualem nunc... Ante transgressionem nec densa erat caro Adami, nec natura mortalis : « Κἂν γὰρ σάρκα εἶχε καὶ τότε ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' οὐχ οἵαν νῦν... Ὥστε πρὸ τῆς παραβάσεως οὔτε παχεῖα ἦν ἡ σὰρξ τῷ Ἀδάμ, οὔτε φύσει θνητή. »
2. Cf. c. LXVII, *ed. cit.*, t. II, p. 202 : « Ἡ παλιγγενεσία, κατά γε τοὺς θείους πατέρας, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ πρὸς τὸ ἀρχαῖον τῶν πεπτωκότων ἀποκατάστασις. » — C. XXXVII, t. I, p. 417 : « Ἀθάνατος ὑπὸ Θεοῦ παρήχθη ὁ ἄνθρωπος· ἐν παραδείσῳ διέτριβε τῆς τρυφῆς· ἰσότιμος τοῖς ἀγγέλοις ἦν· γνώρισμά τι κτηνῶδες οὐκ ἦν ἐν αὐτῷ. » In c. IV, t. I, p. 11-60, cujus titulus est : Ὁποῖος ἦν ὁ Ἀδὰμ ἀπ' αρχῆς κατά γε δόξαν ὁμοῦ καὶ λαμπρότητα, quæstionem ex professo tractat docetque Adamum statim ab initio immortalitate *interna* et incorruptione perfecta donatum fuisse, confutans eos qui dicunt Adamum creatum fuisse mortis capacem ejusque conditionem fuisse quasi mediam inter immortalitatem et mortalitatem : « Πιστεύειν ἐξ ἀνάγκης ὀφείλομεν, ὅτι ὁ Θεὸς καὶ θνητὸν ἐξ ἀθανάτου ποιεῖ, καὶ ἀθάνατον αὖθις ἀπὸ θνητοῦ καὶ φθαρτοῦ. Μηδεὶς λεγέτω λοιπὸν, ὅτι θανάτου δεκτικὸς ἐκτίσθη κατ' ἀρχὰς ὁ Ἀδάμ, εἴγε φθορᾷ μετὰ βραχὺ καὶ θανάτῳ ὑπέπεσεν », p. 19-20. Ejus thesis hæc est : « Φαίνεται πάντως, ὅτι τοιοῦτος ὑπὸ Θεοῦ παρήχθη κατ' ἀρχὰς ὁ ἄνθρωπος, ὁποῖον ἐκ νεκρῶν ἐγερθῆναι τὰ θεῖα φάσκουσι λόγια », p. 31, et ad illam probandam multa affert Patrum testimonia. In fine, objectiones ex sacra Scriptura petitas solvere conatur præsertim ad cibum corporalem quod attinet. Ejus conclusio est : « Οὐκ ἦν ἐν παραδείσῳ βρῶσις αἰσθητὴ καὶ ῥευστή... Πεῖνα γὰρ καὶ δίψα, κόπος, ὕπνος καὶ ἱδρὼς μετὰ τὴν παράβασιν εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον εἰσέλθοσαν. » P. 55. In c. V, t. I, p. 61-66, dicit corpus Adami habuisse claritatem corporum gloriosorum, eam scilicet quam Christus in monte Thabor ostendit : « Ἡ ἀνθρωπίνη κατ' ἀρχὰς οὐσία κατ' οὐδὲν διενήνοχε τῆς τοῦ ἡλίου λαμπρότητος. » P. 62. Tandem in c. XI, t. I, p. 136-149, doctrinam Damasceni de duplici paradiso sensibili et spirituali propugnat, docens paradisum terrestrem fuisse omnino incorruptibilem : « Οὔτε φθαρτὸς ἐκτίσθη κατ' ἀρχάς, οὔτε φθαρέντι συνεφθάρθη τῷ Ἀδάμ... Κρείσσων ῥεύσεως ὁ παράδεισος. » P. 142, 144.
3. *Capita physica, theologica*, 66-67, *P. G.*, t. CL, col. 1168 CD, ubi Palamas docet Adamum illo divino splendore ab initio vestitum

gorium Sinaitam[1]; 5° Isaacum Argyrum[2]; 6° Joannem Cyparissiotam[3]; 7° Marcum Ephesium[4], etc.

Quidam tamen hanc Adami assimilationem cum homine donis gloriosæ resurrectionis decorato haud admittunt, sed tenent ejus primigenium statum quasi medium fuisse inter statum hominis lapsi et statum futuræ resurrectionis. Ita, saltem ex parte, Philippus Solitarius[5], Nicetas Acominatus[6],

fuisse, quo Christus in monte Thabor refulsit. Vidimus autem supra Palamam putasse hunc splendorem nihil aliud fuisse quam ipsam gratiam deificam.

1. *Capita per acrostichidem*, 81-82, *P. G.*, t. CL, col. 1264, ubi inter alia hæc leguntur : « Τὸ σῶμα, φασὶν οἱ θεολόγοι, ἄφθαρτον ἐκτίσθη, οἷον καὶ ἀναστήσεται, ὥσπερ καὶ ἡ ψυχὴ ἀπαθής. Ἐφθάρησαν δ'ἀμφότερα καὶ συνεκράθησαν... ἥ τε ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα· ἡ μὲν τοῖς πάθεσι, μᾶλλον δὲ δαίμοσι ποιωθεῖσα· τὸ δὲ τοῖς ἀλόγοις κτήνεσιν ἐξομοιούμενον. »

2. *Contra Cantacuzenum*, in *cod. Vatic. 1096*, fol. 71r, et *Contra Theodorum Dexium*, in *cod. Vatic. 1102*, fol. 36v, ubi Argyrus corpori Adami innocentis, secundum Ecclesiæ sententiam, tribuit qualitates corporis gloriosi. Textum græcum jam supra laudavimus, p. 159, n. 4.

3. Ἔκθεσις στοιχειώδης, *P. G.*, t. CLII, col. 864. Cf. supra, p. 161.

4. *Contra Argyropulum*, *loc. cit.* : « Ὁ Ἀδὰμ ἄγγελος ἄλλος ἐπὶ τῆς γῆς ὑπῆρχε, καὶ θείᾳ δόξῃ πάντοθεν περιέσταλτο, δι' ἣν καὶ τὴν γύμνωσιν οὐχ ἑώρα. »

5. *Dioptra*, l. II, c. VIII. De immortalitate primi hominis Philippus hæc habet : « Corpus protoplasti nec mortale et corruptibile, nec contra immortale, sed inter mortalem immortalemque naturam medium, et maxime inter hæc utraque. Si legis præscriptum servaret, ex opere æternitatem consequeretur; si autem rerum fluxarum cupiditati cederet, et corruptibile et mortale corpus gereret. Si enim conditor prorsus immortalem condidisset hominem, non eum morte damnavisset... ; alimento corporeo et corruptibili ac terrestri non eguisset. » *P. G.*, t. CXXVII, col. 772 AB. Hoc non impedit quominus idem auctor infra, c. X, col. 776, dicat : « Non enim ut moritur quis, ita etiam resurget, sed qualis primum conditus homo fuit, et qualis erat antequam de ligno vitæ comedens, mandatum transgrederetur. »

6. Θησαυρὸς ὀρθοδοξίας, l. XXVII, a S. Eustratiada in *Prolegomenis* ad *Capita theologica* Michaelis Glykæ editus, p. κδ'-κε'. Nicetas Michaelem Glykam temeritatis arguit circa ejus doctrinam de statu primi hominis : « Ἔλεγε δὲ καὶ τοὺς προπάτορας ἀμοίρους τῶν φυσικῶν μορίων διαρτισθῆναι πρότερον [de quo nullum adest vestigium in capitibus editis]... τιμηθῆναι δὲ τούτους συγχρόνως τῇ διαπλάσει καὶ ἀφθαρσίᾳ παντελεῖ, ἀφαιρεθῆναι δὲ ταύτην ὡς ἐκ μεταμέλου ἔπειτα διὰ τὴν παράβασιν, ἀμαθῶς οὕτω καὶ παρακεκινδυνευμένως ἐννοίαις καὶ ῥήμασιν ἐπιβάλλων, ἃ παρῆκεν ἡ Γραφή ἀνεκφώνητα, καὶ λόγους διδοὺς εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχεν, ἐν οἷς τὸ ἐχεμυθεῖν βέλτιον. »

et præsertim Georgius Scholarius, qui doctrinam Occidentalium amplectitur[1].

IV. — De peccato originali ejusque sequelis.

Existentiam originalis peccati in *omnibus*[2] Adæ posteris unanimiter docent theologi byzantini; de quo necnon de ejus multiplicibus ac lugendis sequelis sæpe sæpius mentionem faciunt tum in scriptis dogmaticis, tum in variis homiliis ac sermonibus, præsertim in homiliis in Annuntiationem beatæ Mariæ virginis[3], tum etiam in operibus asceticis. Canonistæ commentantur Carthaginenses canones, quibus profligatur hæresis pelagiana et necessitas baptismi pro parvulis prædicatur, ut in eis *regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt*[4]. Damasceni doctrinam, prout supra exposita est, plus minusve explicite iterare solent.

Peccatum originale diversis nominibus designant. Quate-

1. Cf. ejus *Dissertationem de arboribus paradisi*, *Œuvres complètes*, t. III, p. 338-343. Secundum Scholarium, immortalitas Adami erat conditionalis. Habebat Adamus τὸ *posse non mori*, non vero *non posse mori* : « ἐνεργείᾳ ζῶν καὶ δυνάμενος ἀθάνατος μένειν », p. 339. Fructu egebat arboris vitæ *semel* vel *bis* per probationis tempus ad propulsandam senilitatem, p. 340. Cf. t. I, p. 9, 229.

2. Excepta tamen beata Maria virgine, quam sine labe conceptam vel *explicite*, vel implicite et æquivalentibus dictionibus plerique tenent. Unum vel duos auctores inter Byzantinos vix invenimus, qui dixerint Mariam originalem contraxisse contra communem cæterorum doctrinam.

3. In hujusmodi homiliis, oratores byzantini, sicut et Patres græci, totum divinæ misericordiæ propositum de salute humani generis describere consueverunt.

4. Cf. Balsamonem et Zonaram, *In canones* 111 *et* 112 *Carthaginenses* (alias c. 120 et 121), *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 365-370 : « Τοὺς λέγοντας μή τι ἐκ τῆς τοῦ Ἀδὰμ προγονικῆς ἁμαρτίας ἐφέλκεσθαι τοὺς ἐξ ἐκείνου... ποιεῖται ὑπὸ ἀνάθεμα. » Item Aristenus, *ibid.* : « Ὁ τὰ νεογνὰ καὶ βαπτιζόμενα λέγων μηδὲν ἕλκειν ἐκ τῆς τοῦ Ἀδὰμ ἁμαρτίας ὀφεῖλον καθαρθῆναι τῷ βαπτίσματι, ἐπάρατος· διὰ γὰρ τοῦ ἑνὸς καὶ ὁ θάνατος καὶ ἡ ἁμαρτία παγκόσμιος. » Matthæus Blastares, *Syntagma alphabeticum*, *A*, *P. G.*, t. CXLIV, col. 1049 BC, hæresim Cælestii a concilio Ephesino damnati paucis exponit et ad canones contra Pelagianos latos lectorem remittit. Cælestius docebat infantibus recenter natis non opus esse baptismo, quod peccatum originale ab Adamo neutiquam trahant : « οὐ γὰρ ἐφέλκονται τὴν προγονικὴν ἐξ Ἀδὰμ ἁμαρτίαν. »

nus est ipsum Adami peccatum per carnalem generationem nobis transmissum et imputatum [1], illud vocant proprie *peccatum originale*, ἡ προγονικὴ ἁμαρτία [2]. Quatenus est *status peccaminosus subjecti* ex peccato actuali Adami dimanans et causatus, dicitur græce τὸ προγονικὸν vel τὸ προπατορικὸν ἁμάρτημα; vox enim ἁμάρτημα bene exprimit peccatum naturæ seu *peccatum habituale*, quatenus apponitur peccato actuali. Quatenus animam nostram commaculat, dicitur *labes originalis*, ὁ προγονικὸς ῥύπος. Hæc appellatio frequenter occurrit. Ex ejus sequelis haud raro notatur ut *lapsus*, *casus*, *corruptio* naturæ humanæ, πτῶσις, πτῶμα, φθορά, vel etiam ut *mors* animæ et corporis, θάνατος, ut *originalis* vel *paterna miseria*, ἡ προπατορικὴ ταλαιπωρία. Quatenus hoc peccatum iram et maledictionem Dei in naturam nostram invexit, sæpissime nuncupatur *maledictio*, *condemnatio*, *sententia damnatoria*, ἄρα vel κατάρα, κατάκρισις, ἀπόφασις. Demum quandoque consideratur ut *debitum naturæ* erga Deum, et dicitur χρέος τῆς φύσεως.

Quæstionem de essentia peccati originalis, de qua tam acriter disputarunt et adhuc disputant theologi occidentales, vix unquam moverunt Byzantini. Plerique sancti Joannis Damasceni sententiam tenere videntur. Peccatum originale, quatenus ab ejus effectibus seu sequelis distinguitur, est ipsum Adami peccatum ejus posteris a Deo justissime imputatum, eo quod omnes homines in Adamo, totius humani generis fonte physico ac capite, virtualiter inclusi erant et quasi unus homo una cum Adamo coram Deo erant. Unde omnes in Adamo et per Adamum peccaverunt, peccatores coram Deo constituti sunt; et inde gratia et aliis justitiæ originalis donis privantur. Hæc explicatio obvia est, et omnes *aliquo modo* eam tenere debent, cum peccatum originale, qua peccatum, absque relatione et respectu ad voluntatem Adami peccatoris concipi non possit. Nec dicas cum multis in hac conceptione non apparere quomodo peccatum originale sit

1. Agitur non de imputatione mere extrinseca, sed de imputatione vi cujus Deus omnes homines videt tanquam in uno Adamo *virtualiter* contentos et inclusos ratione naturæ per generationem transmissæ.

2. Sub hoc respectu vocatur etiam sæpe *transgressio*, inobedientia, παράβασις, παρακοή.

unicuique proprium; est enim tam proprium quam *unicuique propria est natura humana* ab Adamo per generationem carnalem tracta et accepta. Ideo namque inimicitiam Dei per Adami prævaricationem offensi incurrimus, quod aliquid Adami sumus et ad eum per naturam ab eo acceptam pertinemus [1]. Quidam tamen Byzantini peccatum originale sub

1. Originale peccatum facilius explicatur ex sua causa, quæ est voluntas Adami peccantis, quam ex sua *ratione formali in subjecto*, id est ex suis effectibus et sequelis in Adæ posteris. Omnes enim privationes naturæ humanæ ex peccato Adami orientes sunt pœnæ a Deo inflictæ ob Adami peccatum, et *sub hoc respectu* una non est magis peccaminosa quam alia. Potes utique quærere, inter illas privationes, quænam sit principalis et gravior, quæ nos a Deo magis amoveat et abalienet. Sed sub *hoc respectu subjectivo*, omnes privationes, *et non sola privatio gratiæ sanctificantis, vel justitiæ originalis sensu stricto sumptæ*, ut peccaminosæ in *non regenerato* habendæ sunt, quia singulæ a peccato Adami proveniunt et constituunt nos, unaquæque pro sua parte, *in statu opposito Dei consilio primitivo super genus humanum.* Sub hoc respectu, ipsa privatio gratiæ sanctificantis non est peccaminosa nisi quia est contra primitivam Dei ordinationem. Potuisset enim Deus hominem creare in statu naturæ puræ, vel etiam naturæ integræ, quin illum elevaret ad statum supernaturalem proprie dictum per donum gratiæ sanctificantis. In hoc casu *absentia* gratiæ sanctificantis in homine non habuisset rationem *privationis, et nullo pacto peccaminosa fuisset.* Ergo privatio gratiæ sanctificantis non habet rationem peccati, nisi quia est pœna ob peccatum Adami inflicta. Ergo tota ratio peccati originalis in Adæ posteris, qua revera peccatum est, desumitur ex voluntate Adami peccatoris, seu, quod eodem recidit, peccatum originale in unoquoque nostrum est ipsum Adami peccatum nobis *intrinsece imputatum*, quatenus unum quid cum Adamo per naturam constituimus. Hoc peccatum, qua peccatum proprie est, totum evanescit in instanti quo Deus nos videt in Christo, novo generis humani capite, et intuitu meritorum ejus nobis reddit dona in Adamo perdita, primum quidem gratiam sanctificantem et postea alia, saltem in gloriosa resurrectione. In renatis nil odit Deus, quia coram eo non sunt amplius in veteri Adamo peccatore, sed in Christo, novo Adamo innocente et redemptore. Hic peccati originalis conceptus nobis simplicior ac verior videtur quam aliæ explicationes *ex parte subjecti* desumptæ. Cæterum, etiam in hac explicatione, peccatum originale non tollitur nisi eo momento, quo gratia sanctificans (et omnia supernaturalia proprie dicta quæ illam necessario comitantur) a Deo datur seu redditur, quia in statu justitiæ originalis omnia dona præternaturalia ordinem habebant ad gratiam et propter ipsam a Deo conferebantur. Unde, illa rursus præsente, aliæ *privationes*, quæ in *non regenerato* aliquid peccabilitatis participant, hanc peccaminosam indolem prorsus omittunt fiuntque simplices *carentiæ*.

aspectu theologis latinis consueto, id est *sub aspectu subjectivo quatenus est originatum*, considerarunt, et essentiam ejus in concupiscentia ponere visi sunt.

Aliquot loci, ex præcipuis theologis byzantinis selecti, hujus nostræ brevis expositionis veritatem comprobabunt.

Apud Photium unum alterumve locum invenies, ex quibus colligere possis eum negavisse peccatum originale in Adæ posteris [1]. Verum illum a communi Byzantinorum doctrina in hac quæstione non recessisse multa probant scriptorum ipsius testimonia. Ita, in *Bibliotheca* brevem historiam texit hæresis pelagianæ ejusque condemnationis tum in Occidente tum in Oriente, eamque vocat *impium dogma* [2]. Sæpe loquitur de *communi lapsu naturæ humanæ, de clade ejus originali, de transmissione peccati et lapsus toti generi humano ex protoparentibus*. Dicit naturam humanam *dominatui peccati originalis mancipatam esse, huic peccato esse totam obnoxiam* [3]. In quadam homilia in *Annuntiationem beatæ Mariæ virginis*,

1. *Ad Amphil.*, q. LXXXIV, *P. G.*, t. CI, col. 552-556, verba Apostoli : *In quo omnes peccaverunt* explicans, interpretationem Damasceni (*in quo*, id est *per Adamum*) rejicit, et in fine hæc habet : *In quo omnes peccaverunt*, id est, quia *omnes peccaverunt sicut eorum pater; hoc enim supplicii eos participes effecit.* Consortium in agendo in eamdem condemnationis societatem eos perduxit : « καὶ γὰρ ἡ κοινωνία τῆς πράξεως εἰς τὴν κοινωνίαν αὐτοὺς τῆς καταδίκης συνήλασεν. » Theodoretus aliquid simile in hunc locum habet, et forsan Photius a Theodoreto hæc mutuatus est. Byzantini solenne habent antiquorum dicta ad verbum exscribere, quin ad sententias multum attendant; unde haud raro contingit, ut contradictoria in suis scriptis proferant. Alium locum recitat Hergenröther, *op. cit.*, t. III, p. 466, ex quadam catena exegetica. Cæterum hujusmodi excerpta ex *Catenis* sæpe sæpius dubiæ sunt auctoritatis. Cf. R. Devresse, *Chaînes exégétiques grecques*, in *Supplément du Dictionnaire de la Bible*, t. I, col. 1083-1234.

2. *Codd.*, LIII-LIV, *P. G.*, t. CIII, col. 91-98.

3. Vide ejus *Orationem in Nativitatem B. Mariæ virginis*, *P. G.*, t. CII, col. 547-562, ubi hæc inter alia leguntur : « τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως τῶν προγονικῶν ἁμαρτημάτων τῷ κράτει δεδουλωμένης. — Ἡ τῆς ἁμαρτίας σπορὰ ὅλῳ τῷ γένει παραφυεῖσα καὶ τοῦτο νοθεύσασα. — Διὰ πάντων μὲν ἀπὸ τῶν πρώτως παραβεβηκότων τοῦ τῆς παραπτώματος ἀῤῥωστήματος μεταῤῥυέντος. » *Ad Amphil.*, q. CXCI, *P. G.*, t. CI, col. 924 CD : « Ἀνθρωπίνη πᾶσα φύσις ὑπόχρεως τοῦ ἁμαρτήματος. » Cf. Hergenröther, *op. cit.*, t. III, p. 466-467.

docet Mariam sua pulchritudine decorare *naturam nostram informem, quam protoparentum labes maculavit* [1].

Theophylactus, Bulgariæ episcopus, verba Pauli in *Epist. ad Romanos*, c. V, interpretans, de peccato originali disertum habet testimonium :

« Scopus est Apostolo, inquit, demonstrare quod ii etiam qui de ligno non comederant, neque æque peccaverant atque Adam, propter tamen illius peccatum itidem existimabantur quasi et ipsi peccavissent, et moriebantur... Quia vero demonstratum est peccatum ex transgressione legis nondum exstitisse, restat Adami peccatum esse istud per quod mors regnavit etiam in eos qui, quantum quidem in ipsis erat, non peccarunt... sed in similitudine transgressionis Adami peccaverunt, *ac peccati participes facti sunt cum illo tanquam progenitore, qui est figura Christi. Ut enim vetus Adam omnes obnoxios fecit proprio sui ipsius lapsui, etsi non peccaverant*, ita et Christus justificavit omnes, etiamsi justificatione digna non fecissent. Propterea « typus est futuri », hoc est, Christi... Concludens sententiam, ait : Proinde sicut per unius delictum (quod supra *judicium*, κρῖμα, nunc *delictum*, παράπτωμα, nominans, hoc est, Adami peccatum) in omnes homines supervenit maledictio, sic per justitiam unius Christi in omnes homines gratia, dans ipsis et justificationem pro peccato et vitam pro morte [2]. »

Sæculo XIV, Gregorius Palamas totam de peccato originali doctrinam non minus dilucide tradit. Hoc peccatum appellat : ἡ προγονικὴ ἀρὰ καὶ καταδίκη [3] et ἡ ἐν τῷ παραδείσῳ προγονικὴ ἡμῶν ἁμαρτία, id est : NOSTRUM *peccatum originale in paradiso*

1. S. Aristarkhis, Φωτίου λόγοι καὶ ὁμιλίαι, Constantinopoli, 1901, t. II, p. 372-374 : « τὴν ἡμετέραν ἄμορφον ἰδέαν, ἣν ὁ τῶν προγόνων κατεκηλίδωσε ῥύπος, τῷ οἰκείῳ ἐναγλαϊζούσης κάλλει. »

2. *In epist. ad Romanos*, c. V, *P. G.*, t. CXXIV, col. 404, 405, 408 : « Σκοπὸν ἔχει δεῖξαι, ὅτι καὶ οἱ μὴ φαγόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου μηδὲ ἁμαρτάνοντες ὁμοίως τῷ Ἀδάμ, ὅμως διὰ τὴν ἐκείνου ἁμαρτίαν, ὡς καὶ αὐτοὶ ἁμαρτόντες ἐλογίζοντο καὶ ἀπέθνῃσκον... Κοινωνοὺς γενομένους ἐκείνῳ τοῦ πταίσματος ὡς προπάτορι, ὅς ἐστι τύπος τοῦ Χριστοῦ. Ὡς γὰρ ὁ παλαιὸς Ἀδὰμ πάντας ὑποδίκους ἐποίησε τῷ οἰκείῳ πταίσματι, καίτοι μὴ πταίσαντας, οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ἐδικαίωσε πάντας, καίτοι μὴ δικαιώσεως ἄξια ποιήσαντας. »

3. *Cap. theolog.*, LV, *P. G.*, t. CL, col. 1161 B.

commissum [1]. Per illud incurrimus mortem animæ (quæ est animæ a Deo separatio) ante mortem corporis, et gratia divina illoque τῷ καθ'ὁμοίωσιν eam comitante spoliamur [2].

« Per suam inobedientiam, Adamus e gratia divina cecidit, vetus et corruptus factus, novitatem amittens, non amplius secundum Deum, id est, secundum conditoris similitudinem existens, nec generare valens Deo similes, sed sibi æquales, id est veteres et corruptos [3]. »

« Illam protoparentis maledictionem et condemnationem omnes eamdem et communem ante Christum habebamus, ab uno protoparente in omnes diffusam velut a radice generis transmissam... Sicut in Adam erat tota natura nostra, ita et in Christo [4]. »

In regeneratis concupiscentia non est peccatum, sed relinquitur ad exercitium, ad probationem, ad correctionem, ad cognitionem experimentalem miseriarum hujus vitæ [5].

Sæculo xv, ejusdem doctrinæ testes habemus Simeonem Thessalonicensem [6] et Georgium Scholarium. Secundum Scholarium, peccatum protoparentum est peccatum commune eorum posteris jure imputatum [7]. Christus nos liberat

1. *Homil.*, xxxi, *P. G.*, t. cli, col. 388 C.

2. *C. theol.*, xxxix, col. 1148 B : « Μετὰ τὴν προγονικὴν ἐκείνην ἐν τῷ παραδείσῳ διὰ τοῦ ξύλου παράβασιν καὶ πρὸ τοῦ σωματικοῦ τὸν τῆς ψυχῆς ἡμεῖς ὑποστάντες θάνατον, ὅς ἐστιν ὁ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ταύτης χωρισμός, τὸ καθ' ὁμοίωσιν εἶναι θείαν ἀποβαλόντες, τὸ κατ' εἰκόνα οὐκ ἀπωλέσαμεν. »

3. *Homil.*, liv, ed. Sophocles, *op. cit.*, p. 186 : « τῆς θείας χάριτος ἐκπεσών, παλαιὸς καὶ διεφθορὼς γέγονεν ἀντὶ καινοῦ, μηκέτι κατὰ Θεόν, τουτέστι καθ' ὁμοίωσιν ὑπάρχων τοῦ ποιήσαντος, μηδὲ γεννᾶν δυνάμενος ὁμοίους τῷ Θεῷ, ἀλλ' ὁμοίους ἑαυτῷ, παλαιοὺς καὶ διεφθορότας. »

4. *Homil.*, v, *P. G.*, t. cli, col. 64, 65 : « Τὴν μὲν προγονικὴν ἐκείνην ἀράν τε καὶ καταδίκην καὶ τὴν αὐτὴν ἅπαντες εἴχομεν πρὸ Χριστοῦ, ἐξ ἑνὸς τοῦ προπάτορος ἐπὶ πάντας χυθεῖσαν... Ὡς γὰρ ἐν Ἀδὰμ ἅπασα ἦν ἡ φύσις ἡμῶν, οὕτω καὶ ἐν Χριστῷ. »

5. *Homil.*, xvi, col. 200-201 : « Κἂν γὰρ ἔτι πρὸς γυμνασίαν, πρὸς δοκιμήν, πρὸς διόρθωσιν, πρὸς κατάληψιν τῆς ταλαιπωρίας τοῦ αἰῶνος τούτου τῷ κάτω βρίθοντι φορτίῳ τῆς φθειρομένης σαρκὸς βαρύνωνται, ἀλλ' ἀοράτως ἐνδεδυμένοι Χριστόν εἰσιν. »

6. *De pænitentia*, c. ccli, *P. G.*, t. clv, col. 469 C : « τὸ μὲν ὂν ἀπὸ τῆς προγονικῆς ἁμαρτίας ἁμαρτωλός, τὸ δὲ καὶ φωτισθεὶς τῷ βαπτίσματι. »

7. *In Annuntiationem*, 23, *Œuvres complètes*, t. i, p. 20 : « Ἀλλὰ τῆς μὲν πρώτης καὶ κοινῆς ἁμαρτίας, τῆς τολμηθείσης μὲν τοῖς πρώτοις ἀνθρώποις, πᾶσι δὲ δικαίως λογισθείσης τοῖς μετ' ἐκείνους. »

tum a peccato originali, tum ab ejus pœna. Transmissioni autem cum peccati, tum ejus pœnæ duas assignat causas seu vias. Præcipua quidem est semen, quippe quod ex illa radice, ex Adamo scilicet, successione procedat; altera autem est concupiscentia prævia parentum, quæ generationis actum comitatur [1].

Diximus quosdam Byzantinos essentiam originalis peccati, prout *subjective* afficit Adami posteros, posuisse in concupiscentia. Inter eos computandus est Joannes Cantacuzenus imperator. In suo enim opere polemico *Contra Prochorum Cydonem*, de peccato loquens quo infantes maculantur antequam propria voluntate delinquere potuerint, hæc habet :

« De infantibus qui nullum commiserunt actuale peccatum, dicimus eos a peccato originali non prorsus liberatos esse, sed etiamsi brevissimum tempus vixerint, et ipsi sub peccato sunt. *Non enim expertes sunt propensionis in peccatum :* « In iniquitatibus, ait propheta, conceptus sum, et in « peccatis concepit me mater mea. » Cæterum conceptio ex coitu est peccati originalis sequela. Etenim ab anima Adami peccatrice ad peccatum ipsum corpus dispositum est; ex corpore vero consequenter mala dispositio ejus posteris transmissa est. Igitur parvuli divino baptismate expiati sine controversia ad Christum pertinent. Qui vero baptizati non sunt, a christianis tamen geniti, horum sors a Deo pendet. De hoc vide dicta sanctorum [2]. »

1. Tract. II, *De origine animæ*, 17, *Œuvres complètes*, t. i, p. 499 : « Καὶ πρὶν μὲν ἀπήλλαξε τῆς προγονικῆς ἁμαρτίας καὶ τῆς ἐκεῖθεν ποινῆς τοὺς ἐν Ἅδῃ πεπιστευκότας... Ἐποίει δὲ καὶ ποιεῖ διαδόσιμον τὴν προγονικὴν ἁμαρτίαν τε καὶ ποινὴν μάλιστα μὲν τὸ σπέρμα, ὡς ἐκ τῆς ῥιζης ἐκείνης ἧκον διαδοχῇ· οὐκ αὐτὸ δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ προλαμβάνουσα τοῦ τε σπείροντος ἐπιθυμία καὶ ἐν ᾗ σπείρεται καὶ ἡ μεσιτεύουσα τῆς σαρκὸς ὄρεξις, δι' ἧς σπειρόμενοι συλλαμβάνονται. » Non apparet quomodo concupiscentia *in se considerata* concurrat ad transmissionem peccati originalis.

2. *Contra Prochorum Cydonem*, in *cod. Paris. 1241*, fol. 88 sq. : « Περὶ δὲ τῶν νηπίων, τῶν μὴ ἁμαρτησάντων τὴν κατ' ἐνέργειαν ἁμαρτίαν, τοῦτο φαμέν, ὅτι οὐ πάντη καὶ ταῦτα τῆς προπατορικῆς ἁμαρτίας ἀπηλλαγμένα καθέστηκεν, ἀλλὰ κἂν φαυλότατον ζήσωσιν, ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν εἰσὶ καὶ ταυτί· οὐ γάρ εἰσιν ἀπηλλαγμένα τῆς εἰς τὴν ἁμαρτίαν ῥοπῆς... Καὶ γὰρ ἀπὸ μὲν τῆς ψυχῆς τοῦ Ἀδὰμ ἁμαρτησάσης πρὸς τὴν ἁμαρτίαν διετέθη τὸ σῶμα· ἀπὸ δὲ τοῦ σώματος ἀκολούθως ἡ πονηρὰ διάθεσις διεδόθη τοῖς

Sub eodem respectu Theodorus Abu Qurra considerat originale peccatum ubi scribit :

« Aiunt agricolæ, si vitis palmitem accipias tinctumque oleo plantes, olei qualitatem in ipsum etiam fructum, hoc est, in uvam redundare. Sic et Adamus, cum naturam omnis maculæ expertem accepisset, eam peccato variisque passionibus contaminavit, et qualitas ad nos usque transmissa est [1]. »

ARTICULUS III

Græco-Russorum modernorum doctrina de homine.

Dum Byzantini, si quosdam excipias ex illis qui paulo ante imperii ruinam vixerunt, ex solis fontibus græcis suam doctrinam theologicam hauriebant, Græci et Russi moderni, inde a sæculo XVI, traditionis occidentalis divitias detegunt et excolunt. Primum quidem, nempe sæculis XVI et XVII, a theologia catholica haud pauca mutuantur, ut protestantium errores propulsent ac confutent. Sæculo vero XVIII ad finem vergente, Russi theologiæ lutheranæ influxui manci-

ἐκείνου ἐκγόνοις. » In hoc loco, Cantacuzenus carpit dictionem Prochori, qui originale peccatum vocaverat ἁμαρτίαν φυσικήν, *peccatum naturale* (pro *peccatum naturæ*). Cantacuzenus negat peccatum esse *naturale*. Omne peccatum, inquit, provenit ex libera voluntate, ἐκ προαιρέσεως. Unde negat peccatum originale, id est ipsum Adami peccatum, esse *naturale* — non enim intellexit dictionem Prochori ex theologia occidentali mutuatam — vel etiam transmissibile seu communicabile : « οὐκ ἔστι, ὡς ἔφης, διαδόσιμος καὶ φυσικὴ ἡ προπατορικὴ ἁμαρτία. » Sed communicantur *maledictio* et *pœna*, τὴν ἀρὰν καὶ τὸ ἐπιτίμιον, quæ Christus abstulit. Item communicatur concupiscentia seu inclinatio ad peccatum, quæ in parvulis etiam existit. Juxta hunc conceptum, remissio originalis peccati per baptismum habenda est ut sublatio non quidem ipsius concupiscentiæ, quæ actu remanet, sed *reatus* concupiscentiæ seu *maledictionis* ex peccato Adami provenientis.

1. *Opusculum VI, P. G.*, t. XCVII, col. 1524 A : « οὕτω καὶ ὁ Ἀδὰμ παραλαβὼν τὴν φύσιν καθαράν, ἔχρανεν αὐτὴν τῇ ἁμαρτίᾳ καὶ τοῖς πάθεσι, καὶ διεδόθη εἰς ἡμᾶς ἡ ποιότης. »

pantur, ejusque jugum non excutiunt ante annum 1840, quo ad sententias doctrinæ catholicæ magis consonas redire incipiunt, saltem in publicis lectionibus et compendiis ab auctoritate ecclesiastica commendatis. Sub finem autem sæculi elapsi et præsertim nostro ævo, iidem Ecclesiam catholicam pelagianismi vel semipelagianismi accusare non dubitant circa doctrinam de statu primigenio hominis, de peccato originali ejusque sequelis ; quibus assentiuntur quidam theologi græci. Ad sententias vero specifice byzantinas quod attinet, plerique epochæ modernæ theologi illis valedixerunt.

Præsens articulus octo sectiones habebit. Sermo erit :

1° De indole historica narrationis mosaicæ circa protoplastorum creationem, primævam conditionem et lapsum;

2° De natura hominis animæque humanæ dotibus;

3° De origine animæ humanæ;

4° De imagine et similitudine divina in homine;

5° De statu primigenio hominis necnon de peccato originali apud Græcos modernos;

6° De statu primigenio et peccato originali apud Russos usque ad secundum dimidium sæculi XVIII;

7° De statu primigenio et peccato originali in theologia Russorum ab anno 1763 ad annum 1840;

8° Doctrina eorumdem de iisdem inde ab anno 1840.

I. — Indoles historica narrationis mosaicæ de protoplastorum creatione, primæva conditione et lapsu.

Indolem historicam narrationis mosaicæ de hominis creatione, primæva conditione et lapsu communiter docent Græco-Russi moderni contra varios errores rationalistarum et materialistarum. Non negant sane in biblica descriptione metaphoras occurrere, dictiones anthropomorphicas non deesse, serpentem figurare diabolum, vel potius diabolum sub specie serpentis Evæ locutum fuisse; immo unum vel alterum invenies qui allegorice accipiat ea quæ dicuntur de creatione mulieris [1]; sed firmiter tenent totam narrationem quoad substantiam esse veram historiam sicut et cætera Geneseos

1. Ita Andrutsus, Δογματική, p. 129-130.

capita, rejiciuntque interpretationes mere allegoricas vel mythicas [1].

Confutant etiam tum in compendiis classicis, tum in dissertationibus et monographiis specialibus scientiæ incredulæ theorias circa hominis originem, primævam conditionem, generis humani unitatem. Haud pauci Darvinicum systema validis argumentis impugnarunt [2].

II. — De natura hominis dotibusque animæ humanæ.

Homo constat anima spirituali et corpore materiali inter se substantialiter unitis. Ab hac doctrina plerique non recedunt, qui trichotomiam quorumdam antiquorum ut errorem, vel etiam ut hæresim rejiciunt [3]. Græcus vero Apostolus Makrakes (1831-1905) plurimis scriptis docuit ac mordicus propu-

1. Ita jam Th. Gorskii, *op. cit.*, p. 153 : « Quæ Moses refert de lapsu primorum parentum *proprie* nec *allegorice* intelligenda esse et res ipsa docet et in aliis locis Scriptura luculenter ostendit. » Antonius Amphiteatrov, *op. cit.*, § 119, ed. gr., p. 167; Ph. Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 183-184, 208-210; Macarius, *op. cit.*, t. I, p. 428-430, 476-477; Malinovskii, t. I, p. 254-257; Sylvester Malevanskii, t. III, p. 191-197; A. Pokrovskii, art. *Griekhopadenie praroditelei (Lapsus protoparentum)*, in *Entsiklopediia bogosl. pravosl.*, t. IV, col. 774-781.

2. De unitate humani generis disserunt : Gumilevskii, p. 186-191; Macarius, p. 431-438; S. Malevanskii, p. 295-308; Malinovskii, p. 258-267; Zikos Rhosis, p. 430-432; Andrutsus, p. 132-133. Darvinismum et evolutionem materialisticam impugnant S. Malevanskii, p. 197-207, 418-426; Svietlov, *Vieroucenie*, t. I, p. 549-565; Sergius Glagolev, *O proiskhogdenii i pervobytnom sostoianii roda celovieskago (De origine et primæva conditione generis humani)*, Mosquæ, 1894 (cf. de hoc opere commentarium *Bogosl. Viestnik*, t. II, 1894, p. 290-302); V. A. Popov, *Nauchtnaia neçostoiatelnost Darvinova uceniia o proiskhogdenii celovieka (Doctrina Darviniana de origine hominis omni pondere scientifico caret)*, in commentario *Pravosl. Sobiesiednik*, 1873, t. I, p. 96 sq., 303 sq.; t. II, p. 303 sq., 495 sq.; t. III, p. 84 sq.; 1874, t. II, p. 263 sq. I. Arseniev, *O griekhopadenii celovieka*, in *Bogosl. Viestnik*, t. II, 1898, p. 255-269, ubi impugnatur theoria de originali feritate hominis ejusque progressiva perfectione; J. A. Tchemena, *Darvinism. Nautchnoe izliedovanie teorii Darvina o proiskhogdenii celovieka*, Odessæ, 1892. Cf. de hoc opere judicium S. Glagolev in *Bogosl. Viestnik*, t. III, 1893, p. 478-490.

3. Cf. Malinovskii, p. 275-277; S. Malevanskii, p. 227-232; Zikos Rhosis, p. 399-408, ubi agit de trichotomia; p. 414-417, ubi de unione substantiali animæ et corporis; Th. Stukov, *Zamietka otnossitelno smysla uceniie sv. Pissaniia o trekhçastnom sostavii celovieka (Nota de sensu doctrinæ S. Scripturæ circa tripartitam constitutionem hominis)*, in *Pravosl. Sobiesiednik*, t. I, 1885, p. 255-262.

gnavit quamdam trichotomiæ speciem, sententiæ Tatiani affinem [1], quam synodus Atheniensis anno 1881, mense martio, ut hæresim damnavit [2]. Dicebat ille hominem constare corpore, anima (ψυχή) et spiritu (πνεῦμα). Nomine autem *spiritus* (πνεῦμα) intelligebat ipsum Dei et Christi spiritum homini communicatum. Anima est sensibilis et terrestris, spiritus vero immaterialis et immortalis. Hoc τρισύνθετον deducebat Makrakes non solum ex classicis Scripturæ locis (I Thessal., V, 19 et Heb., IV, 12), ad quos trichotomistæ provocare solent, sed etiam, et quidem potissimum, ex Gen., II, 7 : *Formavit Deus hominem de limo terræ :* En, aiebat, habes hic jam hominem compositum ex corpore et anima (ψυχή). Vidit autem Deus hominem sic constitutum adhuc imperfectum esse, eique addidit *spiraculum vitæ*, πνεῦμα ζωῆς, et sic *factus est homo in animam viventem*, εἰς ψυχὴν ζῶσαν. Si spiritu careat, anima non veraciter vivit; manet terrestris, animalis et inde mortalis. *Jesus Christus ipse non fuit homo perfectus nisi cum accepit Spiritum Sanctum in Jordane.* Pro sua sententia laudabat etiam illos veteres qui trichotomiam aut revera docuerunt, aut docuisse videntur [3].

Russus Svietlov dichotomiam habet non ut dogma, sed ut meram opinionem, cui trichotomiam anteponere videtur utpote in sacra Scriptura manifesto propositam, præsertim in I Thess., V, 23 et Heb., IV, 12 [4].

De animæ humanæ dotibus, speciatim de ejus simplicitate,

1. De sententia Tatiani vide A. Slomkovskii, *L'état primitif avant saint Augustin*, Parisiis, 1930, p. 23-27.

2. Sententia abrogata fuit a tribunali Areopagi (24 junii 1881). Cf. Demetrium Balanum, Ὁ Ἀπόστολος Μακράκης (ex commentario Γρηγόριος Παλαμᾶς), Thessalonicæ, 1920, p. 33-34). In hac dissertatione præcipua invenies quæ Apostolum Makrakem ejusque numerosa scripta spectant.

3. De Apostolo Makrake vide, præter opusculum Balani, art. *Makrakes (Apostolos)*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. IX, col. 1503-1507; V. Grégoire, *Un réformateur laïque dans l'Église grecque : Apostolos Makrakis (1831-1905)*, in *Échos d'Orient*, t. XIX (1920), p. 403-414.

4. *Khr. Vieroucenie*, t. I, p. 572-578. Si Svietlovo credendum, Demetrius, episcopus Rostoviensis (1709), trichotomiam docuerit.

spiritualitate, libertate et immortalitate plerique agunt in præsenti tractatu, alii vero in tractatu de novissimis; et alii quidem rem *theologice* tractant, argumenta ex sacra Scriptura et traditione hauriendo, alii vero *philosophice* [1].

III. — De origine animæ humanæ.

Usque ad sæculum XVIII omnes fere cum Græci, tum Russi creatianismum proprie dictum docuerunt. Inter se tantum dissentiebant circa tempus animationis, quidam immediatam, multo plures mediatam animationem propugnantes. *Confessio orthodoxa* Petri Moghilæ creatianismum et animationem mediatam diserte tuetur contra traducianistas, quos ita confutat, ut nexum necessarium statuere videatur inter creatianismum et spiritualitatem animæ ejusque immortalitatem [2].

Per integrum sæculum, ab anno scilicet 1642 usque ad sæculi XVIII secundum dimidium, excepto Theophane Procopovitch, qui traducianismo vel generatianismo adhæsit, theologi Kiovienses sancti Thomæ Aquinatis doctrinam in hac quæstione, sicut in pluribus aliis, secuti sunt [3].

Meletius Pigas inter Græcos [4], Laurentius Zizanii inter

1. De animæ dotibus theologice disserunt Macarius, p. 449-453; Malinovskii, p. 278-285; Malevanskii, p. 266-280; philosophice vero Zikos Rhosis, p. 418-424; Philaretus Gumilevskii, p. 182-183; theologice simul et philosophice, Svietlov, *op. cit.*, p. 578-594.

2. I p., q. XXVIII, Kimmel, p. 92-94 : « Καὶ δίδοται ἀπὸ τὸν Θεὸν ἡ ψυχὴ ἀφ' οὗ ὀργανισθῇ τὸ κορμὶ καὶ γένῃ ἐπιτήδειον εἰς τὴν ὑποδοχήν της. »

3. Cf. Macarium Bulgakov, *Istoriia Kievskoi Akademii*, Petropoli, 1843, p. 69-74; Vichnevskii, *Kievskaia Akademiia v pervoi polovinie XVIII stolietiia (Academia Kioviensis in primo dimidio sæculi XVIII)*, Kioviæ, 1903, p. 232. Attamen in synodo Kioviensi, anni 1640, quidam traducianismo favebant. Cf. Malvy-Viller, *La confession orthodoxe de Pierre Moghila*, Parisiis, 1927, p. XLVI. Inde nobis ratio innotescit cur in sua *Confessione* Moghila integram quæstionem dicaverit ad traducianismum confutandum.

4. In quadam *Epistola ad Parisium, Rhodi metropolitam* (1596) : Περὶ γενέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου, a Chrysostomo Papadopulo edita : Μελετίου τοῦ Πηγᾶ, πάπα καὶ πατριάρχου Ἀλεξανδρείας περὶ γενέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου, Hierosolymis, 1904, 31 p. (Ex commentario Νέα Σιών, t. II et III.)

Kiovienses [1] animationi immediatæ suffragantur; mediatam vero propugnant Simeon Polotskii [2], Eugenius Bulgaris [3] et Athanasius Pariensis [4].

Inde a sæculi XVIII altero dimidio ad nostra tempora, theologi russi, sub influxu *Theologiæ christianæ* Theophanis Procopovitch, creatianismo proprie dicto paulatim valedixerunt, ut generatianismum, aut quemdam *creatianismum mixtum*, qui ad generatianismum revera recidit, amplecterentur. Theologi græci recentiores item fere omnes creatianismo mixto Russorum vel mero generatianismo adhærent.

Generatianismum, vel potius traducianismum docent Philaretus Gumilevskii [5] et Innocentius, archiepiscopus Chersonensis [6]. Creatianismum mixtum primus omnium, ut videtur, inter Russos docuit Macarius Bulgakov, qui, postquam posuit Ecclesiam orthodoxam docere animam a Deo creari, hæc subdit :

« Quomodo creatio hujusmodi intelligenda sit, Ecclesia expresse non definit; sed ex testimoniis supra laudatis (concilii œcumenici V, Theodoreti, etc.) supponere licet hic non

1. *Magnus catechismus*, ed. Mosq., 1627, p. 352. Cf. *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, 1855, p. 334. Zizanii ut origenizantem habet sententiam de animatione mediata.

2. In opere : *Gezl pravleniia (Virga directionis)*, I p., p. 31 sq., ed. 1908. Post Aristotelem, Simeon tenet corpus masculi post quadraginta dies a conceptione, corpus vero feminæ post octoginta dies jam paratum esse ad receptionem animæ rationalis, quæ a Deo immediate creatur.

3. Θεολογικόν, p. 434.

4. *Op. cit.*, p. 264.

5. *Op. cit.*, p. 192-194. Philaretus contra creatianismum plures movet objectiones. Creatianismus, ait, contradicit verbis Scripturæ de requie Dei post opus sex dierum; inintelligibilem prorsus efficit transmissionem peccati originalis; in Deum ut in causam miserias vitæ refundit; errori favet Arianorum, qui dixerunt Verbum corpus tantum assumpsisse, non animam. Textus Scripturæ, ad quos provocant creatianistæ, vi demonstrativa carent.

6. *Sbornik (Collectio) lectionum professorum Academiæ Kioviensis*, 1885, p. 123. Ita etiam Nicanor, archiepiscopus Chersonensis, *Becieda o tom est-li tchto ereticeskoe v latinskoi Tserkvi (Sermo de quæstione : Utrum sit hæreticum quid in Ecclesia latina)*, Petropoli, 1889, p. 84. Hic Nicanor Catholicos hæreseos arguit quod doceant animas a Deo immediate creari et in corpora infundi.

immediatam divinam creationem, sed *mediatam* intelligi. Deus scilicet hominum animas, sicut et corpora, creat vi ejusdem illius benedictionis : *Crescite et multiplicamini* (Gen., I, 22), quam nostris primis parentibus ipso initio impertitus est; *creat vero non ex nihilo, sed ex parentum animabus.* Etenim Ecclesia docet quidem animas existentiam accipere per creationem; sed docet etiam ad eas ex parentibus transire corruptionem peccati originalis. Atqui hoc fieri non posset, si Deus eas crearet ex nihilo. Dicesne hujusmodi creationem animarum ex animabus parentum nobis penitus esse inexplicabilem, quandoquidem anima humana est substantia simplex? Non nego; sed neque intelligimus quomodo Deus, qui est spiritus purissimus, ex sua substantia Filium suum generare possit et Spiritum Sanctum producere... quin ullam divisionem patiatur. Unde veteres Ecclesiæ doctores dicere consueverunt mysterium creationis animarum nostrarum soli Deo notum esse [1]. »

Hac sua explicatione dicit Macarius rejicere tum crassum traducianismum, qui animam humanam facit materialem et mortalem; tum purum generatianismum, quia substantia prorsus immaterialis, ut est anima humana, ex se nullatenus producere potest aliam substantiam sine speciali interventu omnipotentiæ creatricis; tum demum creatianismum proprie dictum, juxta quem Deus animas immediate ex nihilo crearet et in corpora infunderet; quia hæc sententia componi non potest cum dogmate Ecclesiæ orthodoxæ de propagatione peccati originalis ex parentibus ad filios per viam naturalis generationis [2]. Verum nemo non videt hanc explicationem non esse nisi aliquam speciem generatianismi, ut bene notat Sylvester Malevanskii [3], cum animæ producantur vi primæ illius benedictionis, de qua Scriptura loquitur, absque ullo novo Dei interventu.

Macarii sententiam plerique Russi recentiores amplexati

1. *Op. cit.*, t. I, p. 441-442. Nota Macarium lectorem remittere ad *Confessionem orthodoxam* Petri Moghilæ, quæ ejus theoriæ omnino aliena est et purum creatianismum docet.
2. *Ibid.*, p. 442.
3. *Op. cit.*, t. III, ed. 2, Kioviæ, 1889, p. 339. Inter Catholicos Froschammer originem animæ eodem fere modo explicat ac Macarius.

sunt, inter quos veniunt P. Svietlov [1], Bretchkevitch [2], Thaborov [3], Malinovskii [4]. Ad eam etiam prope accedunt explicationes theologorum græcorum sæculi XIX et nostri, nempe auctorum *Pedalii* [5], Z. Rhosis [6], Mesoloræ [7], Andrutsi [8]. Quidam tamen cum Russi, tum Græci creatianismo adhuc

1. *Khristianskoe Vieroucenie*, ed. 2, t. I, Kioviæ, 1899, p. 310-312.
2. *Zapiski po pravosl. dogmaticeskomu bogosloviu*, Elisabetgradii, 1895, p. 174-182.
3. *Tchteniia o dogmaticeskikh istinakh pravosl.-khrist. viery (Lectiones de dogmaticis veritatibus fidei christianæ orthodoxæ)*, ed. 2, Petropoli, 1890, p. 79-80.
4. *Op. cit.*, t. I, p. 267-273. Contra creatianismum Malinovskii tritas movet difficultates ex requie Dei, ex ejus cooperatione ad malum, ex defectu cujuscumque textus decretorii S. Scripturæ petitas. Generatianismum tum S. Scripturæ, tum experientiæ, tum dogmati de transmissione peccati originalis omnino consonum existimat. Attamen necessarium ducit specialem Dei interventum, et quidem *actualem*, in productione cujusque animæ; unde ejus sententia a Macarii explicatione aliquatenus differt : « Admittendum est, inquit, unamquamque animam accipere existentiam non solum per generationem, sed etiam per specialem operationem Dei creatoris », p. 272. Dicit Ecclesiam catholicam creatianismum habere ut fundamentum dogmatis de conceptione immaculata B. Mariæ virginis, indeque ei tribuere vim dogmatis proprie dicti; quod verum non est.
5. *Pedalii* auctores, postquam creatianismi et generatianismi mentionem fecerunt, dicunt generatianismum anteponendum esse; quem tamen explicant ut Nicetas Heracleensis et Gregorius Nazianzenus (cf. supra, p. 570, n. 5) : « Κτίζονται παρὰ Θεοῦ πᾶσαι αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί, κατά τινας μέν, δημιουργικῶς καὶ ἀμέσως, κατά τινας δέ, ἐμμέσως καὶ προνοητικῶς ἤτοι διὰ τοῦ πρώτου ἐκείνου καὶ ζωτικοῦ ἐμφυσήματος, κατὰ τὸν Θεολόγον Γρηγόριον, ὅπερ ἅπαξ ἐμπνευσθὲν τῷ Ἀδάμ, ἐνεργεῖ εἰς τοὺς ἐξ αὐτοῦ πάντας κατὰ τὸν σχολιαστὴν Νικήταν, νόμος ἐν τῇ φύσει γενόμενον. » Πηδάλιον, ed. Athen., 1908, p. 506 in nota.
6. *Op. cit.*, p. 428-429. Secundum hunc theologum, omnes animæ humanæ in animabus protoplastorum *virtualiter* seu in *statu esse potentialis* continebantur. Per generationem transeunt de potentia ad actum, sed hoc fieri nequit *absque aliqua Dei cooperatione sive benigna permissione* : « Ἡ ἐν τῇ ἀνθρωπίνῃ γεννήσει τῶν ἀπογόνων μετάβασις τῶν ψυχῶν ὡς καὶ τῶν σωμάτων αὐτῶν, ἐκ τῆς καταστάσεως τοῦ δυνάμει εἰς τὴν τοῦ ἐνεργείᾳ δὲν δύναται ν' ἀποτελεσθῇ ἄνευ θείας τινὸς συνεργίας ἢ εὐδοκίας καὶ παραχωρήσεως. » Haud facile dictu est quid sit hæc Dei εὐδοκία sive παραχώρησις. Patet Z. Rhosim generatianismum proprie dictum docere.
7. Συμβολική, t. II, 1 pars, p. 183-184. Hic auctor obscurius loquitur. Ex una quidem parte creatianismum docere videtur et generatianis-

addicti remanent. Inter Russos invenimus Antonium Amphiteatrov [1] et Sylvestrum Malevanskii [2], inter Græcos vero Chrysostomum Papadopulum, metropolitam Atheniensem [3].

Aliquam novam theoriam de animæ origine excogitavit Russus A. Burgov[4], ut peccati originalis propagationem melius explicaret. Postquam cum creatianismi tum generatianismi acerrimam censuram egit, suam exponit adinventionem, quæ in eo est tota, ut realis distinctio ponatur inter *naturam ipsam*, anima et corpore constantem, et *personalitatem* seu τὸ ἐγώ. In generatione cujusque hominis, natura ipsa a parentibus communicatur peccato originali contaminata, Deus vero sua creatrice operatione naturæ addit personalitatem seu τὸ ἐγώ. Vides theologum russum mysteria multiplicare, nullum explicare.

IV. — De imagine et similitudine divina in homine.

Sicut prius, ita et in periodo moderna perdurat inter Græco-Russos discrepantia tum circa distinctionem inter imaginem et similitudinem divinam in homine, tum circa

mum repellere; ex alia vero, negat interventum Dei esse immediatum et in quadam nota suam facit explicationem auctorum *Pedalii*.

8. Δογματική, p. 134-136. Andrutsus sententiæ Malinovskii suffragari videtur : « Ἡ ὀρθὴ περὶ τῆς ἀρχῆς τῶν ψυχῶν θεωρία κεῖται μᾶλλον ἐν τῇ συνάψει τῆς δημιουργίας καὶ τῆς μεταφυτεύσεως *(traducianismus)* οὕτως ὥστε ὁ ἄνθρωπος νὰ ᾖ προϊὼν τῆς θείας καὶ τῆς ἀνθρωπίνης ἐνεργείας, τῆς δημιουργικῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως συνεργούσης ἐν τῇ γεννήσει ἑκάστου. »

1. *Op. cit.*, § 124, p. 172. Antonius creatianismum probat sequentibus S. Scripturæ locis : Eccl., XII, 7; Is., XII, 5; LVII, 16; Zach., XII, 1; Heb., XII, 9.

2. *Op. cit.*, p. 339. Sylvester novum creatianismum mixtum, qui apud theologos russos recentiores prævaluit, aperte rejicit ut traducianismum larvatum : « Melius est, inquit, ut nobis videtur, sincere tenere hypothesim de creatione animarum, quam Ecclesia recepit, quamvis non desint quædam difficultates, quatenus hujusmodi hypothesis cum indole spirituali animæ magis congruit. Cæterum memoria tenendum est animarum humanarum originem esse mysterium soli Deo apertum, de quo ex parte tantum ratio nostra aliquid conjicere valet. »

3. *Opuscul. cit. :* Μελετίου τοῦ Πηγᾶ περὶ γενέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου, p. 20.

4. A. Burgov, *Pravoslavnoe-dogmaticeskoe ucenie o pervorodnom griekhê*, Kioviæ, 1904, p. 141-158.

notionem utriusque apud eos qui unam ab altera distinguunt. Distinctionem generatim rejiciunt quotquot sive a theologia catholica, sive a protestantica pendent; eam vero recipiunt qui ex fontibus byzantinis vel patristicis suam doctrinam potissimum hauriunt.

Inter eos qui imaginem a similitudine secernunt, illos primum invenimus qui τὸ κατ'εἰκόνα ponunt in animæ facultatibus vel dotibus naturalibus, τὸ καθ'ὁμοίωσιν vero in virtutum exercitio, de gratia Dei tacentes, vel etiam ab utroque eam expresse distinguentes. Ita Jeremias II in *Responsis ad Lutheranos* [1], Metrophanes Critopulus in *Confessione fidei*, [2] Svietlov [3], Zikos Rhosis [4].

Alii gratiam Dei cooperantem ut elementum necessarium similitudinis acquirendæ et magis ac magis expoliendæ expresse notant. Ita Mesoloras [5], Andrutsus [6], Malinovskii [7], etc.

Quidam singularia proferunt. Ita Antonius ad similitudi-

1. *Resp. II*, c. II. Κριτὴς τῆς ἀληθείας, t. I, p. 165; *Resp. III*, c. II, *ibid.*, p. 240: « Τὸ κατ' εἰκόνα τῇ κτίσει ἔχομεν, τὸ δε καθ' ὁμοίωσιν ἐκ προαιρέσεως κατορθοῦμεν. Ἐν τῇ πρώτῃ κατασκεύῃ συνυπάρχει ἡμῖν τὸ κατ' εἰκόνα γεγενῆσθαι Θεοῦ· ἐκ προαιρέσεως κατορθοῦται τὸ καθ'ὁμοίωσιν εἶναι Θεοῦ. »

2. C. II, Kimmel, t. II, p. 57-58 : « Ἔστι δὲ τὸ μὲν κατ' εἰκόνα ἐκ τῆς τοῦ δημιουργοῦντος θελήσεως· τὸ δὲ καθ' ὁμοίωσιν ἐκ τῆς τοῦ δημιουργηθέντος σπουδῆς τε καὶ ἀρετῆς. » Critopulus videt in anima humana imaginem Trinitatis, quatenus νοῦς Patrem repræsentat, ratio seu λόγος Filium seu Verbum Dei, immortalitas, quam etiam vocat ἀειπνοΐα, Spiritum Sanctum vivificum et immortalem.

3. *Khristianskoe Vieroucenie*, ed. 3, p. 584 : Imago consistit in spiritualitate, libertate, rationabilitate et immortalitate animæ. In omnibus hominibus eadem invenitur. Similitudo est perfectio virtutis acquisitæ quæ in solis justis adest et indefinite perfici potest.

4. *Op. cit.*, p. 433-434. Hic imaginem et similitudinem a gratia Dei expresse secernit.

5. *Op. cit.*, p. 154 : « Τὸ καθ' ὁμοίωσιν κατορθοῦται διὰ τῆς ἡμετέρας θελήσεως τῇ συνεργίᾳ πάντοτε τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος, δηλον· τὴν διὰ τῶν ἐμφύτων ἀρχικῶν δυνάμεων πραγματοποιουμένην τελειότητα τοῦ ἀνθρώπου. »

6. Συμβολική, ed. 2, Athenis, 1930, p. 164-165. Andrutsus τὸ κατ' εἰκόνα et τὸ καθ' ὁμοίωσιν explicat secundum doctrinam Damasceni supra expositam : Imago non simpliciter consistit in mente et voluntate libera in se spectatis, sed in mente *positive ordinata* ad veritatem cognos-

nem refert privilegia primo homini a Deo concessa, nempe « rectitudinem mentis, innocentiam et sanctitatem voluntatis, puritatem cordis et cæteras virtutes moralesque perfectiones, de quibus Apostolus loquitur (Eph., IV, 24) : *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis;* quæ dona homo propria voluntate et operatione excolere debebat [1]. » Macarius item, postquam varias antiquorum opiniones enumeravit, dicit imaginem divinam inveniri in toto homine et non tantum in quibusdam ejus partibus seu facultatibus naturalibus, atque in similitudine includit *acquisitionem donorum Spiritus Sancti* [2].

Inter eos vero qui imaginem et similitudinem ut unum quid habent, dissensio adhuc major est. Habemus primum theologos græcos et russos qui Scholasticæ latinæ, præsertim vero doctrinæ sancti Thomæ adhæserunt [3]. In tractatu *De Deo trino* de iis jam locuti sumus, qui theoriam augustinianam et thomisticam de imagine Trinitatis in anima receperunt. Iidem, nempe Kiovienses eorumque discipuli, et alii quidam ut E. Bulgaris [4], doctrinam sancti Thomæ de imagine refe-

cendam, et in voluntate *positive propensa ad bonum* : « Ἡ τε νόησις καὶ ἡ βούλησις τοῦ ἀνθρώπου πρέπει νὰ ὑποτεθῶσιν οὐχὶ ἀδιάφοροι πρὸς τὴν ἀλήθειαν καὶ πρὸς τὸ ἀγαθόν, ἀλλ' ἐν ἐσωτερικῇ σχέσει ἐκ φύσεως διατελοῦσαι... πραγματικὴ ἐλευθερία, ἤτοι μετὰ θετικῆς πρὸς τὸ ἀγαθόν φορᾶς. »

7. *Op. cit.*, p. 285-287. Loquitur ut Svietlov, imagini vero addit facultatem loquendi, qua anima est imago Verbi hypostatici; insuper cooperationem gratiæ divinæ ad similitudinem acquirendam memorat.

1. *Op. cit.*, § 123, p. 170. Antonius non loquitur expresse de gratia divina.

2. *Op. cit.*, p. 454-457.

3. Notum est sanctum Thomam de imagine Dei in homine integram quæstionem in *Summa theologica* (I p., q. XCIII) habere. Similitudinem ab imagine in nono et ultimo articulo vix distinguit, Damasceni verba referens. Imaginem Dei et Trinitatis tum in facultatibus animæ naturalibus, tum etiam in assimilatione quæ fit per gratiam sanctificantem invenit. Hic imaginis conceptus notionem eorum Byzantinorum et modernorum Græco-Russorum qui imaginem a similitudine distinguunt, transgreditur.

4. Θεολογικόν, p. 389 : « Ἔστι δὲ κατ' εἰκόνα καὶ χάριτι, διὰ τῆς δικαιοσύνης γενόμενος θείας μέτοχος χάριτος καὶ θείας κοινωνὸς φύσεως· ἡ δὲ εἰκὼν αὕτη, ἀτελὴς μὲν ἤδη τυγχάνουσα, πολλῷ τελεωτέρα γενήσεται ἐπὶ τῆς μακαρίας τοῦ Θεοῦ ἀπολαύσεως. »

runt, cum ea connectentes non solum dotes animæ naturales, verum etiam et dona gratiæ supernaturalis.

Sæculo XVIII, Theophanes Procopovitch ejusque discipuli theologiam Lutheranorum de imagine divina amplectuntur :

« In quo consistat Dei imago, ait Theophanes, in substantia hominis, an in ejus qualitatibus? Imago sumi potest vel proprie et stricte, vel ample et improprie. Ample et improprie sumitur pro qualicumque signo seu indicio rei, ut relicta castrorum vestigia dicere possumus castrorum imaginem. Stricte autem et proprie imago est quæ similitudinem et quamdam rei faciem habet. In priore sensu concedimus etiam in substantia hominis esse quamdam Dei imaginem, indicia scilicet ejus sapientiæ et omnipotentiæ. Sed non hæc imago intelligenda est ad quam homo dicitur esse conditus, quia imago hæc etiam in aliis omnibus rebus, in quibus cognoscitur Deus, reperitur, licet inferiore modo... In altero autem sensu accepta, imago non est in hominis substantia; quod evincitur cum Scripturæ testimoniis, quæ illam in alio ponunt, tum hoc ipso quod imago Dei per peccatum amissa sit, substantia vero hominis manserit integra. Si vero non in substantia, utique in qualitatibus imago illa spectanda est. In quibus vero qualitatibus? Comperimus imaginem istam plures sui habere partes juxta plures Dei dotes, quas per modum qualitatis concipimus, nimirum sapientiam, potentiam, sanctitatem, libertatem, immortalitatem, dominium, etc. Ita in pluribus hominis qualitatibus primigeniis consistere eam dicimus, sed imprimis *in mentis atque voluntatis rectitudine*, quibus correspondent sapientia et sanctitas divina; *in voluntatis item integritate ac libertate*, quibus adumbratur potentia et libertas Dei. Suggerit nobis majorem lucem istud axioma : *Quidquid ad renovandum hominem spectat, seu quidquid tale est quod ex vetero homine, hoc est ex corrupto per Adamum, ostendit novum in Christo, qualis scilicet conditus fuit secundum Deum : id omne habet rationem primævæ in nobis divinæ imaginis* [1].

1. *Christiana orthodoxa theologia*, t. II, Lipsiæ, 1783 (ed. Mislavskii), p. 195-200. Paulo ante, p. 192, scripsit : « Si ergo ostenderimus imagi-

Ergo, juxta Theophanem, imago Dei, quæ idem est ac similitudo, consistit in hoc quod theologi catholici vocant *præternaturale* et *supernaturale*. Quod autem gratiæ sanctificantis mentionem non facit, hoc inde provenit, quod Lutheranorum doctrinæ de justificatione adhæret. Eamdem notionem invenire est non solum apud theologos russos sæculi XVIII exeuntis, v. g., apud Platonem Levkhin [1], Th. Gorskii [2], Sylvestrem Lebedinskii [3], sed etiam apud quosdam theologos sæculi XIX, qui a Procopovitch manifesto pendent, ut Philaretus Mosquensis in suo Catechismo [4], et Philaretus Gumilevskii [5].

Vides totam hanc de imagine et similitudine doctrinam obscurare potius quam illustrare et clarificare theologiam Græco-Russorum.

nem Dei in homine constitisse in mentis et voluntatis rectitudine, libertate, in dominio rerum, *in corporis, imo totius etiam hominis* immortalitate, sufficiens erit rei nostræ demonstratio. »

1. *Doctrina orthodoxa*, I p., § 7, § 15. Versionem græcam A. Corai, ed. Ath., 1836, citamus, p. 36-38 et 52 : « Ἡ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ ὑφίσταται εἰς τὴν συμφωνίαν μὲ τὰς τελειότητας τοῦ Θεοῦ. » Provocat ad textus Scripturæ : Ephes., IV, 24; Col., III, 10.

2. *Op. cit.*, ed. 1818, p. 143, 148, 156 : « Errant qui imaginem Dei ad ipsam hominis pertinuisse essentiam statuunt... Lapsus primorum parentum tollebat concreatam sapientiam et sanctitatem, quibus virtutibus imago Dei continebatur. »

3. *Op. cit.*, p. 218-220, ubi ipsa Procopovitch verba passim reperies. Imago sic definitur, p. 220 : « Imago Dei est *perfectio naturalis* in excellenti conformitate cum Dei sapientia, justitia, immortalitate et majestate consistens, concreata primis hominibus divinitus ad Deum creatorem perfecte agnoscendum, diligendum et glorificandum. »

4. *Ad I art. Symboli :* « Imago Dei consistit, ut Paulus apostolus explicat, *in justitia et sanctitate veritatis* » (Eph., IV, 24). Philaretus junior thesibus lutheranis a Procopovitch propugnatis adhæsit. De imagine sententiam postea mutasse non videtur.

5. *Op. cit.*, t. I, p. 195-196 : Imago refertur ad totam *naturam spiritualem* hominis, ad perfectionem virium spiritualium primi hominis, ad eorum rectitudinem. Citantur verba Apostoli (Eph., IV, 24; Col., III, 9, 10).

V. — De statu primigenio hominis necnon de peccato originali apud Græcos modernos.

De statu primigenio hominis Græci moderni, sicut et ipsi Byzantini, quoad præcipua cum theologia catholica conveniunt, quamvis apud eos non invenias illas claras nostrorum compendiorum distinctiones inter supernaturale, præternaturale et naturale, vel illas certas definitiones variorum humanæ naturæ statuum : naturæ puræ, integræ, innocentis, lapsæ et reparatæ, etc. A sæculo XVI usque ad sæculum XIX, latinæ theologiæ solutiones quoad omnia fere plerique amplexi sunt. Quidam vero recentes, verbis saltem, baianismo favere visi sunt.

De statu Adami innocentis, *justitia insita* omnique intellectus et voluntatis perfectione sensuumque integritate ornati, expresse loquitur *Confessio orthodoxa* [1]. Eugenius Bulgaris doctrinam sancti Thomæ paucis refert [2]. *Pedalii* auctores in summa sanctitate et perfectione protoplastorum insistunt, ut eorum peccati gravitatem ostendant [3]. Quidam theologi recentes, e contra, huic primævæ Adami perfectioni nimis detrahunt. Ita præsertim Andrutsus, qui inter alios solus primo homini expresse denegat *filiationem et spiritualem vitam a Jesu Christo communicatam*, id est, si theologum græcum bene intelligimus, illud quod theologi catholici vocant gratiam sanctificantem [4]. Idem Andrutsus, post alios

1. I p., q. XXIII, Kimmel, p. 84-87 : « ἦτον εἰς τὸν Ἀδὰμ ἡ ἀθῳότης καὶ ἡ ἀκακία, πρὶν ἁμάρτῃ, κατὰ πᾶσαν τελειότητα καὶ δικαιοσύνην ἔμφυτον, τόσον ἀπὸ τὸ μέρος τῆς διανοίας, ὅσον καὶ ἀπὸ τὸ μέρος τῆς θελήσεως. »

2. *Op. cit.*, p. 389-392 : « καθάπερ γὰρ ἡ ψυχή, τῇ ὑπεφφυεῖ χάριτι κατηγλαϊσμένη, ἀκριβῶς τῷ Θεῷ ὑπέκειτο, οὕτω τοι καὶ τῇ ψυχῇ τὸ σῶμα. » Cf. p. 420.

3. Πηδάλιον, ed. Ath., 1908, p. 505, n. 1 : « διατὶ ἦσαν ἐν ἁγιότητι καὶ τελείᾳ δικαιοσύνῃ· διατὶ τὸν νοῦν εἶχον πεφωτισμένον μὲ γνῶσιν καθαρωτάτην... », etc.

4. Συμβολική, ed. 2, Athenis, 1930, p. 163 : « ἐστερεῖτο τῆς υἱότητος καὶ τῆς πνευματικῆς ζωῆς, τῆς ὑπό τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ χορηγουμένης· ἐν ἄλλαις λέξεσιν, ἡ ἐν Χριστῷ πνευματικὴ ζωὴ καὶ ἀποκατάστασις εἶνε ὁ τελικὸς σταθμός, εἰς ὃν ὤφειλε νὰ καταντήσῃ καὶ ὁ πρὸ τῆς πτώσεως φυσικὸς ἄνθρωπος κατὰ τὸ I Κορ., XV, 46. »

recentes, nempe N. Damalam [1], Zikum Rhosim [2], Mesoloram [3], Ecclesiæ catholicæ exprobrat doctrinam de *justitia originali infusa*, a solo Deo sine hominis cooperatione producta eique quasi *mechanice* et *ab extrinseco* superaddita tanquam pænula quædam, quæ a natura humana absque ulla illius intrinseca læsione auferri possit [4]. Videtur enim Andrutsus donum integritatis seu immunitatem a concupiscentia habere ut aliquid mere naturale, quod naturæ ut sic debeatur [5]; cui assentire videtur Mesoloras [6]. Cæterum notandum est Andrutsum non sibi semper constare ejusque, sicut et aliorum, in doctrinam catholicam impetus omni fundamento carere, eo quod hanc doctrinam perperam intellexerunt [7].

1. Περὶ ἀρχῶν, p. 67, 68, 150. Nomine justitiæ originalis Damalas intelligit justitiam ab ipso homine, gratia Dei cooperante, *acquisitam* : « τότε δύναται νὰ γείνῃ περὶ δικαιοσύνης λόγος, ὅταν τις ἀρχίσῃ νὰ βαδίσῃ ἐν τῷ ἀγαθῷ χάριτι τοῦ δημιουργοῦ καὶ ἰδίᾳ θελήσει. »

2. *Op. cit.*, p. 436. Zikos Rhosis, sicut et Damalas, *originalem justitiam* vocat *justitiam ab homine cum gratiæ auxilio acquisitam* : « Ἡ ἀρχέγονος δικαιοσύνη δέον νὰ θεωρῆται ὡς ἀποτέλεσμα τῆς συνεργίας τοῦ θείου Πνεύματος μετὰ τοῦ νοῦ καὶ τοῦ αὐτεξουσίου τοῦ ἀνθρώπου ὡς φυσικῶν αὐτοῦ δυνάμεων. »

3. *Op. cit.*, p. 160-161. Justitiam originalem definit sicut Rhosis et Damalas.

4. *Op. cit.*, p. 160-165, 170, 171 : « Ἡ ὅλη τοῦ γενάρχου κατάστασις δὲν εἶνε κατάστασις ἐμφύτου ἀποτετελεσμένης ἁγιότητος καὶ δικαιοσύνης, διότι ἀρετὴ καὶ ἔμφυτον εἶνε πράγματα ἀντιφατικά », p. 161. Pro rhetoricis amplificationibus, inquit, habendæ sunt Patrum descriptiones de omnimodo virtute ac perfectione Adami. Eodem modo accipiendæ sunt generales librorum symbolicorum dictiones, p. 165-167.

5. *Ibid.*, p. 185 : « Ἡ σαρκικὴ πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ὁρμὴ δὲν εἶνε τι κανονικὸν καὶ ἐν τῇ φύσει τοῦ ἀνθρώπου ἐγκείμενον, ὡς ἐξεδέχοντο οἱ Πελαγιανοί. » Δογματική, p. 155, 322.

6. *Op. cit.*, p. 161 : « Κατὰ ταῦτα ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ καὶ τὰ θεῖα « φυσικὰ » χαρίσματα ἀπετέλουν τὴν ἀρχέγονον δικαιοσύνην καὶ κατάστασιν τῶν πρωτοπλάστων. »

7. Haud unam invenimus contradictionem in iis quæ de statu primigenio hominis recenter scripsit Andrutsus in secunda editione suæ *Symbolicæ* : v. g., p. 163, dicit verba Apostoli : Ephes., IV, 24, non ad Adamum, sed ad Jesum Christum referri; infra vero, p. 173, ad eumdem locum lectorem remittit, ut probet justificationem, quæ fit per Jesum Christum, novum Adamum, esse *reditum* ad *justitiam originalem et reformationem veteris imaginis Dei quæ fuit in Adamo* : « ἐπαναγωγὴ εἰς τὴν ἀρχέγονον δικαιοσύνην καὶ ἀνάπλασις τῆς ἀρχαίας τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ Ἀδὰμ εἰκόνος, ὡς διδάσκει ῥητῶς ἡ Γραφή » (Col., III, 10; Ephes., IV, 24);

Quod autem attinet ad omnimodam incorruptionem seu ἀφθαρσίαν primi hominis, prout a Damasceno et a plerisque Byzantinis edocta est, solos *Pedalii* auctores inter modernos invenimus qui eam plene admiserint [1]. Quidam tamen, ut Jeremias II [2], Gabriel Severus [3], Metrophanes Critopulus [4], verba Damasceni de mulieris creatione et matrimonii origine repetunt. Metrophanes paradisi arbores Adamo cibum præbuisse expresse dicit [5].

Doctrinam Protestantium de totali exstinctione liberi

quibus verbis etiam aliunde sibi ipsi contradicit; nobis enim supra dixit, p. 163, *Adamum caruisse filiatione et spirituali vita per Christum communicata*. Item, ex una parte concupiscentiam habet ut quid *naturale*, p. 185; ex alia vero, p. 182, in nota, inter *dona* originalis justitiæ recenset *perfectam congruentiam inter animam et corpus*, ἡ ἁρμονία τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος, quæ nihil aliud est quam immunitas a concupiscentia. Sine ulla ratione Ecclesiæ catholicæ exprobrat *mechanicam* et *extrinsecam justitiæ originalis superadditionem* ad naturam primi hominis, p. 168-170, 173, cum et ipse infusionem virtutum, vel ipsius gratiæ in sensu Catholicorum admittat tum in *Theologia dogmatica*, p. 251 in nota, tum hic in *Symbolica*, p. 161, ubi dicit « scientiam Dei necnon sanctitatem et justitiam et positivam in Deum et ad omnem virtutem inclinationem primo homini a Deo *virtualiter inditas fuisse*, ἐγκείμεναι δυνάμει ἐν τῇ φύσει τοῦ ἀνθρώπου ». Item, vera significatio dictionum scholasticarum : *natura pura*, *natura integra*, *justitia originalis* illum latuerunt; unde putat, p. 170, Scotistas docuisse Adamum *initio creatum fuisse in statu naturæ puræ*, et donum justitiæ originalis post aliquod temporis intervallum a Deo accepisse. Ut infra videbimus, in eumdem errorem incidunt plerique theologi russi nostri ævi.

1. P. 504 in nota, ubi citantur verba Gregorii Sinaitæ : « Ἄφθαρτος ἐπλάσθη ὁ ἄνθρωπος χωρὶς χυμοῦ, οἷος καὶ ἀναστήσεται. » Corpus Adami vera immortalitate gloriosa donabatur; unde auctores *Pedalii* Georgium Coressium vituperant quod dixerit ille : « ὁ Ἀδὰμ ἦτο φύσει φθαρτὸς κατὰ τὸν λόγον τῆς ὕλης καὶ κατὰ τὸν λόγον τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ καὶ ὑγροῦ καὶ τὴν ἐναντιότητα τῶν στοιχείων. »

2. *Resp. I ad Lutheranos*, c. VII, p. 38.

3. Συνταγμάτιον περὶ τῶν ἁγίων καὶ ἱερῶν μυστηρίων, ed. Ven., 1691, p. 129.

4. *Confessio fidei*, c. II, Kimmel, t. II, p. 59, ubi hoc nominis *Evæ* (Εὔα) etymon leges : « Prævidens Deus mulierem et gaudii et tristitiæ causam Adamo futuram, ita illam nominavit. Est εὖ adverbium voluptatis, illud vero ἄ adverbium miseriæ et doloris.

5. *Ibid.*, p. 58. Sententiam Byzantinorum de matrimonii origine memorat E. Bulgaris, *op. cit.*, p. 392, doctrinæ vero Occidentalium potius suffragatur.

arbitrii ad bonum operandum necnon de *reali* permanentia peccati originalis (quod sit concupiscentia) in regeneratis, semper rejecerunt theologi græci. Hoc primum fecerunt theologi sæculi XVI, ut Meletius Pigas [1] et Jeremias II, patriarcha Constantinopolis [2]. Sæculo autem XVII, postquam Cyrillus Lucaris Calvinistarum sententiam suæ *Confessioni fidei* inseruit [3], plures theologi et synodi hæresim confutarunt ac damnarunt. Memorare sufficiat opus Meletii Syrigi contra capita Cyrilli [4], anathematismos synodi Constantinopolitanæ anni 1638 [5], ac præsertim *Confessionem Dosithei* in synodo Hierosolymitana (1672) promulgatam, in qua hæc legimus :

« Credimus hominem transgressione lapsum comparatum esse et assimilatum jumentis, id est obscuratum fuisse, et a perfectione passionumque immunitate (ἀπαθείας) excidisse ; haudquaquam tamen hujus, quam ab optimo Deo acceperat, naturæ naturalisque virtutis jacturam fecisse; alioqui enim rationalis jam non esset ac proinde nec homo; sed credimus illum eamdem habere naturam, quam in creatione accepit, necnon eamdem naturæ virtutem, quæ est liberum arbitrium,

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. cit., p. 62-64 : : « Μανθάνομεν δὲ πεπτωκότα τὸν ἄνθρωπον μὴ μέντοι ἀφαιρεθέντα τὸ αὐτεξούσιον, ἀλλ' οὖν ὀκλάσαντα τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως... Οὔτε ἡ οὐσία ἀφῃρέθη, οὔτε ἡ θέλησις, ἀλλ' ὁ κόσμος τῶν ἀρετῶν, ὧν μία καὶ πρώτη ἡ ἐλευθερία τοῦ αὐτεξουσίου. » Cæterum Meletius genuinum sancti Augustini discipulum se prodit et peccati originalis sequelas potius exaggerat quam minuit.

2. Cf. *Responsa ad Lutheranos :* I, c. XVIII; II, c. II; III, c. II : Κριτὴς τῆς ἀληθείας, p. 87-93, 162-168, 238-242 : « Καὶ μετὰ τὴν παράβασιν δύναμιν ἔχει ὁ ἄνθρωπος αἱρεῖσθαι τὸ ἀγαθόν. Τὸ μὲν ἀναστῆναι καὶ ἀκολουθῆσαι, ἐφ' ἡμῖν, καὶ δύναμιν ἔχομεν ὥστε ἑλέσθαι τὸ ἀγαθὸν οὐχ ἧττον ἢ τὸ κακόν· ἑνὸς δὲ μόνου χρήζομεν, τῆς παρὰ Θεοῦ δηλαδὴ βοηθείας, ἵνα τὸ ἀγαθὸν καρτορθώσωμεν καὶ σωθῶμεν », p. 242.

3. Cf. art. VI et XIV hujus *Confessionis*, Kimmel, t. I, p. 28 et 33 : « Credimus liberum arbitrium in non renatis esse mortuum, quia nihil boni facere possunt, et quidquid faciunt, esse peccatum; in renatis vero idem per Spiritus Sancti gratiam vivificari, et operari quidem, sed non sine gratiæ auxilio », etc. (c. XIV).

4. Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων, ed. Dosithei, Bucarestii, 1690, p. 24-31, 77-85. Positivis testimoniis Scripturæ et Patrum Syrigus errorem Reformatorum convellit.

5. Cf. Kimmel, t. I, p. 403-404 : « Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι μὴ πάντα ἄνθρωπον αὐτεξούσιον εἶναι..., ἀλλὰ ἐξουσίαν ἔχειν ἕκαστον ἁμαρτίαν ποιεῖν, ἀγαθὸν δὲ μηδαμῶς... ἀνάθεμα. »

vivam utique et efficacem, ita ut possit naturaliter eligere atque operari bonum, ac fugere et odisse malum... Posse autem hominem naturaliter operari bonum innuit vel ipse Dominus dicens et ethnicos diligere diligentes ipsos; quod et Paulus manifestissime docet in epist. ad Romanos, c. I, 19... Potest ergo homo nondum regeneratus ad bonum naturaliter propendere, eligereque et operari *bonum morale.* Ut vero regeneratus *spirituale bonum* operari possit..., præeat præveniatque gratia necesse est, sicut diximus de prædestinatione agentes, ita ut nullum omnino christianæ vitæ dignum opus ex seipso perficere possit, quamquam ex seipso habet velle aut nolle assentiri gratiæ [1]. »

Ex his Dosithei verbis jure colligi potest naturam humanam *philosophice* spectatam ex peccato originali non fuisse *in se vulneratam* solaque amisisse dona gratuita a Deo Adamo innocenti collata. Eamdem doctrinam in *Confessione orthodoxa* Petri Moghilæ invenimus. Ubi enim de peccati originalis effectibus in Adamo sermo est, dicitur quidem in hac *Confessione* Adamum amisisse perfectionem rationis et scientiæ, *illiusque voluntatem magis ad malum quam ad bonum inclinatam fuisse* [2]. Ubi vero de ejusdem peccati sequelis in Adæ posteris agitur, non ita jam res proponitur, sed hæc leguntur :

« Hæc ratio, quamdiu in statu innocentiæ homo stetit, hoc est, antequam peccaret, in sua perfectione integra erat; per peccatum vero corrupta est. *Voluntas vero, quamvis illæsa manserit, quod attinet ad appetitum boni vel mali, nihilominus propensior ad malum in aliquibus evasit, in quibusdam vero ad bonum;* de quo ita loquitur Magnus Basilius (*In Isa.*, XIV) : « Per voluntatem quisque suam arbitriumque aut semen sanctum, aut contrarium esse potest... » Quo sane sanctus

1. Kimmel, p. 446-448 : « ἀλλ' ἔχειν τὴν φύσιν αὐτὴν ᾗ ἔκτισται, καὶ τὴν τῆς φύσεως ἐνέργειαν, ἥτις ἐστὶ τὸ αὐτεξούσιον, ζῶσαν καὶ ἐνεργόν... Ὁ ἄνθρωπος τοιγαροῦν πρὸ τῆς ἀναγεννήσεως δύναται φύσει κλίνειν πρὸς τὸ καλὸν καὶ αἱρεῖσθαι καὶ ἐργάζεσθαι τὸ ἠθικὸν καλόν. Ἀναγεννηθεὶς δὲ, ἵνα ποιῇ τὸ πνευματικὸν καλόν..., ἀνάγκη προηγεῖσθαι καὶ προφθάνειν τὴν χάριν. »

2. I p., q. XXIII, Kimmel, 86-87 : « καὶ ἡ θέλησις ἔκλινε περισσότερον εἰς τὸ κακὸν παρὰ εἰς τὸ καλόν. »

doctor docet, quamvis voluntas humana per peccatum originale damnum passa sit, nihilominus etiam præsenti hoc tempore in cujusque arbitrio positum esse, ut bonus sit et Dei filius, vel malus et filius diaboli. Hoc omne in manu atque potestate hominis situm est, ita tamen ut ad bonum divina gratia homini auxilium præstet, eumque item a malo retrahat, quin libertati hominis necessitatem imponat [1]. »

Huic Confessionum fidei sæculi XVII positioni steterunt haud pauci theologi, inter quos Eugenium Bulgarim nominare possumus [2]. Alii tamen, inter quos venit Meletius Pigas [3], doctrinam sancti Augustini ejusque discipulorum amplexi sunt, docentes ex peccato originali voluntatem hominis, quamvis liberum arbitrium proprie dictum non amiserit, amisisse tamen illam primævam libertatem bonum operandi, de qua loquitur Augustinus, et *propensiorem evasisse ad malum quam ad bonum*, seu *positivam inclinationem* ad malum inde hereditasse. Hanc sententiam unanimiter amplexi sunt theologi græci recentiores, N. Damalas scilicet [4],

1. I p., q. XXVII, Kimmel, p. 91-92 : « Μὰ ἡ θέλησις, καλᾷ καὶ ἔμεινεν ἄβλαβης εἰς τὸ νὰ ἐπιθυμᾷ τὸ καλὸν ἢ τὸ κακόν, ἔγινεν μ' ὅλον τοῦτο εἰς κάποιους πλέον ἐπιῤῥεπὴς καὶ κλίνει πρὸς τὸ κακόν, καὶ εἰς ἄλλους πρὸς τὸ καλόν. » Ex contextu hæc differentia in propensione ad bonum vel ad malum non provenit ex peccato originali, sed ex proprio uniuscujusque arbitrio.

2. Θεολογικόν, p. 418-420.

3. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, p. 62-64. Hominem lapsum comparat homini semivivo cui opitulatur bonus Samaritanus : « εἰς γῆν κατηνέχθη, ἡμιθανὴς τὰς ψυχικὰς δυνάμεις, ἡμιθανὴς δὲ δηλονότι, μηδὲ πάμπαν ἀναιρεθείς, μηδὲ μείνας ἀλώβητος, » dicitque eum amisisse « τὴν ἐλευθερίαν τοῦ αὐτεξουσίου », id est eam libertatem de qua loquitur sanctus Augustinus.

4. *Op. cit.*, p. 71-72 : « Εἰς τὰ χωρία λοιπὸν ταῦτα διδάσκεται καθαρώτατα, ὅτι ἡ καρδία ἔλαβε τὴν εἰς τὸ πονηρὸν κλίσιν καὶ ῥοπήν, καὶ ἡ θέλησις ἔκλινε μᾶλλον πρὸς τὸ κακὸν ἢ το καλόν. » Dicit etiam imaginem Dei in homine obscuratam fuisse et adulteratam, non vero penitus destructam; nomine autem imaginis intelligit præcipuas animæ facultates, intellectum scilicet et voluntatem : « νοῦς καὶ βούλησις ἐπεσκοτίσθησαν καὶ διεφθάρησαν. » In fine, ut præcipuas peccati originalis sequelas recenset privationem gratiæ et communionis cum Deo, amissionem doni integritatis, ex qua mors consequitur, et « ἀμαύρωσιν ἢ ἀχρείωσιν, οὐχὶ δὲ παντελῆ καταστροφὴν τῆς εἰκόνος. »

J. Mesoloras [1], C. Andrutsus [2]; qui omnes Ecclesiam catholicam vituperant, quod doceat naturam humanam *in se spectatam* ex peccato originali nullum vulnus accepisse, sed a gratia supernaturali aliisque justitiæ originalis donis gratuitis tantum spoliatam fuisse, ita ut homo, prout nunc nascitur, in *statu naturæ puræ* dici possit *quantum ad vires naturales intellectus et voluntatis* necnon quantum ad pugnam intestinam inter spiritum et carnem. Tribuunt nempe Ecclesiæ catholicæ ut tali sententiam Cajetani, Suarezii, Bellarmini et aliorum multorum, qui tenent hominem esse nunc in eodem statu ac fuisset in statu naturæ puræ, *præcisione facta a destinatione hominis ad finem supernaturalem*. Quibus respondendum est hanc opinionem non esse Ecclesiæ catholicæ doctrinam *authenticam et definitam*, cum multi exstent theologi catholici qui aliter sentiant; immo haud pauci sint qui Græcorum sententiæ omnino suffragentur, illi præsertim quos *Augustinenses* vocant. Cæterum aliæ etiam inter theologos catholicos vulgantur explicationes circa peccati originalis effectus in Adæ posteris, ex quibus colligitur hominem lapsum non esse in eodem omnino statu in quo fuisset, si Deus in statu naturæ puræ illum creasset, quantum sane ea conjicere possumus quæ pertinent ad statum hujusmodi, qui revera nunquam exstitit. Damnata quidem fuit hæc Baii propositio, saltem *ut non tuta :* « Deus potuisset talem ab initio hominem creare, qualis nunc nascitur » (prop. 55), at vero *in sensu a Baio*

1. *Op. cit.*, p. 167-169. Eadem habet ac Damalas. Loquitur tantum de peccati originalis sequelis in ipsis protoplastis; non dubium tamen quin easdem de ipsorum posteris affirmare intendat.

2. Συμβολική, ed. 2, p. 181-184; Δογματική, p. 152-164. Secundum Andrutsum, peccatum originale consistit *negative* quidem in amissione originalis justitiæ; *positive* vero in *corruptione naturæ spiritualis hominis* seu τοῦ κατ' εἰκόνα. Hæc autem imaginis corruptio intelligenda est tum de obscuratione mentis quæ non amplius in Deum, sed in materiam fertur, *tum in jugi inclinatione voluntatis in malum* per peccati concupiscentiam, quam Paulus describit in c. VII, epist. ad Rom. : « ἔνθεν μὲν ἐν τῷ σκοτισμῷ τοῦ νοός, οὐχὶ πρὸς τόν Θεὸν ἀλλὰ πρὸς τὴν ὕλην φερομένου, ἔνθεν δὲ ἐν τῇ διηνεκεῖ πρὸς τὸ κακὸν ῥόπῇ τῆς ἀνθρωπίνης βουλήσεως τῇ ἐπιθυμίᾳ τῆς ἁμαρτίας. » Συμβολική, p. 180-181. Invehitur in sententiam S. Bellarmini docentis peccatum originale consistere in sola privatione justitiæ originalis et donorum gratuitorum, dicitque cum Russo Beliaev hanc doctrinam pelagianismo viam aperire, p. 187-191.

intento, id est quatenus quis doceret dona supernaturalia et præternaturalia primo homini gratuito concessa *ita naturæ humanæ in se spectatæ deberi*, ut Deus hominem creare non posset quin hujusmodi dona ei conferret. Sed in sensu a Baii mente alieno theologo catholico opinari licet Deum non potuisse hominem creare talem, qualis nunc nascitur, id est *in eodem ignorantiæ, concupiscentiæ, infirmitatis vel miseriæ gradu*, in quo hodie nascimur. Et revera jure quis dubitare potest, utrum Deus possit hominem creare in illa impotentia morali in qua, sepositis auxiliis supernaturalibus, nunc versamur, omnes graves tentationes collective sumptas vincendi, veritates morales apte cognoscendi et bonum valde arduum operandi [1]. Natura enim in necessariis non deficit [2].

Quæstionem de essentia peccati originalis in Adæ posteris, prout hoc peccatum ab ejus sequelis distinguitur, post theologos occidentales ex professo moverunt Græci moderni. Ad duas autem explicationes reducere possumus ea quæ de hac materia scripserunt, scilicet ad theoriam imputationis et ad theoriam status peccaminosi subjectivi, qui diversimode explicatur.

Theoriam imputationis ex Damasceno et theologis byzantinis jam novimus : Peccatum originale in Adæ posteris est ipsum Adæ peccatum unicuique jure imputatum, quatenus omnes homines in Adamo tanquam *in capite physico et morali totius generis humani virtualiter* inclusi erant, et *unus homo*

1. Cf. A. Tanquerey, *Synopsis theologiæ dogmaticæ*, t. II, ed. 22, Parisiis, 1929, p. 549, 577. Hic auctor articulum de effectibus originalis peccati sic concludit : « Etsi vires naturæ *in se* non minuantur per peccatum originale, *minuitur tamen ipsa naturalis inclinatio ad virtutem* », p. 578; quod non longe distat a sententia Græcorum, de quibus loquimur.

2. Statum naturæ puræ *in omnibus* adæquare statui præsenti humanitatis vetat lex, quam vocant *hæreditatis*, ex qua colligere possumus humanam naturam per tot generationes non quidem *essentialiter*, sed *accidentaliter* plus minusve fuisse corruptam, ita ut non ex toto respondeat conceptui divino naturæ puræ. Illi theologi qui in tractatu de peccato originali docent in *homine lapso* vires naturales non esse intrinsecus debiliores, quam essent in *homine puro*, oblivioni mandare videntur theses de morali necessitate revelationis et gratiæ divinæ, quas in aliis tractatibus propugnant.

cum illo haberi possunt. Hujusmodi imputatio eo momento cessat quo quis, per gratiam regenerationis, Christi, novi Adami et humani generis capitis, membrum efficitur, ut dicit Apostolus : *Vos* UNUS *estis in Christo Jesu*, ὑμεῖς εἷς ἐστὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (Gal., III, 28). Hanc conceptionem plus minusve explicitam invenies apud Meletium Pigam [1], in *Confessione orthodoxa* [2], apud E. Bulgarim [3] et *Pedalii* auctores [4]. Eidem suffragatur N. Kursulas, qui varias theologo-

1. *Op. cit.*, p. 41, 46-47, 66 : « Sicut obedientiæ merces omni generi obventura erat, ait ille, ita et transgressionis condemnatio ad omnes in iniquitatibus concipiendos et in peccato nascituros juste se extendit... Parvuli recens nati una cum protoplasto lapsi sunt et ex hoc lapsu justam sibi trahunt damnationem : συμπεπτώκασι τῷ προπάτορι, κἀκείνῳ τῷ πτώματι δικαίαν ἐφέλκονται τὴν κρίσιν. »

2. I p., q. XXIV : « Quemadmodum omnes homines durante innocentiæ statu in Adamo fuerunt, eodem modo, ex quo ille lapsus fuit, in ipso omnes collapsi, simul in statu peccati permanserunt : « τέτοιας λογῆς καὶ ἀφ' οὗ ἔσφαλεν, ὅλοι ἔσφαλαν εἰς αὐτὸν καὶ ἔμειναν εἰς τὴν κατάστασιν τῆς ἁμαρτίας. » Kimmel, p. 87. Item in III p., q. XX, *ibid.*, p. 272 : « Τοῦτο τὸ προπατορικὸν ἁμάρτημα (peccatum Adæ scilicet) ἐδιάβηκεν ἀπὸ τὸν Ἀδὰμ εἰς ὅλην τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, διατὶ ὅλοι εἴμεσθαν τότε εἰς τὸν Ἀδάμ, καὶ οὕτω δι' ἑνὸς Ἀδὰμ διῆλθεν εἰς ὅλους ἡμᾶς ἡ ἁμαρτία. »

3. De peccato originali E. Bulgaris longam scripsit dissertationem in epistolæ formam, quæ τῷ Θεολογικῷ, p. 395-433, inserta est. Ejus conceptus ad hoc reduci potest: « Omnes in Adamo quasi in potentia inclusi eramus tum *physice quoad corpus*, tum *moraliter et quasi ex aliquo pacto quoad animam*. Deus enim Adamum constituerat principem et exarchum et caput et patrem totius naturæ humanæ. Ejus posteri sortem illius participaturi erant tum quoad bonum, tum quoad malum. Cecidit, peccavit; cum illo cecidimus, peccavimus, damnati sumus, puniti sumus : « ἐν ἐκείνῳ ἁμαρτήσαντι ἁμαρτήσαντες, ἐν ᾧ φύσει μὲν τὰ σώματα, συνθήκῃ δέ τινι καὶ δίκῃ τῷ θείῳ δοκοῦσῃ τὰς κατὰ τὴν ψυχὴν δυνάμεις ἧσαν περιεχόμενοι », p. 422. Addit vero, p. 428 : « Sicut in Christo justificamur, ita et in Adamo peccavimus : καθάπερ ἐν Χριστῷ δικαιούμεθα, οὕτως ἐν τῷ Ἀδὰμ ἐξημάρτομεν. »

4. Πηδάλιον,, ed. cit., p. 505-507 in nota. Auctores paucis contrahunt doctrinam E. Bulgaris, magis vero insistunt in pacto, quo Deus Adamum constituit caput morale totius generis humani, ita ut ille nos omnes repræsentaret : « Ἐπειδὴ παρέβη τὴν ἐντολὴν ὁ Ἀδάμ, μετέδωκε δι' αὐτοῦ καὶ ἐν ἑαυτῷ τὴν παράβασιν ταύτην καὶ εἰς ὅλους τοὺς ἀπογόνους του, τοὺς σὺν ἐκείνῳ καὶ δι' ἐκείνου καὶ λαβόντας καὶ παραβάντας τὴν ἐντολήν. Ἀκολούθως δὲ μετέδωκεν καὶ τὰς διὰ τὴν παράβασιν ταύτην ἀπειληθείσας ποινάς. »

rum scholasticorum opiniones noverat. Postquam rejecit sententiam tum eorum qui essentiam originalis peccati ponunt in concupiscentia carnali, tum eorum qui in privatione gratiæ eam consistere volunt, suam opinionem ita exponit :

« Ponendum est peccatum originale ipsorum parvulorum esse ipsam Adami transgressionem moraliter permanentem quamdiu ipsis parvulis non remittitur. Cum enim, ut dictum est, peccatum habituale sit ipsum peccatum actuale ante commissum et permanens quamdiu non remittitur, actuale, quod præcessit peccatum habituale in parvulis existens, transgressio fuit Adami; quæ consequenter moraliter permanet in parvulis ipsis estque ipsum peccatum originale habituale... Peccatum originale est actio Adami præterita, quæ putatur actio præsens parvulorum... Peccatum originale Petri est iniquitas Adami præterita et moraliter in Petro perseverans [1]. »

Alii theologi peccatum originale describunt tanquam corruptionem quamdam peccaminosam vel statum peccaminosum naturam humanam in singulis Adæ posteris afficientem et ex peccato primi hominis per carnalem generationem provenientem. Hanc autem peccaminosam corruptionem alii aliter exponunt. Quidam, ut Meletius Syrigus [2], dicunt eam esse concupiscentiam seu propensionem ad malum. Alii illam comparant alicui ponderi homines graviter oneranti [3].

1. *Op. cit.*, t. II, p. 360-363 : « Θετέον ὅτι τὸ προγονικὸν ἁμάρτημα τῶν νηπίων αὐτῶν αὐτή ἐστιν ἡ παράβασις τοῦ Ἀδὰμ ἠθικῶς διαμένουσα, ἐφ' ὅσον αὐτοῖς οὐκ ἀφίεται τοῖς νηπίοις... Τὸ προγονικὸν ἁμάρτημα τοῦ Πέτρου ἀνομία ἐστὶ τοῦ Ἀδὰμ παρελθοῦσα καὶ ἠθικῶς ἐν τῷ Πέτρῳ διαμένουσα. »

2. *Op. cit.*, p. 81 : « Τὸ προπατορικὸν ἁμάρτημα στέκεται εἰς μόνην τὴν ῥοπὴν καὶ κλίσιν πρὸς τὸ κακόν, διὰ τὴν ὁποῖαν καὶ τὰ νεογέννητα βρέφη διαβάλλονται πῶς εἶναι ἀκάθαρτα... ὅτι ἐν ἀνομίαις συνελήφθησαν... ἤγουν ἐν ἁμαρτίαις καὶ ἀνομίαις τοῦ προπάτορος. » Cf. p. 31r, 84v, 85r. Syrigus nobis non dicit quomodo in renatis peccatum originale deleatur.

3. Ita Dositheus in *Confessione fidei*, c. VI, Kimmel, p. 432-433 : « κἀντεῦθεν ἀναβλύσαι τὴν προπατορικὴν ἁμαρτίαν τῇ διαδοχῇ, ὥστε μηδένα κατὰ σάρκα γεννᾶσθαι, ὃς τὸ φορτίον οὐκ ἐπιφέρει τοῦτο. » Cf. c. XVI, p. 452.

Alii quamdam animæ maculam eamdem appellant [1]. Andrutsus dicit peccatum originale sub duplici aspectu considerari posse, *negative* scilicet et *positive*. Negative sumptum, peccatum originale est privatio justitiæ originalis; positive vero consideratum, est corruptio naturæ spiritualis hominis seu τοῦ κατ'εἰκόνα. Hujusmodi autem corruptio consistit in *sensu carnali* seu concupiscentia, id est, in obtenebratione mentis necnon in jugi propensione voluntatis ad malum ex concupiscentia carnali oriente. Concupiscentia in non regeneratis est vere peccaminosa et peccatum, quatenus est manifestatio corruptionis interioris hominis. In renatis autem non imputatur ut peccatum, quia jam homo interior purificatus est per gratiam ejusque voluntas est sanctificata [2].

Mesoloras peccati originalis hanc tradit definitionem :

« Peccaminosus status naturæ nostræ quocum et in quo generamur et ob quem homo pristinis status primigenii innocentiæ perfectionibus privatus, ad malum magis, propendet et inhiat, vocatur peccatum originale. Hujus causa justæ Dei damnationi et iræ obnoxii sumus [3]. »

Peccatum originale per carnalem generationem propagari

1. Ita N. Damalas, *op. cit.*, p. 70 : « Οὗτος ὁ μολυσμὸς εἶναί τι ὅπερ μένει εἰς τὴν ψυχήν, καὶ ὅπερ μόνος ὁ Θεὸς δύναται νὰ ἀφαιρέσῃ... Καὶ τοιοῦτός τις κληρονομικὸς μολυσμὸς εἶναι ὁ ὑπὸ τὸ ὄνομα « προπατορικὸν ἁμάρτημα » μεταδιδόμενος εἰς τοὺς απογόνους τοῦ Ἀδάμ... Ὅπως λοιπὸν ἐν τῇ ὑλικῇ φύσει ἐκ ῥυπαροῦ σώματος ῥυπαρὸν γεννᾶται, οὕτω καὶ ἐν τῇ πνευματικῇ ἐκ ῥυπαροῦ καὶ ἀκαθάρτου ῥυπαρὸν καὶ ἀκάθαρτον γεννᾶται. »

2. Συμβολική, p. 180-187 : « Ἡ δὲ ἀχρείωσις τοῦ κατ' εἰκόνα... ἤτο βιαία τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως διατάραξις καὶ φθορὰ τοῦ ἔσω ἀνθρώπου, ἐκδηλουμένη ἐν τῷ σαρκικῷ φρονήματι τῷ καλουμένῳ *concupiscentia*, ἤτοι ἔνθεν μὲν ἐν τῷ σκοτισμῷ τοῦ νοός, οὐχὶ πρὸς τὸν Θεὸν ἀλλὰ πρὸς τὴν ὕλην φερομένου, ἔνθεν δὲ ἐν τῇ διηνεκεῖ πρὸς τὸ κακὸν ῥοπῇ τῆς ἀνθρωπίνης βουλήσεως... — Ἐν τῷ ἀναγεγεννημένῳ... ἡ ἐπιθυμία, ὡς μὴ προϊοῦσα ἐξ ἐφθαρμένου ἐδάφους ἀλλ' ἐν τῇ κατωτέρᾳ σφαίρᾳ τοῦ ἀνθρώπου ἐγκειμένη, οὐδαμῶς καταλογίζεται. » Cf. Δογματικήν, p. 152-162. Nota Andrutsum concupiscentiam habere ut quid naturæ humanæ contrarium.

3. *Op. cit.*, p. 170 : « Ἡ ἁμαρτωλὴ κατάστασις τῆς φύσεως ἡμῶν, μεθ' ἧς καὶ ἐν ᾗ γεννώμεθα, καὶ ἕνεκεν τῆς ὁποίας ὁ ἄνθρωπος, στερούμενος τῶν προτέρων τελειοτήτων τῆς ἀρχίκης καταστάσεως τῆς ἀθῳότητος, ῥέπει καὶ ὀργᾷ μᾶλλον πρὸς τὸ κακόν, καλεῖται προπατορικὸν ἁμάρτημα. Τούτου ἕνεκεν ὑποκείμεθα τῇ δικαίᾳ κρίσει καὶ ὀργῇ τοῦ Θεοῦ. »

omnes docent. Hujus autem propagationis duplicem causam, post Georgium Scholarium, assignat Athanasius Pariensis, semen scilicet et voluptuosam concupiscentiam, cui magnum momentum tribuere videtur [1].

VI. — De statu primigenio et peccato originali apud Russos usque ad secundum dimidium sæculi XVIII [2].

Theologi russi sæculi XVII et primi dimidii sæculi XVIII, si Theophanem Procopovitch excipias, theologiæ cathdlicæ positiones de hoc duplici capite contra Reformatorum errores propugnaverunt. *Confessionis orthodoxæ* Petri Moghilæ doctrinam jam supra exposuimus. Huic theologi Kiovienses steterunt, ut videre est tum ex eorum cursibus theologicis, qui manuscripti Kioviæ asservantur [3] tum ex opere Stephani Iovorskii inscripto *Kamen viery (Petra fidei)*. Iavorskii, in *Tractatu de bonis operibus et justificatione* [4], sententiam Lutheranorum de peccato in genere, necnon de peccato originali in specie ex professo confutat. Concupiscentia in se spectata, inquit, non est peccatum, sed aliquid naturale. In homine lapso est sequela peccati originalis. In homine regenerato peccaminosa non est, nisi cum libero voluntatis consensu conjungatur. Ut ostendat concupiscentiam non esse peccatum originale, ratiocinio utitur S. Bellarmini : In homine baptizato peccatum originale deletum est. Atqui in eo remanet concupiscentia. Ergo concupiscentia non est peccatum origi-

1. *Op. cit.*, p. 276-277. Cf. etiam Πηδάλιον, p. 507 in nota : « Ὁ ὑλικὸς τρόπος δὲ διὰ μέσου τοῦ ὁποίου τὸ προπατορικὸν αὐτὸ ἁμάρτημα μεταδίδεται, κοινῶς οἱ θεολόγοι λέγουσιν, ὅτι εἶναι ἡ ἐμπαθὴς καὶ φιλήδονος ῥύσις τοῦ σπέρματος, ἐξ οὗ συλλαμβανόμεθα. »

2. De doctrina Russorum circa peccatum originale optimam conscripsit dissertationem A. Bukowskii : *Die russisch-orthodoxe Lehre von der Erbsünde*, Œniponte, 1916, in-8°, 108 p. Primum edita est in commentario *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1916. Quædam nova afferimus.

3. Cf. Vichnevskii, *op. cit.*, p. 232 in nota. Hic auctor expresse notat Kiovienses tenere doctrinam catholicam de peccato originali. Cæterum, ut sæpe diximus, pleraque hauriebant ex *Summa theologica* sancti Thomæ.

4. *Kamen viery*, ed. Kiov., 1730, p. 891-1016.

nale [1]. De essentia vero hujus peccati idem sentire videtur atque *Confessio orthodoxa :* Peccatum originale est ipsum Adami peccatum, quod unicuique nostrum fit proprium ex nostra physica ac morali inclusione in Adamo capite nostro : Sicut, inquit, per inobedientiam Adami *vere et non per imputationem peccatores* constituti sunt multi, ita per Christi obedientiam *vere et non per imputationem* multi sunt justi [2]. Refellit etiam lutheranas theses de liberi arbitrii per peccatum originale destructione ejusque impotentia ad operandum aliquod bonum morale.

VII. — De statu primigenio hominis et peccato originali in theologia Russorum, inde ab anno 1763 ad annum 1840.

Theophanes Procopovitch, qui theologiæ dogmaticæ cursum annis 1711-1716 in Academia Kioviensi tradidit, integrum tractatum *De statu hominis integri* et tractatum imperfectum *De statu hominis corrupti*, quatuor tantum capita habentem manuscriptos reliquerat; qui nonnisi anno 1776 Semenovi Denicievi opera, Mosquæ lucem aspexerunt. Anno autem 1783, Samuel Mislavskii eos iterum vulgavit in tomo II *Christianæ orthodoxæ theologiæ* ejusdem Procopovitch. Cum autem tractatus *De statu hominis corrupti* mancus esset, editor proprio marte sed revera *ad mentem auctoris*, quæ deerant supplevit ex operibus duorum theologorum lutheranorum Germaniæ, nempe ex *Locis theologicis* Joannis Gerhard (Frankforti, 1657) et ex *Theologia didactico-polemica* Joannis Andreæ Quenstedt (Witenburgi, 1685, 1696), horum verba ipsa exscribens [3]. Usque ad annum 1763, cursus theologicus

1. Nota hoc argumentum cogens non esse. Quod enim in homine regenerato non est peccaminosum nec imputatur ad peccatum, hanc indolem bene habere potest in homine nondum regenerato. Unde sanctus Augustinus et cum eo haud pauci theologi tenent concupiscentiam aliosque peccati originalis effectus, in homine nondum regenerato, coram Deo peccati *reatum* præ se ferre, quatenus a peccato Adami proveniunt et hominem constituunt in statu contrario Dei voluntati et proposito. Adveniente vero gratia justificationis, concupiscentia *transit reatu*, quamvis maneat *effectu*.

2. *Op. cit.*, p. 984-990, 1011.

3. Cf. t. I hujus operis, p. 588-589.

Theophanis in theologos russos parvum influxum habuit; quem ut erroribus scatentem communiter rejiciebant, et cui opponebant doctrinam vere orthodoxam *Petræ fidei* Stephanis Iavorskii [1]. Inde vero ab anno 1763, et præsertim post editionem haud paucis auctam a Mislavskii factam, cursus hujusmodi unicus fere fons exstitit, ex quo auctores compendiorum classicorum ad usum seminariorum et academiarum suam doctrinam hauserunt, verba magistri ad litteram haud raro exscribentes. Hoc autem fecerunt approbante ac commendante ipsa Synodo Dirigente. Unde, ut alibi diximus, per integrum fere sæculum, nempe usque ad reformationem Protasovi, theologia russica lutheranizavit.

Lutheranus color in doctrina de statu primigenio hominis necnon de peccato originali potissimum claret. Ad statum primigenium quod attinet, quædam jam supra attulimus, ubi definitionem imaginis Dei in homine juxta Procopovitch transcripsimus. Definitio hujusmodi totam ejus de hoc capite doctrinam revera comprehendit. Porro, dum theologi russi recentiores, ut mox dicetur, ad minuendam Adami innocentis perfectionem intellectualem ac moralem propensionem habent, Procopovitch, e contra, mirum in modum illam extollit; quam non ut supernaturalem vel præternaturalem, sed ut *connaturalem* omnino habet post Protestantes, Baium et Jansenistas :

« Quantum ad intellectum, Adamum fuisse longe sapientissimum patet luculenter ex eo quod animalibus singulis nomina imposuerit, idque ex mandato ipsius Dei. Quod attinet alteram animæ partem, hoc est voluntatem, illam fuisse justissimam patet ex multis Scripturæ locis... Quod vero voluntas primi hominis fuerit liberrima, patet ex iisdem. Non fuisse enim hominem ullis cupiditatibus, ullis rationi rebellibus affectionibus (et quidquid nomine *concupiscentiæ* comprehenditur) infectum, ex hoc ipso constat, quod *rectus* a Deo factus esse dicitur [2]...

1. Cf. Cistovitch, *Theophan Procopovitch i ego vremiia (Theophanes Procopovitch et ejus ævum)*, Petropoli, 1868, p. 18. Bukowski, *op. cit.*, p. 26-31.
2. *Op. cit.*, t. II, p. 188 sq.

« Aiunt aliqui justitiam primævam Adamo non fuisse connaturalem, hac non una, nec semel et simul creatum et justum factum eum fuisse; seu, ut clarius alii loqui volunt, *justitiam illam non ex naturæ principiis fluxisse*, verum ex supernaturali Dei auxilio manavisse, atque ita homini fuisse superadditam, ut homo per se et in natura, qualis ei per creationem obtigit, spectatus, habuerit pugnam carnis et rationis; sed eam sopiebat adventitia Dei facultas... Nos asserimus primi hominis tam bene constitutam naturam fuisse, ut et mente Deum cognoverit, et quod colendus ille sit, sciverit, et voluntatem rationi consentientem habuerit, nec ullam in membris suis pugnam senserit, sed sponte in bonum proclivis fuit, idque non ex superveniente aliquo auxilio, sed ex ipsius subjecti, mentis, inquam, et voluntatis, animi quoque et corporis perfectione summaque harmonia. Non negamus interim vel addita vel addenda fuisse ampliora divina charismata, ad qualia scilicet natura, etiam quam optime constituta, eniti non potuit [1]... Si justitia originalis non esset homini connaturalis, sed superveniens, sequeretur concupiscentiam carnis futuram fuisse naturalem, ac proinde bonam et a Deo. Sed hoc Scriptura negat (I Joh., II, 16). Et in aliis locis, concupiscentia dicitur peccatum et malum. Excipiunt aliqui concupiscentiam futuram fuisse non peccatum, sed defectum et morbum naturæ, nec qua talis esset a Deo, quia præter intentionem ejus esset. Respondemus : Absurda dicta. Cur enim nunc quidem peccatum est concupiscentia, et tunc non esset nisi morbus naturalis? Deinde inique, ne dicam impie, in opere divino ponunt defectum et morbum. Denique, quomodo id præter intentionem esse Creatoris asseritur, quod est creaturæ proprium et naturale, nisi simul hic asseritur error Dei in opere... Licet non possimus clare percipere quomodo peccando homo *physicas suas dotes corruperit*, certum

1. Vides Theophanem non negare Adamum elevatum fuisse, vel potius elevatum iri ad statum supernaturalem, sed docere illud quod vocat *justitia originalis*, scilicet illud quod vocamus *dona præternaturalia* ac præsertim immunitatem a concupiscentia, Adamum accepisse in ipsa creatione — quod nemo Catholicorum unquam negavit — et hanc justitiam originalem fuisse aliquid *connaturale* ex principiis naturæ fluens : quod a doctrina catholica alienum est.

tamen experientia est etiam nunc in homine per malas actiones fieri mutationem... Inde est quod consuetudo dicatur altera natura... Primigenia autem labes illa potuit singulariter esse virulenta vel nimia appetitus intentione, vel alio modo nobis ignoto, atque ita naturæ, qua in animo, qua in corpore harmoniam perturbare [1]. »

Sicut Protestantes, Theophanes insistit in fœdere quod inter Deum et Adamum fuerit, quod vocat *fœdus operum*. Vi hujus fœderis, Adamus erat *caput morale* totius generis humani, et quamvis nihil revera *mereri* potuisset, ex gratia Deus præmium aliquod seu majorem felicitatis gradum ei collaturus fuisset. Per legis transgressionem fœdus illud operum abrogatum est; cui successit fœdus gratiæ.

Non minus lutheranismum et calvinismum redolent ea omnia quæ in *Tractatu hominis corrupti* occurrunt, ut ex his paucis locis patebit. Peccatum originale ita definitur :

« Peccatum originale nihil aliud est quam a peccato Adami in omnes ejus posteros derivata et propagata justitiæ originalis privatio et *habitus quidam infusus continuo transgrediendi legem divinam, totum hominem et omnes vires ejus occupans. Itaque non in solo reatu seu obligatione ad pœnam propter Adamum nobis imputata, sed etiam in qualitate vitiosa positiva ratio originalis peccati consistit* [2]. »

Hic habitus malus, hæc qualitas vitiosa est ipsa *concupiscentia mala*, quæ tripliciter sumitur : « 1° pro ipsa *actualiter* inhærente concupiscentia, qualis est post lapsum; 2° pro primis ejus motibus et actibus, quibus nondum accedit plenus consensus; 3° pro malis concupiscentiæ fructibus, quos per consensum rationis parit [3]. » Atqui sub hoc triplici respectu, et non tantum sub tertio, concupiscentia est *verum peccatum*, utriusque mortis, corporalis et spiritualis, dignum « non solum in irregenitis, sed etiam in ipsis renatis, in se videlicet, et quoad naturam suam, citra respectum ad misericordiam Dei spectata... Quod probatur ex epistola ad Romanos, c. VII, ubi propria sedes est hujus doctrinæ. Ibi enim concu-

1. *Ibid.*, p. 213-214, 217-218.
2. *Ibid.*, p. 458.
3. P. 466.

piscentia, etiam prout in renatis reliqua est, ab Apostolo decies quater vocatur peccatum, idque non per aliquam metonymiam, quod ex peccato sit, aut peccatum efficiat, sed *proprie et formaliter*, tum quia nulla necessitas nos cogit, ut a propria vocabuli significatione recedamus, tum quia in propria hujus articuli sede id fit, tum denique quia appellatur non bonum, sed malum odio dignum, crucifigendum et mortificandum [1]. »

Exinde sequitur 1° ad rationem peccati in genere non requiri necessario voluntarium [2]; 2° non esse differentiam essentialem inter peccata *ratione materiæ*, sed omnia, etiam minima, esse ex se mortalia et quæ æternam mereantur damnationem [3]; 3° peccata in genere, et peccatum originale in specie non revera deleri per baptismum et justificationem, sed tantummodo ob Christi merita velari et non imputari [4]; 4° Etiam in sanctis inveniri peccata, quæ per se et ex se digna sint perenni supplicio [5]. Omnes has consequentias expresse docent Procopovitch et Mislavskii. Docent etiam, post theologos lutheranos sæculi XVII, liberum hominis arbitrium ex toto corruptum fuisse ac periisse, quod attinet ad bonum salutare operandum; illud vero remansisse, etsi imperfecto modo, ad actiones terrenas, carnales et *civiliter tantum bonas* perficiendas [6]. Has omnes theses multo argumentorum appa-

1. *Op. cit.*, p. 467.
2. *Ibid.*, p. 265, 294.
3. « Peccatum quodvis, licet ratione materiæ suæ videatur esse minimum et non proprie voluntarium, tale tantum ac tantum est, ut hominem æternæ condemnationis reum faceret, si Deus contra ipsum ageret rigore suæ justitiæ... Omnia universim peccata damnant hominem in æternum, in specie etiam minima. » *Ibid.*, p. 294.
4. « Christus tollit peccata non ea radicitus evellendo et totaliter exstirpando, sed pro eis plenissime satisfaciendo, renatis ea non imputando, dominium illis auferendo et in altero sæculo penitus destruendo. » *Ibid.*, p. 477. Cf. p. 294.
5. « Sanctissimis quoque confessionem et veniæ petitionem esse necessariam, et in sanctis etiam, dum sancti sunt, peccata esse quæ per se et ex se digna sunt perenni supplicio... Non diligit Deus renatos, quia sunt omnino puri, sed propter Christum dilectum, quem induerunt, in quo remissa sunt peccata. » *Ibid.*, p. 294, 480.
6. « Inter actiones, aliæ sunt *spirituales*, *cælestes*, *salutares*, quæ proprie spectant ad cultum Dei, sinceram religionem æternamque anima-

ratu contra doctores catholicos, ac præsertim contra sanctum Bellarminum propugnant.

Si unum vel duos auctores hujus periodi excipias, qui parvum vel nullum influxum publicum habuerunt [1], præcipui auctores compendiorum classicorum supra dictas theses lutheranas ex opere Theophanis hauserunt et eisdem fere verbis tradiderunt, approbante vel etiam expresse commendante Synodo Dirigente. Ita Theophylactus Gorskii [2], Sylvester Lebedinskii [1], Irenæus Falkovskii [2], Plato Levkhin, metropolita Mosquensis, saltem ex parte [3], Philaretus Drozdov junior, qui anno 1811, in *Opusculo de differentiis inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem* hæc ponebat :

« *Circa statum corruptum hominis.* [Ecclesia orientalis docet] : Homo in statu naturali corrupto libertatem habet ad eligendum bonum naturale, civile, morale; sed ad actiones spirituales et salutares liberum arbitrium et vires non habet : *Cogitatio hominis in malum prona est ab adolescentia sua* (Gen., VIII, 21). — *Qui facit peccatum servus est peccati*

rum salutem...; aliæ autem *carnales* (voce *carnis* pro toto homine corrupto accepta), *terrenæ, non salutares*, quæ Deum non respiciunt, sed proprium commodum; eæque sunt aliæ *naturales*, quales sunt : stare, sedere, dormire, edere, bibere et cætera..., aliæ *morales*, eæque œconomicam vel civilem conversationem respicientes... quales sunt : emere, jus dicere, militare, opificia exercere... In actionibus terrenis, carnalibus et civiliter tantum bonis arbitrio humano constat sua libertas. » *Ibid.*, p. 366-368.

1. Ita Macarius Petrovitch († 1766) in suo cursu elementari (cf. t. I hujus operis, p. 593) doctrinæ *Confessionis orthodoxæ* adhæret, peccatum originale describens ut privationem justitiæ originalis propter transgressionem Adami, in quo omnes nos peccavimus, quatenus ipse erat caput physicum et etiam morale (ex pacto Dei explicito) totius generis humani. Expresse negat peccatum originale consistere in concupiscentia, quæ in se spectata non est peccatum sed quid naturale. Cf. ejus *Theologiam dogmaticam* in *Collectione omnium operum* auctoris *(Sobranie vsiek socinenii)*, t. I, ed. Mosq., 1798, p. 64-71. Item, Methodius Smirnov († 1815), qui in quodam opusculo : *De differentiis inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem* anno 1811 composito, nullam notat discrepantiam inter utramque Ecclesiam circa statum primigenium hominis et peccatum originale. Opusculum editum habes in *Tchteniia imperialis Societatis historiæ et antiquitatum apud universitatem Mosquensem*, t. I, 1870, p. 27-30.

2. *Op. cit.*, ed. 1818, p. 147-173. Hanc peccati originalis tradit definitionem : « Denotat autem peccatum illud originale tum defectum seu absentiam imaginis divinæ sive justitiæ originalis (Ps., XIII, 3; Ps., LII, 4; Rom., III, 10), unde alienati sunt a vita, quæ ex Deo est (Eph., IV, 18) et in peccatis mortui (Eph., II, 1; Col., II, 13), tum totius naturæ humanæ intimam corruptionem et ad prava quævis inclinationem (Gen., VI, 5; Matth., XV, 19; Rom., VII, 17) per motus concupiscentiæ pravæ et varia peccata actualia sese exserentem (Gal., V, 16, 17). Ex summa autem mentis, speciatim voluntatis, ad mala quævis propensione, hoc provenit quod omnes cogitationes omnesque motus mentis mali sint. » *Op. cit.*, p. 161. Paulo superius, p. 160, scripsit : « Adamus, dum lapsus est, ut caput fœderale omnium hominum spectatur, et hac ratione, dum omnes homines cum ipso lapsi censentur, nihil quoque obstat quominus peccatum quoque ejus omnibus imputari dicatur. » Compendium Gorskii ultimo editum est Mosquæ anno 1831.

1. *Op. cit.*, ed. Mosq., 1805, p. 227-261. Ipsa Theophanis verba Lebedinskii plerumque refert. Sic., v. g., peccatum originale definit, p. 229 : « Est privatio justitiæ originalis a peccato Adami in omnes ejus posteros derivata et propagata, seu *habitus quidam infusus continuo transgrediendi legem divinam, totum hominem et omnes ejus vires occupans.* »

2. *Christianæ orthodoxæ dogmatico-polemicæ theologiæ olim a clarissimo viro Theophane Procopovitch ejusque continuatoribus adornatæ compendium*, Mosquæ, 1802, 1810; Petropoli, 1827. Cf. t. I, p. 596. Falkovskii doctrinam Theophanis fideliter retinet. Dicit, v. g. : « Quodlibet peccatum, etiam veniale et non proprie voluntarium, sufficit per se ad hominem in æternum condemnandum. — Liberum arbitrium in statu hominis corrupti quoad carnales et civiliter tantum bonas actiones manet integrum; quoad spirituales autem et salutares penitus est amissum. » P. 260 et 278, ed. Mosq., 1810.

3. *Pravoslavnoe ucenie ili sokrachtchevnaia khristianskaia bogosloviia (Orthodoxa doctrina seu christiana theologia in compendio)*, ed. 1, Petropoli, 1765. Opus Platonis, anno 1765 scriptum, antequam scilicet influxus theologiæ Theophanis prævalens in Russia evaderet, crudum lutheranismum non refert. Nimis tamen exaggerat corruptionem naturæ per peccatum originale : « Homo, inquit, eo usque debilitatus ac corruptus fuit, ut non solum propria virtute Deo servire non possit, sed e contrario coram sanctis ejus oculis apparet impurus et quotidianus transgressor legis ejus... Homo lapsus non potest quidquam boni facere sine gratia revelationis... Quilibet homo omni hora peccat opere, verbo et cogitatione... Remansit in primo homine quædam scintilla primigenii luminis et inclinatio ad bonum non fuit penitus exstincta; sed progrediente tempore malum magis ac magis increvit. » I p., § 15-16; II p., § 16-18, ed. Mosq., 1773, p. 15, 38-40. Statum primigenium hominis satis bene describit, sed ut aliquid prorsus naturale illum videtur habere, nec ullum verbum habet de gratia supernaturali nisi illam detegere velis in *illa clarissima contemplatione Dei perfectissimi, de qua alicubi loquitur.* » Ed. Mosq., 1773, p. 34.

(Joh., VIII, 34). Lex homini proposita est, ut per eam cognosceret suam imbecillitatem et gratiæ Dei seipsum omnino traderet.

« Mala concupiscentia, *seu primus voluntatis motus in peccatum, est peccatum, quod iram Dei meretur.* In capite VII epistolæ ad Romanos, quod de hac materia tractat, mala concupiscentia pluries vocatur peccatum, et inter alia ibi ostenditur hanc concupiscentiam vetitam fuisse per legem : *Ne concupisces.* Mala concupiscentia, quæ jam et ipsa est peccatum, actuale peccatum generat. Sententia huic doctrinæ contradicens christianis moribus nequaquam favet [1]. »

In variis sui *Catechismi majoris* editionibus, idem Philaretus lutheranis sententiis valedicere et ad doctrinam catholicam prope accedere videtur. Nimis sane vaga sunt quæ de statu primigenio hominis habet. Dicit tamen Adamum *creatum fuisse in justitia et sanctitate veritatis* (Eph., IV, 24), ejusque animam fuisse *in statu communionis gratiosæ cum Deo et spiritualis contemplationis creaturarum ;* quem statum vocat *spiritualem animæ paradisum* [2]. His verbis includi *ipsam gratiam sanctificantem* colligere est ex iis quæ idem auctor profert de sequelis peccati originalis : « Ex peccati Adami, inquit, provenerunt maledictio et mors tum corporalis, tum spiritualis. Porro mors spiritualis *consistit in privatione gratiæ Dei, quæ superiori vita spirituali illam vivificat* [3]. Ad peccatum autem originale quod attinet, vides illum docere hoc peccatum animæ inferre mortem spiritualem. Porro ad quæstionem : *Quare non soli primi homines mortui sunt, sed etiam omnes moriuntur?*, sic respondet :

« Quia omnes generati sunt ex Adamo infecto peccato, et quia ipsi peccant. Sicut ex fonte polluto naturaliter dimanat rivus pollutus, ita ex capite generis peccato contaminato, et ideo mortali, naturaliter procedit proles contaminata peccato, et ideo mortalis, sicut Scriptura dicit : *Per unum hominem peccatum in mundum intravit et per peccatum mors, et ita in*

1. *Mnienie o raznosti tserkvei (Sententia de differentiis inter Ecclesias)*, in *Tchteniia Soc. imper. hist. et antiquitatum apud univ. Mosquensem, loc. cit.*, p. 38-39.
2. I p., *ad art.* II *Symboli.*
3. *Ibid., ad art.* III *Symboli.*

omnes homines mors pertransiit, IN QUO (vel QUIA) *omnes peccaverunt* [1]. »

Comparatio ex fonte polluto sumpta utique nimis premenda non est; ex qua quis inferre possit Philaretum adhuc retinere conceptum Procopovitch *de habitu infuso transgrediendi continuo legem divinam.*

VIII. — Doctrina theologorum russorum recentiorum de statu primigenio hominis necnon de peccato originali.

A. *Doctrina de statu primigenio* [2]. — Inde ab anno 1840, Protasovo, summo procuratore synodi, jubente, theologi russi sententiis lutheranis de statu primigenio et peccato originali, *saltem ex parte*, valedixerunt, et doctrinam Confessionibus fidei sæculi XVII magis consonam tradere inceperunt, præsertim in novis compendiis classicis theologiæ dogmaticæ. Hæc autem cum dictis Confessionibus conformitas non una et eadem est apud omnes. Apud quosdam inter præcipuos, est quasi perfecta; apud plerosque vero est satis distans ac remota. Multi enim quasi viam mediam inter Protestantes et Catholicos tenere de industria quærunt, quam

1. Notandum est in duabus primis editionibus Catechismi (an. 1823 et 1827) comparationem ex fonte polluto non occurrere, additam vero fuisse in editione tertia (1838). Præterea, in prima editione, verba græca textus apostolici : ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, slavice reddebantur per adverbium *po eliku (quia) ;* in cujus locum, in editionibus subsequentibus, posita est dictio : *v nemge*, quæ est sensus ambigui, sicut ipsa dictio græca : ἐφ' ᾧ (= *in quo*, vel : *eo quod*).
2. Cf. G.-B. Matulewicz, *Doctrina Russorum de statu justitiæ originalis*, Cracoviæ, 1903. Auctor non loquitur nisi de doctrina Russorum recentiorum, et quidem modo valde confuso et obscuro. Nimis miratur quod theologi russi non habeant certas nostrorum theologorum divisiones et definitiones. Illos sæpe considerat per modum unius, quasi omnes eamdem de omnibus haberent communem doctrinam; quod revera non est. Eadem inutiliter sæpe repetit, ita ut veram Russorum mentem potius obscuret quam explicet. Multa in sinistram partem accipit, quæ ad sensum catholicum reduci possunt; quod inde potissimum provenit, quod ad doctrinam Russorum de gratia non attenderit. Russi enim recentiores, quamvis non negent finem hominis supernaturalem, de industria omittunt divisiones gratiæ apud nostros Scholasticos usurpatas, nec distinguere volunt inter gratiam actualem et gratiam habitualem. Ad statum indeterminationis periodi patristicæ redierunt.

veram Orthodoxiæ viam esse contendunt. Inde fit, ut quasdam sententias novas protulerint.

Porro eorum positio triplici ratione explicari potest. Primum quidem, apud eos remanent certa theologiæ protestanticæ vestigia tum in concipiendo statu primigenio, tum in explicanda natura peccati originalis, tum præsertim in exponenda doctrina catholica, quam plerique perperam referunt. Secundo, theologiam scholasticam abhorrent et ab omni ejus influxu se immunes servant, præsertim quantum ad distinctiones et certas definitiones circa supernaturale, præternaturale et naturale. Tertio, cum in hac periodo ad studia biblica et patristica totos se converterint, ad theologiæ patristicæ indeterminationes et ambiguitates redierunt, quas certis Scholasticorum nostrorum definitionibus anteponunt.

Ad statum primigenium hominis quod attinet, Antonius Amphiteatrov et Macarius Bulgakov antiquam sæculi XVII orthodoxiam, doctrinæ catholicæ omnino vicinam, bene repræsentant; quorum vestigiis quidam alii adhæserunt. Hi Adamum in statu gratiæ fuisse creatum, virtutibus infusis et donis aliis eximiis statim ab initio ornatum fuisse docent, nec ullum contra Catholicos verbum proferunt. Cæterum, in lege progressus, cui primus homo subdebatur, insistunt : debebat siquidem homo ad summam perfectionem pertingere, vires tum naturales, tum a Deo supernaturaliter concessas libere exserendo [1].

1. Antonius Amphiteatrov, *op. cit.*, § 118-129, ed. græc., p. 166-178, expresse docet hominem creatum fuisse ad consequendum divinæ naturæ consortium, κοινωνίαν τῆς θείας οὐσίας (p. 173); ejus primum statum fuisse non solum perfectæ puritatis et integritatis, sed etiam gratiæ, ὥστε ἡ πρωτόγονος κατάστασις τοῦ ἀνθρώπου ἦν οὐ μόνον καθαρὰ καὶ ἀβλαβής, ἀλλὰ καὶ κεχαριτωμένη (p. 176); non solum innocentiæ et sanctitatis negativæ, sed etiam sanctitatis positivæ cum *virtutibus infusis* : « Ἡ τέλησις τῶν πρώτων ἀνθρώπων... οὐ μόνον ἦν εὐθεῖα καὶ ἁγνὴ ἤτοι ἀμόλυντος..., ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἐγκρατὴς ἦν θεοδωρήτων τελειοτήτων, οἷα εἰσὶν ἡ καθαρὰ καὶ ἁγία ἀγάπη πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τὸν πλησίον, πιστότης, πραότης, κτλ. » Item ejus scientia, quamvis nondum perfecta, erat tamen magna; siquidem Deus erat ipse Adami præceptor : « καὶ ἡ γνῶσις αὐτῶν, ἐν τῷ φωτὶ τοῦ προσώπου τοῦ Θεοῦ, ἦν μεγάλη, διότι αὐτοὺς ἐδίδασκεν αὐτὸς ὁ Θεός. »

Eadem fere invenies apud Macarium, *op. cit.*, p. 465-478, qui ad q. XXIII *Confessionis orthodoxæ* provocat, ubi sermo est de *justitia infusa* (cf. supra, p. 517). Secundum Macarium, p. 468, 478, Deus primis parentibus ab initio contulit suam gratiam, quæ in eis continuo *habitabat*, quasi quoddam cælesti vestimento illos induens, per *quam jugem cum Deo societatem servabant.*

Cum Antonii et Macarii doctrina mire pugnat conceptus Philareti Gumilevskii, qui pronuntiat justitiam originalem Adami fuisse prorsus *naturalem*, non vero *Dei donum ;* eum fuisse creatum in rectitudine naturali, sed absque ullis virtutibus infusis; in innocentia et sanctitate mere negativa necnon in scientia valde imperfecta; eum primum fuisse mere *animalem* (ψυχικός), id est in statu naturali; qui postea, gratiæ Dei auxilio et virium naturalium exercitio, *spiritualis* fieri debebat. Immunitas a concupiscentia necnon corporalis impassibilitas et immortalitas habentur a Philareto ut quid naturale [1]. Cum vero non distinguat inter naturam quam vocant *historicam*, et *naturam puram* prout a theologis catholicis definitur, haud facile dictu est in quonam sensu appositum *naturale* accipiat. Idem dicendum est de multis aliis Russis recentioribus, qui Philareti conceptum amplexi sunt, *saltem in præcipuis.* Communis enim inter recentiores evasit hæc de statu primigenio doctrina. Illam invenies aliquatenus mutatam, vel cum conceptu Macarii ex parte mixtam apud Sylvestrum Malevanskii [2], Malinovskii [3], A. Rogdestvenskii [4] et alios inferioris notæ theologos vel polemicorum compendiorum auctores, qui a Sylvestro maxime pendent. Hi omnes, ut ea suppleant quæ perfectioni primævæ Adami detrahunt,

1. *Op. cit.*, t. I, p. 196-198. Philaretus ab errore Baii ægre excusari potest.

2. *Op. cit.*, t. III, p. 402-426. Sylvester eodem fere modo loquitur ac Philaretus, in imperfectione Adami insistens et *Confessionis orthodoxæ* dicta attenuans. Ubi vero de Protestantium doctrina tractat, illis exprobrat quod teneant Adami sanctitatem fuisse quid *naturale*, non vero *donum supernaturale* (p. 416). Item, in tractatu de peccato originali, p. 495, dicit Deum Adamo, ob illius transgressionem, illam *copiosam gratiam supernaturalem* abstulisse, quam ei a principio contulerat. Vides illum in hoc a Philareto omnino discrepare. Sed hoc tacet ubi de statu primigenio sermonem facit.

3. *Op. cit.*, t. I, p. 345-353.

4. *Ucenie zapadnykh vieroispoviedanii o pervorodnom griekhê (Doctrina Confessionum occidentalium de peccato originali)* in commentario *Trudy Acad. Kioviensis*, t. II, 1909, p. 23-25.

pædagogi et præceptoris partes erga illum Deo tribuunt, de quibus nostri theologi vix loquuntur [1].

Alii, ut Innocentius Borisov († 1857), archiepiscopus Chersonensis, et P. Svietlov, ulterius progressi sunt, docentes Adami statum primitivum fuisse prorsus puerilem tum quoad corpus, tum quoad intellectum et voluntatem [2]. Hanc miram opinionem, ex quibusdam antiquis renovatam [3], alii expresse rejiciunt [4].

Doctrinam autem S. Joannis Damasceni et aliorum Byzantinorum de origine sexuum necnon perfecta incorruptione corporali et gloriosa immortalitate primorum parentum, quam adhuc superstitem apud quosdam Græcos invenimus [5], omnino ignorant, vel etiam disertis verbis repellunt, omnes Russi hujus ultimæ ætatis; qui sententiæ communi Occidentalium unanimiter suffragantur. Ad immortalitatem corporalem quod spectat, plerique cum Augustino protoplastis concedunt illud *posse non mori*, nequaquam vero *non posse mori*, dicuntque illis cibum necessarium fuisse ad mortem et senilitatem repellendam [6].

Demum plerique, inde a Philareto Gumilevskii [7], ac potissimum post editionem dissertationis N. A. Bieliævi inscriptæ : *Pelaghianskii printzip v Rimskom katolicestvie (Pelagianum principium in Romano catholicismo)* [8], Ecclesiæ catholicæ

1. Cf. Matulewicz, *op. cit.*, p. 142-167.
2. Cf. Svietlov, *Opyt apologheticeskago izlogeniia prav. khrist. Vieroucenia*, t. II, ed. 2, Kioviæ, 1898, p. 50-58; Innocentius, in *Sbornik lectionum professorum Academiæ Kioviensis*, Kioviæ, 1869. Ut protoplastorum peccatum explicet, Svietlov dicit hujusmodi peccatum non tam in ipsa præcepti divini transgressione quam in *obstinatione* in ipso peccato constitisse, eo quod resipiscere noluerint. Cf. Matulewicz, *op. cit.*, p. 104-105, 130-133, 149-150 in nota.
3. Theophilus Antiochenus, Irenæus, quidam alii de statu infantili Adami revera loquuntur; quod alii aliter explicant. Cf. A. Slomkovskii, *op. cit.*, p. 27-30, 36-40.
4. Ita Antonius, *op. cit.*, p. 177-178; Malinovskii, p. 346.
5. Cf. p. 518.
6. Ita Ph. Gumilevskii, p. 199; Macarius, p. 471-472; S. Malevanskii, t. III, p. 291 sq.; Malinovskii, p. 346, 368.
7. Philaretus, p. 198, multos Papistas (sic) reprehendit quod doceant justitiam originalem fuisse *gratiæ donum*.
8. In commentario *Pravoslavnyi Sobiesiednik*, t. I, 1871, p. 84-120.

exprobrare solent quod doceat, post sanctum Anselmum et Scotum : 1° Adamum fuisse primum in *statu naturæ puræ* creatum, in quo statu concupiscentiæ carnalis motus inordinatos expertus fuerit; 2° Ei postea a Deo superadditam fuisse quasi *mechanice et ab extrinseco justitiam originalem*, quæ cum ipsa hominis natura nexum omnino intimum ac physicum non habuerit; 3° concupiscentiam esse *naturalem*, non contra naturam, et immunitatem a concupiscentia esse donum Dei gratuitum et supernaturale; 4° peccatum originale nihil aliud esse quam *privationem justitiæ originalis*, ita ut homo, post lapsum, in eodem inveniatur statu in quo primum creatus fuerit, id est, in *statu naturæ puræ*, nec natura humana ex peccato originali revera corrupta fuerit et vulnerata. Unde, aiunt, Ecclesia catholica ab Augustini doctrina deflexit et in quamdam pelagianismi vel semipelagianismi formam incidit [1].

Vides quot errores, quot ambiguitates in hujusmodi criminationibus lateant. *Naturam puram* pro *natura integra* sumpserunt. Justitiæ originalis diversam notionem et definitionem apud diversos theologos scholasticos non cognoverunt, quorum opera revera aut non legerunt, aut non intellexerunt [2]. Cæterum, quidam ex ipsis errorem Baii, saltem quod attinet ad immunitatem a concupiscentia, tenere videntur, docentes concupiscentiam esse quid malum naturæ humanæ omnino repugnans, quod Deus in nullo casu in homine a se creato relinquere potuisset [3].

1. Cf. S. Malevanskii, *op.* et *loc. cit.*, p. 415-426; Malinovskii, p. 352-354; L. Pisarev, *Ucenie blag. Avgustina o celoviekie v ego otnocenii k Bogu (Doctrina beati Augustini, episcopi Hipponensis, de homine quatenus refertur ad Deum)*, Kazanii, 1894, p. 84 sq.; Perov, *Rukovodstvo k oblicitelnomu bogosloviiu (Enchiridion theologiæ polemicæ)*, ed. 6, Tulæ, 1905, p. 41-45, etc.
2. Cf. Bukowskii, *op. cit.*, p. 55-66, qui errores Malevanskii clare manifestat, et quid revera docuerint Anselmus, Thomas, Scotus luculente exponit. Cæterum theologi russi aliquam excusationem habent quod circa theologorum catholicorum opiniones erraverint, cum adhuc inter nostros lis sit de vera mente S. Anselmi, vel S. Thomæ.
3. Nota tamen apud hos Russos vocem *concupiscentia* non clare definiri nec unam eamdemque significationem semper habere. Plerique illam intelligere videntur de *propensione positiva* voluntatis ad malum operandum; quæ, si in hoc sensu sumatur, utique non est naturalis.

B. *De existentia et sequelis peccati originalis.* — Existentiam originalis peccati in Adæ posteris Russi recentiores probant non solum argumentis positivis ex Revelationis fontibus desumptis, sed etiam ratione et experientia. In experientia, ad quam olim provocabat sanctus Augustinus, haud parum insistunt, dicentes præsentem hominis statum tam miserabilem et abnormem aliter explicari non posse quam per istud dogma christianæ religionis [1]. Et hæc quidem eorum agendi ratio ex ipsorum communi doctrina de sequelis peccati originalis omnino logice fluit. Harum sequelarum vel effectuum enumeratio, in qua non tacetur privatio gratiæ divinæ, eadem fere est apud illos, quæ apud nostros; at vero in effectibus hujusmodi explicandis a communiori inter theologos catholicos sententia expresse recedunt. Tenent siquidem peccatum originale non solum spoliasse hominem donis Dei gratuitis seu justitia originali, sed etiam *revera vulnerasse naturam humanam in se spectatam*, ita ut iis theologis catholicis annumerandi sint, qui olim docuerunt vel adhuc docent hominem lapsum ab homine in puris naturalibus constituto differre *sicut ægrotus differt a sano.* Quanquam hac formula suam doctrinam non declarant, hæc tamen eorum communi sententiæ plane respondet.

Etenim omnes docent voluntatem hominis ex peccato originali *magis inclinari ad malum quam ad bonum ;* hanc ad malum propensionem esse quid vere *positivum,* immo *aliquod principium vivum ad malum vehementer attrahens* [2] ; ex eodem peccato mentem humanam valde obscuratam fuisse,

1. Macarius, p. 502-507; Antonius, § 146, p. 192, qui post Augustinum lapsus originalis indicia in ipsis infantibus notat; Ph. Gumilevskii, p. 220-222; Malinovskii, p. 379.

2. Macarius, p. 494, qui notat hanc ad malum inclinationem remanere post baptismum, peccato originali jam sublato; Antonius, § 143, 147, p. 188-190, 193-194 : « ἔστι θετικὴ ῥοπὴ πρὸς τό κακὸν καὶ πραγματικὴ κακὴ ἐν ἡμῖν ἀρχή », p. 194, P. Gumilevski p. 217-218; S. Malevanskii, p. 464-465, 483-485; Malinovskii, p. 374 : « Peccatum originale est peccatum habituale in quo nascuntur omnes Adæ posteri, id est corruptio peccaminosa ab eo hæreditate accepta et depravatio naturæ, in qua habitat vitiositas ut quoddam vivum principium ad peccata actualia vehementer nos alliciens una cum reatu seu condemnatione illius in Adamo. »

præsertim quoad Dei cognitionem, cor vero et appetitum sensibilem ad vitia quæque pronum evasisse; uno verbo, totam hominis naturam *positive* corruptam fuisse [1]. Vitant tamen extrema Lutheranorum et Calvinistarum, tenentque, post Confessiones fidei sæculi XVII, imaginem divinam in homine non fuisse penitus destructam ac corruptam, sed adulteratam tantum ac læsam; hominem lapsum non amisisse liberum arbitrium et operum moraliter bonorum adhuc esse capacem [2]. Sed acriter invehuntur in sententiam eorum qui post sanctum Bellarminum dicunt :

« Non magis differt status hominis post lapsum a statu in puris naturalibus quam differt spoliatus a nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia et infirmitate laborat, quam esset et laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus malæ qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxit [3]. »

Hanc sententiam, quam ut communem ac publicam Ecclesiæ catholicæ doctrinam plerique habent, cujus, secundum quosdam, Anselmus et Scotus primi patroni fuerint [4], tanquam pelagianismum redolentem omnino repellunt ac condemnant [5]. Vidimus supra theologos græcos recentiores idem omnino tenere de peccati originalis effectibus, eamdemque in theologos catholicos proferre criminationem, nempe quod hujusmodi peccatum describant tanquam meram justitiæ originalis privationem [6].

C. *De essentia peccati originalis.* — De natura peccati

1. Macarius, p. 488-494; Antonius, *loc. cit.* ; S. Malevanskii, *op. cit.*, p. 427-433 : Peccatum, de quo loquitur Apostolus, Rom., v, est quoddam principium vivum peccaminosum, qui vivit in carne seu in illa animæ parte, quæ corpori magis affinis est corporique innititur, usque ad separationem animæ et corporis; Malinovskii, p. 361-373; Burgov, *op. cit.*, p. 112.

2. Macarius, p. 494; Antonius, p. 189, 193; Philaretus Gumilevskii, p. 218; Malinovskii, p. 365, etc.

3. *De gratia primi hominis*, c. v.; cf., Cajetanum, *In I-II*, q. CIX, a. 2.

4. Ita S. Malevanskii, *op. cit.*, p. 415-426 et multi alii.

5. S. Malevanskii, p. 463-465; S. Malinovskii, p. 385-386; alii multi.

6. Cf. supra, p. 521.

originalis non unum et eumdem sibi effingunt conceptum. Plerique clare distinguunt inter peccatum ipsum et ejus sequelas. Peccatum ipsum seu *reatum culpæ* concipiunt ut *quemdam statum peccaminosum, peccaminositatem* (russice : *griekhovnost*), quæ nihil aliud est quam ipsa *culpabilitas* naturæ humanæ in Adamo ob mandati transgressionem, nobis una cum natura humana per generationem transmissam et unicuique nostrum inhærentem non quidem ut *peccatum actuale*, sed ut *peccatum habituale*, vel, ut quidam dicunt, ut *quoddam debitum*. Aliis verbis, peccatum originale est ipsum Adami peccatum consideratum ut nobis *habitualiter* inhærens ratione naturæ ab Adamo acceptæ. In Adamo transgressio fuit *actualis ;* in nobis est *habitualis*. Hic status peccaminosus, hic culpæ reatus tollitur per baptismum, qui gratiam Spiritus Sancti nobis restituit; qui tamen non aufert alias peccati pœnas seu effectus, inter quos venit concupiscentia seu hæc ad malum magis quam ad bonum positiva inclinatio. Hujusmodi concupiscentia aliquando vocatur peccatum originale sensu largo acceptum [1].

Quidam, ut Philaretus Gumilevskii, reatum culpæ a positiva corruptione naturæ (id est a summa sequelarum peccati) ab Adamo per generationem carnalem hæreditate accepta vix distinguunt; et dum volunt explicare quomodo ex peccato Adami coram Deo peccatores simus constituti, dicunt hæreditatem a primo parente acceptam potius esse *statum morbosum* quam *peccatum proprie dictum*. Cum autem hic status morbosus non sit mere *passivus*, sed *positiva et activa propensio* ad peccatum, quæ statim ab initio, etiam in pueris, ad actum transit, tunc revera efficimur peccatores quando voluntas nostra cum hoc statu morboso *libere* conjungitur ad operandum actum peccati. Hac via, id est, *cum cooperatione*

1. Antonius, p. 189 et 195, qui peccatum originale habet ut quoddam debitum, quod ex nostra conjunctione cum Adamo peccatore et ex pacto divino capite morali totius humani generis contraximus; Macarius, p. 493-494, qui bene distinguit inter reatum peccati nobis inhærentem et pœnas peccati, notatque peccatum originale sensu largo acceptum complecti tum peccatum ipsum, tum ejus sequelas (p. 495); Burgov, *op. cit.*, p. 112-113, qui ad explicandam transmissionem peccati originalis provocat ad legem solidaritatis, p. 205 sq.

voluntatis nostræ liberæ motibus pravæ concupiscentiæ consentientis, nobis transmittitur peccatum proprie dictum. Inde *hujus transmissionis gradus in omnibus non est idem, sed major vel minor pro gradu deditionis liberæ cujusque sub potestate concupiscentiæ seu virium peccati ad peccata actualia committenda.* Ut hujus conceptus veritatem demonstrent, ad modum quo redemptionis Christi fructus nobismetipsis appropriamus, provocant. Quemadmodum, inquiunt, cooperatio nostra libera exigitur, ut nobis ad salutem prosit Christi satisfactio ac redemptio, ita etiam reatus culpæ Adami nobis proprie non imputatur nisi *quando* et *prout* pravis inclinationibus ex Adamo hæreditate acceptis libere consentimus [1].

Philaretus Gumilevskii, qui primus, ut videtur, inter Russos recentiores hanc explicationem proposuit, tenet etiam statum naturæ morbosum, quamvis non sit peccatum proprie dictum, *Deo tamen esse odiosum*, ita ut ex se sufficiat ad præbendam rationem mortis infantium. Alii vero, ut P. Svietlov et A. Kremlevskii, transmissionem reatus Adamicæ transgressionis penitus tollunt, nihilque in peccato originali vident nisi corruptionem naturæ seu varias hujus transgressionis sequelas, inter quas primas tenet prava concupiscentia. Ex ipso Adami peccato nascimur *miseri* potiusquam *peccatores*. Solum Adami peccatum damnationem nobis non inferret, si voluntas nostra libera pravis inclinationibus peccaminosæ hæreditatis consensum non præberet. Aliis verbis,

1. Ph. Gumilevskii, *op. cit.*, p. 217, 224-227. Philaretus primum rejicit tres explicationes transmissionis peccati : 1° sententiam eorum qui illam pendere volunt ex sola voluntate Dei; 2° sententiam eorum qui eam deducunt ex pacto explicito inter Deum et Adamum; 3° opinionem illorum qui rem explicant ex præscientia Dei : Deus unicuique nostrum imputat Adami culpam, quia prævidit nos peccaturos ad instar Adami. *Reatum* peccati aliquo modo retinet, quatenus dicit ipsum statum morbosum ex Adamo acceptum displicere Deo et mortem puerorum inde sufficienter explicari, p. 226. Malinovskii, postquam existentiam peccati originalis ejusque naturam ad modum Macarii et omnino orthodoxe explanavit, conceptum Philareti in fine sibi appropriat atque fusius evolvit, insistens *in diversis gradibus transmissionis peccati originalis et condemnationis ex parte Dei*, et sibi ipsi omnino contradicit, dum concludit peccatum originale non transmitti *independenter a libera voluntate uniuscujusque nostrum*, p. 383.

juxta hos theologos, peccatum originale passive seu subjective sumptum nihil aliud est quam peccati Adami pœna per generationem hæreditate accepta. Pœna hujusmodi vocatur *status peccaminosus, peccaminositas*, non quod sit revera peccatum proprie dictum, sed quod sit sequela transgressionis Adamicæ. Hæc vero ad peccatum proprie dictum nobis non imputatur nisi ubi pravæ concupiscentiæ libere consenserimus [1].

Quidam in viam heterodoxiæ ulterius progressi sunt, et negarunt nexum necessarium existere inter Adami peccatum et statum morbosum in quo nascimur, huic alteram causam assignantes. Ita Antonius Khrapovitskii, metropolita Kioviensis, in recenti editione *Catechismi majoris Philareti* emendata et aucta, tres de peccato originali addidit quæstiones et responsiones, quæ sic se habent :

« *Quæstio :* Estne justitiæ Dei consentaneum quod nos ex parentibus peccatoribus nasceremur et eorum condemnationem in nobismetipsis portaremus?

« *Responsio :* Nativitas nostra ex avis peccatoribus non est causa unica status nostri peccaminosi : *siquidem Deus sciebat unumquemque nostrum peccaturum sicut et Adam peccavit*, et ideo nos ejus posteri esse manifestamur.

« *Q. :* Quænam utilitas primis nostris parentibus obvenit ex amissione paradisianæ felicitatis necnon ex morbis, doloribus et morte, quibus deputati sunt?

« *R. :* Hujusmodi lugendæ vitæ terrestris conditiones humiliaverunt protoparentes, et mortui sunt justi in spe melioris vitæ per redemptionem.

1. A. Kremlevskii, *Pervorodnyi griekh po uceniu blag. Avgustina Ipponskago*, Petropoli, 1902, passim, et clarius in *Pravoslov. bogosl. Entsiklopedia*, art. *Griekh pervorodnyi*, t. IV, col. 771-774, ubi vocem ἁμαρτία in epist. ad Rom., V, de concupiscentia interpretatur, dicitque peccatum originale nihil aliud esse quam corruptionem peccaminosam ex Adami peccato procedentem, peccatum Adami nobis non imputari, nosque tunc *proprie peccatores fieri* quando pravæ concupiscentiæ consensum præbemus. Eamdem doctrinam tradit P. Svietlov, *Kurs apologheticeskago bogosloviia*, Kioviæ, 1900, p. 200-204, postquam de peccato originali orthodoxe locutus est, ut solent alii theologi, qui mysterium transmissionis elucidare non quærunt.

« *Q. :* Nonne in eumdem scopum Dominus nostram in hac lacrymarum valle apparitionem constituit?

« *R. :* Ita est. *Prænoscens enim Deus unumquemque nostrum Adami licentiam imitaturum, a nativitate nostra vestit nos natura morbosa, mortali et caduca*, id est, *peccaminosis inclinationibus obnoxia*, ex quibus nostram vilitatem experimur et inde in humilitate servamur [1]. »

Vides hujusmodi explicationibus haud obscure negari ipsam peccati originalis existentiam, prout ab Ecclesia semper intellecta est. Cæterum Antonius de peccato originali veram mentem suam aperit quibusdam aliis mutationibus, quibus Philareti textum emendare voluit. Duplicem enim peccati Adami effectum posuerat Philaretus, mortem scilicet et *maledictionem*. Antonius suppressit *maledictionem*, qua voce tam sæpe utuntur Byzantini ad peccatum originale designandum. Item, in versione slavica textus Apostoli : Rom., V, 12, bene notavit dictionem adverbialem : *v nemge* (græce ἐφ' ᾧ) significare : QUIA *omnes peccaverunt*, non vero : IN QUO *omnes peccaverunt (potomu tchto)* [2].

Ergo qui Ecclesiam catholicam in doctrina de peccato originali propensionis ad pelagianismum incusant, ipsi ad ipsam Pelagii hæresim quasi inscii declinant.

D. *Judicium de doctrina sancti Augustini.* — Plerique Russi recentiores doctrinam sancti Augustini de peccato originali ad instar Protestantium et Jansenistarum interpretantur, sanctumque doctorem carpunt quod tenuerit naturam humanam ex peccato primi parentis totam fuisse corruptam et ipso libero arbitrio spoliatam. Ita Philaretus

1. *Opyt khristianskago pravosl. Catikhizissa (Tentamen catechismi orthodoxi)*, Karlovitzii, 1924, p. 38. Eamdem doctrinam fusius tradit in opusculo inscripto : *Dogmat iskupleniia (Dogma redemptionis)*, Karlovitsii, 1926.

2. *Ibid.*, p. 37-38 et p. 139-140, ubi explicat quare græcum « ἐφ' ᾧ » per *potomu tchto* reddiderit, quia, inquit, « solummodo peccare potest natura conscia et libera. Prævidens Deus liberas electiones cujusque hominis, nostram nativitatem cum Adamo conjunxit. » A Russis *dispersionis* et ab aliis *Orthodoxis* hæresis accusatus, Antonius, ut ferunt, suis additamentis ad Philareti catechismum valedixerit. Cf. M. d'Herbigny-Deubner, *Évêques russes en exil*, p. 256 (*Orientalia christiana*, t. XXI).

Gumilevskii [1], S. Malevanskii [2], Malinovskii [3], ac potissimum Kremlevskii, qui dicit Augustinum revera excogitasse *peccatum originale proprie dictum*, eo quod perperam intellexerit vocem ἁμαρτία apud Apostolum. Vox hujusmodi, inquit ille, non significat peccatum proprie dictum, sed *inclinationem ad peccatum* seu *concupiscentiam* [4]. Alii vero, ut Leonidas Pisarev [5] et A. Burgov [6], sanctum doctorem ab his calumniis vindicant ostenduntque illum non negasse liberi arbitrii perseverantiam in homine lapso nec peccatum originale adinvenisse, sed sufficienter explicavisse, ita ut ejus doctrina ab illa, quæ in Confessionibus fidei Ecclesiæ græco-russicæ traditur, substantialiter non differat.

1. *Op. cit.*, p. 220 in nota.
2. *Op. cit.*, t. III, p. 453-455.
3. Malinovskii, t. II, p. 385.
4. *Op. cit.*, p. 1-10, 97-122.
5. *Op. cit.*, p. 84 sq., 127 sq., 353 sq.
6. *Op. cit.*, p. 38 sq. Cf. Bukovoskii, *op. cit.*, p. 88-95.

TRACTATUS
DE
VERBO INCARNATO ET SALVATORE

PRÆNOTAMINA

Theologiæ Græcorum de Verbo incarnato et salvatore summam habemus in scriptis sancti Joannis Damasceni, ac præsertim in opere inscripto : *Fons scientiæ*, Πηγὴ γνώσεως, ubi non solum ea quæ ad fidem pertinent, verum etiam præcipua fidei intellectum quærentis inventa, quæ Patrum ævo, sub tot tantarumque controversiarum influxu, cogitata fuere, sanctus doctor breviter ac dilucide conclusit. Porro hæc Patrum græcorum theologia *œconomica* haud pauca continet, quæ in theologia scholastica Latinorum nullatenus occurrunt, vel etiam ab ea differunt; quorum per singula expositio integrum fere volumen postularet, et ideo hic nobis haud aggredienda, quippe quæ ad scopum nostrum directe non pertineat.

Post Damascenum autem et per totam periodum byzantinam, *Fons scientiæ* vere fons exstitit theologiæ Græcorum, quantum ad præsentem tractatum; cui admodum pauca addiderunt; quin etiam quædam in eo contenta oblivioni mandasse videntur, ex iis potissimum, quæ ad dogmatis elucidationem philosophicam pertinent. Fuerunt quidem, sæculo XI exeunte et XII ineunte, quædam controversiæ ad unionem hypostaticam plus minusve directe spectantes; verum earum momentum exiguum erat; quippe quæ circa vitiosos loquendi modos potiusquam circa dogmatis substan-

tiam versabantur. Inde vero a sæculo XIV, tum ex frequentiori Byzantinorum et Latinorum commercio, tum ex quorumdam operum latinorum versione, scholasticæ occidentalis levis jam influxus percipitur.

Quod autem ad periodum modernam attinet, sicut circa alias scientiæ sacræ partes, ita etiam circa præsentem theologia latina in theologos Græco-Russos maximum obtinet momentum, ita ut eorum doctrina colore occidentali tota vestiatur usque ad secundum dimidium sæculi XIX. Non solum a sancto Thoma necnon ab aliis theologis catholicis pleraque mutuantur; sed etiam, sæculo XVIII, theologi russi scholasticæ lutheranæ se dedunt, ex qua quædam hauriunt de idiomatum communicatione, de duplici statu Christi, de explicatione satisfactionis vicariæ. Nostris vero diebus, theologia græco-russica de utriusque mysterio, incarnationis scilicet et redemptionis, ea tantum retinet quæ ad fidem pertinent, textibus selectis ex fontibus revelationis haustis illa muniens, omnique scholasticæ tum latinæ, tum protestanticæ, tum etiam byzantinæ valedicens. Unde si illam conferas, quantum ad mysterium incarnationis proprie dictum, cum Damasceni doctrina de eodem, jejuna prorsus tibi videbitur. Quantum vero ad mysterium redemptionis, si quorumdam recentiorum speciales dissertationes excipias, nihil in ea fere invenies nisi doctrinæ fidei compendiosa expositio latino colore induta.

Ea pauca, quæ de præsenti tractatu notanda invenimus, ad tria capita revocamus scilicet :

Caput I : De mysterio incarnationis;

Caput II : De mysterio redemptionis;

Caput III : De consectariis utriusque mysterii, ubi de cultu sacratissimi cordis Jesu, de cultu sanctorum, de veneratione crucis et imaginum.

CAPUT PRIMUM

DE MYSTERIO INCARNATIONIS

Prænotamina.

Circa mysterium incarnationis, post schisma consummatum, nulla unquam inter Græcos et Latinos exstitit controversia, neque ulla gravis occurrit discrepantia quantum ad ea, quæ sunt de fide definita. Fuerunt autem, ut jam diximus, inter Byzantinos quædam intestinæ contentiones ad unionem utriusque naturæ in Verbo spectantes; de quibus aliqua nobis dicenda erunt : Omnes autem quæstiones circa quas inter Catholicos et Græco-Russos plenus adest consensus, præterimus, eas tantum notantes in quibus aliqua apparet differentia, seu diversitas, seu novitas. Quatuor erunt articuli, scilicet :

1° De notione unionis hypostaticæ;

2° De controversiis inter Byzantinos ad unionem hypostaticam spectantibus;

3° De deificatione humanitatis assumptæ;

4° De motivis incarnationis.

ARTICULUS PRIMUS

De notione unionis hypostaticæ.

Græco-Russi nostri temporis, in suis theologiæ dogmaticæ compendiis, a quovis abstinent tentamine philosophice elucidandi mysterium unionis hypostaticæ, dogma in concilio Chalcedonensi definitum iisdem terminis referre hosque terminos rite interpretari satis habentes. Unde nullam movent quæstionem circa differentiam inter naturam et personam, in notionibus sistentes sensus communis et philosophiæ perennis. Antiqui autem Patres Orientis byzantini, inde

præsertim a Leone Byzantio, ut Nestorianis et Monophysitis, dogma Chalcedone definitum subtiliter impugnantibus, responsum darent, de hujusmodi differentia sæpe disquisierunt; qui ad hanc communem personæ definitionem devenerunt : Persona est *natura individua sui juris*, seu *in se subsistens independenter et seorsim a qualibet alia persona.* Unde quæstioni : *Quare natura humana Verbi incarnati non est persona?* respondere solent : *Quia non existit seu subsistit in se ut totum quid separatum et independens, sed existentiam seu subsistentiam sortitur, inde a primo instanti conceptionis in utero Virginis, in ipsa Verbi persona, cujus fit quasi pars quædam.* Unde, ab incarnatione, persona Verbi dicitur *composita*, σύνθετος, non quod compositio afficiat ipsam Verbi personam in se consideratam, quæ simplicissima est et omnino immutabilis; sed quod naturæ humanæ assumptæ vices personæ gerit, hanc naturam in seipso existere seu subsistere faciens eamque habens ut vere suam, eodem titulo quo nostrum quis ut sua habet quæcumque ad propriam naturam individuam pertinent. Vinculum enim quo natura humana assumpta hypostasi Verbi conjungitur, tam intimum est, tam firmum quam vinculum quo corpus et anima cujusque hominis inter se copulantur ad efformandam unam personam humanam; immo illud hoc intimius ac firmius. Unde Joannes Damascenus unionem corporis et animæ habet ut *quamdam speciem unionis hypostaticæ*, quia in hac unione deprehenduntur : 1° unitas personæ; 2° perseverantia proprietatum corporis et animæ absque mixtione vel confusione; 3° unio indivisibilis et perpetua [1]. Cæterum patet inter unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo et unionem hypostaticam animæ et corporis haud unam esse differentiam.

Has naturæ et personæ notiones non uno modo exprimunt Joannes Damascenus et theologi byzantini qui post ipsum fuerunt. Ad unionem utriusque naturæ in Christo

1. *Dialectica*, 66, *P. G.*, t. CXIV, col. 665-668, ubi hæc personæ definitio legitur : « Ὑπόστασίς ἐστιν ἡ ἐν τῇ ἀρχῇ τῆς ἑκάστου ὑπάρξεως καθ' αὐτὸ σύμπηξις. » Obscura sunt quæ sequuntur : « Μένει οὖν τό τε σῶμα καὶ ἡ ψυχὴ ἀεὶ μίαν τὴν ἀρχὴν τῆς ἑαυτῶν ἔχοντα ὑπάρξεώς τε καὶ ὑποστάσεως, εἰ καὶ χωρισθῶσιν ἀλλήλων. » In eodem loco, col. 669 A, brevior occurrit personæ definitio : « Ἡ ὑπόστασις ἡ καθ' ἑαυτό ἐστιν ὕπαρξις. »

quod attinet, hæc apud Joannem Damascenum notanda invenimus :

1° « Verbum *sibi substare fecit* (seu sustentavit) carnem anima rationali et intelligente præditam, ipsum *carni hypostasis* factum : σάρκα ἐψυχωμένην ψυχῇ λογικῇ τε καὶ νοερᾷ ὑπεστήσατο, αὐτὸς ὁ Λόγος γενόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις [1]. »

2° « Corpus et anima simul ab initio in Verbi persona *existentiam habuerunt :* ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ τοῦ Λόγου ὑποστάσει ἔσχον τὴν ὕπαρξιν [2]. »

3° « Caro anima rationali et intelligente animata *in ipso Verbo existentiam sortita est :* ἐν αὐτῷ τὸ εἶναι λαχούσῃ [3]. »

4° « Dei Filius, persona jam in essentia existens [scilicet in essentia divina], naturam assumpsit in persona subsistentem [φύσιν ἐνυπόστατον, id est, naturam humanam in ipsa Verbi persona subsistentiam accipientem]. Naturam porro ἐνυπόστατον dicimus, non quod propriam habuerit hypostasim, *sed quod in hypostasi Verbi exstiterit :* ὑπόστασις ὑπάρχων ἐνοΰσιος, φύσιν ἀνέλαβεν ἐνυπόστατον... Ἐνυπόστατον δέ φαμεν, οὐχ ὡς ἰδίαν ἐσχηκυῖαν ὑπόστασιν, ἀλλ' ἐν τῇ του Λόγου ὑποστάσει ὑπάρξασαν [4]. »

5° « In Dei Verbi persona præexistente *substitit animata ipsius caro* eamque ut hypostasim habuit *:* ἐν τῇ προϋπαρχούσῃ τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑποστάσει ὑπέστη ἡ ἔμψυχος αὐτοῦ σάρξ [5]. »

Ex his patet, juxta Damascenum, naturam humanam Christi ideo non esse personam, quod statim ab initio existentiam nacta fuerit non in seipsa, sed in ipsa Verbi persona; quod non in seipsa existat, sed in Verbo. Quærere quis poterit utrum accipere existentiam in hypostasi Verbi, *existere, subsistere* in Verbo, idem sit ac participare *existentiam, subsistentiam increatam ipsius Verbi, ita ut humana natura non habuerit suum esse, suam existentiam creatam*, quatenus hæc existentia creata ab ipsa natura *realiter distinguatur.* Respondendum est hanc quæstionem esse *extra mentem et conceptum* Damasceni et Patrum græcorum, qui nunquam inquisivisse

1. *De fide orth.*, l. III, c. II, *P. G.*, *ibid.*, col. 985 C.
2. *Op. cit.*, l. III, c. XXVII, col. 1097 A.
3. *Ibid.*, l. III, c. II, col. 988 A.
4. *Contra Jacobitas*, 79, *P. G.*, *t. cit.*, col. 1476 C.
5. *Dialectica*, 66, *ibid.*, col. 668 B.

videntur utrum in creaturis existentibus existentia *realiter* distinguatur ab ipsa earum essentia. Responsionem affirmativam suggerere potest comparatio cum unione animæ et corporis, quam Patres tam sæpe usurpant, necnon illa maxima unionis hypostaticæ intimitas, firmitas atque indissolubilitas, quam prædicare solent. Attamen etiam sub aspectu philosophico res mysterio plena est, nec unam gravem movet difficultatem [1]. Definitio personæ a Leone Byzantio et aliis Græcis post ipsum tradita plane sufficit ad dogma catholicum contra hæreticorum cavillationes in tuto ponendum et etiam ad illud aliquo modo elucidandum.

Theodorus Abu-Qurra, Damasceni discipulus († circa 820), in brevi *Disputatione cum Nestoriano*, aliis verbis explicat quare natura humana a Verbo assumpta non sit persona : Quia, inquit, *est pars alicujus*. Ut una natura, etiam proprietatibus individuis donata, sit hypostasis seu persona, non debet venire in compositionem alicujus. Atqui humana Christi natura est quasi pars ipsius Christi; sicut corpus, quamvis proprietatibus individuis vestiatur, non est hypostasis, quia est aliqua pars hujus totius, quod vocatur homo [2].

Sæculo XI, philosophus Michael Psellus verbis Damasceni utitur, ut ostendat in Verbo incarnato unam tantum esse personam :

« Sancta Ecclesia catholica, inquit, corpus anima et mente præditum, quod Dominus noster Jesus Christus assumpsit, non vocat personam, ut hæreticus Nestorius nugatus est, sed vocat ἐνυπόστατον (id est in hypostasi existens), *quatenus in Filii persona seu hypostasi accepit et ut sit et ut subsistat*, nec

1. Cf. P. Galtier, *De incarnatione et redemptione*, Parisiis, 1926, p. 204-219.

2. *Opusculum*, XXIX, *P. G.*, t. XCVII, col. 1577-1580 : «Ἀλλ' οὐκ ἀρκεῖ τὸ συγκεῖσθαι τὴν φύσιν τοῖς ἰδιώμασιν εἰς γένεσιν ὑποστάσεως, ἀλλὰ δεῖ συνδραμεῖν εἰς τοῦτο καὶ τὸ μὴ εἶναι μέρος. Ἐπεὶ οὖν μέρος ἐστὶ τοῦ Χριστοῦ τὸ προσληφθὲν ἔμψυχον σῶμα, διὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ὑπόστασις, ἀλλ' ὑποστατικόν (id est, pertinens ad hypostasim). Ὥσπερ οὖν οὐ συναριθμεῖται τῷ Πέτρῳ τὸ σῶμα αὐτοῦ, ἵνα ὦσι δύο· θάτερον γὰρ θατέρῳ συνάγεται· οὕτως οὐδὲ τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ σαρκωθέντι συναριθμεῖται τὸ προσληφθὲν ἔμψυχον σῶμα. »

per momentum antea substitit. Ipse Christus enim, cum una esset persona, vel potius, ut magis perspicue dicam, ipse Dei Filius, ex personis sanctæ Trinitatis una, corpori a se assumpto persona factus est, ita ut corpus Domini sit quidem ἐνυπόστατον, non vero ὑπόστασις [1]. »

Item, sæculo XIII, Nicephorus Blemmides dicit naturam humanam Christi non esse personam, quia nunquam, vel per brevissimum tempus, *in se seu secundum se substitit*, sed statim a principio divinitati unita est *secundum ipsam Verbi hypostasim et in ipsa* [2].

ARTICULUS II

De controversiis byzantinis circa unionem hypostaticam.

Sæculo XI finiente necnon per sæculi XII decursum, plures controversiæ inter Byzantinos exortæ sunt, quæ plus minusve directe ad unionem hypostaticam spectabant.

Primam quæstionem movit Joannes Italus philosophus, scilicet : Utrum natura humana a Christo assumpta deificata fuerit *secundum naturam*, an *secundum positionem seu adoptionem?* Nescimus cuinam solutioni suffragatus fuerit Italus, et quomodo rem totam explanaverit [3]. Ex ejus autem disci-

1. *De omnifaria doctrina*, 4 : *P. G.*, t. CXXII, col. 689 : « Τὸ οὖν σῶμα τὸ ἔμψυχον καὶ ἔννουν, ὃ προσελάβετο ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, οὐ καλεῖ ὑπόστασιν..., ἀλλ' ὀνομάζει ἐνυπόστατον, ὡς ἐν τῇ τοῦ Υἱοῦ ὑποστάσει τὸ εἶναι καὶ τὸ ὑποστῆναι λαβὸν καὶ μηδ' ὡς ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ προϋποστάν... Αὐτὸς ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, μία ὢν ὑπόστασις τῆς ἁγίας Τριάδος. »

2. *De fide, ad monachos suos*, *P. G.*, t. CXLII, col. 597 A : « Οὐ γὰρ ὑπέστη καθαυτό, κἂν ἀκαριαίως, τὸ τοῦ Χριστοῦ ἀνθρώπινον, ὡς ἂν ὑπόστασις τοῦτο λέγοιτο. »

3. Joannes Italus damnatus est in synodo Constantinopolitana, anno 1082, mense martio habita, cujus acta edidit Th. Uspenskii, *Izviestia Instituti archeologici russici Constantinopolitani*, t. II (1897), p. 30-66. Contra eum undecim anathematismi synodico Dominicæ Orthodoxiæ inserti sunt, quorum primus sic se habet : « Τοῖς ὅλως ἐπιχειροῦσι νέαν τινὰ ζήτησιν καὶ διδαχὴν τῇ ἀρρήτῳ ἐνσάρκῳ οἰκονομίᾳ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν καὶ Θεοῦ ἐπάγειν, καὶ ζητεῖν οἵῳ τρόπῳ αὐτὸς ὁ Θεὸς Λόγος τῷ ἀνθρωπίνῳ φυράματι ἥνωται, καὶ τὴν προσληφθεῖσαν σάρκα κατὰ τίνα λόγον ἐθέωσε, καὶ λόγοις διαλεκτικοῖς φύσιν καὶ θέσιν

pulis quidam responderunt : *Deificata fuit secundum naturam;* alii vero : *secundum positionem.*

Primam sententiam propugnavit monachus quidam, Nilus nomine, qui haud paucos ex Armenis Constantinopolim habitantibus ad suum errorem attraxit. In quonam autem ejus error definite constiterit, ignoramus. Ex paucis, quæ in *Alexiade* refert Anna Comnena, colligere tantum possumus ejus dictiones et loquendi modos monophysismo, vel etiam eutychianismo aliquo modo favisse [1].

Alteri sententiæ adhæsit Eustratius, metropolita Nicænus, de qua ab ipso Eustratio certa quædam habemus. Cum Armenis de duplici Christi natura disputando, ad quasdam propositiones nestorianismum sapientes sensim declinaverat, dum distinctionem humanitatis a divinitate in majorem lucem ponere contendebat. Docebat siquidem :

1º Naturam humanam Christi esse *semper et necessario* et *essentialiter in conditione servi*, et *serviliter* adorare inaccessam divinitatem, suis operationibus ei servientem et ad suum creatorem se vertentem et convertentem [2];

ἐπὶ τῆς ὑπὲρ φύσιν καινοτομίας τῶν δύο φύσεων τοῦ Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων λογομαχεῖν πειρωμένοις ἀνάθεμα. » Carpitur ergo Italus quod explicare tentaverit quomodo duæ naturæ in Verbo incarnato unitæ fuerint, novamque circa hoc mysterium quæstionem moverit, terminos φύσιν et θέσιν usurpando. Hos terminos reprobat synodus dicens unionem factam fuisse *supra naturam*, ὑπὲρ φύσιν, seu esse supernaturalem. Cf. Th. Uspenskii, *Bogoslovskoe i philosophskoe dvigenie v Vizantii XI i XII viekov* (*Motus theologicus et philosophicus apud Byzantinos sæc. XI et XII*), in commentario : *Jurnal ministertsva narodnago prosviechtcheniia*, t. CCLXXVII (1891), Petropoli, p. 103-141.

1. *Alexias*, l. X, *P. G.*, t. CXXXI, col. 697-700. Anna Nilum ignorantiæ arguit circa veram unionis hypostaticæ indolem, sed referre omittit quomodo ille suam thesim : Τὸ πρόσλημμα φύσει ἐθεώθη explanabat. De ejus errore item tacet synodicum, in quo de illo hæc tantum occurrunt : « Τοῖς δογματισθεῖσι δυσσεβῶς παρὰ τοῦ ἀμοναχοῦ Νείλου πᾶσι καὶ τοῖς κοινωνοῦσιν αὐτοῖς ἀνάθεμα. » Ex hoc inferre possumus totam ejus hæresim in verbis potius quam in re constitisse. Damnatus est in quadam synodo sub Nicolao III Grammatico (1084-1111), paulo post concilium contra Joannem Italum, ergo circa annum 1086. Cf. Th. Uspenskii, *loc. cit.*, p. 145-147.

2. « Ὑπέλαβον τὸ πρόσλημμα δοῦλον εἶναι ἀεὶ καὶ προσκυνεῖν καὶ λατρεύειν Θεῷ, ὡς τῆς δουλείας οὐσιώδους αὐτῷ καὶ ἀναποβλήτου οὔσης,

2º Eamdem progressui seu profectui morali obnoxiam fuisse et non statim ab initio perfectionem adeptam fuisse [1];

3º Homini in Christo in forma servi secundum suam naturam constituto gratiose concessum fuisse quod Filius esset et hæres propter unionem cum Verbo in unam personam; quod quidem et multis aliis concessum est, sed non eodem pacto atque illi, quatenus solus Verbo substitit, ejus templum inseparabile, sanctum et immaculatum factus vereque Deo dignum [2];

4º Hominem in Christo ideo laudandum esse, quod naturam peccati capacem cum habuerit, malitia tamen abstinuit et in puritate mansit [3].

Duas contra Armenos disputationes, in quibus talia occurrebant, non ediderat Eustratius. Quidam vero illas clam surripientes, per civitatem vulgarunt. Unde de hæresi accusatus, anno 1117, coram synodo se sistere debuit, in qua omnes propositiones malesonas expresse damnavit ac rejecit. Inter has propositiones notare juvat sequentes :

« Si quis dicit id quod fuit assumptum esse seorsim pontificem, non vero simpliciter Christum, anathema sit [4]. »

« Si quis, post unionem, unum Christum dividit, seorsum ac singillatim ponens Deum Verbum, et seorsum quod fuit assumptum; et non hunc unum glorificat eadem gloria ac dignitate propter hypostaticam unionem, necnon unum post

καὶ θεραπεύειν τοῖς ἐνεργήμασι, καὶ πρὸς τὸν πλάσαντα νεύειν καὶ ἐπιστρέφειν. » Τὸ δοθὲν ἔγγραφον ἐπὶ ῥήματος βασιλικοῦ παρὰ Εὐστρατίου μητροπολίτου Νικαίας ἐφ' οἷς ἑτεροδόξησε κατ' ἄγνοιαν καὶ τὸ ἐπ' αὐτῷ βασιλικὸν σημείωμα, editum ab A. Demetracopulo, Ἐκκλησιαστικὴ βιβλιοθήκη, p. ια'-ιε', et in commentario Ἀθήναιον, t. IV (1875), p. 227-233. Cf. *cod. Dionys. Athon. 120*, fol. 705-707.

1. « Τοῖς λέγουσιν τοῦ Χριστοῦ τὸ ἀνθρώπινον... τελειοῦσθαι κατ' ἀρετήν, ἢ ὡς ἀτελὲς ὂν ἐφίεσθαι τῆς ἐξ αὐτῆς τελειώσεως, ἢ καθαίρεσθαι τῇ τῶν ἀρετῶν τελειότητι... ἀνάθεμα. » *Ibid.*

2. « Οὕτω δὲ καὶ ἀνθρώπῳ ὄντι καὶ δούλου μορφῇ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φύσιν κεχάρισται αὐτῷ καὶ τὸ Υἱὸν εἶναι καὶ κληρονόμον διὰ τὴν πρὸς τὸν Λόγον κατὰ μίαν ὑπόστασιν ἕνωσιν. » *Ibid.*

3. « Ἐπαινετὸς ἐκεῖνος, ὅς ἔχων τὴν φύσιν δυναμένην κακίας ἔχεσθαι, ἀπέσχηται ταύτης καὶ ἔμεινε ἐν καθαρότητι. » *Ibid.*

4. « Εἴ τις ἰδίᾳ λέγει τὸ πρόσλημμα ἀρχιερέα μέγιστον εἶναι, καὶ οὐχὶ τὸν Χριστὸν ἁπλῶς, ἀνάθεμα. » *Ibid.*

incarnationem Filium, a filiorum adoptione decidat, quam ipse Salvator promisit [1]. »

« Qui dicit naturam assumptam perfici et purgari et deificari cum progressu, non vero ab ipsa unione perfectam esse, quippe quæ deificata fuit in unione secundum quam Deo Verbo substitit, Deo non uniatur [2]. »

« Si quis servum vocat illum qui a servitute nos liberavit, non vero credit hunc factum quidem fuisse in forma servi, nunc vero non esse servum, quatenus nos per eum libertatem sumus adepti..., libertatem amittat propter quam Dominus noster servus vocari sustinuit [3]. »

Ex his videmus quonam sensu Joannis Itali discipuli accipiebant hanc propositionem : *Humanitas Christi* POSITIONE *deificata est*, κατὰ θέσιν ἐθέωθη. Si non mente, verbis saltem ad nestorianismum et adoptianismum declinabant, et a communi Ecclesiæ byzantinæ doctrina, prout apud sanctum Joannem Damascenum et alios Patres græcos explicatur, recedebant.

1. « Εἴ τις τὸν ἕνα Χριστὸν μετὰ τὴν ἕνωσιν διαιρεῖ, ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος τιθεὶς τὸν Θεὸν Λόγον, καὶ ἰδίᾳ τὸ πρόσλημμα, ἀλλ' οὐχὶ ἕνα τοῦτον δοξάζει τῇ ταὐτότητι τῆς δόξης καὶ τῆς ἀξίας διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν καὶ ἕνα Υἱὸν καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν, ἐκπέσοι τῆς υἱοθεσίας, ἣν αὐτὸς ὁ Σωτὴρ ἐπηγγείλατο. »

2. « Καὶ ὁ λέγων δὲ τελειοῦσθαι καὶ καθαίρεσθαι καὶ θεοῦσθαι τὸ πρόσλημμα κατὰ προκοπὴν καὶ οὐχὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἑνώσεως θεωθέν, καθ' ἣν ὑπέστη τῷ Θεῷ Λόγῳ, τέλειον εἶναι, μὴ ἑνωθείη Θεῷ. »

3. « Εἴ τις δοῦλον καλεῖ τὸν ἐλευθερώσαντα ἡμᾶς τῆς δουλείας... ἀπολέσοι τὴν ἐλευθερίαν, δι' ἣν ἠνέσχετο δοῦλος κληθῆναι ὁ δεσπότης ἡμῶν. » Contra novitates Eustratii Nicetas Seides polemicam dissertationem conscripsit, Alexio Comneno dicatam, quæ in *cod. Atheniensi 483* asservatur. Cf. Th. Uspenskii, *op. cit.*, p. 147-152. Eustratii error duobus anathematismis synodico additis notatus est, quin tamen ejus nomen interponeretur. Primus anathematismus sic se habet : « Τοῖς εἰσάγουσιν ἐπὶ τῆς ἀρρήτου ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ κενοφωνίας τινὰς καὶ λέγουσιν ἢ φρονοῦσι προσκυνεῖν τὸ ἀνθρώπινον τοῦ Χριστοῦ τῇ ἀπροσίτῳ θεότητι δουλικῶς, καὶ τὴν δουλείαν ἀΐδιον κεκτῆσθαι ὡς οὐσιώδη καὶ ἀναπόβλητον, ἀνάθεμα. » In secundo hæc inter alia occurrunt : « Τοῖς λέγουσιν τὸ πρόσλημμα οὐ τῇ φύσει μόνον ἕτερον, ἀλλὰ καὶ τῇ ἀξίᾳ, καὶ ὅτι λατρεύει Θεῷ καὶ ὑπηρεσίαν προσφέρει δουλικὴν καὶ τιμὴν τὴν προσήκουσαν ἀπονέμει ὡς ὀφειλήν, καθάπερ τὰ λειτουργικὰ πνεύματα τῷ Θεῷ ὑπηρετοῦντά τε καὶ λατρεύοντα δουλικῶς, καὶ ἰδίᾳ τὸ πρόσλημμα ἀρχιερέα μέγαν εἶναι διδάσκουσι, καὶ οὐχὶ τὸν Θεὸν Λόγον, ὅτι γέγονεν ἄνθρωπος..., ἀνάθεμα. »

De appellatione servi (δοῦλος) Christo tributa jam egerat Damascenus, hanc locutionem ut nestorianismum redolentem rejiciens [1]. Alii Byzantini, post ipsum, de eodem titulo disseruerunt, inter quos venit Gennadius Scholarius, qui quoad substantiam idem dat responsum ac Damascenus, ab eo tamen quibusdam differt [2].

Anno 1156, novæ liti ansam præbuit diaconus quidam Constantinopolitanus, Soterichus Panteugenus nuncupatus, sedis Antiochenæ patriarcha electus, qui hæresis nestorianæ timore refugiebat dicere Verbum incarnatum, qua hominem, sibi ipsi, qua Deo, obtulisse sacrificium crucis; sed contendebat hoc sacrificium Patri et Spiritui Sancto tantum, vel etiam Patri soli a Verbo incarnato oblatum fuisse [3]. Hujusmodi quæstio, cui et quædam alia de veritate sacrificii missæ adjuncta sunt, in duabus synodis, annis 1156 et 1158 Constantinopoli habitis, examinata est ac soluta. Obvia solutio in ipsis liturgiæ sancti Basilii verbis occurrebat : « Σὺ εἶ ὁ προσφέρων καὶ προσφερόμενος καὶ προσδεχόμενος. »

Mysterium incarnationis item indirecte respiciebat controversia super sensu verborum Christi in Evangelio : *Pater major me est* (Joa., XIV, 28), quæ anno 1166 exorta est. Alii aliter hæc verba interpretabantur, singuli ad Patrum dicta provocantes. Quidam opinabantur ideo Patrem dici Filio majorem, quod habet rationem principii respectu Filii. Imperator Manuel Comnenus et cum eo omnes fere episcopi dicere malebant : Filius est Patre minor, quatenus est homo et humanitatis proprietates habet cum passionibus irreprehensibilibus. Alii inferioritatem Filii desumebant non ex ipsa humanitate assumpta, sed ex facto ipsius exinanitionis Verbi, qua homo fieri et suam majestatem occultare non dedignatus est. Quidam explicationem adhuc subtiliorem proponere non dubitabant : Quando Christus hæc verba protulit, aiebant, *naturam humanam suam, ut est in se, abstractione facta ab*

1. *De fide orth.*, l. III, c. XXI, *loc. cit.*, col. 1085.

2. *Œuvres complètes*, t. III : Πρός τινα φίλον · λύσις ζητήσεως περὶ τῆς ἐν τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ ἀνθρωπότητος, p. 363-368.

3. De hac controversia fusius agimus in *De sacramentis*, t. III, p. 317-320.

unione hypostatica, quadam mentis fictione considerabat. Sanctus Joannes Damascenus aliquid simile habet in opere *De Fide orthodoxa :* « Sicut de ignorantia diximus, inquit, si exilibus cogitationibus, hoc est, subtilibus animi considerationibus, id quod creatum est ab increato sejunxeris, servilis est caro, si Deo Verbo copulata non esset. At cum semel secundum hypostasim unita sit, quonam pacto serva erit [1] ? »

Alii tandem, post Damasceni vestigia item gradientes, dictionem referebant ad Christum, quatenus est caput corporis sui mystici seu mediator noster vicesque nostras gerit. Quædam enim sibi adscribebat Christus, juxta Damasceni doctrinam, per quamdam appropriationem extrinsecam et *œconomicam*, quam vocat *prosopicam*, in quantum personam nostram gerebat et nomine seu loco nostri quædam agebat [2].

Ex his quinque interpretationibus duas primas tantum acceptas habuit synodus Constantinopolitana, anno 1166 (2 martii-6 maii) habita, secundæ primas tribuens. Tres alias rejecit et anathemati subjecit [3]. Cum autem Constantinus,

1. *De fide orthodoxa*, l. III, c. XXI, *P. G.*, t. XCIV, col. 1085 B : « Ὥσπερ οὖν καὶ ἐπὶ τῆς ἀγνοίας εἴπομεν, ὅτι ἐὰν ἰσχναῖς ἐπινοίαις, ἤτοι νοῦ λεπταῖς φαντασίαις, διέλῃς τὸ κτιστὸν ἐκ τοῦ ἀκτίστου, δούλη ἐστὶν ἡ σάρξ, εἰ μὴ ἥνωτο τῷ Θεῷ Λόγῳ. »

2. Cf. *De fide orthodoxa*, l. III, c. XXIV, col. 1092-1093; l. IV, c. XVIII, col. 1185-1189. De hac appropriatione prosopica quædam infra dicimus, p. 674.

3. De hac controversia vide : 1° Joannem Cinnamum, *Historiarum* l. VI, II, *P. G.*, t. CXXXIII, col. 616-624, qui contentionis auctorem habet quemdam Demetrium ex Lampe, Asiæ vico, oriundum; 2° Nicetam Acominatum, Θησαυρὸς ὀρθοδοξίας, l. XXXV, cujus excerpta edidit A. Mai, *Scriptorum veterum, nova collectio*, t. IV, p. 1-96, in *P. G.*, t. CXL, col. 201-282, recusa. Nota tamen Nicetæ narrationem obscuram ac lacunosam esse, et A. Mai proprio marte excogitasse varias sessiones synodi anni 1066, singulisque per partes textum Nicetæ temere dividisse; 3° L. Petit, *Documents inédits sur le concile de 1166 et ses derniers adversaires*, in commentario *Vizantiiskii Vremennik*, t. XI (1904), n. 3-4; excerptum, 19 p., qui controversiæ historiam in non paucis elucidat ac complet, necnon quatuor nova documenta affert, ex quibus tria ad synodum anni 1170 necnon ad condemnationem Constantini, Corcyrensis metropolitæ, et Joannis Irenici referuntur; 4° Manuelem Comnenum, *Edictum de controversia, quatenus Pater major Christo sit*, *P. G.*, t. CXXXIII, col. 773-786, ubi variæ opiniones clare exponuntur; 5° Th. Uspenskii, *Comment. cit.*, t. CCLXXXVII, p. 304-315, et : *Ocerki po istorii vizant. obrazovannosti*, Petropoli, 1891, p. 236-243; 6° Michaelem Glykam, *op. cit.*, t. II, c. LXXIX, p. 275-315, qui secundam sententiam a synodo approbatam variis Patrum testimoniis tuetur; 7° V. Grumel, *Le Napisanie o pravej vêrê de Constantin le Philosophe*, in *Échos d'Orient*, t. XXVIII (1929), p. 283-294, ubi auctor erudite ostendit illud *Napisanie* nihil aliud esse quam opusculum quoddam Constantini Corcyrensis, in quo ille suam sententiam de verbis *Pater major me est* exponit ac tuetur.

metropolita Corcyrensis, et monachus Joannes Irenikus quartam sententiam, etiam post synodum, propugnare non desisterent, nova synodus, anno 1170 ineunte congregata, illos nominatim damnavit et excommunicavit. Eorum nomina anathemati subjicienda synodico Dominicæ orthodoxiæ inserta sunt [1].

Ut imperatori Manueli complacerent potiusquam ex intima persuasione, synodi hujusmodi tres ultimas interpretationes reprobasse ac damnasse videntur, in quibus nihil hæreticum proprie dictum invenire est, quidquid judicandum sit de singularum intrinseca probabilitate. Unde mirum non est quosdam theologos posteriores, inter quos fuit Michael IV Autorianus, patriarcha œcumenicus (1207-26 augusti 1214) [2], voluisse corrigere et emendare anathematismos ad hanc controversiam spectantes, qui tempore Manuelis Comneni in *synodicum* introducti sunt ; quod tamen factum non est. Cæterum in synodico sola quarta sententia expresse rejicitur [3].

1. Anathematismi de hac controversia ad synodicum additi numero duo in plerisque codicibus occurrunt, in quibus tacetur nomen Constantini. Quidam tamen specialem anathematismum in hunc metropolitam præferunt. Anathematismus in Joannem Irenicum, qui in synodo mensis februarii anni 1170 quædam pænitentiæ signa dederat, nonnisi anno sequenti latus est. Cf. L. Petit, *loc. cit.*, p. 12.

2. Cf. A. Heisenberg, *Neue Quellen zur Geschichte des lateinischen Kaisertums und der Kirchenunion.* III. *Der Bericht des Nikolaos Mesarites über die politischen und kirchlichen Ereignisse des Jahres 1214*, Monaci, 1923 (*Sitzungsber. der bayer. Akad. der Wissensch. Philos.-philol. und hist. Klasse*, 3 Abhand.), p. 11-19. Nicolaus Mesarites anathematismorum formulas, prout in synodico leguntur, contra patriarcham tuetur.

3. Contra hanc sententiam in primo anathematismo hæc leguntur : « Τοῖς μὴ δεχομένοις τὴν τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ φωνὴν τήν · « Ὁ Πατήρ μου μείζων μου ἐστί », καθώς τε κατὰ διαφόρους τρόπους οἱ ἅγιοι ταύτην ἐξηγήσαντο..., ἀλλὰ τότε λέγουσι τὴν

ARTICULUS III

De deificatione naturæ assumptæ.

I. — Prænotamina.

Post sanctum Joannem Damascenum et alios, theologi byzantini, et etiam Græco-Russi moderni, humanitatem Christi, inde a primo instanti conceptionis et unionis hypostaticæ, deificatam fuisse communiter docent. Hanc autem deificationem non ita sane intelligunt, quod natura assumpta in divinitatem sit conversa, vel ita in se immutata, ut humanitatis notas essentiales amiserit vel limites excesserit creaturæ; sed quod statim ab initio, omnibus dotibus, prærogativis et charismatibus supernaturalibus a Verbo ditata fuerit, quæ in sua entitate finita capere potuit nec operi redemptionis hominum a Christo adimplendo obstabant. Ita autem Christo homini statim a principio omnia collata sunt, ut nullus in eo deinceps esse potuerit profectus seu progressus *veri nominis* sive in gratia et sanctitate, sive in scientia, sive in aliis dotibus et donis spiritualibus, quibus humanitatem Christi ex decore ornatam fuisse sapiens theologus conjicere potest. Unde haud pauci dicunt humanitatem assumptam, inde a conceptione, *glorificatam fuisse re quoad animam, jure saltem quoad corpus:* immo vero quidam errori Juliani Halicarnassensis et Gaianitarum suffragari videntur, corpori Christi viatoris illam claritatem inde ab initio tribuentes, quam nonnisi post resurrectionem, deposita corruptibilitate et passibilitate, recepit, quamvis dolorum, passionis et mortis in cruce veritatem haudquaquam negent. Hujus autem deificationis rationem unam assignant, nempe ipsam unionem hypostaticam.

τοιαύτην νοεῖσθαι φωνήν, ὅτε κατὰ ψιλὴν ἐπίνοιαν νοεῖται ἡ σὰρξ κεχωρισμένη τῆς θεότητος, ὥσπερ εἰ μηδὲ ἡνώθη... ἀνάθεμα. » In secundo autem anathematismo, qui Joannem Irenicum nominatim percellit, eadem opinio ita exprimitur : « Τοῖς λέγουσι.. οὕτω κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ῥηθῆναι ταύτην αὐτῷ, ὡς ὅταν τοῦτο γεγυμνωμένον καὶ κατὰ ψιλὴν ἐπίνοιαν διῃρημένον πάντῃ τῆς αὐτοῦ θεότητος, ὥσπερ εἰ μηδὲ ἡνώθη, ταύτῃ λαμβάνηται καὶ ὡς τὸ κοινὸν καὶ ἡμέτερον, ἀνάθεμα. »

Præterea, cum in divinitate Christi semper insistant, et unitatem personæ præ oculis semper habeant, quidquid Deo Verbo, utpote suæ humanitatis summo rectori et omnium utriusque naturæ operationum unico supposito, repugnare aliquatenus videtur, sine ulla cunctatione a Deo-Homine amovent. Unde naturæ assumptæ quædam in sensu proprio denegant; qua agendi ratione theologis occidentalibus aliquam admirationem vel erroris suspicionem movere possint.

II. — Quædam testimonia Byzantinorum de glorificatione humanitatis Christi a principio conceptionis.

De glorificatione humanitatis Christi quoad animam primum testimonium habemus Leonis Byzantii (sæc. VI) in *Libro II contra Nestorianos et Eutychianos*, qui speciatim dirigitur contra quosdam Catholicos sententiæ Juliani Halicarnassensis de impassibilitate et incorruptibilitate corporis Christi adhærentes. Varia argumenta, quibus Leontius Juliani positionem evertit, referre hic non habemus, præter unum solum, quod sic concipi potest : Si corpus a Verbo assumptum statim ab initio ea incorruptibilitate et impassibilitate donatum fuit, qua illud decorari videmus post resurrectionem a mortuis, et nonnisi *miraculose* pati et mori potuit, ergo nulla fuit *vera glorificatio* Christi post ejus mortem. *Glorificatio enim corpus ejus solum afficere potuit*, quandoquidem *secundum spiritum* (id est, *secundum animam, secundum mentem*) *gloriam semper habuit* [1].

1. *P. G.*, t. LXXXVI, col. 1321 D : « Πῶς γὰρ δὴ τὸ θεομίμητον ἕξομεν, μὴ συμπαθόντες τῷ πεπονθότι; πέπονθε δὲ πῶς, μὴ καθ' ἡμᾶς παθών; Οὐκ ἄρα δὲ πέπονθε καθ' ἡμᾶς, εἰ μὴ μεμένηκε καθ' ἡμᾶς. Δεδόξασται δὲ οὐδαμῶς, μὴ οὐχὶ τοῦτο λαβὼν κατὰ σάρκα, ὅπερ ἀεὶ ἔχων ἦν κατὰ πνεῦμα. » De mente Leonis Byzantii circa præsentem quæstionem fuse egimus in dissertatione : *La béatitude et la science parfaite de l'âme de Jésus viateur d'après Léonce de Byzance et quelques théologiens byzantins*, in commentario : *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. X (1921), p. 548-559. Contra nostram interpretationem quædam scripsit P. Galtier in commentario : *Recherches de science religieuse*, t. XV (1925), p. 55-68 (*L'enseignement des Pères sur la vision béatifique dans le Christ*),

In alio ejusdem libri loco, Leontius animæ Christi gloriam adhuc disertius tribuit. Postquam enim docuit Verbum omnium bonorum suorum consortem fecisse naturam a se assumptam, quin ejus integritatem et perfectionem naturalem immutaret aut destrueret [1], hæc bona, quibus per unionem hypostaticam ditata est, in hunc modum enumerat :

« Proprietas igitur *corporis* [2] non potest ex unione Verbi cognosci, sed ex virtute Spiritus Sancti formante ipsum corpus sine primis instrumentis naturæ; impeccabilitatem autem et plenam sanctitatem totamque cum Verbo sumente unitionem ac permistionem, esseque et vocari unum Filium, et

quæ fundamento carent, ut ostendit V. Grumel tum in articulo : *Le surnaturel dans l'humanité du Christ viateur d'après Léonce de Byzance*, in *Mélanges Mandonnet*, t. II (1930), p. 15-22, tum in *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Léonce de Byzance*, t. IX, col. 419, et fusius ostendi posset. Secundum P. Galtier, dictio : κατὰ πνεῦμα in loco supra laudato non designaret mentem humanam Christi, sed ejus divinitatem; dictio vero : κατὰ σάρκα totam naturam assumptam, et non tantum corpus indicaret. Verum hæc interpretatio cum toto contextu aperte pugnat. Inter Leontium enim et Juliani asseclas quæstio tota est de glorificatione corporis in se sumpti, abstractione facta ab anima seu mente. Unde vox σάρξ in loco laudato supponit tantum pro corpore; quæ hoc sensu multoties per totum hunc librum secundum a Leontio sumitur (cf. col. 1327 D, 1332 D, 1333 D, 1340 A, 1341 C, 1348 A et D), raro autem pro tota humanitate, quæ sæpius nuncupatur : ἀνθρωπότης vel τὸ ἀνθρώπινον. Recte autem hic anima Christi voce πνεῦμα designatur, quatenus πνεῦμα est pars superior animæ rationalis (pars autem inferior sæpius vocatur ψυχή), quandoquidem subjectum gloriæ animæ Christi viatoris erat pars animæ superior, id est πνεῦμα seu νοῦς. Anima Christi in Scripturis haud semel vocatur πνεῦμα. Cf. Luc., XXIII, 46; I Pet., III, 18. Cæterum, alia testimonia Byzantinorum, quæ hic proferimus, veritatem nostræ interpretationis confirmant. Inde a sæculo VI, gloria animæ Christi Byzantinis habetur ut quid necessario consequens unionem hypostaticam atque ab ea sponte fluens, circa quod nulla erat controversia. In quæstione tantum erat status corporis Christi. Unde nonnisi obiter loquuntur de hac animæ glorificatione.

1. *Ibid.*, col. 1336-1337 : « πάντων κεκοινώνηκε τῶν ἐκ τοῦ Λόγου καλῶν, μᾶλλον δὲ αὐτὴν πηγὴν τῶν καλῶν τὸν Λόγον ἔχουσα, πηγάζει ἐξ ἑαυτῆς πάντα τὰ τοῦ Λόγου διὰ τὸν Λόγον. »

2. « τὴν ἰδιότητα τοῦ σώματος ». Vides claram distinctionem poni inter proprietates corporis ut sic et prærogativas supernaturales ex unione hypostatica fluentes; quæ prærogativæ *directe* pertinere non possunt nisi ad animam Christi, ut patet ex earum enumeratione.

totius proprietatis filiationis clarissima signa ostendere Verbi connaturalis unio effecit; *a quibus divelli non potest beatitudo*, quandoquidem et unio est inseparabilis. Itaque constitutionem et proprietatem corporis ex operatione Spiritus Sancti profectam esse cognovimus, unionem vero non ex nuda operatione Verbi, sed ex substantiali ipsius Verbi permistione [1]. »

Leontius *potissimum* quidem ac *directe* hic loquitur de gratia, quam nostri theologi vocant *unionis;* verum, alludit etiam ad prærogativas *subjective* afficientes ac perficientes animam Christi, ut colligere est ex illa impeccabilitate ac totali sanctitate, quam memorat; item ex *beatitudine*, quæ ex tam intima cum Verbo *unitione* ac *permixtione* sponte fluit. Beatitudo autem prærogativas enumeratas ideo necessario consequitur et ab eis divelli non potest, quod unio *est indissolubilis*. Ad beatitudinem enim requiritur perpetuitas possessionis [2].

1. Τὴν τοίνυν ἰδιότητα τοῦ σώματος οὐκ ἐκ τῆς τοῦ Λόγου γνωρίζειν ἔστιν τῆς ἑνώσεως, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ Πνεύματος δυνάμεως, διαπλαττούσης αὐτὸ καὶ διαμορφούσης δίχα τῶν πρωτουργῶν τῆς φύσεως ὀργάνων · τὴν δὲ ἀναμαρτησίαν καὶ τὴν ὅλην ἁγιότητα, τήν τε ὁλικὴν πρὸς ὅλον τὸν εἰληφότα ἕνωσιν καὶ ἀνάκρασιν, καὶ τὸ ἕνα τε εἶναι καὶ χρηματίζειν Υἱὸν, καὶ ὅλης τῆς υἱικῆς ἰδιότητος τοὺς χαρακτῆρας φανοτάτους ἐπιφαίνεσθαι, ἡ τοῦ Λόγου συμφυὴς ἕνωσις κατειργάσατο · ὧν ἀναφαίρετος ἡ μακαριότης, ἐπειδὴ καὶ ἡ ἕνωσις ἀδιαίρετος. *Ibid.*, col. 1352 A.

2. P. Galtier, *loc. cit.*, p. 59, putat in toto textu agi de attributis divinis, quæ per solam idiomatum communicationem humanitati assumptæ tribuerentur. Unde verba : ὧν ἀναφαίρετος ἡ μακαριότης, sic gallice reddit : « De ces traits, qui caractérisent la personne du Fils, on ne saurait disjoindre la béatitude. » Ut autem probet τὴν μακαριότητα esse *attributum divinum*, provocat ad quosdam textus Theodoreti et Joannis Chrysostomi. Hanc interpretationem contextui repugnare et a Leontii mente alienam esse, totam Leontii argumentationem attente legenti haud ægre patebit. Eadem verba græca V. Grumel sic reddere proponit, *loc. cit.*, p. 21 : « La béatitude de ces dons (que constituent ces dons) est inamissible »; cui versioni obstant tum verborum græcorum naturalis structura, cum ὧν a voce μακαριότης separetur; tum ipsa vocis μακαριότης significatio, præsertim cum articulo adhibita ἡ μακαριότης, quæ sumi non potest pro *fruitione*, ἀπόλαυσις. Cæterum, ad impeccabilitatem et sanctitatem quod attinet, haud ignoramus inter theologos agitari quæstionem utrum gratia unionis per se solam humanitati assumptæ conferat tum impeccabilitatem, *tum sanctitatem formalem.*

In sua *Homilia in transfigurationem Domini*, Joannes Damascenus diserte docet humanitatem Christi, statim ab initio suæ creationis, *gloria divinitatis ditatam fuisse*, immo vero ipsum Christi corpus nunquam expers fuisse illius miræ claritatis, quæ in transfiguratione oculis apostolorum illuxit :

« Coram discipulis transfiguratur, qui semper eodem modo glorificatus, divinitatis fulgore collucet... Assumpta carne, idem est, eamdem divinæ gloriæ claritatem retinens. *Et glorificatur quidem caro simul atque ex nihilo ad esse producta est, et gloria divinitatis corporis gloria dicitur.* Unus enim Christus hoc et illud est, Patri consubstantialis et ejusdem nobiscum naturæ ac generis existens. *Tametsi ergo nunquam sanctum illud corpus divinæ expers gloriæ fuit, sed a primo hypostaticæ unionis momento invisibilis deitatis gloria locupletatum est, ita ut una eademque esset Verbi et carnis gloria, at gloria visibili corpori inhærens invisibilis erat,* nec ab iis cerni poterat qui carni alligati, ea capere non valebant quæ angelorum ipsorum aciem fugiebant. *Transfiguratur itaque, non id quod non erat assumens, sed id quod erat discipulis manifestans, eorum oculos aperiens et ex cæcis faciens videntes...* Corpus instar solis splendet : corporis siquidem ille lucis splendor fuit. Etenim communia hæc omnia unius Dei Verbi incarnati exstiterunt, tam quæ ad carnem quam quæ ad incircumspectam deitatem pertinebant. Et aliud erat id ex quo communes erant gloriæ dotes, et aliud ex quo passiones communes intelliguntur. *At vero vincit divinitas, et claritatem gloriamque suam ita corpori impertit, ut ipsa interim inter passiones passionum expers maneat* [1]. »

Haud parvam hic locus facessit difficultatem, quatenus corpori Christi, inde a conceptione, illam claritatem tribuere

1. *In transfigurationem Domini*, 12-13, *P. G.*, t. XCVI, col. 564-565 : « Καὶ δοξάζεται μὲν ἡ σὰρξ ἅμα τῇ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγωγῇ, καὶ ἡ θεότητος δόξα καὶ δόξα τοῦ σώματος λέγεται... Εἰ καὶ τοίνυν οὐδέποτε τὸ σῶμα τὸ ἅγιον ἀμέτοχον τῆς θείας δόξης ὑφέστηκεν, ἀλλ' ἐξ ἄκρας ἕνωσεως τῆς καθ' ὑπόστασιν τὴν δόξαν τῆς ἀοράτου τελείως πεπλούτηκεν, ὡς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἶναι δόξαν τοῦ Λόγου καὶ τῆς σαρκός, ἀλλ' ἀφανὴς ἡ δόξα ὑπάρχουσα τῷ φαινομένῳ σώματι, τοῖς μὴ χωροῦσι τὰ καὶ ἀγγέλοις ἀθέατα τῆς σαρκὸς δεσμίοις ἀόρατος ἐχρημάτιζε... Ἐκνικᾷ δὲ τὸ θεῖον καὶ μεταδίδωσι τῆς οἰκείας λαμπρότητος καὶ δόξης τῷ σώματι, αὐτὸ καὶ ἐν πάθεσι πάθους μένον ἀμέτοχον. »

videtur, quam nonnisi post resurrectionem in statu glorioso adeptum est. Verum animadvertas velim : 1° Voces σάρξ, σῶμα, non solum pro corpore supponere, sed etiam, *ut videtur*, pro tota humanitate Christi; 2° Hanc claritatem minime impedivisse quin corpus Christi revera passibile esset, ut Damascenus et hic et alibi diserte docet; unde ab errore Juliani Halicarnassensis immunis manet; 3° Gloriam corporis separatim sumpti gloriam animæ necessario supponere et implicare; 4° Gloriam de qua hic agitur non esse meram denominationem extrinsecam de humanitate assumpta prædicatam per simplicem idiomatum communicationem, sed aliquid reale ac positivum ponere in ipsa humanitate, dum Verbum ex unione hypostatica nihil novi in se experitur et in sua immutabilitate perseverat. Cæterum his animadversionibus non omnis dissipatur obscuritas [1].

Theodorus Abu-Qurra sui magistri Damasceni sententiam fideliter refert ac retinet, absque ambagibus asserens humanitatem Christi et *ipsum ejus corpus*, ab initio conceptionis, semper in se habuisse gloriam divinitatis, quam et in monte Thabor tribus discipulis, et post resurrectionem omnibus manifestavit; item eamdem humanitatem statim ab initio *omnia accepisse deificationis munera*, quæ nonnisi gradatim postea exterius manifestata sunt :

« Corpus æterni Filii, inquit, a principio suæ formationis et unionis hypostaticæ sine confusione perfectissime deificatum fuit, et factum est sine mutatione illud quod erat is qui ipsum unxit et, audeo dicere, ὁμόθεον. Verum æternus Filius *ei volenti* [2] concessit degere vitam more corporum humanorum,

1. Ad eamdem doctrinam Damascenus breviter alludit in opere, *De fide orthodoxa*, l. IV, c. XVIII, *P. G.*, t. XCIV, col. 1188 B C : « Αὐτὸς μὲν γὰρ δεδοξασμένος ἦν τε καὶ ἔστιν, ἀλλ' ἡμῖν οὐκ ἦν φανερωθεῖσα καὶ πιστωθεῖσα ἡ δόξα αὐτοῦ »; quæ verba nimis vaga sunt et incerta, et de sola divinitatis gloria accipi possent; explicantur vero ex dictis in *Homilia in Transfigurationem.*

2. « ἐθέλοντι ἐνέδωκεν αὐτῷ (= τῷ σώματι) διάγειν » : Vides τὸ σῶμα hic sumi pro tota humanitate Christi; ergo tum pro corpore proprie dicto, tum etiam, et quidem præcipue, pro anima; sola enim anima *libere vult.* Exinde concludere possumus etiam apud Damascenum, in loco supra laudato, voces σάρξ et σῶμα supponere pro tota humanitate Christi.

tum ut diabolum lateret, tum ut firmaretur fides ejus salutaris dispensationis; atque experiri aspera et molesta, et passiones suscipere ac mortem pro nobis vere et non ficte subire. Completa autem omni sua dispensatione, post resurrectionem a mortuis ostendit in propria carne gloriam suæ divinitatis. Ne autem existimaremus hanc gloriam, quæ in carne æterni Filii post resurrectionem ostensa est, extrinsecus advenisse, *sed crederemus eam fuisse manifestationem illius, quæ in ipsa abscondita erat a principio ipsius secundum hypostasim unionis sine confusione factæ*, hujus testimonium apertum dedit, quando ante passionem coram tribus discipulis suis in monte Thabor divinam ostendit gloriam in carne, quam etiam post ex mortuis resurrectionem patefecit. Deificata enim fuerat, ut jam diximus, æterni Filii caro perfectissima deificatione a principio suæ formationis [1].

Eamdem doctrinam de perfecta deificatione naturæ assumptæ statim ab initio, complectente utique hanc glorificationem, de qua loquuntur explicite Damascenus et Theodorus communiter tenuerunt theologi byzantini [2]. Palamitæ vero ad suæ theologiæ sensum traxerunt Patrum dicta, humanitati Christi in summo gradu tribuentes luminis tha-

1. *Epistola continens fidem orthodoxam missa a beato Thoma, patriarcha Hierosolymitano, ad hæreticos in Armenia, arabice dictata a Theodoro cognomento Abucara et a Michaele, presbytero et syncello Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in græcum sermonem translata (Inter opuscula Theodori,* op. IV*), P. G.*, t. XCVII, col. 1520-1521 : « Τὸ τοῦ ἀϊδίου Υἱοῦ σῶμα, ἀπ' ἀρχῆς τῆς ἑαυτοῦ διαπλάσεως καὶ τῆς καθ' ὑπόστασιν τοῦ ἀϊδίου Υἱοῦ ἀσυγχύτου ἑνώσεως, τὴν τελεωτάτην ἐθεώθη θέωσιν, καὶ γέγονεν ἀτρέπτως ὅπερ τὸ χρίσαν, καὶ θαρρῶ λέγειν, ὁμόθεον. Ἀλλ' ὁ ἀΐδιος Υἱὸς ἐθέλοντι ἐνέδωκεν αὐτῷ διάγειν κατὰ τὴν τῶν ἀνθρωπίνων σωμάτων διαγωγὴν... Πληρώσας δὲ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν οἰκονομίαν, ἀνέδειξε μετὰ τὴν ἑαυτοῦ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν ἐν τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ τὴν δόξαν τῆς ἑαυτοῦ θεότητος. Ἀλλὰ μὴ νομιστέον ταύτην τὴν δόξαν, τὴν ἐν τῇ σαρκὶ τοῦ ἀϊδίου Υἱοῦ, μετὰ τὴν ἐκ τάφου ἔγερσιν ἀναδεδειγμένην ἔξωθεν ἐπεισελθεῖν, ἀλλὰ φανέρωσιν εἶναι τῆς ἐν αὐτῇ κεκρυμμένης ἀπ' ἀρχῆς τῆς καθ' ὑπόστασιν ἀσυγχύτου ἑνώσεως. »

2. Cf. anathematismum supra laudatum, p. 654, Eustratii Nicæni, omnem progressum in anima Christi negantis et omnimodam perfectionem statum ab initio ei tribuentis. Item Nicephorus Blemmides, Περὶ πίστεως πρὸς τοὺς μοναχούς, *P. G.*, t. CXLII, col. 596-597 : « Ὅσον μὲν ἦν δεκτικὸν θείων αὐχημάτων τὸ ἀνθρώπινον τοῦ Χριστοῦ, μετέσχεν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Λόγου διὰ τὴν ἕνωσιν. »

borici, id est ipsius gloriæ Dei, visionem ac fruitionem necnon ipsius in corpus redundantiam; ei vero, utpote naturæ creatæ, denegantes contemplationem essentiæ divinæ, quæ, juxta eorum doctrinam, est omnino inaccessa, invisibilis et imparticipabilis [1]. Antipalamitæ vero, ii præsertim qui theologia Latinorum imbuti fuerant, inter gloriam animæ et gloriam corporis plane distinxerunt, illam admittentes, hanc negantes, utpote quæ cum passibilitate componi non possit, et in hoc a sententia Damasceni *aliquatenus*, id est *verbis saltem* recedentes. Ita inter alios Demetrius Cydones, qui theologorum Latinorum instar loquitur [2], et Isaacus Argyrus, ejus coævus [3].

1. Cf. ea, quæ supra retulimus, p. 88, de doctrina Palamæ. Cf. etiam Philotheum, *Tomus contra Prochorum Cydonium*, *P. G.*, t. CLI, col. 699, 702, et Joannem Cantacuzenum, *Contra Prochorum Cydonem*, *cod. Paris.*, *1241* : « Τὸ γὰρ φῶς τῆς θείας ὑποστάσεως καὶ ἡ ἀκτὶς καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ λαμπρότης φῶς καὶ ἀκτὶς τοῦ θείου ἐκείνου σώματος ἐγένετο καὶ δόξα καὶ λαμπρότης. » Provocabant Palamitæ ad verba Damasceni supra relata. Non negabant quidem carnem Christi passibilem fuisse ante resurrectionem; ipsi tamen tribuebant hanc claritatem, quam in monte Thabor ad horam manifestavit et post resurrectionem semper habuit. Ad hanc doctrinam consequenter adducebantur ex sua de natura luminis thaborici conceptione.

2. *Prochori apologia ad patriarcham Philotheum*, ed. J. Mercati in opere jam laudato, *Notizie di Procoro e Demetrio Cidone*, etc., p. 304-307 : « Ὡς ἄνθρωπος κατὰ μὲν τὴν ψυχὴν πρῶτον ὁμοῦ τε προσλαμβάνεται καὶ δοξάζεται, οὐκ ἀρετῆς γέρας κομισάμενος τὴν θεωρίαν τῆς δόξης ἐκείνης, ἀλλ' ὁμοῦ τε συλληφθεὶς καὶ προσληφθεὶς εἰς τὴν μακαριότητα κατὰ τὴν ψυχήν · κατὰ δὲ τὸ σῶμα μετὰ τὸ πάθος δοξάζεται, ἵνα πρότερον ὑπὲρ τοῦ κόσμου παθὼν πάντας εἰς ἐκείνην ἑλκύσῃ τὴν δόξαν · σῶμα γὰρ δεδοξασμένον πάσχειν ἀδύνατον... « Δόξασόν με, Πάτερ, τῇ δόξῃ, φησίν, ἣν εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί »· οὐχ ὡς Θεὸς τοῦτο λέγει, οὐδὲ κατὰ τὴν ψυχήν · οὐδέποτε γὰρ ἐκείνη τῆς θεωρίας ἀπέστη τοῦ Λόγου, ὑφ' οὗ καὶ προσείληπται, ἀλλ' ἦν ἅμα τῷ προσληφθῆναι δεδοξασμένη . κατὰ δὲ τὸ σῶμα μόνον φησί. » Vides Cydonem cum Leontio Byzantio omnino convenire, dum Damascenus et Theodorus Abu-Qurra obscurius loquuntur, et corpori Christi gloriam seu claritatem tribuere videntur, forsitan ob ambiguitatem verborum σῶμα, σάρξ, quibus totum Christi τὸ ἀνθρώπινον designant. Cydones erroris Juliani Aphthartodocetæ Palamitas insimulat.

3. *Contra Cantacuzenum*, in *cod. Vatic. 1096*, fol. 109ᵛ : « Τὸ τοίνυν ἀνθρώπινον τοῦ Χριστοῦ κατὰ μὲν τὴν παναγίαν αὐτοῦ ψυχὴν ἐξ αὐτῆς τῆς προσλήψεως τελειότατον ἦν καὶ πεπληρωμένον πάντων τῶν ἀγαθῶν,

Byzantinos animæ Christi viatoris gloriam seu visionem beatificam communiter tribuisse, etiam ubi hanc gloriam expresse non memorant, eam includentes in illa perfectissima deificatione de qua loquuntur, exinde etiam colligi potest, quod ipsi beatæ Theotoco, sive ante Verbi incarnationem, sive inde ab Annuntiatione, hoc privilegium diserte adscribunt. Ita, v. g., Michael Psellos [1] et Nicolaus Cabasilas [2].

III. — De scientia animæ Christi juxta theologos byzantinos.

In glorificatione animæ Christi includitur sane scientia perfectissima, id est scientia beatorum. Attamen theologi byzantini de scientia animæ Christi loqui solent separatim ab ejus glorificatione. Duo enim conceptus sunt distincti, cum gloria latius pateat quam scientia. Porro unam tantum Christi scientiam noverunt illi theologi, quæ statim ab initio perfectissima fuit, neque ullo progressui veri nominis obnoxia, quandoquidem scientia hujusmodi una fuit ex illis dotibus et charismatibus supernaturalibus, quæ in perfecta deificatione comprehenduntur. Unde, ex quo Agnoetarum secta exorta est, quæ animæ Christi quarumdam rerum ignorantiam tribuebat, theologi orthodoxi eam vehementer impugnarunt tanquam hæresi nestorianæ suffragantem. Ab hoc tempore, Byzantini communiter tenuerunt nullum realem profectum in Christo homine exstitisse sicut quantum ad sanctitatem et virtutes, ita etiam quantum ad scientiam et sapientiam. Scripturæ autem verba de quodam profectu loquentia ad meram manifestationem eorum quæ statim ab initio in interioribus Christi recondita erant, retulerunt.

ἃ ἐκ τῆς ἑνωθείσης αὐτῇ θεότητος αὐτῇ ἐχαρίσθησαν, δημιουργικῶς ὑποστάντα σὺν αὐτῷ..., κατὰ δὲ τὴν σάρκα, ἐπεὶ ὅλον τὸν παραπεσόντα Ἀδὰμ ἀνεδέξατο..., οὐκ ἦν φωτεινὸν ἐξ αὐτῆς τῆς προσλήψεως, οὐδὲ ἀθάνατον, οὔδε ἄφθαρτον. »

1. *Homilia in annuntiationem Deiparæ*, 4, ed. M. Jugie, in *P. O.*, t. XVI, p. 520-521 : « Εἰ δεῖ καὶ τοῦτο θαρρήσαντα εἰπεῖν, οὐ κατελιμπάνετο ὑπὲρ τὰ Σεραφίμ, καὶ πρὶν ἢ συλλαβεῖν ὁρῶσα Θεὸν καὶ ἀρρήτως ταῖς θεωρίαις συλλαμβάνουσα. »

2. *Homilia in dormitionem Deiparæ*, 10, ed. M. Jugie, *ibid.*, t. XIX, p. 507 : « Καὶ παρῆν τοῖς μέλλουσιν ἀγαθοῖς καὶ τὴν ἀποκειμένην τοῖς δικαίοις ἐβασίλευσε βασιλείαν ἐν τῷ παρόντι. »

Hujus scientiæ perfectissimæ præcipuos assertores habemus : 1º Eulogium Alexandrinum, qui Agnoetas confutavit in quodam opusculo a Photio in *Bibliotheca* memorato [1]; 2º Sophronium Hierosolymitanum in *Epistola dogmatica ad Sergium*, cui error Agnoetarum idem sonat ac error eorum qui merum hominem in Christo vident [2]; 3º Maximum Confessorem, qui tenet ignorantiam humanitatis Christi non posse componi cum unione hypostatica [3]; 4º Joannem Damascenum, qui suorum prædecessorum doctrinam dilucide contrahit, dicens Christum a primo instanti conceptionis perfectum fuisse tum in humana, tum in divina sapientia et omnium cognitionem habuisse non ex gratia, sed propter unionem hypostaticam [4]; 5º Photium, qui verba Damasceni sua facit [5]; 6º Nicephorum Blemmidem in *Sermone de fide ad monachos*, qui animæ Christi tribuit omnem sapientiam, divinam simul et humanam, omnem scientiam præteritorum, præsentium et futurorum propter unionem hypostaticam [6].

Cum autem quidam Patres, ante sæculum VI, aliquam ignorantiam animæ Christi tribuere visi sint, accidit ut propter eorum auctoritatem Byzantini quidam dubii hæserint inter

1. *Bibliotheca*, cod. CCXXX, *P. G.*, t. CIII, col. 1081 sq. : « Οὔτε γὰρ κατὰ τὴν θεότητα, οὔτε κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα τὴν ἄγνοιαν λέγειν ἐπ' αὐτοῦ θράσους ἐπισφαλοῦς ἠλευθέρωται », col. 1084 B.

2. *Epistola ad Sergium. P. G.*, t. LXXXVII, col. 3192-3193.

3. « Ὥσπερ γὰρ σίδηρος πεπυρακτωμένος πάντα τὰ ἰδιώματα τοῦ πυρὸς ἔχει · φωτίζει γὰρ καὶ καίει, οὐ μὴν φύσει ἐστὶ πῦρ, ἀλλὰ σίδηρος · οὕτω καὶ τὸ ἀνθρώπινον τοῦ Κυρίου, καθὸ μὲν ἡνώθη τῷ Λόγῳ, πάντα ἠπίστατο, καὶ τὰ θεοπρεπῆ ταῦτα ἐν ἑαυτῷ διεδείκνυτο · καθὸ δὲ φύσις ἀνθρωπεία ἐν αὐτῷ οὐχ ἥνωτο, λέγεται ἀγνοεῖν. » *Quæstiones et dubia*, q. LXVI, *P. G.*, t. XC, col. 840.

4. « Εἰ γὰρ ἀληθῶς ἡνώθη τῷ Θεῷ Λόγῳ ἡ σὰρξ ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως, μᾶλλον δὲ ἐν αὐτῷ ὑπῆρξε, καὶ τὴν ὑποστατικὴν πρὸς αὐτὸν ἔσχε ταὐτότητα, πῶς οὐ τελείως κατεπλούτησε πᾶσαν σοφίαν καὶ χάριν; » *De fide orth.*, l. III, c. XXII, *P. G.*, t. XCIV, col. 1088. Cf. *ibid.*, l. II, c. XXII, col. 948 A : « Καθ' ὑπόστασιν ἑνωθεῖσα Θεῷ Λόγῳ, πάντων τὴν γνῶσιν εἶχεν οὐ χάριτι, ἀλλὰ διὰ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. » Cf. *De duabus voluntatibus*, 28, *P. G.*, t. XCV, col. 177.

5. *Ad Amphilochium*, q. LXXX, *P. G.*, t. CI, col. 509.

6. *P. G.*, t. CXLII, col. 600-601 : « Καὶ ἦν τοῦ Κυρίου ψυχὴ πᾶσαν ἔχουσα σοφίαν, θείαν ἅμα δὴ καὶ ἀνθρωπίνην, πᾶσαν γνῶσιν τῶν γεγονότων, τῶν ὄντων, τῶν ἐσομένων, οὐ φύσει, οὐ χάριτι, διὰ δὲ τὴν πρὸς αὐτὸν τὸν μόνον σόφον... καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν. »

antiquorum Patrum sententiam et recentiorum doctrinam. Ita Michael Glykas, qui in dubio relinquit utrum Christus ut homo cognoverit naturam divinam, propter quædam Chrysostomi et Athanasii dicta [1].

IV. — De scientia animæ Christi apud Græco-Russos modernos.

Inde a sæculo XVI usque ad sæculi XVIII finem, theologi græco-russi doctrinam scholasticorum latinorum de triplici scientiæ animæ Christi communiter recipiunt. Ita Kiovienses et Russi, saltem ante theologiæ lutheranæ dominatum, qui in secundo sæculi XVIII dimidio, ut diximus, invaluit. Ita etiam rari theologi græci qui aliquod theologiæ dogmaticæ compendium plus minusve explicatum vel completum reliquerunt, ut Nicolaus Kursulas [2], Joannes Contones († 1761) [3], Eugenius Bulgaris [4]. Nostris vero diebus, sicut in præcipuis theologiæ dogmaticæ enchiridiis sæculo XIX conscriptis,

1. Εἰς τὰς ἀπορίας τῆς θείας Γραφῆς, c. LX, *ed. cit.*, t. II, p. 136-138 : Ἠπόρηται εἴτε τὴν θείαν οἶδε φύσιν, εἴτα καὶ μή. Ad affirmativam propendet Michael : « Ἥνωται μὲν γὰρ ἀληθῶς τῷ Θεῷ Λόγῳ καθ' ὑπόστασιν, καὶ ἦν ἐντεῦθεν ἀκόλουθον, ὥς γε δόκει τέως ἡμῖν, τὴν θείαν εἰδέναι φύσιν μετὰ ἀκριβείας, ἀλλ' ὁ τὰ θεῖα σοφὸς Ἀθανάσιος ὑποσκάζειν ἡμᾶς ἐπὶ τοῦτο ποιεῖ. » Nota exinde non sequi Glykam dubitasse de glorificatione animæ Christi, quandoquidem non solum Palamitæ, sed etiam alii Byzantini ipsis beatis denegant visionem essentiæ divinæ, utpote omni menti creatæ prorsus inaccessam.

2. *Op. cit.*, t. II, p. 205-213. Hic theologus de scientia beata animæ Christi expressis verbis non loquitur, sed illam manifeste supponit, ubi dicit animam Christi omnia in Verbo cognoscere, præterita, præsentia et futura, quanquam, utpote finita, non cognoscit omnia possibilia : « Ἡ ὀρθόδοξος πίστις, inquit, διαρρήδην ὁμολογεῖ τὴν ψυχὴν τοῦ Χριστοῦ, ἅμα τῷ πλασθῆναι, πεπληρῶσθαι σοφίας καὶ χάριτος, ὥστε μηδὲν μετὰ ταῦτα μεμαθηκέναι καὶ μηδὲν ποιῆσαι διορθώσεως ἄξιον. » Loquitur etiam de scientia acquisita (ἡ ἐπίκτητος σοφία) necnon de scientia infusa (ἡ ἐπίχυτος γνῶσις).

3. Θεολογία συνοπτικὴ ἐκ τῶν θείων γραφῶν καὶ ἱερῶν συνόδων συνερανισθεῖσα καὶ ἀποδειχθεῖσα, Zacynthi, 1861, p. 65-66 (opusculum parvi momenti) : Ἡ μακαρία γνῶσις, ἡ ἐγκεχυμένη, ἡ ἐπίκτητος.

4. *Op. cit.*, p. 535-538. Bulgaris compendiose tradit doctrinam communem nostrorum scholasticorum : « Τριττὴν οὖν οἱ θεολογοῦντες γνῶσιν ἐπὶ Χριστοῦ διακρίνουσι, τὴν μὲν μακαρίαν ἐν τῇ ἐποπτικῇ τοῦ Θεοῦ ὁράσει ὑφισταμένην, τὴν δὲ θεόπνευστον (= infusam), τὴν δὲ ἐπίκτητον. » P. 535.

quæstio de scientia humana Christi vix tangitur, nec ullum fit verbum de scientia beata animæ Christi. Omnes humanitatis assumptæ prærogativas implicite includunt in illa a primo instanti conceptionis deificatione, de qua post antiquos mentionem facere consueverunt [1].

V. — De agendi modo voluntatis humanæ Christi sub Verbi directione ac motione.

Quædam satis obscura et involuta habent, post sanctum Maximum Confessorem, theologi byzantini de voluntate humana Christi ejusque libertate, ad quorum elucidationem sequentes animadversiones aliquid conferre posse existimamus.

Cum Monothelitæ unam tantum in Christo voluntatem seu volitionem (θέλησις, θέλημα) ponerent, quam *hypostaticam* seu *personalem* appellabant, eo quod (aiebant) unus in Christo sit volens (εἷς ὁ θέλων), non negantes quidem — quod multi putant — humanitatem Christi revera habere illam facultatem naturalem, quam *voluntatem* vocamus, neque hujusmodi facultatem aliquando in actum prorumpere et proprias volitiones libere elicere, sed hanc facultatem ejusque volitiones in obscuro relinquentes atque de eis tacentes, nec eas vocibus θέλησις, θέλημα designari posse concedentes, ne Christum dividerent et voluntatum contrarietatem ei tribuere viderentur [2], sanctus Maximus Confessor ad hoc adductus est, ut duplicem in homine distingueret voluntatem seu volitionem, *volitionem* [3] scilicet *naturalem*, et volitionem *hypostaticam* seu *personalem*.

1. Vi hujus deificationis, ait Macarius, *op. cit.*, t. II, p. 95, natura humana in suis facultatibus summo gradu elevata ac perfecta est, quantum hoc fieri potest intra humanitatis limites. Athanasius Pariensis, *op. cit.*, p. 329 : « Ἐν τῇ τοιαύτῃ θεώσει ἅπαντα συλλήβδην ἐνεῖναι δεῖ ὁμολογεῖν τὰ θεῖα χαρίσματα, οὐ κατὰ μετάδοσιν..., ἀλλ' ἐκ τῆς ἀφράστου καὶ ὑπὲρ λόγον ἑνώσεως. »

2. De vera Monothelitarum doctrina vide ea quæ scripsimus in *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Monothélisme*, t. X, col. 2307-2323.

3. Inter Monothelitas et theologos orthodoxos quæstio directe erat non de voluntatibus ut *facultatibus*, sed de *actibus* seu volitionibus. Unde sæpius adhibebant vocem θέλημα, et vocem ipsam θέλησις pro volitione usurpabant.

Porro *voluntas naturalis* est spontanea atque indeliberata inclinatio ad bonum naturæ congruum, quæ in omnibus hominibus invenitur. Bonum autem naturæ congruum, secundum Maximum et alios, est bonum in se, nec potest esse malum, cum natura a Deo bona condita sit. Peccatum autem ab eis dicitur *contra naturam*, παρὰ φύσιν. Unde voluntas naturæ seu *naturalis* et *physica* sensu proprio accepta est semper bona et omnis peccati expers. Nihil ergo prohibet quin talem *voluntatem seu volitionem physicam* Christo homini tribuamus. Ideo concilium œcumenicum sextum definivit in Christo esse duas *naturales voluntates* seu *volitiones*, δύο φυσικὰς θελήσεις ἤτοι θελήματα, humanam scilicet et divinam. Attamen volitio naturalis humana Christi non eodem modo eliciebatur ac in nobis; siquidem hujusmodi motus naturalis in nobis non est liber, sed simpliciter spontaneus; in Christo autem volitio physica humana erat libera, et quidem duplici titulo, nempe ex parte personæ Verbi suam humanitatem regentis ac pro libitu moventis eamque proprios actus operari sinentis; et ex parte ipsius humanæ voluntatis, cujus motus omnes ex ejus pendebant arbitrio nec ulli necessitati subjacebant.

Præter hanc voluntatem physicam seu naturalem, adest in unoquoque homine voluntas seu volitio quæ *hypostatica* vocari potest, id est, *a persona ut sic procedens;* et versatur circa objecta particularia ad quæ voluntas non fertur sponte ac naturali impulsu, sed quæ agentis liberæ electioni patent. Unde, dum volitio physica nuncupatur : τὸ ἁπλῶς θέλειν, id est, *simpliciter velle*, volitio hypostatica nominatur : τὸ πῶς θέλειν, τὸ τί θέλειν, id est, *velle tali vel tali modo, velle hoc vel illud.* Volitio hypostatica in homine non perficitur, nisi præcesserint 1° *deliberatio*, βούλευσις; 2° *judicium*, κρίσις; 3° *propensio ad unum præ altero*, quæ a Græcis vocatur γνώμη seu θέλημα γνωμικόν; 4° ipsa *electio proprie dicta*, προαίρεσις. Hæc electio unius præ altero post aliquam deliberationem pro libitu elicita potest esse moraliter bona vel mala; potest versari circa id quod est *contra naturam*, id est, circa peccatum. Supponit insuper tum *aliquam ignorantiam præviam* circa finem seu *volitum* (τὸ βουλητόν, τὸ θελητόν), quandoquidem aliqua deliberatio præcedit electionem; tum *indifferentiam*

circa finem seu volitum. Ex his patet hujusmodi volitionem hypostaticam, quam etiam *gnomicam* appellant, humanitati Christi tribui non posse, 1° quia hæc non est persona seu suppositum volens et *proprio ac independenti motu* unum præ alio *initialiter* eligens; 2° quia in Christo homine nulla adest ignorantia, quæ deliberationem postulet; 3° quia voluntas humana Christi est omnino impeccabilis, neque unquam ferri in malum vel peccatum eligere potest; 4° quia Christus homo non manet indifferens, ἀδιάφορος, sed semper libere vult quidquid sibi ut Deo placet.

Ob rationes hujusmodi Maximus, Damascenus, Photius et alii theologi byzantini Christo homini denegarunt tum deliberationem, βούλευσιν, tum volitionem *gnomicam*, τὸ θέλημα γνωμικόν, tum *volitionem electivam*, τὴν προαίρεσιν, τὸ θέλημα προαιρετικόν, quin libertatem voluntatis humanæ Christi labefactarent vel minuerent. Eo enim sensu tum deliberationem, tum τὴν γνώμην, tum τὴν προαίρεσιν ab humanitate Christi amoverunt, quo hujusmodi actus in nobis imperfectiones præferunt, quæ Christum hominem minime deceant, vel ejus humanitatem exhibeant ut principium quod autonomum *proprio motu primum et initialem dans ad agendum impulsum.* Unde Nicephorus Blemmides duas γνώμας et duas προαιρέσεις optime distinxit :

« Electio procedens ex inclinatione in utramque partem (= ἡ ἀμφιρρεπὴς προαίρεσις), inquit, non erat in Christo. *Electionis sane capax erat Christus, utpote liber etiam secundum humanitatem, quia et rationabilis erat.* Omne enim rationabile libero donatur arbitrio, et qui liberum habet arbitrium etiam eligendi facultate gaudet. Consilio autem et consideratione et judicio (γνώμῃ) et electione (προαιρέσει) et attentione seu vigilantia (νήψει) *sicut nos* minime egebat... *Electio siquidem simpliciter accepta est processus ad electum seu volitum, sive liber absque deliberatione impetus ad volitum*, omni creaturæ ratione præditæ natura inhærens. Iterum, electio dicitur *unius præ altero optio, quæ fit præeunte deliberatione;* quam subsequuntur judicium, propensio ad id quod ex deliberatione judicatum est, quæ dicitur γνώμη; demum electio de qua hic agimus, id est, selectio ejus quod bonum visum est. Electionem hujusmodi nemo recte sentiens in Christo ponet.

Quali enim deliberatione, vel quo eorum, quæ ad hanc pertinent, egeat consiliarius admirabilis, sapientia Dei et Patris?.. Ut Deus, Christus bonus erat. Tendebat etiam libere, ut homo, in bonum, quod est secundum naturam. Quemadmodum enim malum et peccatum sunt contra naturam, παρὰ φύσιν, ita bonum et virtus sunt secundum naturam, κατὰ φύσιν [1]... Γνώμη vero seu *sententia* dupliciter dicitur : Vel enim accipitur pro simplici motu ad volitum, secundum rationem et cum cognitione se exserente in creaturis ratione donatis; vel est quædam dispositio seu propensio ad id quod ex deliberatione et judicio præviis ut bonum probatum est. Tutum non est Christo tribuere τὴν γνώμην seu volitionem gnomicam altero sensu acceptam, utpote secum ferentem ignorantiam [2]. »

Si non in Christo homine, a fortiori nec in Christo Deo ponendæ sunt γνώμη et προαίρεσις quæ hæsitationis, deliberationis et ignorantiæ imperfectiones secum ferant. Sed personæ Verbi sane tribuenda est *volitio proprie hypostatica*, id est, *electio autonoma, prævia et initialis eorum omnium ad quæ voluntas humana Christi, movente ac permittente Verbo, libero motu ferebatur.* Humanitas enim Christi, quamvis libertate donata, non erat plene autonoma et sui juris, sed a persona Verbi modo sibi congruo pro libitu movebatur. Ut dilucide loquitur Damascenus :

« Mens Christi, ubi a præstantiori permittitur, proprium manifestat principatum. Verum, superatur obsequiturque præstantiori, ea operans quæ vult divina voluntas... Quoniam enim unus Christus, unaque itidem ejus persona est, unus etiam proinde est volens divinitus simul et humanitus... et idem inde dicemus *volitum* (θελητόν), non quod ea sola vellet, quæ naturaliter ut Deus volebat (neque enim divinitati convenit, ut edere velit, et bibere aliaque id genus),

1. Nota bonum κατὰ φύσιν, secundum Maximum et alios, non esse tantum bonum in communi, sed omne bonum naturæ rationali congruum, ergo etiam omnium virtutum objecta et quidquid est honestum.

2. *Sermo de fide ad monachos, loc. cit.*, col. 593, 600 D : « Προαίρεσις μὲν οὖν ἁπλῶς ἐστι πρόοδος πρὸς τὸ αἱρετὸν, ἤγουν αὐτεξούσιος ἄλογος ὁρμὴ πρὸς τὸ θέλητόν, ἥτις πρόσεστι κατὰ φύσιν παντὶ λογικῷ. »

sed etiam ea quæ naturam humanam constituunt, istud vero non sententiæ contrarietate (οὐκ ἐν ἐναντιότητι γνώμης) sed naturarum proprietate. *Tunc enim ea naturaliter volebat, cum divina ipsius voluntas ita volebat et carni propria pati et agere permittebat* [1]. »

His ita enucleatis, Patres orientales et theologi byzantini, eorum discipuli, circa ea quæ de Christi voluntate hypostatica et gnomica, vel voluntate humana physica protulerunt, ab omni errore videntur immunes [2].

1. *De fide orthodoxa*, l. III, c. VI, XIV, XVIII, *P. G.*, t. XCIV, col. 1005 B, 1036-1037, 1076 C. Cf. *De duabus voluntatibus*, 26-27, 39-43, *P. G.*, t. XCV, col. 157-160, 177-184 : « Ὅτε μὲν παραχωρεῖται ὑπὸ τοῦ κρείττονος, τὴν οἰκείαν ὁ νοῦς τοῦ Χριστοῦ ἡγεμονίαν ἐνδείκνυται. Ἐκνικᾶται δὲ καὶ ἕπεται τῷ κρείττονι, καὶ ταῦτα ἐνεργεῖ, ἃ ἡ θεία βούλεται βούλησις... Ὥστε ἤθελε μὲν αὐτεξουσίως κινουμένη ἡ τοῦ Κυριόυ ψυχή, ἀλλ' ἐκεῖνα αὐτεξουσίως ἤθελεν, ἃ ἡ θεία αὐτοῦ θέλησις ἤθελε θέλειν αὐτήν. » Col. 1005 B, 1076 C. De hac agendi ratione voluntatis humanæ Christi sub Verbi motione ac directione vide præter Damascenum : 1° S. Sophronium, in *Epist. synodica ad Sergium*, Mansi, *Coll. concil.*, t. XI, col. 484-485; 2° S. Maximum, *Tomus dogmaticus ad Marinum*, *P. G.*, t. XCI, col. 77 B, 81 D; *Ambiguorum liber*, *ibid.*, col. 1056 A; 3° Theodorum Abu-Qurra. *Opusculum*, IV, *P. G.*, t. XCVII, col. 1517-1521; *Opusc.*, VII, col. 1525; 4° Nicephorum Blemmidem, *loc. cit.*, col. 596 A, 600 CD.

2. De utraque volitione, physica nempe et hypostatica seu gnomica, in Christo, vide 1° Maximum, *P. G.*, t. XCI, *Opuscula polemica*, passim (cf. V. Grumel, art. *Maxime le Confesseur*, in *Dict. de théologie catholique*, t. X, col. 455-456); 2° Joannem Damascenum, *De fide orthodoxa*, l. III, c. VI, XIII-XVIII, *P. G.*, t. XCIV, col. 1001-1008, 1033-1078; *De duabus voluntatibus*, col. 26-27, 39-43, 157-160, 177-184; cf. M. Jugie, art. *Jean Damascène (Saint)*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VIII, col. 713, 734-735; 3° Photium, q. LXXX *ad Amphilochium*, *P. G.*, t. CI, col. 508-542, qui quæstionem ex professo tractat; non tamen omnia ejus argumenta sunt ad rem, et quædam habet satis obscura; cf. Hergenröther, *Photius*, t. III, p. 513-534; 4° Nicephorum Blemmidem, *loc. cit.*, qui quæstionem clarius explicat. De operationibus et voluntatibus Christi juxta Græcorum doctrinam contra Monothelitas fuse disserit Petavius per libros integros VIII et IX *De incarnatione;* verum non perfecte intellexisse videtur quare S. Maximus distinctionem invexerit inter *volitionem naturalem* et *volitionem hypostaticam.* Putavit enim quæstionem inter Catholicos et Monothelitas fuisse non solum de volitionibus, sed etiam de voluntatibus qua facultatibus. Item Stewartius, in sua *Dissertatiuncula de voluntate gnomica Christi contra Photium*, *P. G.*, t. CI, col. 543-550, positionem Græcorum haud clare perspexit.

VI. — De prosopica agendi ratione Christi.

Post Gregorium Nazianzenum (*Or.*, XXXVI) et Maximum (*Sol. dub. ad Marinum*), Joannes Damascenus duplicem in Verbo incarnato distinguit appropriationem (οἰκείωσιν) : unam scilicet *naturalem* et *substantialem*, qua naturæ humanæ propria vere in se suscepit, egit, expertus est, passus est; alteram, quam vocat *prosopicam* seu personalem et *relativam*, qua quædam humano more egit vel locutus est, non quod hæc ipsi proprie convenerint vel ipsum intime affecerint, vel ea revera in se expertus sit, sed quia personam et vices nostras gerebat, nomine nostri agens aut loquens, aut agendorum nobis exemplum in se demonstrare volens. Secundum hoc appropriationis genus dicit Christum orasse, nempe ut orandi necessitatem nobis inculcaret : « Neque enim, inquit, sancta Domini mens, secundum hypostasim semel Deo unita, elevatione in Deum egebat; nec rursus ei opus erat, ut quidquam a Deo postularet — unus enim est Christus — verum, quia personam nostram sustinebat, id quod nostrum erat in seipso exprimens, et exemplar nobis factus, a Deo postulare nos docens et per sanctam ejus mentem ascensum nobis ad Deum muniens [1]. »

Ad eamdem appropriationem refert : 1° verba Christi in cruce morientis : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Matth., XXVII, 46) [2]; 2° Verba Apostoli : *Factus est pro nobis maledictum* (Gal., III, 13). — *Pro nobis peccatum*

1. *De fide orthodoxa*, l. III, c. XXIV, *loc. cit.*, col. 1089-1092. Cf. *Homil. in Transfigur.*, 10, ubi alias orationis Christi rationes enumerat, nempe ut ostenderet se Deo minime adversari, sed Patrem tanquam sui principium honoraret, ut humanitatem suam sineret propria agere, per seipsam roborari et erudiri et rebus divinis experientia initiari; insuper ut diabolum, sedulo an Deus esset observantem, inescaret.

2. *Ibid.*, col. 1092-1093 : « ὥστε τὸ ἡμέτερον οἰκειούμενος πρόσωπον ταῦτα προσηύξατο. » Vides quam longe distet hæc interpretatio ab illa, quæ inter theologos latinos communis est! De iisdem verbis dissertatiunculam habet Scholarius, *Œuvres complètes*, t. III, p. 315-319, qui, præter sententiam Damasceni, duas alias a Græcis datas explicationes refert, et ipse duas novas proponit, nec earum ulla cum communi Latinorum interpretatione congruit.

fecit (II Cor., V, 21). — *Ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit sibi omnia* (I Cor., XV, 36) [1].

VII. — De communicatione idiomatum juxta doctrinam Russorum lutheranizantium sæculi XVIII.

Cum Theophanis Procopovitch cursui theologico deesset tractatus de redemptione per Christum, Samuel Mislavskii ex operibus theologorum lutheranorum sæculi XVII, J. E. Gerhardi scilicet, Quenstedti et aliorum, hunc tractatum conflavit. Unde mirum non est *Theologiæ christianæ* Theophanis, prout ab ipso Samuele annis 1782-1784 edita est, lutheranas sententias irrepsisse; quæ in compendia classica ad mentem ejusdem Theophanis redacta postea transierunt. Ad christologiam quod attinet, specialis in his compendiis occurrit theoria de idiomatum communicatione, cujus triplex genus distinguunt :

Primum genus, ait Sylvester Lebedinskii, est quando ea quæ Deo propria sunt, homini, et quæ homini propria sunt, Deo propter unionem hypostaticam tribuuntur; quod speciatim dicitur communicatio idiomatum. Hujusmodi communicatio fit per nomina concreta et est reciproca; quam omnes theologi catholici admittunt [2].

Communicationis idiomatum secundum genus illud est quo *humanæ naturæ, etiam per nomina abstracta*, communicantur *quædam attributa divina*, ea scilicet quæ dicuntur *operativa*, ἐνεργητικά, ut omnipotentia, omniscientia, vis miracula patrandi, vivificandi, dominium supra omnes creaturas et cultus divinus; non vero communicantur attributa divina, quæ dicuntur *quiescentia*, ἀνενέργητα, qualia sunt infinitas, immensitas, æternitas, etc. Hæc communicatio dicitur prærogativarum seu αὐχημάτων communicatio; *quæ non est reciproca*, sed dicitur tantum respectu humanæ naturæ, quatenus divinis ditatur proprietatibus. Non enim proprietates humanitatis divinitati re communicatæ sunt, nec de ea in abstracto prædicari possunt [3].

1. *Ibid.*, l. III, c. XVIII, col. 1185-1188.

2. S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 323, 327-329.

3. *Ibid.*, p. 323-324, 329-332. Thesim suam Lebedinskii his verbis concipit : « Attributa divina quæ dicuntur ἐνεργητικὰ sive operantia, ut

Communicatio hujusmodi per nomina abstracta a theologis catholicis merito rejicitur. Usurpari enim non potest nisi *abusive*, *improprie* et secundum quamdam analogiam etiam quantum ad attributa operativa. Natura enim humana Christi non est omnipotens vel omnipotentia, sicut Deus est omnipotens et omnipotentia; nec est omniscia vel omniscientia eodem gradu ac Deus; totaliter namque comprehendere non potest naturam divinam, cum sit creata et finita.

Porro Lebedinskii et alii Theophanis discipuli sententiam Lutheri de ubiquitate vel omnipræsentia humanitatis Christi expresse rejiciunt, quia, inquiunt, omnipræsentia non ad operativa, sed ad quiescentia divinitatis attributa pertinet. Unde communicari non potest [1].

Tertium, quod ponunt, communicationis genus nihil aliud est quam communicationis primi generis quædam species, quandoquidem illud ita definiunt : « Tertium genus est, cum opus redemptionis toti personæ vel alterutri adscribitur naturæ. Hinc dicere possumus : *Christus est mortuus.* — *Habemus redemptionem per sanguinem ejus* [2]. »

ARTICULUS IV

De motivis Incarnationis.

Nulla unquam inter Byzantinos exorta est controversia de motivo seu ratione ob quam Deus, in præsenti rerum ordine, incarnationem Verbi de facto decreverit, utrum scilicet eam decreverit independenter, an dependenter a lapsu hominis, ita ut Verbum incarnatum non fuisset, si Adam non peccasset. De hac quæstione illi sermonem quidem fecerunt,

omniscientia, omnipotentia, vis miracula patrandi, vivificandi, dominium supra creaturas, cultus divinus, humanæ in Christo naturæ ita communicantur, ut de ea etiam in abstracto sumpta prædicari possint. » Eadem habet Theophylactus Gorskii, *op. cit.*, ed. Petropoli, 1818, p. 160-162.

1. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 332-334.
2. *Ibid.*, p. 325.

sed plerumque obiter tantum, nec, sicut scholastici nostri solent, in decretis divinis logice ordinandis insudarunt. Porro, modo unam tantum rationem, modo duas, modo plures memorarunt, propter quas Verbum naturam humanam hypostatice sibi unire voluerit. Plerique eam protulerunt solam, quam et Patres communiter proponunt et omnes in symbolo profitemur : *Propter nos et propter nostram salutem descendit de cælis.* Animadverte vero illos rationem hujusmodi per simplicem affirmationem plerumque proferre, rarissime vero uti *propositione exclusiva* et dicere : *Si Adam non peccasset, Filius Dei homo non factus fuisset.* Unde variarum opinionum in Schola libere disputatarum tenaces eorum dicta caute ad se trahere debent.

Haud pauci clari nominis theologi, inde a sæculo VII, docuerunt incarnationem Verbi esse opus Dei præstantissimum ad extra, ad quod Deus de facto ordinavit creationem totius universi, angelis non exceptis. Hujus autem divini propositi quidam hanc ponunt rationem scilicet quod Deus per incarnationem sibi quodammodo unire voluerit omnem creaturam, quod homo sit *microcosmus* in se comprehendens ac recolligens omnes res creatas. Unde docent Verbum naturam angelicam ideo non assumpsisse, quod hæc per se non sit, sicut est homo, quasi summa totius creaturæ. Quidam vero eo usque pergunt, ut dicant : *Si incarnatio Filii sui non futura fuisset, Deus opus creationis non intendisset nec lapsum Adami permisisset, quia tunc opus hujusmodi quasi nullius momenti atque inutile fuisset.* Unde quasi duplex momentum, duplicem stationem in divini consilii exsecutione statuunt : primam quidem, qua Deus creavit totum hoc universum tanquam typum ac figuram quamdam incarnationis futuræ, permittens etiam Adami lapsum, quia Verbum incarnatum naturam humanam reformaturum erat; alteram vero, qua incarnationis opus perfecit, per hoc omnem creaturam sibi quodammodo uniens, lapsum Adami reparans et omnes creaturas intellectuales deificans, ut ita ipse fiat omnia in omnibus. Hujus sublimis speculationis lineas omnes apud unum eumdemque auctorem raro invenire est. Quidam enim præcipuas tantum notant; imo alia quædam in suis scriptis quandoque ponunt quæ cum conceptu hujusmodi pugnare

videntur. Theoria plene evoluta non apparet ante sæculum XIV.

Eam jam sæculo VII paucis adumbrat sanctus Maximus Confessor († 662) in q. LX *Ad Thalassium :*

« Decebat, inquit, ut qui universorum conditor esset ac natura factus esset, secundum dispensationem, quod non erat, seipsum immutabilem servaret tum quantum ad hoc quod erat secundum naturam, tum quantum ad hoc quod natura secundum dispensationem factus fuerat. Non enim comparatum est, ut mutatio in Deo intelligatur, in quo nullus penitus motus intelligitur, circa quem contingit moveri ea quæ motu aguntur. Istud est magnum et absconditum mysterium. *Iste beatus finis ob quem cuncta condita sunt.* Hic divinus scopus origini rerum præcognitus, quem definiendo esse dicimus *præconceptum finem, cujus gratia omnia, ipse vero nullius gratia. In hunc finem respiciens Deus, rerum naturas produxit. Hic proprie est Providentiæ terminus, secundum quem eorum quæ ab ipso facta sunt, fit in Deum recapitulatio seu recollectio.* Hoc est mysterium omnia circumscribens tempora, *superinfinitumque ac infinities infinite sæculis præexistens magnum Dei consilium manifestans,* cujus consilii ipse nuntius extitit ipsum per essentiam Dei Verbum homo factum, qui, si fas loqui, ipsum penitissimum paternæ bonitatis fundum manifestavit et in eo ostendens finem ob quem plane ea quæ facta sunt principium essendi (τὴν πρὸς τὸ εἶναι ἀρχὴν) acceperunt. *Nam propter Christum sive Christi mysterium omnia sæcula et quæ in ipsis sæculis sunt, principium et finem essendi in Christo nacta sunt. Ante sæcula enim concepta est unio finiti et infiniti,* mensuræ et immensitatis, termini et interminati, creatoris et creaturæ, quietis et motus, *quæ in Christo novissimis temporibus manifestato facta est, Dei præscientiæ adimpletionem per seipsam præstans;* ut circa id quod per essentiam omnino immobile est, stent ea quæ natura moventur, jam prorsus motus expertia tum in seipsa tum in alia, atque experientia accipiant illius, in quo quiescere digna habita sunt, actualem cognitionem, nulli mutationi obnoxiam, quæ illis præbeat cogniti fruitionem... Decebat revera, ut qui secundum naturam essentiæ rerum conditor erat, deificationis secundum gratiam eorum quæ facta fuerunt, auctor ipse

existeret, ut qui esse dederat, τοῦ bene esse perpetui largitor eluceret [1]. »

1. *P. G.*, t. XC, col. 621, 624 D : « Τοῦτό ἐστι τὸ μέγα καὶ ἀπόκρυφον μυστήριον. Τοῦτό ἐστι τὸ μακάριον, δι' ὃ τὰ πάντα συνέστησαν, τέλος. Τοῦτό ἐστιν ὁ τῆς ἀρχῆς τῶν ὄντων προεπινοούμενος θεῖος σκοπός, ὃν ὁρίζοντες εἶναί φαμεν « προεπινοούμενον τέλος οὗ ἕνεκα μὲν πάντα, « αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκα ». Πρὸς τοῦτο τὸ τέλος ἀφορῶν, τὰς τῶν ὄντων ὁ Θεὸς παρήγαγεν οὐσίας. Τοῦτο κυρίως ἐστὶ τὸ τῆς προνοίας καὶ τῶν προνοουμένων πέρας, καθ' ὃ εἰς τὸν Θεὸν ἡ τῶν ὑπ' αὐτοῦ πεποιημένων ἐστὶν ἀνακεφαλαίωσις... Διὰ γὰρ τὸν Χριστὸν, ἤγουν τὸ κατὰ Χριστὸν μυστήριον, πάντες οἱ αἰῶνες καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς τοῖς αἰῶσιν ἐν Χριστῷ τὴν ἀρχὴν τοῦ εἶναι καὶ τὸ τέλος εἰλήφασιν. Ἕνωσις γὰρ προϋπενοήθη τῶν αἰώνων, ὅρου καὶ ἀοριστίας..., καὶ κτίστου καὶ κτίσεως..., ἥτις ἐν Χριστῷ ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων φανερωθέντι γέγονε, πλήρωσιν δοῦσα τῇ προγνώσει τοῦ Θεοῦ δι' ἑαυτῆς... — Ἔδει γὰρ ὡς ἀληθῶς τὸν κατὰ φύσιν τῆς τῶν ὄντων οὐσίας δημιουργὸν καὶ τῆς κατὰ χάριν αὐτουργὸν γενέσθαι τῶν γεγονότων θεώσεως, ἵνα ὁ τοῦ εἶναι δοτὴρ φανῇ καὶ τοῦ ἀεὶ εὖ εἶναι χαριστικός. » De eodem magno Dei consilio, quo Deus omnia sibi unire decrevit per incarnationem, alibi loquitur Maximus, v. g., in *Ambiguorum libro*, *P. G.*, t. XCI, col. 1308-1313, ubi hoc consilium connectitur cum decreto reparandi lapsum Adami : « Ἀμέλει τοι τῆς καθόλου τῶν πάντων πρὸς ἑαυτὸν ἑνώσεως ἐκ τῆς ἡμῶν ἀρξάμενος διαιρέσεως, γίνεται τέλειος ἄνθρωπος, ἐξ ἡμῶν δι' ἡμᾶς καθ' ἡμᾶς πάντα τὰ ἡμῶν ἀνελλιπῶς ἔχων, ἁμαρτίας χωρίς », col. 1308-1309, et paulo infra, col. 1312 A : « σὺν ἡμῖν καὶ δι' ἡμᾶς τὴν ἅπασαν κτίσιν διὰ τῶν μέσων ὡς μερῶν ἰδίων τὰ ἄκρα περιλαβὼν καὶ περὶ ἑαυτὸν ἀλύτως ἀλλήλοις διασφίγξας, παράδεισον καὶ οἰκουμένην, οὐρανὸν καὶ γῆν, αἰσθητὰ καὶ νοητά, ...θεοπρεπῶς τὰ πάντα εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο, μίαν ὑπάρχουσαν τὴν ἅπασαν κτίσιν δείξας », in *Mystagogia*, c. I, *ibid.*, col. 668 AB. Verum quidem est Maximum in suis scriptis unum tantum finem incarnationis plerumque memorare, illum nempe qui salutem hominum respicit; sed in omnibus fere locis ubi hujus rationis mentionem facit, quos diligenter notavit M. Th. Disdier, *La spiritualité de saint Maxime le Confesseur*, in *Échos d'Orient*, t. XXIX (1930), p. 312, nota 2, hanc rationem inducit per simplicem affirmationem quin alterum finem sublimiorem et ampliorem excludat. Posset sane quis objicere hunc locum *Libri ambiguorum* : « Ταύτην γὰρ τῆς σαρκικῆς αὐτοῦ (= τοῦ Λόγου) μόνην αἰτίαν ἔσχε γεννήσεως, τὴν σωτηρίαν τῆς φύσεως. » *P. G.*, *loc. cit.*, col. 1040 B. Verum animadvertas velim 1° Maximum hic potius interpretari sententiam Gregorii Theologi quam proferre suam; 2° hic agi non de *incarnatione Verbi simpliciter*, sed de ejus generatione et nativitate carnali *cum carne mortali et passibili*, id est, de *modo* quo incarnatio facta est post Adami lapsum; siquidem Maximus distinguit inter γένεσιν Adami innocentis et γέννησιν posterorum ejus per sexuum commixtionem, quæ, juxta ipsum, est sequela peccati originalis. In statu innocentiæ non fuisset sexuum distinctio. Cf. q. XXI, *Ad Thalas-*

Anastasius Sinaita, Maximi coævus junior, in suo commentario *In Hexaemeron*, duplicem distinguit creationem. Prima, ea scilicet quæ intra sex dies completa est, figura fuit secundæ, illius nempe quæ per incarnationem Verbi perfecta est. Primam Deus ordinavit ad secundam, ita ut cælum et terra et omnia quæ in eis sunt, *propter Verbum incarnatum et in ipsum* creata fuerint, secundum illud Apostoli : *Omnia in ipsum creata sunt :* Πάντα εἰς αὐτὸν ἔκτισται [1] (Col., I, 16).

In opere *De fide orthodoxa*, Joannes Damascenus unam tantum incarnationis rationem memorat, scilicet hominum salutem [2]; sed ejus verba alias rationes non excludunt, cum sint simpliciter affirmativa. Revera in *Homilia in Transfigurationem*, 18, postquam hanc primam rationem protulit, ad Maximi speculationem jam assurgit :

« Patris beneplacito Filius ejus unigenitus et Verbum incarnatus est. Patris beneplacitum in unigenito Filio universi orbis salutem operatum est. Patris beneplacitum *in unigenito Filio rerum omnium conjunctionem instruxit. Nam cum homo parvus sit mundus, substantiæ omnis tam visibilis quam invisibilis colligationem in se ferens, hocque et illud revera existens, universorum Domino, creatori et gubernatori placuit, ut in unigenito et consubstantiali Filio suo divinitatis et humanitatis, ac per hanc conditarum rerum cunctarum connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus* [1]. »

sium, *P. G.*, t. XC, col. 312-318, ubi differentia inter τὴν γένεσιν et τὴν γέννησιν explicatur. Modus quo Filius Dei homo factus est, ut salvaret hominem peccatorem, aliquid habuit de simplici ortu (γένεσις), quia virginali modo conceptus est, et aliquid de nativitate (γέννησις), quia sumpsit carnem passibilem. Unde unica causa ejus carnalis γεννήσεως fuit salus naturæ humanæ peccato corruptæ. Si Adam non peccasset, ex Maximi dictis logice quis deducere potest incarnationem futuram fuisse alio modo quo revera facta est.

1. *In Hexaemeron*, l. I, *P. G.*, t. LXXXIX, col. 863 C : « Propter incarnationem facta sunt omnia... Quando cælum constituit et terram et quæ sunt in eis, contexit mysterium incarnationis. » Cf. col. 864 C; l. VII, col. 913 AB, 914 B : « Creatio Adami figura fuit Christi in utraque natura, visibili et invisibili... Universa sex dierum creatio tam in cælis quam in terris præfigurat ac describit Dei Verbi incarnationem et Ecclesiam. » Textus Apostoli laudatus ad Verbum incarnatum pluries refertur. Cf. col. 913 A, 951 D, 952 B, 957 D.

2. Cf. *De fide ort.*, l. III, c. XII; l. IV, c. IV, *loc. cit.*, col. 1028-1029, 1108; *De duabus vol.*, 41, *P. G.*, t. XCV, col. 181 A.

In sua Homilia XVI, quæ est de incarnatione Domini, Gregorius Palamas multas rationes enumerat, ob quas Verbum naturam humanam assumpsit, ex quibus pleræque ad salutem hominum revera referuntur. Addit tamen et sequentes :

« Dei Filius factus est homo, ut pateret quomodo natura humana præ cæteris creaturis ad imaginem Dei condita fuit; tanta enim erat illi ad Deum propinquitas, ut cum eo potuerit in unam convenire personam; ut cohonestaret carnem, et ipsam mortalem, ne superbi spiritus præ hominibus majore digniores honore se crederent vel putarentur, aut sese divos haberent, quia caro non sunt et immortalitate gaudere videntur; ut conjungeret natura distantes homines et Deum, duplex ipse natura mediator factus. Et quid plura dicere oportet? Nisi incarnatum fuisset Dei Verbum, nequaquam monstratus esset Pater vere Pater, nec Filius vere Filius, nec etiam Spiritus Sanctus procedens et ipse a Patre, neque probatus esset in substantia et personis, sed virtus quædam creaturis tantummodo conspecta [2]. »

In uno e suis *Capitibus theologicis*, idem theologus haud obscure significare videtur incarnationem non futuram fuisse, si Adam non peccasset [3]. Ubi vero beatæ Mariæ virginis laudes texit, aliqua profert, quæ cum sententia Scoti magis congruant. Dicit enim non solum homines, sed etiam angelos gratiam et gloriam recipere per mediationem Deigenitricis [4];

1. *P. G.*, t. XCVI, col. 572-573 : « Εὐδοκία Πατρὸς ἐν τῷ μονογενεῖ Υἱῷ τὴν τῶν ἁπάντων συνάφειαν συνεκρότησεν. Εἰ γὰρ μικρὸς κόσμος ὁ ἄνθρωπος πέφυκε, φέρων ἐν ἑαυτῷ πάσης οὐσίας, ὁρατῆς τε καὶ ἀοράτου τὸν σύνδεσμον, ὥν τε τοῦτο κἀκεῖνο ἀληθῶς, εὐδόκησεν ὁ τῶν ἁπάντων δεσπότης καὶ κτίστης καὶ πρύτανις ἐν τῷ μονογενεῖ καὶ ὁμοουσίῳ Υἱῷ αὐτοῦ θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος, καὶ διὰ ταύτης, τῆς κτίσεως ἁπάσης γενέσθαι συνάφειαν, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. »

2. *P. G.*, t. CLI, col. 204 AB.

3. *Capita physica, theologica...*, 54, *P. G.*, t. CL, col. 1160 D : « Εἰ μὴ ὁ θάνατος ἦν, καὶ πρὸ τοῦ θανάτου θνητὸν ὡς ἐκ ῥίζης τοιαύτης τὸ ἡμέτερον γένος, οὐκ ἂν ἔργῳ τὴν ἀπαρχὴν τῆς ἀθανασίας ἡμεῖς ἐπλουτήσαμεν..., οὐκ ἂν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς ἐξουσίας ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν οὐρανοῖς ἡ ἡμῶν ἐνεθρονίσθη φύσις. »

4. *Hom. in Deiparæ introitum in templum*, 23, ed. Sophoclis, Athenis, 1861, p. 159 : « Αὕτη μόνη μεθόριόν ἐστι κτιστῆς καὶ ἀκτίστου φύσεως,

ipsam Deigenitricem esse causam eorum, quæ ante eam fuerunt, auctorem eorum, quæ secuta sunt, et bonorum æternorum dispensatricem [1]; ex quibus colligitur eum meritis Christi tribuere gratiam angelorum. Cæterum potest quis utrumque, et hoc ultimum et illud, de decreto incarnationis tenere, quin sibi ipsi revera contradicat [2].

Nicolaus Cabasilas expresse docet omnia creata fuisse propter Christum, omnia ad ejus incarnationem ordinata fuisse; novum hominem, id est Christum, exemplum et archetypum fuisse veteris Adami : « Non enim, inquit, vetus Adam novi, *sed novus veteris exstitit exemplum... Absurdissimum quippe est putare omnium perfectissima exigenda esse ad imperfecta, et exempla deteriora melioribus proponenda*, et cæcos præire videntibus. Non enim quia illa tempore priora, adeo jure admiranda; sed quia hæc perfecta sunt, imperfectorum principia esse debere credendum est [3]. — *Neque creationi hominis alius finis assignandus est præ illo, qui est omnium optimus atque artifici laudem et gloriam omnium maximam affert;* neque Deum, in iis quæ facit, ab eo quod decet aberrare par est, quandoquidem hoc possunt domorum fabricatores ac vestium calceamentorumque artifices, et fini opus ubique accommodatur [4]. » Inde, quia beata virgo Maria

καὶ οὐδεὶς ἂν ἔλθοι πρὸς Θεόν, εἰ μὴ δι' αὐτῆς τε καὶ τοῦ ἐξ αὐτῆς μεσίτου· καὶ οὐδὲν ἂν ἐκ τοῦ Θεοῦ δωρημάτων, εἰ μὴ διὰ ταύτης, γένοιτο καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις. » Cf. *Homil.*, XXVII, *In dormitionem Deiparæ*, *P. G.*, t. CLI, col. 472 AB.

1. *In dormitionem, ibid.*, col. 473 A : « Αὕτη καὶ τῶν πρὸ αὐτῆς αἰτία καὶ τῶν μετ' αὐτὴν προσάτις, καὶ τῶν αἰωνίων πρόξενος. » Cf. *Hom. in introitum in templum*, 25, Sophoclès, p. 162.

2. Cf. S. Thomam, lectio x, *In Joannem*, c. I (an. 1269-1271 conscripta) : « *De plenitudine ejus omnes nos accepimus*, scilicet omnes apostoli et patriarchæ... *et etiam omnes angeli...* Plenitudo gratiæ quæ est in Christo Jesu *est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* »

3. De vita in Christo, l. VI, *P. G.*, t. CL, col. 680, 681 : « Διὰ τὸν καινὸν ἄνθρωπον ἀνθρώπου φύσις συνέστη τὸ ἐξ ἀρχῆς... Οὐ γὰρ ὁ παλαιὸς τοῦ καινοῦ, ἀλλ' ὁ νέος Ἀδὰμ τοῦ παλαιοῦ παράδειγμα. »

4. *Homilia in annunt. Deiparæ*, 8, in *P. O.*, t. XIX, p. 493 : « Οὔτε γὰρ ἄλλο τι δεῖ τιθέναι τέλος τῆς ἀνθρώπου δημιουργίας πρὸ τοῦ πάντων ἀρίστου, καὶ ὁ τὴν ἁπασῶν μεγίστην τῷ τεχνίτῃ φιλοτιμίαν ἔχει καὶ δόξαν. »

dignam se præbuit, quæ in Filii Dei matrem eligeretur, Nicolaus dicit omnia propter eam facta fuisse, illam esse fructum omnium creaturarum, « quandoquidem fructus est id quod naturam ad non esse properantem generanti restituit et novam ab exordio ostendit »; *et Virgini tribuendum quod homines post Adami lapsum superstites sint et ipsum esse habeant* [1]. Ad angelos autem quod attinet, Nicolaus non expresse asserit, sicut Palamas, illos omnia dona spiritualia per Christum et Matris ejus mediationem accepisse; docet tamen beatam Virginem illos adeo feliciores seipsis reddidisse, ut eorum priorem beatitudinem priori non esse conferendam Apostolus censuerit [2].

Quæstionem de fine incarnationis ex professo tractat Theophanes, metropolita Nicænus († 1381), in *Sermone in beatam Theotocon*, quem haud semel jam laudavimus. Maximi Confessoris Joannisque Damasceni auctoritate innixus, quorum verba refert, totam hanc speculationem de fine incarnationis in unum systema cohærens redigit præcipuasque consequentias inde fluentes educit.

Primum quidem duplicem distinguit creationem, scilicet primam sæculorum initio factam, qua creaturæ τὸ ἁπλῶς εἶναι receperunt; alteram, sub sæculorum consummationem, qua per Verbum incarnatum et angeli et homines τὸ εὖ εἶναι, id est gratia deificationis donati sunt [3]. Prima autem ita ad alteram ordinata est, sicut medium ad finem. Unde illam Deus ex nihilo non produxisset, si hæc futura non fuisset :

1. *In dormitionem Deiparæ*, 2, 3, *P. O.*, *ibid.*, p. 496-497 « Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦ περιεῖναι καὶ ὅλως ἀνθρώπους εἶναι, τὴν μακαρίαν αἰτιᾶσθαι προσῆκε. Καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ οὐρανὸς καὶ γῆ καὶ ἥλιος καὶ πᾶν τόδε διὰ τὴν μακαρίαν παρθένον, ὥσπερ διὰ τὸν καρπὸν τὸ δένδρον, εἰς τὸ εὖ ἔχειν ἦλθε καὶ ὅλως εἶναι... Καρπός ἐστι τῶν κτισμάτων, καὶ τοῦτον πρὸς τὸ πᾶν ἡ μακαρία τὸν λόγον ἔχει. »

2. *In dormitionem*, 9, *ibid.*, p. 506 : « Τοσοῦτον ἀμείνους σφῶν αὐτῶν ἐποίησε τοὺς ἀγγέλους, ὅσον οὐδὲ παραβάλλειν τῇ προτέρᾳ τὴν δευτέραν εὐδαιμονίαν τὸν Ἀπόστολον ἀξιῶσαι. » Cf. *In annuntiationem*, 3, *ibid.*, p. 498.

3. « Δημιουργεῖται τοίνυν ἡ κτίσις διὰ τοῦτο, καὶ δίς, καὶ λαμβάνει τὸ μὲν ἁπλῶς εἶναι ἐν τῇ τῶν αἰώνων ἀρχῇ· τὸ δὲ εὖ εἶναι ἐπὶ συντελείᾳ τούτων. » Λόγος εἰς τὴν πανάχραντον καὶ παναγίαν δέσποιναν ἡμῶν Θεοτόκον, in *cod. Barocc. Oxonienxi 193*, fol. 255r.

« Mysterium Incarnationis, inquit, est causa finalis omnium quæ sunt, et ejus gratia omnia producta sunt. Manifestum est enim quod propter τὸ bene esse creaturæ recipiunt simpliciter esse, *quandoquidem illo deficiente, hoc vanum est, utpote imperfectum.* Huc spectat et dominicum eloquium de proditore : *Bonum ei erat,* inquit, *si natus non fuisset,* utpote qui τὸ bene esse perdidit [1]. »

Ipsius autem mysterii Incarnationis finis non est tantum hominum salus, sed salus totius universi. Ideo enim illud Deus ab æterno decrevit, ut omnes res creatas sibi conjungeret et uniret, essetque omnia in omnibus; quod perfecit hypostatice assumendo naturam humanam, non vero angelicam, quia homo est μικροκόσμος, omnes substantias creatas in se compendiose colligens :

« Cum enim, ait, ineffabilis dispensationis divinæque incarnationis Verbi Dei scopus esset omnia hypostatice sibi unire, ut eorum quæ sunt nihil hujus eximii beneficii expers maneret — hic est enim omnis boni terminus et vera beatitudo — hominem totum, et non aliam ex cæteris essentiam, induit, quandoquidem homo est omnium quæ sunt concursus, ut nihil eorum quæ sunt aliquid e suo non conferret ad hoc Domini templum præparandum ac componendum, et inde omnes bonorum naturæ assumptæ participes fierent retributionis titulo, quippe qui omnes ad illius ædificationem proprium attulerint [2]. »

1. « Ἐντεῦθεν τουτὶ τὸ μυστήριον καὶ τελικὸν αἴτιόν ἐστι τῶν ὄντων, καὶ τούτου ἕνεκα τὰ πάντα παρήχθη. Δῆλον γὰρ ὅτι διὰ τὸ εὖ εἶναι καὶ τὸ ἁπλῶς ὅλως εἶναι λαμβάνει τὰ ὄντα, ἐπεὶ τούτου μὴ ὄντος, τὸ ἁπλῶς εἶναι μάταιον · ἀτελὲς γάρ. » *Ibid.* Hoc sæpius repetit Theophanes : Cf. fol. 277ᵛ-278ʳ: « Τὸ γὰρ ἄφραστον τοῦτο μυστήριον τῆς τοῦ Λόγου σαρκώσεως προώριστο πρὸ τῶν αἰώνων ἐξ ἀϊδίου, καὶ τούτου γε ἕνεκα καὶ τὰ πάντα ἔμελλεν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς ὕπαρξιν προχωρήσειν, καθὼς τὸ τῆς θεολογίας μυστήριον παραδίδωσιν. » Item fol. 282ᵛ: « Οὕτω καὶ ἡ κτίσις ἅπασα διὰ τὴν κατὰ Χριστὸν οἰκονομίαν γέγονε, καὶ πρὸς τοῦτο βλέπων ὡς εἰς τελικὸν αἴτιον τὰς τῶν ὄντων ὁ Θεὸς παρήγαγεν οὐσίας κατὰ τοὺς ἱεροὺς θεολόγους, ἐπεὶ χωρὶς τούτου μάταια πάντα τὰ τοῦ Θεοῦ ἔργα καὶ τῆς τοῦ πεποιηκότος φιλοτιμίας ἀνάξια. »

2. « Ἐπεὶ οὖν ὁ σκοπός, ὡς εἴρηται, τῆς ἀπορρήτου οἰκονομίας τοῦ Θεοῦ Λόγου καὶ θείας ἐνανθρωπήσεως τὸ ἑνῶσαι τὰ πάντα ἑαυτῷ καθ' ὑπόστασιν ἦν, ἵνα μηδέν τι τῶν ὄντων ἄμοιρον μείνῃ τῆς τοιαύτης ἀνυπερβλή-

Inde sequitur Christum omnibus intellectualibus creaturis causam fuisse non solum primæ creationis, sed etiam alterius, id est gratiæ, deificationis et supernaturalis beatitudinis. Hoc expresse asserit Theophanes, ut jam supra diximus, ubi de gratia angelorum [1]. Quod autem de Christo mediatore docet, idem etiam tribuit, ut mediatrici universali sub principali mediatore, beatæ Virgini Deiparæ, per cujus manus Verbum incarnatum et angelis et hominibus omnia gratiæ et gloriæ dona distribuit [2]. Nullus enim mediationis universalis beatæ Mariæ assertor exstitit Theophane disertior.

Eamdem omnino ac Theophanes Nicænus doctrinam profert Isidorus Glabas, metropolita Thessalonicensis († 1397) in suis *Homiliis marialibus,* quas edidit A. Ballerini [3]. Aliqua

του εὐεργεσίας · τοῦτο γάρ ἐστι τὸ τέλος παντὸς ἀγαθοῦ καὶ ἡ ὄντως μακαριότης · τὸν ἄνθρωπον ὅλον καὶ οὐχ ἕτερόν τι τῶν ἄλλων ἐνδύεται, τὴν συνδρομὴν πάντων τῶν ὄντων, ἵνα μηδέν τι τῶν ὄντων ἀσυντελὲς γένοιτο πρὸς τὴν τοῦ κυριακοῦ ναοῦ τούτου κατασκευήν τε καὶ σύνθεσιν, ὡς ἂν πάντες τὸ οἰκεῖον εἰσαγαγόντες εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ θείου προσλήμματος, πάντες κοινωνοὶ γένοιντο τῶν τοῦ προσλήμματος ἀγαθῶν τῷ λόγῳ τῆς ἀντιδόσεως. » *Ibid.*, col. 281ʳ. Cf. fol. 277ʳ : « Ἔδει τὸ μυστήριον τελεσθῆναι διὰ τὴν τοῦ παντὸς σωτηρίαν. »

1. Vide supra, p. 555.

2. Cf. *cod. cit.*, fol. 257 : « Γίνεται μετ' ἐκεῖνον αὕτη πρῶτον δοχεῖον τοῦ θησαυροῦ τούτου τοῦ ἀκενώτου, καὶ διὰ τοῦτο ὁδὸς καὶ θύρα τῆς μετουσίας τῶν ὑπὲρ ἔννοιαν τουτωνὶ δωρεῶν καὶ θεώσεως πάσῃ τῇ λογικῇ φύσει. » Hanc doctrinam pluries repetit ac fuse evolvit per totum sermonem, quem edendum curabimus.

3. *Sylloge monumentorum de conceptu immaculato beatæ Mariæ virginis,* t. I, p. 208-248, 427-469; t. II, p. 383-447, 603-675, et in *P. G.*, t. CXXXIX, col. 12-164. Cf., v. g., *Homil. in nativ.*, 3, ubi dicit omnes creaturas beata Maria indiguisse tum ut conderentur, tum ut ornatu perficerentur : « Et sane Virgo omnibus procul dubio causa exstitit mutationis in melius. *Nisi vero futurum id fuisset* (id est, mutatio quæ per incarnationem Verbi facta est), *neque de universis hisce creandis conditor plane cogitasset* : καὶ εἰ μὴ τοῦτο ἔμελλεν, οὐδ' ἂν ἐμέλησε τῷ δημιουργῷ τῆς ἁπλῆς ἐκείνης δημιουργίας. » *P. G., loc. cit.*, col. 13 D. Unde titulo *cocreatricis* illam decorat : « καὶ εἰ τολμηρόν, συμπλάστης ἂν εἴη Θεῷ. » *In annuntiationem*, 23, col. 105 A. In eadem *Homilia*, 22, col. 104 A, ait hominem factum fuisse propter Mariam, quia Deus, qui utique Adam lapsurum non ignorabat, eum nunquam creaturus fuisset, nisi ejus reparationem per incarnationem prædeterminasset : « τοῦ δὲ προορισθῆναι τὴν ἐπανόρθωσιν δίχα οὔποτ' ἂν παρήγαγεν. » Quod attinet ad angelos, expresse dicit, *In nativ.*, 17, col. 37 B, eos a *beata*

tantum huic dotrinæ vicina invenire est apud alios beatæ Virginis laudatores, inter quos notandi Josephus Bryennius[1] et Symeon Thessalonicensis[2].

In periodo autem moderna, illi Græco-Russi qui scholasticæ latinæ indulserunt sententiæ sancti Thomæ de fine primario incarnationis generatim suffragati sunt. Ita præter Kiovienses, N. Kursulas[3], Eugenius Bulgaris[4], Athanasius Pariensis[5], S. Lebedinskii[6]. Inter recentiores, qui quæstionem de motivo incarnationis negligere solent, solus P. Svietlov notatur ut opinionis Scoti tenax[7].

Virgine accepisse immutabilitatem in bono, et quidem post Incarnationem, ut ipse etiam asserit Theophanes Nicænus : « ἔτι δὲ καὶ ἀτρεψίαν παρέσχεν ἐκείνοις, ταὐτὸ δ' εἰπεῖν, ἀφθαρσίαν. »

1. Hic docet per Mariam angelis obvenisse confirmationem in bono : « Διὰ ταύτης προσγέγονε τοῖς ἀγγέλοις ἡ ἀτρεψία. » Homil., II, *In annuntiationem*, *Opera omnia*, ed. E. Bulgaris, t. II, p. 146.

2. Symeon angelorum gloriam accidentalem tantum, non essentialem, Verbi incarnati meritis et Virginis mediationi tribuere videtur : « Ἐκ τῆς ὑπὲρ ἡμῶν οἰκονομίας τοῦ Λόγου τὴν μεγίστην ἐσχηκότες καὶ οὗτοι ὠφέλειαν, πρὸς ἀγάπησιν τοῦ Θεοῦ καὶ ἕνωσιν ἀνάβασιν μείζονα εὑρηκότες, τῇ ἡμῶν σωτηρίᾳ εὐφραίνονται... οἱ σεσωσμένοι δὲ ὁλοτελῶς καὶ ἀνεγηγερμένοι, μόνοι ἡμεῖς. » *Expositio sacri symboli*, *P. G.*, t. CLV, col. 768 BC.

3. *Op.cit.*, t. II, p. 141-142 : « Ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ προηγουμένως ἐσαρκώθη εἰς τὴν ἀναίρεσιν τῆς προγονικῆς ἁμαρτίας. »

4. *Op. cit.*, p. 556-560. Scotistarum objectiones solvit.

5. *Op. cit.*, p. 286-287. Athanasius sententiam Scoti durius carpit : « ὀθνεία καὶ τῷ ὄντι σκότιος ἡ τοιαύτη δόξα · οὐδαμοῦ γὰρ τῆς θείας Γραφῆς ἐμφαίνεται τις ἔννοια τοιαύτη, οἷον αὐτοὶ ἀναπλάττουσιν οἱ πάντολμοι. »

6. *Op. cit.*, p. 312, 314 : « Filius Dei non venisset in carne, si Adam in peccatum lapsus non fuisset... Omnia propter et per Christum ut *Deum*, non ut *hominem*. »

7. Cf. Leporskii, art. *Voplochtchenie (Incarnatio)*, *Entsiklopediia bogosl.*, t. III, col. 823.

CAPUT SECUNDUM

DE MYSTERIO REDEMPTIONIS

Prænotamina.

In compendiis classicis theologiæ dogmaticæ, Græco-Russi recentiores ea omnia, quæ de Christo Salvatore habent, ad triplex Christi munus, prophetæ nempe, sacerdotis et regis, referre consueverunt. Hanc divisionem a theologis latinis, sive catholicis, sive etiam protestantibus, illos mutuatos esse omnino certum est; quod et ipsi agnoscunt et quidam nequaquam laudant, sed ægre ferunt[1]. In capite de Christo propheta, de ejus doctrina et lege tractant. Ad Christum autem sacerdotem referunt doctrinam de satisfactione vicaria, quam non tantum per suam passionem et mortem in cruce, veri sacrificii notas præferentem, sed etiam per totam vitam suam, omnium virtutum exemplum, Deo Patri obtulit ille pro totius mundi salute. Regiæ potestati connectunt miracula Christi, ejus ad inferos descensum, resurrectionem, ascensionem et ad dexteram Patris sessionem[2]. Doctrina tradita cum catholica plerumque congruit, quamvis quædam lutheranum colorem habeant ex influxu theologorum periodi præcedentis, Theophanis Procopovitch discipulorum. Qui-

1. Ita, v. g., Tarasius, hieromonachus, *Velikorossiiskoe i Malorossiiskoe bogoslovie XVI i XVII viekov*, Petropoli, 1903, p. 11-12; ed. 2, Varsaviæ, 1928, sub titulo : *Perelom v drevne-russkom bogoslovii (Disjunctio in antiqua theologia russica)*, p. 110 sq. Cf. *Orientalia christiana*, t. XIII (1928), p. 289-296.

2. De doctrina Græco-Russorum modernorum circa redemptionem quædam refert Placidus de Meester, *Études de théologie orthodoxe. IV. Le mystère de la rédemption ou sotériologie*, in commentario : *Ephemerides theologicæ Lovanienses*. Infeliciter auctor a methodo historica abstrahit, sub nomine theologiæ orthodoxæ exhibens sententias auctorum, qui inter se valde discrepant et a fontibus pendent omnino diversis et oppositis.

dam tamen Catholicos impetere nuper inceperunt circa notionem redemptionis et satisfactionis vicariæ, modo illis exprobrantes quod redemptioni a Christo perfectæ aliquid detrahant, vel ejus verum conceptum adulterent tum per theoriam de thesauro meritorum seu satisfactionum superabundantium beatæ Mariæ virginis et sanctorum, tum per doctrinam de pœna temporali vindicativa peccatori luenda etiam post absolutionem sacerdotalem; modo, e contra, illos redarguentes quod redemptionis opus sub aspectu *mere juridico et objectivo* considerent, ejus aspectum subjectivum negligentes vel perperam explicantes. Porro inter illos qui criminationes hujusmodi contra nostros proferunt, aliqui jam inveniuntur qui a vera et orthodoxa de redemptione doctrina longe aberrarunt, ad sententiam Socinianorum et Protestantium liberalium prope accedentes.

Quod autem attinet ad theologos byzantinos, nihil fere apud illos invenies, quod apud antiquos Patres non occurrat. De opere redemptionis obiter plerumque loquuntur, nec varios ejus aspectus in unum systema cohærens redigere tentant, sed modo hunc, modo alterum aspectum considerant et explicant.

Inter Byzantinos et recentiores, Scholasticos græcos et russos habemus, qui a fontibus latinis toti pendent. Hi sæculis XVII et XVIII potissimum floruerunt; qui de quæstionibus subtilioribus in schola agitatis suam sententiam nobis patefecerunt.

Hujus capitis tres erunt articuli :

1º De necessitate incarnationis ad salutem hominum procurandam secundum Byzantinos et Græco-Russos modernos;

2º De notione redemptionis apud theologos byzantinos;

3º De redemptione in theologia Græco-Russorum modernorum.

ARTICULUS PRIMUS

De necessitate Incarnationis ad reparationem generis humani ex doctrina Byzantinorum et Græco-Russorum modernorum.

Byzantini, post Patres, docent incarnationem Dei ad reparandum genus humanum fuisse necessariam *non quidem necessitate absoluta*, sed *relative* et *hypothetice*, quatenus

Incarnatio hoc opus perficiendi modus erat convenientissimus; immo modus necessarius, si justitiæ jura perfecte servanda fuerint tum erga Deum, tum etiam *aliquo modo* erga diabolum, cujus servituti, Deo permittente, ob peccatum obnoxii eramus, et qui suæ dolosæ agendi rationis erga hominem debitam pœnam luiturus erat, ut scilicet qui deceperat, deciperetur.

Hanc necessitatem potissimum urgent ex eo quod nullus ex Adæ posteris peccati expers erat, nullus non morti obnoxius, nullus a diaboli servitute liber, qui non solum pro se, sed etiam pro aliis dignam Deo compensationem offerre posset, pœnas pro peccatis dare, servosque e tyranni jugo justo titulo liberare. Quidam insuper ostendere nituntur minime congruum fuisse vel quod Deus peccatum gratis condonaret, vel quod opus redemptionis hominum alicui creaturæ, angelo vel homini, committeret perficiendum.

Hujus doctrinæ summam jam apud Joannem Damascenum invenire est [1].

Theodorus Abû-Qurra, ejus discipulus, præsentem quæstionem ex professo tractat in duobus opusculis, in quibus quædam occurrunt doctrinæ Anselmi de satisfactione vicaria omnino vicina [2]. Nihil vero novi habet Photius in q. CXCI,

1. *De fide orthodoxa*, l. III, c. I, *loc. cit.*, col. 981-984; c. XVIII, col. 1072 B; c. XXVII, col. 1096-1097; *In ficum arefactam*, 1, *P. G.*, t. XCVI, col. 976 sq.

2. Cf. G. Graf, *Die arabischen Schriften des Theodor Abû Qurra*, Paderborn, 1910, *Mimar* (= *dissertatio*), V, p. 169-178; *Opusculum*, I (græce scriptum sub forma dialogi inter christianum et infidelem) : "Οτι πέντε ἐχθρούς ἔχομεν, ἐξ ὧν ἡμᾶς ὁ Σωτὴρ ἐλυτρώσατο, *P. G.*, t. XCVII, col. 1461-1470. De utroque opusculo fuse agit J. Rivière, *Le dogme de la rédemption. Études critiques et documents*, Lovanii, 1931, p. 242-263. Cum autem in primo Theodorus in satisfactione pœnali potissimum insistat, in altero vero aspectum moralem redemptionis per Christi obedientiam potius efferat, J. Rivière, post G. Graf, ut spurium habet opusculum græce scriptum, et spuria etiam pronuntiat alia opuscula græca, quæ sub nomine Theodori in *P. G.*, *loc. cit.*, col. 1462-1610, veniunt, exceptis opusculis II et IV; quibus auctoribus minime assentire possumus tum propter codicum auctoritatem, qui hujusmodi opuscula græca Theodoro tribuunt, tum propter ipsam doctrinam et modum quo hæc proponitur. Theodorus enim, ut Arabes solent, comparationibus,

Ad Amphilochium [1], nec Nicolaus Methonensis [2], quem ut Anselmi æmulum in explicanda doctrina de redemptione haud pridem nobis depinxerunt quidam docti Germaniæ, haud advertentes ea pauca, quæ de argumento habet ille, ab Anastasio I, patriarcha Antiocheno († 599) ad litteram fere mutuata fuisse [3].

Gregorius Palamas, præter rationes consuetas, hanc subjicit ut Incarnationis necessitatem moralem ostendat :

« Nisi Verbum incarnatum fuisset, peccatum visum esset quasi naturæ homini insitum, quandoquidem nullus homo a sæculo peccati exspers exstitit; et vituperium in ipsum creatorem refusum fuisset, quasi non bonorum creator nec ipse bonus fuisset. Insuper, convictus fuisset judex fuisse injustus, utpote qui injuste damnasset eum, quem damnationis dignum ipse fecisset... Ex angelis sane qui suum servarunt ordinem, perpendere quis poterat malum natura angelis non inesse. Postquam vero lapsus est Adam, nullus homo visus est qui ad malum non conversus fuerit [4]. »

parabolis passim utitur ad inculcandas res intellectu arduas, præsertim cum infidelibus vel cum hæreticis disputat. Cæterum facile concedam hujusmodi opuscula græca ex arabico dialecto translata fuisse non ab ipso auctore, sed a quopiam alio, qui textum genuinum haud semel paucis contraxerit, sententiarum summam tantum retinens. Quod autem inter *mimar*, v, et opusculum græcum aliqua interest differentia, non est ratio sufficiens in dubium vocandi hujus authenticitatem. Byzantinis enim solemne est varios ejusdem veritatis aspectus vicissim investigare, quin de logica ac systematica suarum sententiarum cohærentia ullo modo cogitent.

1. *P. G.*, t CI, col. 924-930.

2. *Quæstiones et responsa theologica*, ed. J.-Th. Vœmel, *Anecdoton*, I, Francofortii, 1825, p. 30-32.

3. Cf. J. Rivière, *op. cit.*, p. 264-280. Agitur de quodam excerpto *Orat. dogmaticæ*, IV, *P. G.*, t. LXXXIX, col. 1347-1356.

4. Homilia XVI, *De dispensatione Domini*, *P. G.*, t. CLI, col. 196-197 : « καὶ συνέβαινεν ἐπὶ τὸν κτιστὴν ἀναφέρεσθαι τὴν μέμψιν, ὡς οὐκ ἀγαθῶν ὄντα κτιστήν, οὐδ' ἀγαθὸν αὐτὸν ὄντα. » Eamdem rationem, scilicet ut Deus justificaretur et circa hominis creationem manifestaretur bonus, Nicolaus Cabasilas ad beatam Mariam virginem potiori jure refert, quatenus illa ab omni peccato prorsus immunis fuit, et perfectam hominis ideam in mente divina conceptam sola repræsentavit; quod non potuit Christus, quia non simplex homo, sed etiam Deus fuit. Cf. hom. *In Deiparæ nativitatem*, 14, in *P. O.*, t. XIX, p. 480-481.

In quadam homilia *De annuntiatione* nondum edita, Demetrius Cydones puram Anselmi et Thomæ Aquinatis speculationem de necessitate hypothetica incarnationis ad reparationem adæquatam offensæ Deo per peccatum irrogatæ fuse exponit; quam absque dubio a sancto Thoma, vel etiam ab ipso Anselmo directe mutuatus est [1]. Ad eamdem doctorum latinorum doctrinam haud obscure alludit Nicolaus Cabasilas in quodam loco sui operis *De vita in Christo* [2]; qui etiam alias rationes inter Byzantinos tritas evolvit. Georgius Scholarius vero, qui theologiam Occidentalium bene noverat, rationes Byzantinorum cum theoria Anselmi miscet [3].

In periodo moderna, communiter recipitur doctrina Latinorum de necessitate hypothetica Incarnationis propter infinitam peccati malitiam et infinitam excellentiam Dei offensi [4].

1. Εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου. Hanc homiliam habes in *cod. Vatic. 604* cum correctionibus autographis Demetrii necnon in *cod. Paris. 1213*, qui textum originalem perfecte reproducit : Cf. hujus cod. fol. 337-338ᵛ : « Τί γὰρ ἔχεις, φησίν, ὃ οὐκ ἔλαβες; τὰ δὲ χρέα ἐκ τῶν ἰδίων, οὐκ ἐκ τῶν ἀλλοτρίων καὶ ὧν τις προῦλαβε, διαλύεται. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὰ ἁμαρτήματα οὐ τῇ ἑαυτῶν μόνον φύσει, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ ἁμαρτάνοντος εὐτελείᾳ καὶ τῇ ἀξίᾳ τοῦ πρὸς ὃν ἁμαρτάνεται κρίνεται... Ἔδει τοίνυν σάρκα γενέσθαι τὸν Λόγον, ἵνα τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτόντων ὀφειλομένην δίκην, αὐτὸς ἀναμάρτητος γενόμενος ἄνθρωπος, ἀποτίσῃ. » Hujus homiliæ brevem analysim dedimus in *Échos d'Orient*, t. XVII (1914-1915), p. 97-103. Sancti Anselmi opera bene noverat Demetrius, ex quibus quædam græce reddidit. Opusculum autem *Cur Deus homo* græce transtulit Manuel Calecas, ejus coævus junior († 1410). Cf. J. Mercati, *Notizie di Prochoro e Demetrio Cidone*, etc., p. 80, 90. Versio autographa Manuelis occurrit in *cod. Vatic. 614*.

2. *De vita in Christo*, l. IV, *P. G.*, t. CL, col. 585-588. Cf. Rivière, *op. cit.*, p. 281-303. Nicolaus, Demetrii amicus, legere potuit tum illius homiliam, tum forsitan etiam versionem operis Anselmi a Manuele Caleca factam.

3. Cf. *Sermonem in nativ. Christi*, 8-11 : *Œuvres complètes*, t. I, p. 230-234 : « Ἔδει δὲ συναφθῆναι [τὰς φύσεις], ὡς ἂν ὡς μὲν ἄνθρωπος ὑπὲρ ἀνθρώπων ἁπάντων πάθοι μηδὲν ὀφείλων αὐτός · καὶ φύσει μὲν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ὅμοιος, τῆς δὲ προγονικῆς ἀμέτοχος ἁμαρτίας καὶ ῥύπου προσωπικοῦ παντὸς ἐκεῖθεν ἀνίσχοντος · ὡς δὲ τῇ θεότητι συνημμένος, διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ συνημμένου τῆς ὅλης ἀνθρωπότητος ἀντίρροπος ᾖ. » Cf. etiam *Sermonem in feriam VI Maj. hebdomadæ*, 5-6, *ibid.*, p. 140-142.

4. Ita Kiovienses sæculi XVII et XVIII : cf. Macarium Bulgakov, *Istoriia Kievskoi Akademii*, Petropoli, 1843, p. 69-70, 136 sq.; D. Vich-

Cæterum haud pauci ex recentioribus quæstionem de necessitate Incarnationis omittunt.

ARTICULUS II

De notione Redemptionis apud theologos byzantinos.

Cum opus salutis hominum a Christo perfectum varios præferat aspectus, variis terminis vel metaphoris tum in sacra Scriptura tum apud Patres expressos, theologi byzantini, græcorum Patrum vestigia plerumque prementes, modo hunc, modo illum aspectum vicissim considerant; nec ullum invenimus qui Redemptionis notionem adæquatam, omnes illius rationes logice concatenatas et invicem subordinatas complectentem elaborare tentaverit [1]. Generatim antiquorum Patrum dicta repetere satis habent, ita ut aliquid novi apud illos ægre reperias.

Redemptionem frequenter concipiunt ut liberationem a dæmonis servitute secundum justitiæ leges a Christo peractam. Cæterum omnes fere dæmonem habent non ut legitimum dominum cui captivorum pretium solvendum fuerit, sed ut tyrannum crudelem in cujus manus propter peccatum nos omnes Deus de facto dereliquit; erga quem tamen justi-

nevskii, *op. cit.*, p. 216 sq.; N. Kursulas, *op. cit.*, t. II, p. 95-145, qui totam quæstionem de satisfactione Christi in sensu Anselmiano fuse tractat. P. 127-130, hæc docet : « Θετέον οὖν πρῶτον, ὅτι ἡ σάρκωσις τοῦ Θεοῦ Λόγου οὐκ ἦν ἀναγκαία ἁπλῶς πρὸς τὴν ἡμῶν σωτηρίαν καὶ ἀπολύτρωσιν — Θετέον, δεύτερον, ὅτι ἡ θεία σάρκωσις τοῦ Θεοῦ Λόγου ἁπλῶς ἀναγκαία ἦν πρὸς τὸ κατ'ἀξίαν ἱκανοποιῆσαι ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων θανασίμων ἁμαρτιῶν — Θετέον, τρίτον, ὅτι ἡ θεία σάρκωσις ἦν ἀναγκαία ἁπλῶς πρὸς ἀναίρεσιν τῆς αἰωνίου ποινῆς τῆς ἡμῖν ἐκ τῆς ἁμαρτίας προξενηθείσης. » Ita etiam E. Bulgaris, *op. cit.*, l. IV, c. XVIII, p. 570-578 : Περὶ τοῦ προκειμένου διοριζόμεθα ὡς καθ' ὑπόθεσιν ὅτι πληρεστάτην βουλητὸν ἦν τῷ Θεῷ γενέσθαι τὴν περὶ τῆς παραβάσεως ἱκανοποίησιν, ἡ διὰ τῆς ἐνσαρκώσεως οἰκονομία ἀναγκαία οὖσα ἐτύγχανεν », p. 572; Macarius Bulgakov, *op. cit.*, t. II, p. 10-13; S. Malevanskii, *op. cit.*, t. IV, p. 173-175.

1. Et hoc mirum non est, cum etiam apud Latinos, ante recens opus J. Rivière, *Le dogme de la Rédemption. Étude théologique* (ed.3 , Parisiis, 1931), aliqua synthesis totius mysterii Redemptionis logice ordinata vix occurrat.

tiæ formas Deus aliquo modo servare voluerit. Unde permisit, ut in Christum innocentem manus injiceret mortique traderet, et ob hanc iniquitatem dominio in captivos jure spoliaretur, immo et suæ dolosæ erga primos parentes agendi rationis æquas vices reciperet deceptorque deciperetur. Hujusmodi thema ut notum est, apud græcos Patres tritum erat [1].

Post plerosque Patres item docent sanguinem Christi et crucis sacrificium non sane diabolo, sed Deo Patri pro peccati expiatione et hominum cum Deo reconciliatione a Christo mediatore, victima immaculata simul et pontifice impolluto oblatum fuisse [2]. Marcus Ephesius tamen miram aliquam excogitavit explicationem, qua ostendere vult sanguinem Christi tum diabolo, tum Deo Patri oblatum fuisse. Dicit enim Christum libere pro nobis mortem suscepisse et diabolo, latronum duci, qui absque ullo jure captivos nos detinebat, proprium sanguinem pro redemptionis nostræ pretio tradidisse; quem cum ille, utpote sanguinem Dei, recipere noluisset, tunc ejus oblationem Deo Patri factam fuisse [3]. Quamdam autem parabolam in medium profert, ut idem innuat : Cujusdam regis servum infidelem, qui latroni in captivitatem ultro se dederat, e cognatis unus liberare meditatur, redemptionis pretium parat latronique mittit. Eo autem momento quo fur ad pretium accipiendum properat, surgit rex eique eripit tum cognatum, tum servum infidelem. Tunc cognatus, erga servum misericordia motus, regi offert pretium Redemptionis, ut in servum infidelem iram deponat eique parcat. Hoc modo, inquit, salvatoris nostri Jesu Christi

1. Illud paucis contrahit Damascenus, *De fide orthodoxa*, l. III, c. I, XVIII, XXVII, *loc. cit.*, col. 964, 1072, 1096-1097, sæpe explicant byzantini oratores, præsertim in homiliis in Annuntiationem.

2. Cf., inter alios, Gregorium Palamam, homilia XVI, *De dispensatione Domini*, *P. G.*, t. CLI, col. 204-205.

3. *De sanguine Domini ad Dionysium hieromonachum*, opusculum nondum editum et in pluribus codicibus asservatum, inter quos *cod. Paris. 1292*, sæc. XV, fol. 78v-82 : « Γίνεται τοίνυν ἀμφότερα, καὶ δίδοται μὲν ὡς ἀνθρώπου τὸ τίμιον αἷμα διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ δικαιοκρισίαν τῷ κατέχοντι τὴν φύσιν τυράννῳ, λαμβάνεται δὲ οὐδαμῶς, Θεοῦ γε τυγχάνον αἷμα, παρὰ τοῦ δραπέτου καὶ ἀποστάτου, καὶ οὕτω δὴ τῷ Πατρὶ θυσία προσάγεται. »

dispensationis opus perfectum est; verum ibi qui pretium solvit et qui tyrannum dejecit non alter et alter, sed unus et idem fuit, nempe Deus Verbum homo factus, qua homo pretium præbens, qua Deus tyrannum abjiciens et venerandum suum sanguinem Patri hostiam offerens ad naturæ humanæ reconciliationem [1].

Post redemptionis conceptum, apud illos sæpius redit conceptus sacrificii expiatorii et propitiatorii a Christo mediatore et pontifice Deo Patri pro nobis libere oblato. Nec in satisfactione pœnali multum insistunt, sed potius in perfecta sanctitate mediatoris, qui simul hostia et sacerdos exstitit [2]. Item haud raro dicunt Christum sua obedientia nostram transgressionem et inobedientiam coram Deo reparasse [3], ita ut aspectus moralis satisfactionis vicariæ ab eorum mente nequaquam aliena fuerit vel absens, etiam ante sæculum XIV, quo, ut supra vidimus, conceptus Anselmianus de reparatione morali inter eos vulgari incepit.

Christus principaliter quidem per dolorosam mortem suam salutem nostram operatus est; huic operi tamen etiam contulerunt omnes actus, omnia mysteria vitæ ipsius, ac potissimum ejus eximia doctrina necnon perfectæ sanctitatis

1 *Ibid.* : « Τοιοῦτον δὴ τὸ τῆς οἰκονομίας ἔργον τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ γέγονε · πλὴν ὅσον οὐχ ἕτερος μὲν ἦν ὁ τὸ λύτρον ἐνταῦθα καταθέμενος, ἕτερος δὲ ὁ τὸν τύραννον καθελὼν βασιλεύς, ἀλλ' εἷς καὶ ὁ αὐτὸς Θεὸς Λόγος τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀναλαβών. »

2. Cf. Damascenum, *De imaginibus*, I, 21, *P. G.*, t. XCIV, col. 1253 B; *In Sabb. sanctum*, 25, 36, *P. G.*, t. XCVI, col. 624 C, 640 D; *De fide orthod.*, l. III, c. XXVII, col. 1096 C; Gregorium Palamam, *loc. cit.* : « Θυσίας οὖν ἔδει τῆς καθαιρούσης καὶ καθαρᾶς, ἀλλὰ καὶ ἱερέως, καὶ τούτου κεκαθαρμένου καὶ ἀναμαρτήτου », col. 204 CD, 205 BC.

3. Ita Damascenus, *De fide orth.*, l. III, c. I, col. 984 C : « καὶ γίνεται ὑπήκοος τῷ Πατρί, τῷ καθ' ἡμᾶς καὶ ἐξ ἡμῶν προσλήμματι τὴν ἡμετέραν παρακοὴν ἰώμενος. » Cf. *ibid.*, c. XXIV, col. 1092 A : « ὑπὲρ ἡμῶν πᾶσαν δικαιοσύνην πληρῶν καὶ καταλλάττων ἡμῖν τὸν ἑαυτοῦ Πατέρα. » Theodorus Abû Qurra, *Opusc.*, I, *P. G.*, t. XCVII, col. 1461-1464 : « Ἀφ' οὗ ὑπήκουσεν ὁ Χριστὸς ἄκραν ὑπακοὴν καὶ τὰς τοῦ διαβόλου προσβολὰς ἀπεκρούσατο πάσας κατὰ τὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ πάλην, τὸν θάνατον ἔλυσεν καὶ τὴν ζωὴν διὰ τῆς ἰδίας ὑπακοῆς ἀντεισήγαγεν. » G. Palamas, homilia XVI, *loc. cit.*, col. 196 BC : « Ἐλύτρωσεν τὴν ἡμετέραν φύσιν ὁ Χριστὸς ἐκ τῆς νεκρώσεως ταύτης κατὰ τὸν ἀνθρώπινον βίον ἑαυτοῦ, δι' ἔργων ἐπιδειξάμενος πᾶσαν εὐπήθειαν. »

exempla. Hunc aspectum subjectivum operis redemptionis haud negligunt Byzantini, præsertim oratores et ascetici [1].

ARTICULUS III

De Redemptione in theologia Græco-Russorum modernorum.

Generalem conspectum tractatus de Christo Redemptore apud Græco-Russos recentiores in prænotaminibus jam dedimus. Communis doctrina, inde a sæculo XVI tradita, cum doctrina catholica omnino congruit. Quasdam tamen ab orthodoxia deflexiones tum sæculo XVIII exeunte, tum etiam nostris diebus apud quosdam Russos animadvertimus, quas notare necesse est. Unde agemus : 1° De doctrina inter Græco-Russos communiter recepta; 2° De sententiis lutheranis, quæ sæculo XVIII exeunte theologiæ Russorum irrepserunt; 3° De opinionibus quorumdam recentiorum, qui doctrinam catholicam impugnarunt.

I. — De doctrina inter Græco-Russos communiter recepta.

Inde a sæculo XVI, doctrina de satisfactione et merito Christi prout a theologis catholicis proponi solet, etiam apud Græco-Russos *sub iisdem terminis et loquendi modis, iisdem fulta rationibus* communiter recipitur. Tum Kiovienses, tum scholastici græci a theologia catholica quoad præsens caput omnino pendent easdemque scholasticas quæstiones solvendas sibi proponunt, verbi gratia, utrum *satisfactio* Christi fuerit superabundans? Utrum ex bonis aliunde indebitis? Utrum omnino ad apices juris [2]? De satisfactione vicaria Christi

1. Cf. Damascenum, *De fide orth.*, l. III, c. I; l. IV, c. IV, XIII, col. 984, 1108, 1109, 1137 C; *Homil. in ficum aref.*, 1, 2, *P. G.*, t. XCVI, col. 576-580; Greg. Palamam, homilia XVI, *loc. cit.*, ubi varios aspectus redemptionis notatos invenies absque ullo nexu logico; Nic. Cabasilam, *De vita in Christo*, passim.

2. Cf. Kursulas, *op. cit.*, t. II, p. 130-140 : « Πότερον ἡ τοῦ Χριστοῦ κανοποιΐα κατὰ τὴν στάθμην τῆς κυρίως δικαιοσύνης ἐγένετο; » Cui quæs-

item sensu catholico tractant pleraque compendia classica theologiæ dogmaticæ sæculo XIX composita, quamvis subtiles scholæ disputationes communiter omittant. De infinito valore actionum Christi, illius passionis et mortis ob unionem hypostaticam diserte loquuntur, etsi quidam recipere nolunt quod satisfactio Christi fuerit *superabundans* propter consequentias a theologis catholicis exinde deductas, præsertim propter indulgentias, quas rejiciunt [1]. Communem eorum

tioni ita respondet : « Ἡ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ ἡμῶν ἱκανοποιΐα, εἰ καὶ τελεία ἦν καὶ ὑπερβάλλουσα ἀσυμβλήτως τὸ βάρος τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν καὶ τὴν ὀφειλομένην αὐταῖς ποινήν, μὴ ὑπῆρξε ὅμως ἐκ τῆς κυρίως δικαιοσύνης », p. 133. Alia quæstio : « Πότερον ἡ τοῦ Χριστοῦ ἱκανοποιΐα ἐξ ἀγαθῶν ἦν μὴ ὀφειλομένων ἐξ ἑτέρας ἐπιγραφῆς; » etc. Ita etiam Kiovienses : cf. Vichnevskii, *op. cit.*, p. 216 : *An satisfactio Christi per opera theandrica fuerit rigorose justificalis? Sensus quæstionis est : An in satisfactione Christi secundum omnem rigorem Aristotelicum servatæ sunt omnes leges seu conditiones perfectæ justitiæ?* Ex *Cursu theologico Christophori Tcharnutskii* (an. 1706-1709). Vincentius Damodus et Eugenius Bulgaris de merito, satisfactione, mediatione et sacerdotio Christi ad mentem sancti Thomæ omnino disserunt. Cf. Θεολογικόν, p. ξ' et 541-595. Damodus, t. II, *De incarnatione*, c. XXV, habet : « Περί τῶν ἀξιωμάτων του Μεσίτου Χριστοῦ, καὶ περὶ τῆς ἱκανοποιήσεως αὐτοῦ, ὅπου διαλύονται τὰ συνήθα ζητήματα περὶ τῶν τοῦ Χριστοῦ ἀξιωμάτων, καὶ πότερον δηλαδὴ ὁ Χριστός ἐστι μεσίτης καὶ σωτὴρ τῶν ἀγγέλων. » E. Bulgaris vero, l. IV, c. XIV-XXI, varias tractat quæstiones de merito, satisfactione, dignitate capitali et sacerdotio Christi : Πότερον ὁ Κύριος ἡμῶν διὰ τῶν παθῶν, ὧν ὑπέστη, καὶ τῶν ἄλλων αὐτοῦ ἔργων μισθοῦ ἠξίωταί τινος; — Πότερον ὁ Κυρίος ἡμῶν κυρίως ἱκανοποίησεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν τῶν ἀνθρώπων; etc. Bulgaris satisfactionem interpretatur non solum de solutione debiti pœnæ, sed etiam et præcipue de solutione debiti reparationis moralis pro offensa Deo irrogata.

1. Cf. Macarium, *op. cit.*, t. II, p. 10-17, 133-150, 160-162; Ph. Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 84-90, 93-95. Hic S. Thomam carpit ob doctrinam de *superabundantia* satisfactionis et meritorum Christi, quanquam ipse asserit satisfactionem Christi infiniti fuisse pretii ob unionem hypostaticam, p. 93-94; A. Amphiteatrov, *op. cit.*, § 206-210, ed. gr., p. 253-262. Antonius insistit in aspectu morali satisfactionis vicariæ a Christo præstitæ docetque eam fuisse superabundantem : « Τὰ πάθη καὶ ὁ σταυρικὸς θάνατος τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ ἔχουσιν δύναμιν θυσίας ἐξιλαστικῆς, ἱκανὰ ποιούσης, περισσευούσης, ἁγιαστικῆς... Τὰ πάθη καὶ τὸ ἀνεκτίμητον αἷμα τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ, τοῦ Θεοῦ ἐν σαρκὶ καὶ ὅλως δικαίου καὶ ἁγίου, ἀποτελοῦσιν ἀνεξάντλητον θησαυροφυλάκιον, ἐξ οὗ πᾶς ὁ πιστεύων δύναται πάντοτε ἀντλεῖν, ὅση θέλησις, κατὰ τὸ μέτρον τῆς πίστεως καὶ ἀγάπης πρὸς τὸν Ἰησοῦν Χριστόν. » S. Malevanskii, *op. cit.*,

doctrinam breviter exprimit *Catechismus Philareti* his verbis :

« *Quæstio.* — Quomodo mors Christi in cruce a peccato, maledictione et morte nos liberat?

« *Resp.* — Ut hoc mysterium facilius credere possimus, verbum Dei nobis illud explicat, quantum capere possumus, per comparationem inter Jesum Christum et Adamum. Adamus natura est caput totius humanitatis, quæ unum quid cum eo constituit propter naturalem ex ipso originem. Jesus Christus vero, in quo divinitas cum humanitate unita est, Dei beneficio constitutus est novum omnipotens caput hominum, quos per fidem sibi conjungit. Unde sicut in Adamo peccato, maledictioni et morti obnoxii fuimus, ita in Jesu Christo a peccato, maledictione et morte liberamur. Ejus passio ac mors in cruce pro nobis libere suscepta, cum sit infiniti pretii et meriti, utpote mors innocentis et Dei-Hominis, est tum perfecta satisfactio oblata justitiæ divinæ, quæ propter peccatum ad mortem nos damnaverat, tum infinitum meritum, quo sibi jus acquisivit absque ullo justitiæ detrimento nobis peccatoribus tribuendi peccatorum veniam et gratiam ad victoriam de peccato et morte reportandam [1]. »

In hoc laudandi sunt plerique compendiorum classicorum auctores, quod aspectum moralem satisfactionis Christi nequaquam in obscuro ponunt, sed potius exserunt, nec in satisfactione pœnali, si N. Malinovskii excipias, plus æquo insistunt.

t. IV, p. 122-125, 173-175, qui theoriam Anselmi de reparatione morali a sancto Thoma emendatam doctrinæ antiquæ Ecclesiæ omnino consonam invenit. Theoriæ Patrum de juribus dæmonis censuram agit, p. 163-170; N. Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 115-123, Andrutsus, Δογματική, p. 196-207, qui theoriæ Anselmi censuram agit et in quibusdam carpit quamvis probet ejus fundamentalem aspectum. Doctrinam de *superabundantia* satisfactionis Christi eatenus rejicit, quatenus theologi catholici super ea fundant indulgentias. Cf. ejusdem Συμβολικήν, ed. 2, p. 205-219 : « Καὶ ὅτι μὲν ἡ θυσία τοῦ Χριστοῦ εἶχεν ὑπεραρκῆ ἀξιομισθίαν, τοῦτο ἠδύνατο μέν τις νὰ ἀποδεχθῇ οὕτω γενικῶς εἰς ἔξαρσιν τῆς ἀξιομισθίας τοῦ σταυρικοῦ θανάτου λεγόμενον... Ἐπειδὴ ὅμως ἐπ' αὐτοῦ ἡ δυτικὴ Ἐκκλησία καθιδρεύει τὸ θησαυροφυλάκιον τῆς ὑπερπερισσευούσης ἀξιομισθίας τῶν ἁγίων..., ἀνάγκη νὰ στηρίξῃ τοῦτο γραφικῶς », p. 212. Porro negat ullum Scripturæ locum referri ad hanc superabundantiam.

1. Ad art. IV *Symboli*.

II. — De quibusdam sententiis lutheranis a theologis russis sæculis XVIII et XIX edoctis.

Ut supra diximus [1], Samuel Mislavskii *Theologiæ christianæ* Procopovitch inseruit tractatum de redemptione ex operibus theologorum lutheranorum sæculi XVII concinnatum. Unde mirum non est horum theologorum sententias occurrere non solum in cursu sub nomine Theophanis edito, sed etiam in aliis compendiis classicis Russorum, quæ sæculo XVIII finiente et sæculo XIX ineunte ex ipso et ad ejus mentem et rationem abbreviata sunt. A Lutheranis hæc inter alia mutuarunt :

1° Duplicem statum Christi hominis, scilicet *statum exinanitionis* et *statum exaltationis* seu falsam theoriam τῆς κενώσεως ad humanam Christi naturam translatam. Statum exinanitionis ita definiunt :

« Est status Christi Dei-Hominis, quo is, secundum humanam naturam, majestatis divinæ et infinitæ, vi unionis personalis secundum eamdem sibi communicatæ, usu plenario et incessante, vere et realiter, libere tamen et ad tempus saltem se abdicavit, ut pro commisso in protoplastis Deiformitatis raptu, justitiæ Dei ex asse satisfaceret et amissam salutem lapsis repararet [2]. »

Hic status ab ipsa conceptione Christi in sinu Virginis usque ad mortem in cruce inclusive perduravit. Ad hunc referunt locum Apostoli : *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens* (Phil., II, 7), in quo *forma servi* accipitur non pro *natura humana* sed pro *conditione servi*, id est, pro statu hujusmodi exinanitionis, quem excogitarunt Lutherani. Status vero exaltationis alia Christi mysteria a descensu ad inferos usque ad ascensionem et sessionem ad Patris dexteram comprehendit [3].

1. Vide p. 675.

2. Ita Lebedinskii, *op. cit.*, p. 347. Cf. Th. Gorskii, *op. cit.*, § 58-59, ed. Mosquæ, 1831, p. 162-167 : « Licet in Christo omnis plenitudo divinitatis corporaliter habitaret, ipse tamen sponte sua usu istius majestatis, ut officio, quod in se susceperat, fungi posset, se ad certum tempus abdicavit. »

3. Hujus distinctionis vestigia quædam deprehendere est apud quosdam theologos qui post reformationem Protasovi scripserunt, v. g., apud Antonium Amphiteatrov, *op. cit.*, § 192-199, ed. gr., p. 240-245; C. Andrutsum, Δογματική, p. 215-217. Verum isti non loquuntur de hac voluntaria abdicatione usus majestatis divinæ, quæ errorem Lutheranorum proprie constituit, et ex qua ipsi deduxerunt verum Christi hominis profectum et incrementum in scientia et sanctitate.

2° Distinctionem inter *obedientiam activam* et *obedientiam passivam* : *Activa* in perfecta legis impletione consistit; *passiva* in sufficientissima persolutione pro peccatis humani generis Deo præstita. Cæterum una et altera sunt inter se arctissime conjunctæ [1].

3° Tolerantiam pœnarum infernalium et ipsius pœnæ damni a Christo, ut pro peccatis nostris adæquate satisfaceret. Hanc abominandam doctrinam aperte prædicaverat Calvinus, insinuaverat Lutherus, ex professo explicant theologi lutherani sæculi XVII [2].

4° Negationem pœnæ temporalis satisfactoriæ et vindicativæ peccatori *plerumque* exsolvendæ, etiam postquam in foro pænitentiæ sacerdotalem absolutionem accepit [3]. Hæc doctrina, ut patet, ad redemptionem *subjective* sumptam refertur, et indirecte tantum opus redemptionis a Christo peractum respicit; quam theologi russi recentiores non respuerunt, sed adhuc retinent.

III. — De quorumdam recentiorum opinionibus circa notionem redemptionis et satisfactionem vicariam Christi.

Præter communem doctrinam Ecclesiæ russicæ in compendiis classicis necnon in catechismo Philareti traditam,

1. Procopovitch-Mislavskii, *Christianæ theologiæ*, t. III, Lipsiæ, 1784, p. 341; Lebedinskii, *op. cit.*, p. 365-366; H. Karpinskii, *Compendium orthodoxæ theologicæ doctrinæ*, Lipsiæ, 1786, p. 95.

2. Procopovitch-Mislavskii, *loc. cit.*, p. 361 : « Sustinuit Christus pœnas infernales intensive, licet non extensive... Mors Christi æquipollet morti durationis æternæ ob extremam intensionem et personæ infinitatem. » Lebedinskii, p. 345, 370 : « Christus fuit ab ipso Deo derelictus. » De pœnis inferni repetit verba Mislavskii. Recentiori tempore, quidam theologi russi idem adhuc docebant. Cf. Orphanitskii, *Istoriceskoe izlogenie dogmata ob iskupleniu (Expositio historica dogmatis de redemptione)*, Mosquæ, 1904, p. 217; N. Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 122, et t. III cursus majoris, *O Boghe iskupitelie*, Kam. Podolsk, 1906, p. 235.

3. De pœna temporali juxta theologos græco-russos fuse agimus in *Tractatu de sacramentis*, t. III, p. 342-362.

quæ, ut vidimus, cum doctrina catholica plane congruit, aliam huic aperte repugnantem vulgare inceperunt quidam novi theologi, Khomiakovi spiritu imbuti, qui eo audaciæ usque processerunt, ut in doctrinam satisfactionis vicariæ seu in notionem redemptionis objective sumptæ acriter invecti sint, quasi hæc neque in Patrum traditione neque in ipsa sacra Scriptura firma haberet fundamenta, sed merus esset conceptus juridicus ab Anselmo aliisque theologis catholicis sub romani vel feudalis juris influxu excogitatus [1].

Inter hos novatores primus nobis occurrit Sergius, Finniæ archiepiscopus, qui de *Doctrina orthodoxa salutis* quoddam opus edidit, ante bellum jam quater in Russia editum [2]. Postquam duram censuram egit doctrinæ occidentalis de satisfactione vicaria Christi, quam habet ut fetum juridismi romani, societatem inter Deum et homines anthropomorphice repræsentantis et egoistica studia spirantis, omni consideratione aspectus objectivi redemptionis fere posthabita, ad hanc devenit conclusionem :

« Essentia redemptionis in hoc sistit, quod Christus Dominus noster virtutem nobis largitus est de impetibus dæmonis triumphandi et a nostris pristinis passionibus nosmetipsos liberandi, quatenus scilicet amorem Patris cælestis nobis revelavit, intimam persuasionem de ejus in nos dilectione nobis ingerens, etiam postquam peccatis nostris illum graviter offenderamus. Tota Christi vita ejusque mors in cruce eo potissimum spectabat, ut hunc maximum Dei erga nos amorem nobis vivide demonstraret et hoc pacto a peccato nos averteret ad Deumque redamandum excitaret [3]. »

In opusculo supra laudato de theologia Russorum, sæc. XVI-

1. De quibusdam theologis hujusmodi disserit A. Bukowskii, *Die Genugthuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie*, Paderborn, 1911, p. 19-47.
2. *Pravoslavnoe ucenie o spassenii. Opyt raskrytiia nravstvenno-subiektivnoi storony spasseniia na osnovanii sv. Pissanii i tvorenii sviatooteceskikh (Doctrina orthodoxa de salute. Adumbratio explicationis aspectus moralis et subjectivi salutis super fundamentum sacræ Scripturæ et operum sanctorum Patrum)*, ed. 2, Kazanii, 1898; ed. 4, Petropoli, 1910.
3. *Op. cit.*, p. 157, 227 sq.

XVII [1], hieromonachus Tarasius obiter iterat Sergii vituperationes in doctrinam de satisfactione vicaria, « quam excogitarunt scholastici, metaphorica quædam dicta sancti Pauli et Patrum ad litteram sumentes et mysterio redemptionis aptantes falsas ideas de offensa, honore et satisfactione, quæ inter mediævos Occidentales vulgabantur; supponentes insuper pœnam habere rationem vindictæ, dum juxta jurisprudentiæ modernæ conceptus hæc medicinæ tantum rationem induat, Deumque ob peccata nostra revera irasci [2]. » Juxta ipsum, vera ac traditioni consona de redemptione doctrina in eo potissimum est quod homo a peccato passionibusque pravis seipsum liberet, propria sui abnegatione et humilitate imitando vitam Christi, qui tanta pro nobis egit ac passus est, ut ad sua vestigia ex amore sequenda nos incitaret. Hoc suo exemplo, inquit, Christus vere ac manifeste nos redemit [3].

Item, in articulo *Iskuplenie* (= *Redemptio*) in *Encyclopædia theologica russica*, anno 1904 edito, conceptus redemptionis objective sumptæ fere ex toto abest [4]. Auctor totus est in convellenda theoria juridica Anselmi et in extollendo aspectu subjectivo redemptionis, quo unusquisque fidelis in contemplatione vitæ, passionis ac mortis Christi vires haurit ad seipsum redimendum per ipsius Christi imitationem ob ejus amorem strenue susceptam.

Præcipuus autem redemptionis subjectivæ patronus nuper exstitit Antonius Khrapovitskii, pristinus metropolita Kioviensis, nunc vero cujusdam factionis ecclesiasticæ Russorum dispersorum summus præsul, Carlovitziæ in Ingoslavia sedens [5]. Hic durante bello magno, anno scilicet 1917, in commentario *Bogoslovskii Viestnik* suum de redemptione conceptum jam adumbraverat [6], cujus hæc summa erat :

1° Conceptus juridicus redemptionis, prout in compendiis

1. Cf. supra, p. 687.
2. P. 147, 151 sq., ed. 2, Varsaviæ, 1928. Cf. Th. Spacil, *Commentarium theologicum*, in *Orient. christianis*, t. XIII, p. 291.
3. *Op. cit.*, p. 124 sq.; Spacil, *loc. cit.*
4. *Entsiklop. bogosl.*, t. V, col. 1075-1084.
5. Cf. *Tractatum de Ecclesia*, t. IV hujus operis, p. 237.
6. *Doghmat Iskupleniia*, in *Bogosl. Viestnik*, jul.-sept., p. 155-167, oct.-dec., p. 285-315.

classicis theologiæ dogmaticæ necnon in ipso catechismo Philareti exprimitur, a Latinis originem ducit;

2° Redemptio nihil aliud est nisi facultas nobis a Deo gratis et gratiose concessa nostræ salutis opus perficiendi. Salus autem est in vita spirituali progressio per certamen morale et intimam cum Deo societatem et communionem. Hanc facultatem invenimus in ipsa Christi vita, passione et morte, quatenus illas cogitando et contemplando caritate in Christum accendimur, qui tanta amore nostri egit ac passus est, et inde a peccato avertimur ejusque exempla imitari aggredimur.

Anno 1924, in nova catechismi Philareti editione aucta et in quibusdam emendata, suam sententiam nobis clarius aperit ad articulum IV symboli. Suppressa enim notione redemptionis a Philareto tradita, in ejus locum hæc inter alia suffecit :

« Tristitia animæ Christi de peccatis hominum ut redemptio nostra visa est, *quia amor compassionis spiritum ejus animabus nostris arcano modo univit, et propter illam a Christi spiritu quasi sanctitatis fontem haurimus indeque* peccatum fugimus... Vis amoris Christi nos adjuvans ad debellandum peccatum vocatur *gratia*, quæ nobis communicatur per orationem ac præsertim in sacramentis; item ex lectione verbi Dei et dum opera charitatis aliaque spiritualia facinora exsequimur... Dominus Jesus Christus homines salvare dignatus est, id est illis restituere facultatem cum Deo societatem ineundi et in vita spirituali proficiendi. Homines, utpote peccato corrupti, ex seipsis hoc assequi nequaquam poterant absque cooperatione Christi patientis, et ob hanc rationem Christus apparet ut victima pro peccatis hominum... Divina justitia hoc exigente, pænitentia et regeneratio ex lapsu doloris facinoribus perficiuntur; unde Christi passio redemptrix vocatur victima divinæ justitiæ pro nobis oblata[1]. »

Demum, anno 1926, in quodam opusculo inscripto : *Dogma redemptionis*, ut merum scholasticorum latinorum commentum rejicit doctrinam quæ tenet Deum peccato hominis vere offendi et morte Filii sui condignam satisfactionem pro peccatis hominum accipere. Hæc theoria, inquit, suum habet fundamentum in jure feudali Medii Ævi, ideam duelli in memoriam revocans. Ubi autem explicare vult in quonam proprie consistat redemptio a Christo perfecta, quædam satis obscura profert; præcipuam tamen vim redemptionis reponit in *immensa caritate compatiente Christi*, cujus cognitio et manifestatio homines meliores efficit, a peccato retrahit et conjungit cum Christo, qui novas vires ipsis infundit[1].

Alii satisfactionis vicariæ ab Anselmo, vel etiam ab aliis theologis catholicis explicatæ censores in tantam heterodoxiæ extremitatem non delapsi sunt; sed dum aspectum subjectivum redemptionis efferre juridismumque occidentalem penitus convellere voluerunt, huic novæ socinianismi formæ haud dubie viam paraverunt. Inter illos eminet P. Svietlov, qui de dogmate redemptionis haud pauca recenter conscripsit[2]. Et multa quidem bona ac laudabilia ille

1. *Opyt khristianskago pravoslavnago katichizissa*, Carlovitziæ, 1924, p. 46-48, 140-141.

1. *Dogmat iskupleniia*, Karlovitziæ, 1926, 60 p. Cf. hujus opusculi recensionem a Th. Spacil conscriptam in commentario *Orientalia christiana*, t. VIII (1926), p. 224-228. Effectus compatientis caritatis Christi, in quibus consistit redemptio, ita describit, p. 40 : « Christus per suam compatientem caritatem sæpta delevit, quæ inter homines peccatum erexit et primitivam naturæ humanæ unitatem instauravit, immediatum sibi parans accessum in singulorum hominum interiora, ita ut quicumque ejus influxui se submiserit, non solum in mente sua, sed in tota natura sua novas inclinationes, sensus, desideria experiatur, quæ non a seipso, sed ex sua cum Christo unione fluant. » Adhuc anno 1928, Antonius opusculo Tarasii hieromonachi rursus edito, de quo mox loquebamur, præfationem laudatoriam præmittebat. Ab adversariis autem ob hanc de redemptione doctrinam heterodoxiæ haud semel accusatus, illam, ut ferunt, nuperrime retractavit. Cf. *Orientalia christiana*, t. XXI, p. 256.

2. Præcipuum ejus opus de hac materia inscribitur : *Krest Khristov. Znacenie Kresta v dielie Khristovom. Opyt iziasneniia dogmata iskupleniia (Crux Christi. Momentum Crucis in opere Christi. Tentamen elucidationis dogmatis redemptionis)*, Kioviæ, 1893; ed. 2, aucta et emendata, Kioviæ, 1907, XV-654 p. Doctrinam in hoc opere expositam iteravit auctor in variis editionibus sui *Cursus theologiæ apologeticæ*, Kioviæ, 1900, 1905 et 1912, necnon in opere inscripto : *Opyt apologheticeskago izlogeniia pravoslavno-khristianskago vierouceniia (Adumbratio apologeticæ expositionis doctrinæ fidei orthodoxæ)*, t. II, ed. 3, Kioviæ, 1912. De eodem argumento egit in pluribus articulis in commentariis theologicis Russiæ editis.

habet de integro conceptu redemptionis, sapienter animadvertens in eo duplicem aspectum distinguendum esse, objectivum nempe et subjectivum; et in ipso objectivo aspectu, id est in satisfactione vicaria Dei justitiæ a Christo oblata, charitatem Christi perfectissimasque ejus animæ dispositiones primas tenere præ tolerantia pœnarum et dolorum corporis; verum in Anselmianam theoriam satisfactionis haud unum telum immeritum conjicit. Dum autem theologis catholicis crimini vertit quod aspectum subjectivum redemptionis plus minusve negligant, illum ut quid accessorium ac secundarium habentes atque de eo non in ipso de redemptione tractatu, sed in aliis sacræ doctrinæ partibus agentes, ipse in hoc subjectivo aspectu adeo insistit, ut Christi pro nobis satisfacientis partes aliquatenus minuantur atque in obscuro ponantur. Inde factum est, ut quidam theologi russi, post ejus operis editionem, solum aspectum redemptionis, prout ab ipso explicatus fuit, retinuerint, aspectum objectivum tanquam juridismum Occidentalium redolentem neglexerint. Cæterum hujus theologi labor in investiganda adæquata notione redemptionis in tota ejus implicatione haud spernendus, sed omnino notandus est. Nec omni fundamento carent quædam ex ejus censuris et reprehensionibus in nostros directæ, multaque habet quæ prorsus congruunt cum erudito opere J. Rivière de eodem argumento [1].

Merito multo inferius est opus I. Orphaniskii supra memoratum [2]. Hic satis acriter impetit theologos catholicos, quod a vera Patrum doctrina, quantum ad doctrinam de salute, deflexerint, juridismo Anselmi adhærentes. Verum, in fine fatetur errorem potius esse in formulis quam in ipsa doctrinæ substantia. Dum juridismum Catholicorum pessumdare intendit, in juridismum Reformatorum incidit, docens Christum Dei iram subiisse et ipsa inferni tormenta pro nostris peccatis tolerasse [3].

1. Doctrinæ Svietlovi optimam analysim habes apud A. Bukowskii, *op. cit.*, p. 26-41.
2. Cf. supra, p. 699, n. 2.
3. Cf. Bukowskii, *op. cit.*, p. 21-23.

CAPUT TERTIUM

DE CONSECTARIIS UTRIUSQUE MYSTERII

Prænotamina.

Theologorum catholicorum, qui ad calcem tractatus de Verbo incarnato et redemptore, de cultu sanctorum, reliquiarum et imaginum agere solent, vestigia prementes, pauca de eodem cultu apud Græco-Russos in præsenti capite tradere intendimus, non quod in explicanda hujus cultus indole inter nos et illos aliqua intersit substantialis differentia, sed quia circa dogmatis historiam apud eos quædam notanda veniunt, et in terminis theologicis ad eamdem doctrinam exprimendam utrimque adhibitis quædam occurrit diversitas [1]. Præterea, cum quidam theologi dissidentes, his ultimis annis, cultum sacratissimi cordis Jesu, prout in Ecclesia catholica et docetur et exercetur, impugnare inceperint, illorum polemicas rationes referre haud abs re erit. Quatuor erunt breves articuli, scilicet :

1° De cultu sacratissimi cordis Jesu a quibusdam Græco-Russis impugnato;

2° De cultu sanctorum in Ecclesia græco-russica;

3° De veneratione reliquiarum et imaginum in eadem Ecclesia;

4° De controversiis inter Niconianos et Starovieros circa formam et signum crucis necnon circa picturam sacram.

1. De cultu sanctorum, reliquiarum et imaginum compendiorum auctores apud Græco-Russos agunt sive in tractatu *De novissimis :* ita Antonius, Macarius, S. Malevanskii, Andrutsus; sive ad calcem tractatus *De Ecclesia :* ita Philaretus Gumilevskii et N. Malinovskii.

ARTICULUS PRIMUS

De cultu sacratissimi cordis Jesu a quibusdam Græco-Russis impugnato.

Primus inter Græco-Russos cultum sacratissimi cordis Jesu *ex professo* impetivit archipresbyter russus Alexander Lebedev in quodam opusculo anno 1882 primum edito [1]. Sub ejus influxu, quidam alii theologi eumdem obiter vituperarunt [2]. Attamen caput hujusmodi in programmate publico theologiæ polemicæ apud Russos nondum positum fuerat; ex quo colligere possumus dissidentes haud magnum momentum ei tribuisse.

Præcipuas rationes polemicas a theologis russis contra hunc cultum excogitatas ad tres sequentes reducere possumus :

1° Cultus hujusmodi est novitas superflua;

2° Est novitas omni fundamento theologico carens, nulla probabili ratione fulta;

3° Est novitas multiplici ex parte perniciosa.

1. *O Latinskom kultie serdtsa Iissouçova ili raznosti v spoçobakh vozzrienia i v ucenii o lioubvi tserkvei vostotchnoi i zapadnoi (De latino cultu cordis Jesu, seu discrepantiæ in modis res percipiendi necnon in doctrina de amore, quæ inter orientalem et occidentalem Ecclesias vigent)*, Varsaviæ, 1882; ed. 2, Petropoli, 1903. Ad primam editionem lectorem hic remittimus. Ante A. Lebedev, Vladimirus Guettée, in suo opere : *La papauté hérétique. Exposé des hérésies, erreurs et innovations de l'Église romaine depuis sa séparation de l'Église catholique au XIe siècle*, Parisiis, 1874, contra hunc cultum quædam jam protulerat. Vide præsertim p. 82-84. Cf. etiam Græcum G. Karydès, Ἡ διδασκαλία τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς Ἐκκλησίας, Smyrnæ, 1870, p. 37. De opere A. Lebedev vide E. Évrard, *La théologie russe et le Sacré-Cœur*, in commentario *Revue augustinienne*, t. v (1904), p. 166-172.

2. Ita præsertim N. Malinovskii tum in cursu majore theologiæ orthodoxæ, t. III, *Ucenie o Boghe Iskupitelie i Osviatitelie*, Serghiev Possad, 1909, p. 131-137, tum in cursu abbreviato a nobis sæpe citato, t. II, p. 86-87. Cf. Pl. de Meester, *Études sur la théologie orthodoxe. IIe série : Théologie économique. III. Le mystère de l'incarnation ou christologie*, p. 44-49.

1° *Est novitas superflua.* — Hanc rationem potissimum urget A. Lebedev, qui in hunc modum ratiocinatur :

Amor, qua conceptus abstractus et vitæ moralis principium, nec verbis, nec coloribus sensibiliter repræsentari potest, sed in suis effectibus tantum demonstratur atque manifestatur.

Atqui Christus suum erga nos amorem per mortem in cruce præsertim exhibuit, secundum illud : *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joh., XV, 13).

Ergo amor Christi aptissime et sufficientissime sensibiliter repræsentatur per crucem seu per imaginem Christi crucifixi. Crux enim non est signum seu symbolum amoris Christi mere arbitrarium vel conventionale, sed in re, id est in ipsa Christi morte in cruce, fundamentum habens.

Ergo ejusdem Christi erga nos amoris aliud signum seu symbolum est prorsus inutile ac superfluum.

Ergo cultus cordis Christi ut symboli ejus amoris est novitas omnino superflua [1].

2° *Est novitas omni fundamento carens.* — Cultus cordis Christi, pergit Lebedev, omni fundamento theologico caret : 1° sive consideretur *ipsum cor materiale*, quod non potest esse objectum cultus; humanitas enim Christi et homo in genere coluntur, *quatenus imaginem Dei in se referunt;* imago autem Dei non apparet nisi in *homine integro*, nequaquam vero in aliqua parte ejus corporis; 2° sive consideretur cor *metaphorice* ac *symbolice*, id est, ut symbolum amoris Christi, quia amor Christi, ut jam dictum est, exhiberi non potest nisi per ejus effectus sensibiles; cor autem in se sumptum nullum specialem amoris Christi effectum manifestat; unde ipsum erit illius amoris signum prorsus *arbitrarium* ac *mere conventionale;* quod luculente patet ex adjecticiis insignibus, quibus Latini cordis Christi imaginem decorant, cruce nempe, corona spinea, etc.; 3° sive ratio habeatur prætensarum revelationum, quæ sanctæ Mariæ-Margaritæ Alacoque ab ipso Christo factæ fuerint; hujusmodi enim revelationes nihil aliud sunt nisi delirantis phantasiæ fetus. Cæterum, post mortem apos-

1. A. Lebedev, *op. cit.*, p. 14 sq.

tolorum, nullæ dantur in Ecclesia Christi novæ revelationes *dogmaticæ* vel ad totam Ecclesiam directæ [1].

3° *Est novitas multiplici ex parte perniciosa.* — Si Græco-Russos cultus cordis Jesu adversarios audias, cultus hujusmodi est novitas perniciosa tum *sub aspectu dogmatico*, tum *sub aspectu morali*, tum demum *sub aspectu liturgico*.

Sub aspectu dogmatico, hujus novæ devotionis periculum in eo latet, quod hæc nestorianismum redoleat et ex se tendat ad Christum dividendum, et quidem multo gravius quam ipse Nestorii error, quatenus Nestorius personam Verbi a Christo homine tantum separabat, cordicolæ autem hodierni et ab humanitate Christi integra cor seorsim sumunt, ut illud separatim colant eique adorationem exhibeant.

Præterea Catholici, specialem cultum et ipsam latriam cordi carneo Christi deferendo, canones dogmaticos de *una adoratione* Deo Verbo incarnato exhibenda, octavum scilicet Ephesinum et nonum concilii Constantinopolitani II, aperte infringunt. Ex hoc enim quod fidelium mens et intentio in ipsum cor separatim sumptum diriguntur, in diversa objecta, nempe in personam Verbi, in ejus humanitatem necnon in ejus cor ab humanitate cogitatione saltem divisum, disperguntur, et ita evanescit *unica Verbi incarnati adoratio* [2]. Eo autem incongruentiæ et absurditatis cordicolæ usque devenerunt, ut cordi omnes personæ notas tribuerent, illud tanquam ipsam Verbi incarnati personam haberent, alloquerentur, orarent, canticis laudarent, summos divinitatis honores offerrent [3].

Sub aspectu morali, hujusmodi devotioni utriusque dilectionis, Dei videlicet et proximi, veram indolem pervertit et adulterat. Adulterat verum amorem erga Deum, quatenus amori sensibili præ rationabili et spirituali favet ac primas tribuit. Amor exinde oriens non est genuinus Dei amor, sed amor sensus et phantasiæ, amor arte excitatus, instabilis, non firmus.

1. Lebedev, *op. cit.* p. 7 sq., 57-86.
2. Criminationem nestorianismi non directe movet A. Lebedev, sed illam proferunt V. Guettée, *op. cit.*, p. 84, N. Malinovskii, t. III, p. 135. et in minori cursu, t. II, p. 86.
3. Ita Lebedev, p. 23-43, et post eum alii.

Cæterum, addit Lebedev — et in hoc haud parum insistit — talis devotio, talis amor studiis ac tendentiis *realisticis* et *immediatis* animi latini bene respondet. Latini enim, inquit ille, sunt *natura immediati*, id est sensibilitate et imaginatione potius diriguntur quam ratione et mente, ut patet ex tota historia sensus religiosi apud illos, ex formis devotionis et cultus liturgici, quæ res sensibiles, repræsentationes theatricas — in memoriam revoca musicam et organa, statuas varias, vias crucis sculptas, lucis artificialis in cærimoniis affluentiam, etc. — sibi adsciscere solent. Orthodoxi orientales, e contra, sunt *natura contemplativi*, qui ad spiritualia haud ægre assurgunt, et in sua erga Deum devotione, in suo cultu religioso symbolis a materia magis alienis, subtilioribus, puris ideis vicinioribus uti consueverunt. Unde ad amorem Christi repræsentandum crux illis sufficit. « Conceptus *immediatus* Latinorum *(vozzrienie neposredstvennoe)* se habet ad conceptum *contemplativum (sozertsatelnoe)* Ecclesiæ orientalis, sicut infantilis statura in suo naturali incremento inhibita ac retardata se habet ad staturam perfectam. In seipso præfert notam *spiritualis immaturitatis* [1]. »

Idem Lebedev contendit cultum Sacratissimi Cordis genuinam dilectionem erga proximum corrumpere, quatenus hanc dilectionem transmutat in fanaticum zelum peccatores convertendi, schismaticos ad unitatem Ecclesiæ adducendi, infideles evangelizandi, uno verbo, catholicismum per omnem orbem propagandi ac dilatandi. Secundum ipsum, verus amor proximi inquietum zelum hujusmodi prorsus ignorat, proximum simpliciter amat, quia Christus illum dilexit ac diligit; ad salutem illum adducit non sermonibus, non zeli operibus, sed per bonæ vitæ mutam prædicationem, per exquisitam erga illum agendi rationem [2].

1. *Op. cit.*, p. 43-56, 167. Vides Lebedev in nos detorquere criminationem, quam nostri in Orientales movere solent præsertim ob nimium cultum imaginum, rituum exuberantiam, formalismum liturgicum, defectum vitæ *interioris hominis*.
2. *Ibid.*, p. 138-156. Lebedev cultum Sacratissimi Cordis habet ut callidam Jesuitarum adinventionem ad captandos pios Catholicos eosque proprio influxui mancipandos. Eo usque devenit, ut loquatur *de homicida intolerantia* hac devotione confota, p. 168.

Demum, *sub aspectu liturgico* latinus cultus cordis Jesu a vera mente concilii Nicæni II circa cultum imaginum recedit. Concilii enim decreta eo tendunt ut, sive de Salvatore agatur, sive de sanctis, totius personæ, non vero unius partis corporis eorum seorsim sumptæ repræsentationem per picturam permittat. Atqui apud Latinos sæpe sæpius tum cor Jesu, tum etiam cor Mariæ seorsum depingitur [1].

In argumentis A. Lebedevi et aliorum diluendis haud immorabimur, quandoquidem ad eorum idoneam confutationem sufficit ipsa doctrinæ et usus Ecclesiæ catholicæ sincera expositio.

ARTICULUS II

De cultu sanctorum in Ecclesia græco-russica.

Sicut in antiqua Ecclesia byzantina, ita et in moderna Ecclesia græco-russica semper viguit et adhuc viget sanctorum duplex cultus, venerationis scilicet et intercessionis. Ante schisma byzantinum, ipsi iconoclastæ hujusmodi cultui haud repugnabant, quamvis imperator Constantinus V, Copronymus dictus, illum una cum reliquiarum cultu exstirpare aliquando tentaverit et ipsam Deigenitricis intercessionem fidelibus adeo frequentatam impetere haud dubitaverit [2]. Per totum Medium Ævum cultus hujusmodi apud Græcos vix unquam invenit adversarium. Apud Russos vero, jam in secundo dimidio sæculi XIV, *Strigolnikorum* secta cultum sanctorum una cum aliis liturgicis institutis respuisse videtur; quod sequenti sæculo judaizantes *(gidovstvuiuchtche)* fecisse omnino certum est [1]. Sæculo autem XVI, cum in Occidente Protestantes cuilibet formæ venerationis sanctorum bellum jam indixerant, Matthæus Bachkin et Theodosius Kosov apud Russos sectis hodiernis rationalismi principiis imbutis præibant, religionem christianam omni elemento dogmatico vacuantes.

Tentaminibus unionis inter Ecclesiam græco-russicam et varios Protestantium cœtus semper obstitit, inter alia multa, beatæ Mariæ virginis et sanctorum cultus. In tribus suis *Responsis ad theologos lutheranos*, Jeremias II sanctorum invocationem una cum veneratione reliquiarum et imaginum diserte tuetur [2]. Cum autem Cyrillus Lucaris in articulo VIII suæ *Confessionis fidei* potestatem intercessionis sanctorum *indirecte* negasset [3], plures synodi [4] et plerique theologi græci sæculi XVII illum damnarunt atque doctrinam catholicam contra novatores prædicaverunt, inter quos emicuere Metrophanes Critopulus [5], Meletius

1. Malinovskii, t. III, p. 137. Notum est Ecclesiam catholicam recentioribus decretis prohibere repræsentationem cordis Jesu seorsum ab ejus persona. Huic tamen præscriptioni haud semper stant iconographi.

2. Cf. J. Pargoire, *L'Église byzantine de 527 à 847*, p. 258-259, 370 : « Constantin s'en prit à la Théotocos en personne et refusa de reconnaître son pouvoir d'intercession, peut-être même sa maternité divine. Ce pouvoir d'intercession, il le refusa également, comme de juste, aux apôtres, aux martyrs, aux confesseurs, et il fit modifier par ses évêques ce que ceux-ci avaient défini sur ce point en 753 (au conciliabule d'Hiéria). Non content de briser les images, il jeta les reliques à la mer, en commençant par celles de sainte Euphémie. Laïcisateur forcené, il pourchassa le mot *saint* et le supprima même des expressions topographiques et géographiques. »

1. Cf. *Pravosl. bogoslovskaïa entsiklopediia*, t. V, col. 567-568.

2. Cf. Resp. I, c. XXI; Resp. II, c. III; Resp. III, c. IV, ed. Gedeonis Cyprii, Κριτὴς τῆς ἀληθείας, t. I, p. 106-108, 187-205, 242-244.

3. Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 29 : « Πιστεύομεν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν... μόνον ἔργον πράττοντα ἀληθινοῦ καὶ γνησίου ἀρχιερέως καὶ μεσίτου · ὅθεν καὶ μόνος κήδεται τῶν ἰδίων. »

4. *Synodus Constantinopolitana* anni 1638, Kimmel, *ibid.*, p. 402-403; *Iasiensis*, anno 1642, *ibid.*, p. 411 : « ἐν δὲ τῷ ὀγδόῳ τὴν τῶν ἁγίων ἀναιρεῖ μεσιτείαν, τάς τε τῶν ἀγγέλων προστασίας. » *Constantinopolitana*, anno 1672, Kimmel, t. II, p. 223 : « Προσκυνοῦμεν τοὺς ἁγίους ὡς ὑπὲρ Χριστοῦ ἐναγωνισθέντας, καὶ μεσίτας αὐτοὺς Θεῷ προβαλλόμεθα. » *Hierosolymitana*, anno 1672, Kimmel, t. I, p. 382-395, 434-435 (art. VIII *Confessionis Dosithei*) : « Οὐ μόνον δὲ ἔτι ὄντας ἐν τῇ παροικίᾳ τοὺς ἁγίους μεσίτας καὶ πρεσβευτὰς ἡμῶν πρὸς Θεὸν ὁμολογοῦμεν, ἀλλὰ καὶ μετὰ θάνατον μάλιστα, ὅτε καὶ τῶν ἐσόπτρων λυθέντων καθαρῶς ἐποπτεύουσι τὴν ἁγίαν Τριάδα · τὸ ἄπειρον ἐκείνης φῶς τούτων ἐν τῷ νῷ τίθησι τὰ ἡμέτερα. »

5. *Confessio fidei*, c. XVII, Kimmel, t. II, p. 169-176. Metrophanes solus, contra alios Græcos coævos, sanctis denegat appellationem *mediatores*, quia unus est mediator, μεσίτης, nempe Christus; illos tantummodo vocat *legatos* et *intercessores* : « Οὐ λέγομεν τοὺς ἁγίους μεσίτας · εἷς γάρ ἐστι μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Ἰησοῦς Χριστος... Οὐ μεσίτας τοίνυν τοὺς ἤδη μεταστάντας ἁγίους καλοῦμεν, ἀλλὰ πρέσβεις καὶ

Syrigus [1] et Dositheus [2]. Apud Russos vero orthodoxiæ præcipui defensores exstiterunt Petrus Moghila [3] et Stephanus Iavorskii [4]. Nec Theophanes Procopovitch ejusque discipuli, quamvis in multis aliis theologiæ Lutheranorum et Calvinistarum suffragati fuerint, in hoc capite fidelium devotioni aperte contraire ausi fuerunt [5].

ARTICULUS III

De veneratione reliquiarum et imaginum in Ecclesia græco-russica.

Post festum Orthodoxiæ (11 martii 843), quo Ecclesia byzantina suum definitivum de iconoclastis triumphum egit, reliquiarum et imaginum cultus ab illis tantum sectis impugnatus fuit, quæ dualismo Manichæorum cognatæ erant, ut paulicianismus et bogomilismus [6]. Apud Russos vero, imaginum cultus eosdem habuit adversarios, quos et sanctorum veneratio et invocatio. Item, sæculis XVI et XVII, eædem synodi, theologi iidem qui contra Protestantes sanctorum cultum tuiti sunt, reliquiarum et imaginum defensores iisdem documentis vel scriptis exstiterunt; immo de imaginibus plerumque fusius tractaverunt quam de prototypis [1]. Hujus autem cultus apud Græco-Russos propria quædam notanda sunt, quæ ut persecutionis iconoclasticæ consequentiæ jure habentur :

1º Prohibentur imagines sculptæ vel statuæ, quas ante persecutionem apud Byzantinos usurpatas fuisse ex certis novimus documentis [2];

2º Divinitas in se, vel in tribus personis considerata utpote incircumscripta, ἀπερίγραπτος, non pingitur [3]. Græco-Russi

ἱκέτας πρὸς τὸν Θεὸν ὑπὲρ ἡμῶν », p. 173-174. Nota Metrophanem suam *Confessionem* professoribus lutheranis Germaniæ dicare; unde vitat terminos illorum auribus durius sonantes.

1. Κατὰ τῶν καλβινικῶν κεφαλαίων, Bucarestii, 1690, p. 32-41. Ejus dissertatio in tres partes dividitur : α'. Ὅτι οἱ ἄγγελοι μεσιτεύουσιν · β'. Ὅτι οἱ ἱερεῖς μεσιτεύουσιν · γ'. Ὅτι οἱ ἅγιοι καὶ μετὰ τὸν μακάριον αὐτῶν θάνατον παρακαλοῦσιν ὑπὲρ ἡμῶν.

2. Præter Acta synodi Hierosolymitanæ et Confessionis fidei jam memoratæ, Dositheus conscripsit aliquod Ἐγχειρίδιον κατὰ τῆς καλβινικῆς φρενοβλαβείας, una cum opere M. Syrigi, anno 1690, Bucarestii editum. De cultu sanctorum agit, p. 10-12.

3. In *Confessione orthodoxa*, III pars, q. LII, Kimmel, t. I, p. 300-305, ubi quæstio tractatur omnino clare et juxta doctrinam catholicam.

4. *Kamen viery*, tractatus V : *De sanctorum invocatione*. Cf. ed. Kiov. anni 1730, p. 461-560. Tractatus dividitur in duas partes. In prima parte, Iavorskii doctrinam orthodoxam probat positivis argumentis ex fontibus Revelationis haustis. In secunda, objectiones et calumnias hæreticorum convellit. In ultimo capite, perpetuam virginitatem, et divinam maternitatem beatæ Mariæ virginis speciatim defendit, antequam vindicet legitimitatem cultus eidem ab Ecclesia præstiti.

5. De cultu sanctorum, reliquiarum et imaginum plerique Theophanis discipuli silent.

6. Cf. Th. Uspenskii, *Sinodik v nedieliu pravoslaviia*, Odessæ, 1893, p. 42; *Sermonem Cosmæ presbyteri contra Bogomilos*, in commentario *Pravosl. Sobiesiednik*, t. VI, 1864, p. 92 sq., 324 sq.

1. Cyrillus Lucaris in *Confessione fidei, Responsio ad interrog. IV*, Kimmel, p. 43-44, non *usum*, sed *cultum* imaginum, quem vocibus λατρεία καὶ θρησκεία designat, aperte rejicit. Illum diserte confutant : M. Syrigus, *op. cit.*, p. 157-162; Dositheus in *Actis synodi Hieros.*, Kimmel, t. I, p. 468-474 et in *Enchiridio, loc. cit.*, p. 87-89. Cf. etiam M. Critopulum, *Confessio fidei*, c. XV, Kimmel, t. II, p. 160-166; P. Moghilam, *Confessio orthodoxa*, III pars, q. LV, Kimmel, t. I, p. 308-312. Stephanus Iavorskii, in *Petra fidei*, integrum dicat tractatum, primum scilicet, cultui imaginum, *ed. cit.*, p. 1-178; secundum, signo et cultui crucis, p. 179-258; tertium, venerationi reliquiarum, p. 258-294. Haud pauca mutuatur a S. Bellarmino et Becano.

2. Cf. Pargoire, *op. cit.*, p. 255, 361. Apud Russos, præsertim apud Occidentales et Meridionales, ex Latinorum influxu statuæ haud ignotæ erant.

3. Antiqui imaginum defensores contra Iconomachos repræsentationem divinitatis omnino vetant. Ita Joannes Damascenus, *De fide orth.*, l. IV, c. XVI, col. 1169-1172 : « Παραφροσύνης ἄκρας καὶ ἀσεβείας τὸ σχηματίζειν τὸ θεῖον. » Cf. *De imag.*, I, 4, col. 1236; II, 7, 11, col. 1289 B, 1293 B; III, 4, 9, col. 1321 D, 1332 D. Fatetur tamen in Scriptura inveniri quasdam imagines Dei : *De imag.*, III, 25, col. 1345 A. Item concilium Nicænum II imagines divinitatis prorsus ignorat, et ex Actis ejus constat Byzantinos illius temporis imagines hujusmodi non admisisse : cf. Mansi, *Coll. concil.*, t. XIII, col. 164, 284. Verum quidem est inter acclamationes sessionis VIII et ultimæ, Mansi, *ibid.*, col. 416, hanc occurrere : « Πιστεύοντες εἰς ἕνα Θεὸν ἐν Τριάδι ὑμνούμενον, τὰς τιμίας « αὐτοῦ » εἰκόνας ἀσπαζόμεθα », ex qua quidam, ut C. Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, t. IV, ed. 4 et 5, 1921, p. 396, colligunt synodum imagines Trinitatis approbasse; verum, ut luculente ostendit. V. Grumel, art. *Images (Culte des)*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VII, col. 837-

tamen recentiori tempore a pristino rigore desciverunt, et Patrem æternum sub figura *Antiqui dierum*, Spiritum Sanctum sub columbæ vel ignearum linguarum specie Latinorum more jam repræsentant [1].

3° Christus et sancti ad exempla stata et traditione accepta depinguntur, ita ut artificum et pictorum inspiratio et imaginatio nimium coarctetur [2]. Pictores tamen russi recentiores veteres compedes aliquatenus excusserunt.

4° Imagines in ecclesiis, in viis, in privatis domibus mirum in modum multiplicantur [3].

De indole cultus imaginibus exhibiti subtiliter disseruerunt doctores byzantini, qui ejus liceitatem contra Iconomachos vindicarunt, omnium vero subtilissime sanctus Theodo-

840, vox αὐτοῦ deest in eadem acclamatione, prout in aliis sessionibus prolata est et a quibusdam auctoribus refertur. Unde hæc vox αὐτοῦ vel interpolata est, ut facile credam, vel in specialem sensum accipienda est, qui ab imaginibus ipsius Trinitatis prorsus abstrahat.

1. Metrophanes Critopulus, *loc. cit.*, p. 161, imagines divinitatis adhuc prohibet; M. Syrigus vero, *op. cit.*, p. 160v, probat imagines Patris et Spiritus Sancti; item Dositheus, *Confessio*, resp. IV, *loc. cit.*, p. 470. Inter recentes vide Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 274, 276-277.

2. Pargoire, *op. cit.*, p. 361 : « L'iconoclasme oblige les peintres et les mosaïstes à s'en tenir de plus en plus à des types arrêtés. On conçoit, en effet, que, pour mériter la vénération due à son modèle, l'image doit être, autant que possible, un portrait et non une production de fantaisie. »

3. Pargoire, *ibid.*, p. 361 : « La réaction provoquée par l'iconoclasme prépare l'apparition du *templon* [quam quidam vocant *iconostase*], haute clôture en marbre ou en bois qui se dressera, chargée d'icones, au-devant du sanctuaire. » De cultu imaginum apud Russos vide L. Baurain, *La vie chrétienne en Russie. Le culte des images*, in *Revue augustinienne*, t. IX (1908), p. 641-664 : « La Russie est un immense temple que des mains pieuses ont tapissé d'images sans cesse baisées, sans cesse vénérées, mais où l'autel, derrière l'épais rideau des figures hiératiques, passe inaperçu... Chaque maison a ses icones domestiques; la principale, celle devant laquelle brûle soit constamment, soit les jours de fête seulement, une lampe à l'huile, est placée à l'un des angles de l'appartement. Un dévot orthodoxe ne manque pas de décorer chacune de ses chambres d'une icone; les marchands en placent dans leur boutique ou leur magasin... Cà et là, dans les rues et par les chemins, des icones arrêtent encore les passants. » Hæc sane ante bolcevistarum adventum. Russi, sicut et Græci, multas venerantur imagines miraculosas, quas speciali cultu prosequuntur.

rus Studita [1]. In hoc autem omnes conveniunt, quod cuicumque imagini, etiam cruci, etiam imagini Christi, cultum latriæ omnino denegant, et nomen *latriæ relativæ* prorsus ignorant. Voce enim λατρεία cultum *absolutum* soli Deo proprium *semper* designant; cui opponunt alios cultus : sanctorum, reliquiarum, crucis, imaginum quarumcumque; qui omnes sunt cultus *relativi* respectu ipsius Dei, etsi diverso modo, titulo et gradu [2]. Unde cultus crucis et imaginis Christi *specie* non differt a cultu aliarum imaginum vel rerum sacrarum : est cultus *mere relativus*, non vero *latreuticus* nisi *æquivoce* seu ὁμωνύμως. Non negant tamen majorem honorem deberi imaginibus secundum majorem dignitatem prototyporum [3]. Cum autem verum sit dicere sub aliquo respectu imaginem, ut imago est, eodem cultu coli, quo exemplar — et hoc sæpe sæpius docet Theodorus Studita — quidam theologi byzantini asserere ausi sunt imaginem Christi *cultu latriæ* venerandam esse, quin hunc inusitatum loquendi modum rite explicarent. Unde ab Ecclesia byzantina condemnati sunt. Ita Joannes Italus philosophus, cujus errores in synodo Constantinopolitana, anno 1082 [4], reprobati sunt;

1. Ejus doctrinam clare exponit V. Grumel, *L'iconologie de saint Théodore Studite*, in *Échos d'Orient*, t. XX (1921), p. 257-268.

2. Cultum sanctorum Byzantini communiter vocant *cultum relativum*, quia sancti coluntur *propter Deum*. Illum tamen habent ut excellentiorem cultu imaginum, qui est mere *relativus*. Dositheus, in *Confessione fidei*, resp. IV, Kimmel, t. I, p. 470, duplicem cultum sanctorum expresse distinguit : « Τοὺς δὲ ἁγίους τιμῶμεν διττῶς · πρῶτον μὲν κατὰ τὴν πρὸς Θεὸν ἀναφοράν, ἐπειδὴ ἐκείνου ἕνεκα τιμῶμεν αὐτούς, καὶ καθ' αὑτούς, ὅτι ζῶσαί εἰσιν εἰκόνες τοῦ Θεοῦ. »

3. Hoc expresse notat Photius, *Epist.*, l. I, ep. VIII, 20, *P. G.*, t. CII, col. 653 : « Τὰς ἱερὰς εἰκόνας κατ' ἀναλογίαν τῆς τῶν πρωτοτύπων ὑπεροχῆς καὶ σεβασμιότητος τιμᾶσθαι καὶ προσκυνεῖσθαι κοινῶν θεσπισμάτων ὅροις ἐπεσφράγισέ τε καὶ ἐκύρωσε » (scilicet concilium Nicænum).

4. Joanni Italo crimini verterunt quod dixisset imaginem Filii Dei incarnati cultu latriæ esse venerandam, « non sistens in figuris, sed in exemplar honorem referens » : « Εἶπε γὰρ αὐτὸς λατρεύειν τῇ εἰκόνι τοῦ σαρκωθέντος Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, οὐ ταῖς σκιαῖς ἐμμένων, ἀλλ' ἐπὶ τὸ πρωτότυπον τὴν τιμὴν ἀναφέρων. » Conatus est quidem Italus ex quibusdam sanctorum dictis ostendere hunc loquendi modum licitum esse, et vocem « λατρεία » πολυσήμαντον esse, synodus vero ei non assensit, jure dicens secundum Scripturæ usum et Ecclesiæ traditionem τὴν λατρείαν divinæ

et præsertim Leo, metropolita Chalcedonensis, qui quædam nova de veneratione imaginum protulit. Cum enim Alexius Comnenus imperator aurum et argentum supellectilis sacræ ab ecclesiis et monasteriis decreto auferri jussisset, ut in nummos converterentur — pecunia enim egebat ad solvenda exercitui stipendia — multi huic spoliationi tanquam immani sacrilegio reclamati sunt, nullus vero fortius ac vehementius imperatori restitit quam Leo Chalcedonensis, qui in suis epistolis ad varios quæstionem de cultu imaginibus exhibito tetigit. Ejus sententia sic breviter proponi potest :

Imago religioso cultui jam mancipata sub triplici formalitate considerari potest : 1º ut est *mera materia;* et ita considerata, nulla veneratio, nullus honor ei debetur; 2º ut est *materia imaginalis Deo tanquam donarium oblata ac dicata,* ἡ εἰκονικὴ ὕλη ἀνατεθειμένη τῷ Θεῷ ὡς θεῖον ἀνάθημα. Sub hoc respectu, omni imagini sacræ, sive Christi sit, sive alicujus sanctorum et appellatio *imago* (εἰκών) jam tribuenda est, et *veneratio relativa* et *honoraria* exhibenda, juxta præscriptum concilii Nicæni II; 3º ut est *imago,* id est quatenus similitudinem et figuram et *ipsam personam* prototypi repræsentat. Sub hoc tertio respectu, si de imaginibus sanctorum agatur, veneratio eis debita est simpliciter *honoraria* et *relativa,* προσκύνησις σχετική καὶ τιμητική, quandoquidem ipsi sancti, propter quos honorantur eorum imagines, nonnisi *relative,* id est propter Deum, coluntur. Si vero sermo sit de imagine Christi, dicendum est eam *cultu latriæ* honorandam esse, quia *imago Christi ipsa est figura seu vultus humanus Christi,* et ab ea revera non distinguitur : « Credo, aiebat Leo, et ipsam Christi imaginem esse Christum, et non duos Christos esse,

essentiæ soli reservari et nulli imagini tribui : « Εἰ γὰρ καὶ ἐπεχείρει ἀπό τινων μὲν παρεισαγομένων ῥητῶν τὴν τῆς λατρείας σημασίαν καὶ ἐπὶ τῆς προσκυνήσεως καταχρᾶσθαι καὶ πολυσήμαντον εἶναι τὸ ὄνομα τοῦτο ἐνίστατο, ἀλλ' οὐκ ἐφάνη εὔλογα λέγων. » Acta synodi Constantinopolitani contra J. Italum habes in commentario *Izviestiia russici Instituti archæologici Constantinopolitani*, t. II (1897), p. 30-66, a Th. Uspenskii ex *cod. Dionys. Athonensi*, fol. 711-718ᵛ, edita. Videtur Italus τὴν λατρείαν imaginis Christi eodem fere modo ac S. Thomas explicasse, imo ipsum terminum : ἡ λατρεία σχετική (= *adoratio relativa)* adhibuisse, ut ex verbis synodi : « τὴν τῆς λατρείας σημασίαν καὶ ἐπὶ τῆς προσκυνήσεως καταχρᾶσθαι » colligi potest.

sed unum quoad omnia *præter essentiæ differentiam.* Figura Christi *veneratur latreutice* etiam in suis sacris imaginibus [1]. »

Hæc Leonis doctrina damnata est in synodo Constantinopolitana anni 1084, quæ de imagine *quatenus est materia Deo dicata* omnino tacuit [2], post antiquos doctores simpliciter docens : 1º imagini, qua materiæ, nullum cultum tribuendum esse; 2º imaginem hoc nomine non vocari nisi propter similitudinem prototypi, quam nobis repræsentat; 3º nulli imagini sive Christi sit, sive sanctorum, latriam proprie dictam deferendam esse, quæ soli Deo debetur. Quamvis enim, ait synodus post Theodorum Studitam, una sit προσκύνησις Christi et imaginis ejus, attamen *veneratio ut latreutica* solum respicit Christum prout est in se, seu prout eamdem habet essentiam cum Patre et Spiritu Sancto; prout autem veneratio respicit imaginem ejus, non est nisi *relativa,* et *homonyma* seu æquivoca [3].

1. *Epistola Leonis ad Nicolaum Adrianopolitanum,* ed. Alexandri monachi in commentario : Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, t. XX (1900), p. 414-416, 445-447, 455-456 : « Ἀεὶ ἡ εἰκονικὴ ὕλη ἐστὶν ἀνατεθειμένη τῷ Θεῷ ὡς θεῖον ἀνάθημα, καὶ ὁ χαρακτὴρ τοῦ Χριστοῦ ἀεὶ Χριστός ἐστι καὶ Θεός, κεχωρισμένως τῆς ὕλης νοούμενος... Ἡ μὲν εἰκονικὴ ὕλη τιμητικῶς καὶ σχετικῶς προσκυνεῖται, τουτέστι διὰ τὴν πρὸς τὸν θεοῦπόστατον Χριστοῦ χαρακτῆρα σχέσιν · ὁ δὲ ἐν αὐτῇ ὁρώμενος αὐτοῦ χαρακτὴρ οὐ δι' ἄλλον τινά, ἀλλ' αὐτὸς δι' ἑαυτὸν λατρευτικῶς προσκυνεῖται. Εἰκὼν λέγεται... καὶ τὸ συναμφότερον, ἡ ὕλη τε καὶ ὁ ταύτῃ ἐγγραφεὶς χαρακτήρ · καὶ τῶν μὲν ἄλλων πάντων αἱ ὑποστάσεις ταῖς εἰκόσιν ἐγγραφόμεναι τιμητικῶς καὶ σχετικῶς προσκυνοῦνται καὶ ἀσπάζονται · ὁ δὲ τοῦ Χριστοῦ χαρακτήρ, θεοῦπόστατος ὑπάρχων καὶ αὐτός, ...καὶ ἐν ταῖς ἁγίαις εἰκόσιν αὐτοῦ λατρευτικῶς προσκυνεῖται καὶ σέβεται ὡς Θεός. » Item, in *Epistola ad socrum imperatoris, ibid.*, p. 404 : « Οἶδα διδαχθεὶς εἰς τὸ ἀκριβέστατον, ὅτι Χριστός ἐστι καὶ ἡ τοῦ Χριστοῦ εἰκών. » In *Epistola ad patriarcham, ibid.*, p. 406 : «Πιστεύω οὖν, ὅτι ὁ Χριστος λέγεται καὶ ἡ τοῦ Χριστοῦ εἰκών, καὶ οὐ δύο Χριστοί, ἀλλ' εἷς κατὰ πάντα παρὰ μόνον τὸ τῆς οὐσίας διάφορον. »

2. Perspicis rationem ob quam tacuerit. Hæc doctrina enim proposito imperatoris directe adversabatur; nec fundamento carebat in ipsa concilii Nicæni definitione, in qua cultus imaginum assimilatur venerationi debitæ « figuræ crucis, et sanctis Evangeliis et reliquis aliis donariis Deo dicatis : « καὶ τοῖς ἁγίοις εὐαγγελίοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἱεροῖς ἀναθήμασι. »

3. Σύνοδος ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπὶ Νικολάου πατριάρχου καὶ Ἀλεξίου Κομνηνοῦ αὐτοκράτορος, ed. a Montfaucon, *Bibliotheca Coisl.*, p. 103-110, et a Mansi, *op. cit.*, t. XX, col. 1103-1114 : « Ἐπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ λατρευτικὴ ἡ προσκύνησις · ὁ προσκυνῶν γὰρ συμπροσκυνεῖ τὸν Πατέρα

De natura cultus imaginum vix aliquid habent theologi recentiores. In sua *Doctrina orthodoxa* seu *Synopsi theologiæ christianæ*, anno 1765 primum edita, Plato Levkhin cultum imaginum proprie dictum, quatenus a cultu prototyporum distinguitur, vix retinet, imaginibus tantum tribuens partes sensibilis stimuli et incitamenti ad venerationem internam prototyporum [1]. Notum est hunc theologum influxum theologiæ lutheranæ jam subiisse, quamvis suum opus conscripserit, antequam *Theologia christiana* Procopovitch inter Russos suum dominatum obtineret.

ARTICULUS IV

De controversiis inter Niconianos et Starovieros circa formam et signum crucis necnon circa picturam imaginum.

Duo e præcipuis capitibus controversis inter Niconianos et Starovieros russos referuntur ad crucem, nempe primum ad

καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον · ἐπὶ δὲ τῆς εἰκόνος αὐτοῦ ἡ αὐτή μέν · πῶς γὰρ οὔ; ὧν γὰρ τὸ κράτος ἓν καὶ ἡ δόξα μία, τούτων δηλαδὴ ἓν τὸ σέβας καὶ μία ἡ προσκύνησις · σχετικὴ δὲ ὅμως, ἤγουν ὁμωνυμική. » Billot, *De Verbo incarnato*, ed. 5, 1912, p. 374, eamdem tradit explicationem ac Theodorus Studita : « Imago ut imago *eodem cultu* colitur, quo exemplar, hoc solo discrimine quod iste unus cultus aliter terminatur ad imaginem, et aliter ad exemplar : ad imaginem transitive, ad exemplar pausative. » Huic explicationi, quæ satis subtilis est, haud favent verba concilii Nicæni et concilii Tridentini, quæ de speciali veneratione imaginibus ut sic propter prototypa deferenda haud obscure loquuntur; et hic loquendi modus omnium captui magis accommodatur; quem S. Bellarminus clarissime explicavit : *De cultu sanctorum*, l. II, c. xxv, quamvis aliqui ei exprobrent quod indolem relativam hujusmodi cultus haud expresse notaverit; quod falsum videtur.

1. *Orthodoxa doctrina*, III pars, § 6 : In ed. Athen., 1836, versionis græcæ A. Corais, p. 179-180 : « Ἡ προσκύνησις, τὴν ὁποίαν προσφέρομεν εἰς τὰς εἰκόνας, δὲν ἀναφέρεται εἰς αὐτάς..., ἀλλὰ εἰς τὰ πρωτότυπα, τῶν ὁποίων εἶναι εἰκόνες · αὐτὰς δὲ τὰς εἰκόνας τιμῶμεν μὲ μόνον τὸν ἀσπασμὸν εἴτουν τὸ φίλημα... Ἡ εἰκὼν καθ' ἑαυτὴν δὲν εἶναι πάρεξ μία αἰσθητὴ παρόρμησις καὶ παρακίνησις εἰς αὐτὸ τὸ πρωτότυπον. » Unde multam differentiam invenit inter τὴν προσκύνησιν imaginis Christi et τὴν προσκύνησιν imaginum sanctorum.

ipsam formam crucis, alterum ad modum formandi signum crucis super seipsum, vel super populum et res sacras, ubi agitur de benedictione sacerdotali.

Quantum ad primum, Starovieri solam admittunt crucem *octapicem* (seu octo apices, octo partes habentem, russice : *Krest vosmikonetchnyi*), dum Russi orthodoxiæ niconianæ, inde a reformatione liturgica sæculi XVII, solam recipiunt crucem *quadrapicem* seu quadripartitam (= *Krest cetverokonetchnyi*). Starovieri enim cruci addunt duas tabulas transversas, unam pro capite Christi, alteram pro pedibus ejus; ex quo sequitur eorum crucem habere partes octo seu octo apices. Hanc autem formam crucis theologice fundant super loco Isaiæ prophetæ, c. LX, 13, ubi legitur juxta lectionem LXX interpretum : *Gloria Libani ad te veniet in cypresso, pino simul et cedro ad glorificandum locum sanctum meum.* Unde dicunt crucem Domini his tribus arboribus, cypresso scilicet pino et cedro ita confectam fuisse ut octo partes seu apices habuerit, et cruces in Ecclesia venerandas eamdem formam præferre debere. Crucem autem quadrapicem Niconianorum ut formam *hæreticam* respuunt, quam vocare solent *decussamentum latinum* a patriarcha Nicone in Ecclesiam russicam invectum, *umbram Veteris Testamenti, merum typum crucis Christi*, non vero ipsam crucem Christi; immo illorum quidam eam appellant *sigillum Antichristi*. Ita primi Starovierorum doctores : Nikita, Lazarus, Awakum, Avramii monachus et alii [1].

Hujusmodi rationibus et criminibus per singula respondent haud sine magno labore apologetæ Niconiani, dicentes, v. g., formam crucis non ad dogma, sed ad ritus pertinere; unde crucem quadrapicem non posse esse hæresim veri nominis, quæ dividere debeat christianos ab invicem; crucem hujusmodi non esse inventionem latinam, cum Latini non unam crucis formam usurpent; nec esse novitatem a Nicone adinventam, cum in pluribus antiquis ecclesiis et picturis appareat; ipsos Starovieros formare crucem quadrapicem super

1. Cf. N. Subbotin, *Materialy dlia istorii Rascola*, t. IV, p. 17-18, 98-99, 131, 182-183, 302, 306; t. VII, p. 532-357; t. III, p. 168, 224-228; t. V, p. 220, 271-272, 276, 278.

seipsos, quando orant; super alios, quando populum benedicunt; super sacramentorum materias, quando illas consecrant. Quibus respondent Starovieri in his casibus crucem quadrapicem per adumbrationem manus efformatam suam recipere virtutem ex *perstoslogeniia*, id est ex modo componendi seu complicandi digitos [1].

Revera *perstoslogenie* majus momentum habet quam ipsa forma crucis, et ut omnium gravissima discrepantia habetur inter utrosque; de qua multa utrimque conscripserunt. Starovieri *dvoeperstie*, id est, *signum crucis duorum digitorum ope formatum*, usurpant tum in seipsis signandis, tum in benedicendis fidelibus et rebus sacris. Niconiani, e contra, inde a Nicone, usum Græcorum amplexi sunt : Ubi se signant, *troeperstie* usurpant, id est signum crucis delineant tribus primis digitis dexteræ manus in unum collectis, ita ut unus digitus ultra alium non extendatur, ad significandam perfectam consubstantialitatem personarum Trinitatis. Ubi vero ministri sacri benedictionem impertiuntur, digitos ita componunt ac complicant, ut monogramma Jesu Christi describant : Ic. Xc., et hunc gestum vocant *perstoslogenie imenoslovnyi*, id est, *digitorum complicatio appellativa* seu *onomastica*.

Tum *troeperstie*, tum *perstoslogenie imenoslovnyi* Niconianorum Starovieri abhorrent, et utramque ut nefandam hæresim habent. De *troeperstie* dicunt : 1° quod significet errorem Theopaschitarum, quasi tota Trinitas in cruce passa fuerit; 2° quod illa utentes utramque Christi naturam non confiteantur; 3° quod sit novitas recens introducta, a quodam papa, quem *Aphes* appellant, vel, ut plerique opinantur, a papa Formoso Græcis imposita; 4° quod sit ipsum Antichristi sigillum.

Iterum insudant Niconiani, ut omnes hujusmodi criminationes magno eruditionis apparatu confutent. Toti sunt præsertim, ut hujus *troeperstie* antiquitatem certis documentis statuant [2]. Verum, tempus in hoc frustra terunt, cum ex

1. Cf. K. Plotnikov, *Rukovodstvo po obliceniiu russkago Rascola*, ed. 4, Petropoli, 1897, p. 120-126, et alia compendia classica theologiæ polemicæ contra Rascolnikos.
2. Cf. Plotnikov, *op. cit.*, p. 80-91.

historia ab omni partium studio libera constet *troeperstie* revera recentis fuisse originis non solum apud Russos, quod revera negare non possunt Niconiani; sed etiam apud Græcos, qui illam usurpare tantum inceperunt circa sæculi XII finem. Eo autem tempore, quo Russi fidem a Græcis Byzantinis acceperunt, id est sæculo X exeunte, Byzantini *dvoeperstie* jam usurpabant in utriusque naturæ Christi confessionem contra Monophysitas Syros et Armenos, qui uno digito se signabant ad unam Christi φύσιν profitendam. Unde Russi, traditionis acceptæ tenaces fidelissimi, usum a principio ex Byzantio cum fide christiana ductum semper retinuerunt usque ad reformationem liturgicam Niconis, qui novitatem a Græcis posterius invectam nullo pacto suspicatus est [1].

Ad formam autem sacerdotalis benedictionis quod attinet *(perstoslogenie imenoslovnyi)*, Starovieri contendunt solam *dvoeperstie* esse legitimam : 1° quia Christus in cælum ascendens hoc modo benedixit apostolos (Luc., XXIV, 50-51); 2° quia *dvoeperstie* in imagine Deiparæ Tikhvinskaia a sancto Luca depicta haud obscure apparet; 3° quia forma niconiana fundamento caret, quandoquidem ipsum Jesu nomen per ipsam nullatenus repræsentatur; 4° quia impossibile est nomen Jesu in omnibus dialectis litteris delineare, cum in diversis linguis diverse scribatur; 5° quia forma niconiana nec Trinitatem, nec duas Christi naturas indicat. Ad unamquamque rationem Niconiani respondere debent. Auctoritates Starovierorum ex veteribus monumentis vel *iconibus* desumptas enervare conantur. Cum autem celeberrima Russorum synodus de *centum capitibus* dicta *(Stoglav)* anno 1551

1. Hoc certis factis et documentis demonstrat eruditissimus Niconis ejusque reformationis historicus, N. Th. Kapterev, in suo opere, *Patriarkh Nikon i tsar Alexiei Mikhailovitch*, t. I, p. 183-193, Serghiev Possad, 1909; cf. ejusdem opus inscriptum : *Patriarkh Nicon i evo protivniki v dielie ispravleniia tserkovnykh obriadov*, ed. 2, Serghiev Possad, 1913, p. 65-75. Usque ad sæculi IX initium, Byzantini antiquum se signandi modum servarunt, nempe uno digito in fronte vel in aliis corporis partibus signum crucis efformabant. Inde vero a sæculo IX, hoc signum describere inceperunt ut nunc fit, id est, a fronte ad pectus, et ab humero dextro ad sinistrum, sed per *duos* digitos. Jacobitæ, e contra, uno digito se signabant a fronte ad pectus et ab *humero sinistro ad dexterum*.

habita, in uno capitum dicat : *Quicumque cum duobus digitis ad instar Christi non benedicit, vel non se signat, sit maledictus*, ejus auctoritatem deprimere tentant, dicentes eam non fuisse œcumenicam et canonem 34 apostolorum violasse. Præterea sequentem rationem theologicam urgent. Decet, inquiunt, formam benedictionis sacerdotalis a signo communi crucis differre propter summam sacerdotum dignitatem eorumque supernaturalem potestatem dona divina hominibus communicandi [1].

De pictura sacra Starovieri Niconianis item crimen inferunt, quod in depingendis imaginibus Christi et sanctorum ab exemplis traditione statis eorum artifices recedant, præsertim quod ad Latinorum modum Christum et sanctos pingues et opimos faciant [2]; quod Dei Matrem cum capite non velato repræsentent; quod apostolorum et sanctorum crura ad femur fere denudent. Responsio Niconianorum circa hoc caput in promptu est : Hujusmodi abusus, inquiunt, Ecclesia orthodoxa non approbat, sed districte damnat, ut ex multis decretis imperialibus seu *ukazis* videre est. Cæterum Ecclesia orthodoxa omnem decorem, omnem venustatem a vultu Salvatoris vel Matris ejus, vel sanctorum haud amovet; nec decet omnes sanctos effingere graciles et macilentos, cum ex ipsis quidam in juventutis flore cælum petierint [3].

1. Plotnikov, *op. cit.*, p. 94-120.
2. « Pingues Niconiani, scribebat archipresbyter Awakum, sanctos sibi similes depingunt. » Cf. Subbotin, *op. cit.*, t. v, p. 292.
3. Plotnikov, *op. cit.*, p. 172 sq.

TRACTATUS DE GRATIA

PRÆNOTAMINA

Circa doctrinam de gratia nulla fuit controversia inter Græcos et Latinos non solum per totam epocham byzantinam, sed etiam in periodo moderna; quin immo, sæculis XVI et XVII, theologi græci et Kiovienses multiplices de hac materia Protestantium errores ad orthodoxiæ catholicæ normam haud semel in synodis expresse damnarunt, scriptis per singula confutarunt. Inde tamen a sæculi XVIII altero dimidio, sub influxu *Theologiæ christianæ* Theophanis Procopovitch, sententiæ et formulæ lutheranismi mitigati de justificatione necnon de bonorum operum momento ac merito in Ecclesia russica prævaluerunt usque ad reformationem Protasovi, anno 1840; quo tempore, Russorum theologia classica ad doctrinam *Confessionum fidei* sæculi XVII generatim rediit, levia quædam scholasticæ lutheranæ vestigia tantum retinens. Sæculo vero XIX circa finem vergente, theologi russi haud pauci, quibus suffragati sunt aliqui Græci, Reformatorum placitis rursum indulgere visi sunt præsertim circa justificationis naturam et bonorum operum meritum, telaque conjicere jam inceperunt in doctrinam catholicam, quam plerumque insufficienter noverunt ac perperam intellexerunt, impugnantes præsertim meritum de condigno, thesaurum meritorum Christi et sanctorum, opera supererogatoria, satisfactionem pro pœna temporali et indulgentias; de quibus omnibus quædam prorsus miranda conscripserunt.

Cæterum, evolutio doctrinæ Græco-Russorum de præsenti materia illi omnino similis est, quam circa doctrinam de homine supra notavimus. Per totam periodum byzantinam, doctrina hujusmodi, si palamiticam novitatem de gratia increata excipias, progressum vix novit. Theologi byzantini gratiæ divinæ mysteria nequaquam perscrutantur; sed Patrum græcorum dicta passim repetunt. Eorum nullum invenies qui hanc Patrum doctrinam in unum tractatum cohærentem ac logice concatenatum redigere tentaverit. Unde, sicut apud antiquos Patres, ita etiam apud illos quædam obscuriora invenire est, quæ pelagianismum vel semipelagianismum specietenus redolent, quamvis a sana doctrina revera non recedant.

In periodo autem moderna, theologia græco-russica multis ditatur a theologia catholica majori ex parte mutuatis. Influxus vero theologiæ protestanticæ, quamvis sæculo XVIII apud Russos gravis fuerit, in verbis tamen et formulis magis quam in sententiis ipsis quantum ad præsentem tractatum constitit. His autem ultimis annis, quidam theologi russi utriusque theologiæ, catholicæ nempe et protestanticæ, jugum excutere tentabant, ad puram Patrum antiquorum doctrinam et *indeterminationem*, remotis omnibus quæstionibus scholasticis, de industria redire intendentes.

Circa tres quæstiones magni momenti, de quibus in Occidente, inde a pelagiana hæresi, multæ controversiæ, lites et opiniones semper exstiterunt, scilicet circa universalem voluntatem salvificam Dei, circa modum concipiendi gratiæ efficaciam ejusque cum voluntate creata cooperationem, necnon circa prædestinationem et reprobationem post prævisam cujusque cooperationem, Byzantini et Græco-Russi moderni, si unum vel alterum excipias, vix unquam variaverunt, antiquorum Patrum græcorum sententiam de hoc triplici capite fideliter semper ac *pacifice* retinentes, quamvis eorum haud pauci intricatissima nostrorum scholasticorum systemata bene noverint. Hæc autem unanimitas inde provenit, quod hujusmodi quæstiones independenter a quovis systemate philosophico tractaverint, et a solis Revelationis fontibus solutiones quæsiverint; in quo imitandi potius ac laudandi quam culpandi nobis videntur.

Quæ de doctrina Græco-Russorum circa præsentem tractatum tradituri sumus, in duo capita dividimus scilicet :

Caput I : Summa doctrinæ Byzantinorum de gratia;

Caput II : De gratia apud Græco-Russos a sæculo XVI ad nostra tempora.

Porro lectorem monitum volumus quod hæc pauca a nobis hic prolata eo tantum spectant, ut doctrinæ historica evolutio breviter adumbretur. Brevitati studentes, præcipua tantum notabimus, multa omittentes quæ dici possent. Multa etiam ad præsentem tractatum pertinentia vel in operibus nondum editis delitescunt, vel ex litteratura ascetica, mystica et homiletica etiam edita longo cum labore quærenda essent, colligenda, logice ordinanda. Unde de præsenti materia novitatum explorandarum latum patere campum theologiæ orientalis studiosis denuntiamus.

CAPUT PRIMUM

SUMMA DOCTRINÆ BYZANTINORUM DE GRATIA

Prænotamina.

Ut mox diximus, theologia byzantina specialem tractatum de gratia non habet. In suo opere : *De fide orthodoxa*, Joannes Damascenus de hac materia ne unum quidem caput inscribit, solam quæstionem de providentia et prædestinatione summatim tangens. Theologi vero qui post ipsum fuerunt aut quæstiones particulares data occasione pertractarunt, aut plerumque generalia asserta de re protulerunt.

Controversia pelagiana de gratia in Oriente quanquam haud ignota fuit, parvum tamen ibi habuit repercussum, nec doctrinæ notabilem progressum adduxit. Ecclesia byzantina ei tantum debuit illos sex de gratia canones concilii Milevitani II (416), a synodo Carthaginensi XVI (418) iterum approbatos, quos Trullana synodus corpori juris canonici inseruit [1], quosque canonistæ byzantini una cum aliis canonibus collectionis Africanæ commentari consueverunt [2]. Hoc parum est. Est tamen aliquid, quod theologiæ byzantinæ historici oblivioni dare non debent, si æquum judicium de ea in præsenti materia ferre velint. His enim canonibus tum pelagianismus proprie dictus, tum etiam semipelagianismus sufficienter propulsantur [3]; nec de hujusmodi erroribus theo-

1. Canones 3-8 concilii Milevitani II. Cf. Mansi, *op. cit.*, t. III, col. 1071 sq.; Denzinger-Bannwart, *op. cit.*, ed. 11, n. 103-108. In collectionibus byzantinis, hi canones inter Carthaginenses 113-117 (ita apud canonistas sæculi XII), vel 122-127 (ita in *Pedalio* græco, ed. Ath., 1908, p. 507-513) veniunt.

2. Vide commentaria Balsamonis, Zonaræ et Aristeni in *P. G.*, t. CXXXVIII, col. 369-380.

3. Can. 3 : Gratia justificationis non solum valet ad remissionem peccatorum, sed etiam confert adjutorium, ut non committantur. —

logos byzantinos temere accusare licebit, quamvis in suis scriptis haud semper accurate locuti fuerint, atque, ut prædicatores solent, gratiam prævenientem aliquando oblivioni mandaverint, vel potius subaudierint; quod græcis Patribus et latinis ipsis haud semel accidit [1].

Ea pauca, quæ ex eorum scriptis notanda collegimus, sub quinque articulis ordinamus. Sermo erit :

1° De natura gratiæ divinæ juxta theologos byzantinos;

2° De eorumdem communi doctrina circa gratiæ necessitatem, gratuitatem, ad voluntatem liberam creaturarum habitudinem in operibus salutaribus perficiendis;

3° De distributione gratiæ divinæ, seu de Dei salvifica voluntate necnon de prædestinatione et reprobatione;

4° De electorum numero;

5° De status gratiæ seu justificationis experimentali cognitione.

Can. 4 : Gratia non solum dat scientiam mandatorum, sed etiam illorum dilectionem nobis inspirat eaque adimplendi confert potestatem. — Can. 5 : Necessitas gratiæ ad divina mandata adimplenda et ad quodcumque opus salutare faciendum, quia Christus non dixit : Sine me *difficilius* potestis facere, sed dixit : *Sine me nihil potestis facere.* — Can. 6-8 : Nemo sine peccato est, sine debito erga Deum. Unde ipsi sancti vere et sincere dicere debent : *Dimitte nobis debita nostra*, et pro seipsis orare ad obtinendam debitorum remissionem.

1. Generatim Latini propensi sunt ad accusandum Græcos de semipelagianismo, quod isti in multis suorum scriptorum locis salutis vel operis salutiferi initium non gratiæ Dei, sed humanæ libertati tribuere videantur. Hoc crimen fundamento carere bene ostendunt Petavius, *De Deo uno*, l. IX, c. III-V, et Bernardus de Rubeis, *In Theophylacti Bulgariæ vitam et opera*, *P. G.*, t. CXXIII, col. 103-112. Ipse Chrysostomus, qui in causam potissimum venit, in locis non paucis omnino diserte docet gratiæ prævenientis necessitatem ad opus salutare inchoandum. Ubi vero ita loquitur ac si humana libertas primas haberet et ab ea totum penderet, a gratia præveniente abstrahit et de consensu voluntatis huic gratiæ libere præstando directe agit; quod sæpe sæpius faciunt etiam nostris diebus predicatores et ascetici auctores, cum notum sit Deum auxilium gratiæ suæ omnibus liberaliter offerre.

ARTICULUS PRIMUS

De natura gratiæ divinæ juxta theologos byzantinos.

Sicut apud Patres græcos, ita et apud nostros Byzantinos aliquam gratiæ definitionem haud facile invenies. Sicut illi, ita et isti gratiam ex ejus multiplicibus effectibus potius describunt quam illius naturam intimam brevi formula explicare tentant. Ipsam fundamentalem distinctionem inter gratiam habitualem et gratiam actualem apud illos non deteximus, quamvis multa dicant, ex quibus hanc distinctionem haud ægre inferre liceat. Gratiam generatim concipiunt ut operationem Dei supernaturalem, auxilium quoddam a Deo homini concessum ad illum illuminandum, corroborandum, renovandum, sanctificandum, deificandum et ad beatitudinem æternam perducendum cum cooperatione voluntatis creatæ libere præstita. Raro autem, saltem ante controversiam palamiticam, hanc Dei operationem expresse distinguunt ab ejus termino ad quem, id est ab effectu creato in homine producto.

Damascenus de gratiæ natura nihil profert quod apud Patres antiquos non occurrat. Loquitur de naturæ humanæ deificatione per gratiam baptismalem, de filiatione divina adoptiva, *de participatione naturæ divinæ, quæ potissimum fiat per Eucharistiæ susceptionem* [1]. Unde — et hoc illi peculiare esse videtur — in oratione III, *De imaginibus* dicit « angelos naturæ divinæ participes et socios non factos fuisse, sed tantum operationis et gratiæ; homines vero divinæ naturæ participes consortesque fieri, quod videlicet sanctum Christi corpus sumunt et pretiosum sanguinem bibunt... Natura quidem nostra, sive quia mortalis est, sive propter crassam corporis constitutionem, angelis est inferior; at Dei benignitas et conjunctio superiorem illam angelis effecere [2]. »

1. Cf. *De fide orth.*, l. IV, c. VIII, IX; Oraito III *De imaginibus*, 30, 32, *P. G.*, t. XCIV, col. 1117 A, 1121 C, 1352 A.

2. Orat. III, *De imag.* 26, col. 1348 : « Οὐ μετέσχον ἄγγελοι, οὐδὲ ἐγένοντο θείας κοινωνοὶ φύσεως, ἀλλ' ἐνεργείας καὶ χάριτος · ἄνθρωποι δὲ μετέχουσι, καὶ κοινωνοὶ θείας φύσεως γίνονται, ὅσοι μεταλαμβάνουσι τὸ σῶμα Χριστοῦ τὸ ἅγιον καὶ πίνουσι τὸ αἷμα. » Vides quam longe distet hæc verborum Petri apostoli interpretatio ab ea quæ a theologis communiter traditur.

Adoptio divina in baptismo collata secum fert totius Trinitatis in anima inhabitationem necnon jus ad cælestem hæreditatem [1].

Theophylactus Akridensis verba Christi commentans : *Ego sum vitis, vos palmites*, ποιότητα seu *qualitatem* appellat vitam supernaturalem, quam Christus suis fidelibus communicat [2].

Mysticis byzantinis solemne est gratiam Dei exhibere ut lumen quoddam divinum, quod ab Spiritu Sancto vel a Deo trino in anima justi habitante quidam vix distinguere videntur. Hujusmodi lumen a corde mundis et perfectis jam in terris *experimentaliter* videtur, estque arrhabo et prægustus vitæ æternæ. Ita præsertim Symeon Novus Theologus, qui sæculo XI, ergo multo ante Palamam, vivebat [3].

Supra vidimus Gregorium Palamam ejusque discipulos docuisse *gratiam deificam*, τὴν θεοποιὸν χάριν, esse operationem Dei supernaturalem ab essentia divina *realiter* distinctam, quamvis ab ea inseparabilem; unde esse quid *increatum* et

1. *Ibid.*, 26, 33, col. 1248, 1252; *De fide orth*, l. IV, c. XV, col. 1164.

2. *In Joa.*, c. XV, 4, *P. G.*, t. CXXIV, col. 196 BC : « Ἀπὸ δὲ τοῦ ὑποδείγματος τοῦ κλήματος ἐναργῶς παριστᾷ ἡμῖν τὴν παρ' αὐτοῦ δεδομένην ποιότητα καὶ ζωὴν τοῖς εὐαρεστοῦσιν αὐτῷ... Χωρὶς γὰρ τῆς ὑπ' αὐτοῦ ποιότητος καὶ ζωογονίας οὐ δυνήσονται ποιεῖν οὐδέν. » Euthymii Zigabeni interpretatio in eadem verba *pallidior*, quamquam non contemnenda : « Μείνατε ἐν ἐμοί, συγκολλώμενοί μοι βεβαιότερον διὰ πίστεως ἀδιστάκτου καὶ σχέσεως ἀρρήκτου, κἀγὼ μενῶ ἐν ὑμῖν, συνὼν τῇ δυνάμει καὶ περιέπων ἢ συνέχων ὑμᾶς, ὡς ἄμπελος κλήματα, καὶ καρποφόρους ἀπεργαζόμενος. » *In Joa.*, c. XV, 4, *P. G.*, t. CXXIX, col. 1409 B.

3. De doctrina Symeonis vide I. Hausherr, *Vie de Syméon le Nouveau Théologien (949-1022) par Nicétas Stethatos*, Romæ, 1928 (*Orientalia christiana*, t. XII), p. LXIX sq.; item, ejusdem : *La méthode d'oraison hésychaste : Discours de Syméon le Nouveau Théologien, Orientalia christiana*, t. IX (1927), p. 172-209. In quibusdam locis Symeon distinguit inter lumen Dei et Deum ipsum : Ita in *Sermone*, LV : « Κατηξιώθη φῶς ἰδεῖν Θεοῦ, καὶ Θεὸν ἐν φωτὶ δόξης », in *cod. Reg. Suec. 25*, fol. 215r. Et in sermone edito ab Hausherr (*Or. ch.*, t. IX, p. 190) : « Οὐκ ἔστι γνῶναί τινα τὸν Θεόν, εἰ μὴ διὰ τῆς θεωρίας τοῦ ἐξ αὐτοῦ ἐκπεμπομένου φωτός. » Alibi vero dicit Deum ipsum esse lumen : « Φῶς ὁ Θεός, καὶ ὡς φῶς ἡ θέα αὐτοῦ. » *Ibid.*, p. 192. De cognitione experimentali habitationis Spiritus Sancti in anima secundum Symeonem infra loquimur, p. 753. Symeon Palamæ jam præit.

æternum, quoddam lumen ab ipsa essentia divina effulgens et ab oculis corporeis *supernaturaliter elevatis* visibile; hanc operationem esse multiformem et in se comprehendere omnia Spiritus Sancti dona et charismata, quæ ab eis dicuntur increata; item eosdem negasse personam ipsam Spiritus Sancti et totam Trinitatem animæ justi per justificationis gratiam communicari illamque speciali modo inhabitare. Inhabitatio ipsi gratiæ deificæ ab ipsis tribuitur :

« Magna Spiritus gratia, ait Philotheus Kokkinus, dignorum animas inhabitans et tanquam materiam præjacentem illarum facultates physicas adhibens, postquam scilicet actione et contemplatione purificatæ fuerint, in omnibus quidem se manifestat et omnes ornat, ad divinas suas habitudines immutans eas et efficiens; dilatatur vero in illis illasque pervadit augetque extra modum [1]. »

Gratiam deificam esse increatam multis argumentis ostendere nititur Marcus Ephesius in libro *De essentia et operatione contra Manuelem Calecam*, ex quibus sequens notare juvat :

« Si divinum donum participantes, consortes efficimur divinæ naturæ, ut divus dixit Petrus, non ergo creatum est donum istud, quod vocatur θεαρχία et deificatio, immo et deitas [2]. »

Idem expresse negat, ut alii genuini Palamitæ solent, personam Spiritus Sancti in apostolos descendisse, die Pentecostes[3].

1. *Encomium Gregorii Palamæ, P. G.*, t. CLI, col. 633-634 : «Ἡ μεγάλη τοῦ Πνεύματος χάρις ταῖς τῶν ἀξίων ἐνοικοῦσα ψυχαῖς, καὶ ὥσπερ ὕλην ὑποκειμένην τινὰ τὰς φυσικὰς ἐκείνων ποιουμένη δυνάμεις..., πάσαις μὲν ἐπιπρέπει καὶ πάσας κοσμεῖ, πρὸς τὰς θεοειδεῖς ἑαυτῆς ἕξεις ἀλλοιοῦσά τε καὶ ποιοῦσα... »

2. *Ex capitibus syllogisticis de essentia et operatione*, quæ operis tertiam partem constituunt. Cf. supra, p. 102, n. 3; p. 124, n. 4. Cf. etiam hæc tria capita, quæ hoc subsequuntur : « Εἰ διὰ κτίσματος θεούμεθα, καὶ κτίσματι δήπου λατρεύομεν · τοῦτο δὲ ἑλληνικὸν καὶ ἀθεΐας ἀνάπλεων. — Εἰ φυσικόν τι σπέρμα ἐγκαταβεβλημένον ἡ θέωσις ἦν, οὐκ ἂν ἡμῖν ἔδει ἀναγεννήσεως οὐδὲ τῶν λοιπῶν μυστηρίων, ἐξ ὧν ἡ θεία χάρις ἐπιφοιτᾷ τοῖς καὶ τῷ βίῳ κεκαθαρμένοις. — Εἰ ἑτέρας τινὸς παρὰ τὴν ἐν Θεῷ θεότητα καὶ ἀλλοτρίας αὐτῆς μετέχουσιν οἱ θεούμενοι, οὐκέτι θεοὶ κατ' αὐτήν, ἀλλ' ἀντίθεοί τινες ἔσονται κατὰ τοὺς ἀλωάδας ἐκείνους, ἢ γίγαντας · οὔ τί ἂν γένοιτο ἀσεβέστερον; »

3. *Ibid.* : « Οὐδ' ἄρα τὸ ἐπιφοιτῆσαι τοῖς ἀποστόλοις ἡ τοῦ Πνεύματος ὑπόστασις ἦν, ἀλλ' ἡ χάρις καὶ ἡ ἐνέργεια, ἥτις καὶ ἐνέπλησεν αὐτοὺς ἐν

Nicolaum Cabasilam palamismo aliquando indulsisse supra diximus. Doctrinam tamen de gratia increata in celeberrimo hujus theologi opere inscripto : *De vita in Christo* vix deprehendes. Omnia, e contra, quæ ibi leguntur sanam spirant de gratia sanctificante theologiam. Vitam spiritualem per tria initiationis christianæ sacramenta collatam habet Cabasilas tanquam aliquam ipsius vitæ Christi participationem, per quam divinæ naturæ consortes efficimur. Vitæ hujusmodi baptismus dat initium seu τὸ εἶναι, sacrum chrisma, augmentum seu motum. Eucharistia vero hanc vitam alit ac conservat, ita ut per hæc tria *in Christo vivamus et moveamur et simus* [1]. Baptismus ab omni malitiæ vestigio animam purgat, habitus peccato contrarios ei tribuens [2]. Vitam confert, membra format, facultates indit [3]. Generatio, quæ per ipsum fit, futuræ vitæ est principium novorumque membrorum et sensuum acquisitio et vitæ illius cælestis præparatio [4]. Novum in anima oculum aperit, quem Deus in altera vita plene dilatabit et ad seipsum convertet [5]. Naturam autem hujus gratiæ baptismalis, quam in hac vita plene cognoscere non possumus [6], pressius describit his verbis :

« Baptismatis opus *species quædam et forma est. Imaginem enim quamdam in animabus nostris depingit formamque inserit*, morti et resurrectioni Salvatoris conformes nos efficiens. Hinc sigillum quoque dicitur, quatenus ad regiam effigiem

εἴδει γλωσσῶν πυρίνων ἐπιφανεῖσα καὶ διακριθεῖσα. Οὐσιωδῶς δὲ ἐπιφοιτῆσαι τὸ Πνεῦμα εἴρηται τότε, διότι οὐ μέρος τι τῆς ἐνεργείας, ὡς πρότερον, ἀλλ' ὅλη ἡ ἐνέργεια ἐξεχύθη, ἥτις ἐστι συνημμένη καὶ ἀμέριστος τῇ οὐσίᾳ καὶ κοινὴ τῶν τριῶν ὑποστάσεων. »

1. *De vita in Christo*, l. I, *P. G.*, t. CL, col. 501-504 : « Τούτῳ μὲν τῷ ἄρτῳ ζῶμεν, κινούμεθα δὲ τῷ μύρῳ, ἀπὸ τοῦ λούτρου τὸ εἶναι λαβόντες. »

2. L. II, col. 537 AB : « Τοῦ θανάτου τὸ λουτρὸν ἀπαλλάττει..., οὕτω δὲ παντάπασι καὶ τελείως, ὥστε μηδὲ ἴχνος λειφθῆναι · καὶ οὐ πονηρίας ἀπαλλάττει μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐναντίαν ἕξιν παρέχει. »

3. *Ibid.*, col. 537 B : « Διὰ τὸ λουτρὸν ζωὴν ἡμῖν ὁ Χριστὸς δίδωσι ἄλλην καὶ μέλη πλάττει καὶ δυνάμεις ἐντίθησιν. »

4. *Ibid.*, col. 540-541 : « Ἡ γὰρ ἐν τῷ βαπτίσματι γέννησις ἀρχὴ τῆς μελλούσης ἐστὶ ζωῆς. »

5. *Ibid.*, col. 568 AB : « ὀφθαλμὸν ταῖς ψυχαῖς ἀνοῖξαι. »

6. *Ibid.*, col. 548 CD.

et beatam illam formam nos fingit. Forma autem materiam complexa, ejus difformitatem evacuat; unde hoc sacramentum indumentum vocatur et immersionem seu baptismum [1]. »

His verbis Cabasilas haud obscure innuit gratiam baptismalem esse quid creatum animæ habitualiter inhærens illamque speciosam reddens. A doctrina Palamæ etiam recedit, ubi docet sacrum chrisma Spiritum Sanctum ejusque dona nobis conferre [2]. Vix levem palamismi suspicionem lectori ingerit ille locus ubi dicitur illuminationem baptismi non esse meram mentis cognitionem, simplicem fidem, *sed quemdam Dei sensum immediatum, divino radio animam invisibiliter attingente* [3]; quod sane in bonam partem accipi potest.

De natura gratiæ, quatenus est motio Dei transiens, seu quatenus *actualis* vocatur, multa ex Byzantinorum scriptis afferri possent, ex quibus pateret illos eam concepisse ut quamdam operationem Dei in facultates animæ, qua in eis excitantur vitales actus, illuminationes nempe et inspirationes, necnon ipsæ confortantur et adjuvantur ad eliciendos actus salutares [4]. Cæterum theologi byzantini a qualibet subtili investigatione circa motionis divinæ indolem ac processum semper abstinuerunt.

1. *Ibid.*, col. 524 D : « Τὸ τοῦ βαπτίσματος ἔργον εἶδός ἐστι καὶ μορφή. Καὶ γάρ τινα εἰκόνα ἐγγράφει καὶ μορφὴν ἐντίθησι ταῖς ψυχαῖς... Ὅτι δὲ τὸ εἶδος τὴν ὕλην περιβάλλει καὶ ἀφανίζει τὴν ἀμορφίαν, καὶ ἔνδυμα καλοῦμεν καὶ βάπτισμα τὸ μυστήριον. »

2. L. III, col. 577 C : « Καὶ μὴν τῶν τελετῶν ἄλλης μὲν ἔργον ἄλλο τι, Πνεύματος δὲ καὶ τῶν ἐκείνου μετειληφέναι δώρων τοῦ παναγοῦς ἐξήρτηται μύρου. »

3. L. II, col. 565 B : « Ὅθεν δῆλον αἴσθησιν ἄμεσον εἶναί τινα ταῦτα τοῦ Θεοῦ, τῆς ἐκεῖθεν ἀκτῖνος τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἀφανῶς ἁπτομένης. »

4. Cf., v. g., hæc Theophylacti verba de vocatione Philippi apostoli : *In Joa.*, c. I, 43-45, *P. G.*, t. CXXIII, col. 1181-1184 : « Δοκεῖ τοίνυν πρῶτον μὲν ἡ τοῦ Κυρίου φωνὴ ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ ἐργάσασθαί τι κέντρον ἀγάπης. Οὐ γὰρ ἁπλῶς ἡ τοῦ Σωτῆρος φωνὴ ἐλέγετο, ἀλλὰ τοῖς ἀξίοις εὐθὺς διέκαιε τὰ ἐντὸς πρὸς τὴν ἀγάπησιν αὐτοῦ. » Item Philippus Solitarius, in *Dioptra*, l. III, c. XV, *P. G.*, t. CXXVII, col. 859 D : « Gratia nobis opitulatur, quando quis amorem et timorem Domini acquirit, et perpetuo novissimorum recordatur, resque adversas cum gratiarum actione tolerat; quando semper orat et divinitus inspiratas Scripturas secum pertractat. »

ARTICULUS II

De gratiæ Dei necessitate, gratuitate, ad voluntatem liberam ratione.

Gratiam Dei ad omne opus salutare et ad ipsum fidei initium omnino necessariam esse, theologi byzantini expressis verbis haud semel docent. Sæpe tamen, Patrum græcorum vestigia sequentes, de gratia præveniente et excitante tacent, et ita loquuntur ac si voluntas humana primos gressus in viam salutis propria sponte faceret, aut ad donum divinum recipiendum sese disponeret. Cæterum loci haud pauci in quibus gratiæ prævenientis mentio desideratur, ad hominem jam justificatum referuntur [1].

« Sciendum est, ait Damascenus, Deum omnis boni fontem et auctorem esse, et citra ipsius opem et auxilium nos neque velle, neque facere bonum posse. In nostra autem potestate est vel in virtute perstare Deumque ad eam vocantem sequi, vel a virtute abscedere [2]. » Idem docet Dei præcepta impleri non posse nisi per patientiam et orationem [3], qua scilicet Dei auxilium obtinere possumus, et eos in peccata labi, quos gratia Dei deserit [4]. Sine Deo, nihil prorsus boni facere aut habere possumus [5], nec ad cognitionem veritatis supernaturalis pervenire [6]. Cæterum sanctus doctor de sola gratia concomitante, quæ voluntati auxilium præstat ad bonum perficiendum, sæpius loquitur, gratiam prævenientem non negans quidem, sed tacens et subaudiens, ut in sequentibus locis :

1. Notum est quosdam theologos, præsertim inter Molinistas, negare necessitatem gratiæ actualis pro *quolibet actu salutari* hominis *justificati*.

2. *De fide orth.*, l. II, c. XXX, col. 972-973 : « καὶ ἐκτὸς τῆς αὐτοῦ συνεργίας καὶ βοηθείας ἀδύνατον ἀγαθὸν θελῆσαι ἢ πρᾶξαι ἡμᾶς. » Cf. *De duabus voluntatibus*, 19, *P. G.*, t. XCV, col. 149 B.

3. *Op. cit.*, l. IV, c. XXII, col. 1200-1201 : « Ἀδύνατον εἰ μὴ δι' ὑπομονῆς καὶ προσευχῆς τὰς ἐντολὰς τοῦ Κυρίου κατεργάσασθαι. » Cf. *Contra Manichæos*, 86, col. 1584.

4. Cf. *op. cit.*, l. II, c. XXIX, col. 965.

5. *De imaginibus*, oratio III, 31, col. 1349 C : « Οὐ δυνάμεθα ἐκτὸς αὐτοῦ ποιεῖν οὐδὲν ἢ ἔχειν ἀγαθόν. »

6. *Dialectica*, 1, col. 532 A. *De fide orthodoxa*, l. IV, c. XVII, col. 1176 C.

« Sciendum est rerum agendarum electionem in nobis sitam esse, probarum vero actionum finem Dei cooperationi adscribendum, secundum præscientiam suam juste cooperantis illis qui recta conscientia bonum eligunt; malarum, contra, Dei derelictioni, malum hominem secundum præscientiam suam juste deserentis [1]. »

Ait : *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* (Lev., XIX, 2). Hoc primum a voluntatis electione pendet; tum omni eligenti bonum Deus cooperatur ad bonum [2].

Eamdem duplicem textuum seriem apud alios Byzantinos, qui post Damascenum fuerunt, invenire est [3]. Item et Damascenus et alii modo gratiæ absolutam gratuitatem efferunt,

1. *De fide orth.*, c. XXIX, col. 968 A : « Ἡ μὲν προαίρεσις τῶν πρακτέων ἐφ' ἡμῖν ἐστι , τὸ δὲ τέλος τῶν μὲν ἀγαθῶν, τῆς τοῦ Θεοῦ συνεργίας, δικαίως συνεργοῦντος τοῖς προαιρουμένοις τὸ ἀγαθὸν ὀρθῷ συνειδότι, κατὰ τὴν πρόγνωσιν αὐτοῦ. »

2. *De imag.*, or. III, 33, col. 1352 B : « Τοῦτο πρῶτον, ἡ προαίρεσις · εἶτα παντὶ τῷ προαιρουμένῳ τὸ ἀγαθον ὁ Θεὸς συνεργεῖ εἰς τὸ ἀγαθόν. »

3. Cf. Theophylactum, *In Ephes.*, c. I, *P. G.*, t. CXXIV, col. 1037 A : « Τὸ μὲν πιστεῦσαι καὶ προσελθεῖν ἔστιν ἡμέτερον, καίτοι καὶ τοῦ καλέσαντος Θεοῦ · τὸ δὲ προσελθόντας ἀξιῶσαι τῆς υἱοθεσίας, μόνης τῆς ἀγάπης αὐτοῦ καὶ φιλανθρωπίας. » Gregorius Palamas absolutam gratiæ necessitatem ad omne opus salutare, ad tentationes superandas, ad passiones domandas, ad virtutem exercendam sæpe prædicat : cf. hom. XLIII, 12, *ed. cit.* Sophoclis, p. 28; hom. XXXIII, *P. G.*, t. CLI, col. 416-417 : « Πᾶν εἶδος ἀρετῆς, ἐν ἡμῖν ἐνεργοῦντος τοῦ Θεοῦ, ἡμῖν προσγίνεται · τοῦ Θεοῦ δὲ μὴ ἐνεργοῦντος ἐν ἡμῖν, ἁμαρτία πᾶν τὸ παρ' ἡμῶν γινόμενον. » Hæc ultima verba : *Peccatum, omne quod a nobis sine Deo perficitur*, benigne utique interpretanda sunt. Eodem fere sensu Josephus Bryennius, Λόγος πρῶτος εἰς τὸν εὐαγγελισμόν, *Opera omnia*, t. II, p. 64, scribit : « Ἄνευ τῆς τοῦ Θεοῦ βοηθείας τὰ ἔργα τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἡ ἐφ' ἑαυτῷ μάλιστα πεποίθησις, σποδός ἐστι καὶ τέφρα. » E contra, N. Cabasilas, de regeneratis loquens, dicit : « Τὸ ἑλέσθαι τὸ ἀγαθον τῆς θελήσεως τῆς ἀνθρωπείας ἐξήρτηται... Ἡμέτερον ἢ στέρξαι τὸν ἥλιον, ἢ πρὸς ἀκτῖνα μῦσαι τὸν ὀφθαλμόν. » *De vita in Christo*, l. II, *loc. cit.*, col. 544 B, 545 C. G. Scholarius, *De sorte animarum post mortem*, 11, *Œuvres complètes*, t. I, p. 518, expresse docet : 1° primam preparationem ad salutem a Deo gratis donari : « Ἀλλ' ἡ πρώτη παρασκευὴ προῖκα διδομένη χάρις ἐστί, μηδὲν ἡμῶν προεισενεγκαμένων »; 2° sine gratia nos nihil posse, *De prædestinatione*, tract. I, 15-17, 19, *ibid.*, p. 402-404, 406 : τῆς χάριτος χωρὶς οὐ δυνάμεθα ὁτιοῦν; ; 3° gratiam necessariam esse ad perseverantiam, *De pænitentia Petri post abnegationem*, 1, 7, *ibid.*, p. 190, 195, 196.

modo illam specietenus ex parte negare videntur [1]. In hoc autem unanimes deprehenduntur, quod nullam norunt gratiam ita *per se efficacem, ut voluntas libera ei resistere de facto non possit;* seu aliis verbis, secundum eorum sententiam, nulla gratia suum effectum salutarem habere potest absque libero consensu voluntatis; neque ullum proferunt verbum, ex quo colligi possit eos ponere *aliquam differentiam intrinsecam* inter gratiam quæ de facto suum obtinet effectum, et illam quæ mere sufficiens remanet ex defectu consensus voluntatis humanæ. In necessitate liberæ cooperationis hominis insistunt, et illos sacræ Scripturæ textus, in quibus totum opus salutare primo adspectu soli Deo ejusque gratiæ tribui videtur, ita mitigant et edulcorant, ut ubique subaudiantur ac salventur libertatis humanæ partes ejusque cooperationis necessitas [2]. Gratiæ utique præcipuum ac maximum momentum adscribunt; illam autem partem minimam,

1. Cf. Damascenum, *In epist. ad Ephesios*, c. I, *P. G.*, t. XCV, col. 824 B : « Ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἑκουσίῳ χάριτι, οὐ τῇ ἐξ ἔργων ἡμῶν ἀντιδόσει. » Sed idem, *ibid.*, col. 829 C, *In Eph.*, c. II, 6-8, hæc habet : « Θεοῦ τὸ δῶρον · χάρις, τὸ παρὰ Θεοῦ, πίστις τὸ παρ' ἡμῶν. Ὅθεν οὖν μὴ πάρεστι τὸ δεκτικόν, οὐδὲ ἡ χάρις παραγίνεται. » Et *In epist. ad Philip.*, c. II, 13, *ibid.*, col. 868 AB : « Ἡ γνωμὴ αἰτία τοῦ ἀγαθοὺς ἡμᾶς εἶναι, ἢ πονηρούς. » Sæpe Byzantini dicunt hominem debere se reddere dignum vocationis, electionis, gratiæ divinæ. Ita sæpe Photius, q. LXXVI, *Ad Amphil.*, *P. G.*, t. CI, col. 472 B; q. CXXXVII, col. 1029 C; *In epist. ad Rom.*, VIII, 28, col. 1244 A : « Τοῖς κατὰ πρόθεσιν, τουτέστι τοῖς κατὰ γνώμην, κατὰ πρόθεσιν ἀξιωθεῖσι τῆς κλήσεως. Item *In Luc.*, I, 30, *ibid.*, col. 1217 B : « Εὗρε γὰρ χάριν ἡ παρθένος παρὰ Θεῷ, ὅτι ἄξιαν ἑαυτὴν τῷ δημιουργῷ κατεσκεύασεν. » Theophilactus, *In Joa.*, c. VI, 44, *P. G.*, t. CXXIII, col. 1304-1305, verba : *Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum*, ita interpretatur : « Τοῦτο δὲ λέγει οὐ τὸ αὐτεξούσιον ἀναιρῶν, ἄπαγε, ἀλλὰ δεικνύων, ὅτι πολλῆς δεῖται συνεργίας παρὰ Θεοῦ ὁ μέλλων πιστεῦσαι. Ἄλλως δέ · Ἐκείνους ἕλκει ὁ Πατὴρ τοὺς κατὰ προαίρεσιν ἐπιτηδειότητα ἔχοντας · τοὺς δὲ ποιήσαντας ἑαυτοὺς ἀνεπιτηδείους οὐχ ἕλκει εἰς πίστιν. »

2. Cf. Damascenum, *In. Rom*, c. VIII, 28, *P. G.*, t. XCV, col. 509 D : « Τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν. » Πρόθεσιν ἐνταῦθα φησίν, ἵνα μὴ τὸ πᾶν τῇ κλήσει δῷς, ἐπεὶ ἀντέπιπτε · Καὶ τί μὴ πάντες ἐσώθησαν; Euthymius Zigabenus, *In Joa.*, c. VI, 37, *P. G.*, t. CXXIX, col. 1248 C, ad verba : *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet :* « Ἀλλ' ὁ Πατὴρ ἐκείνους δίδωσιν, ὧν ἡ προαίρεσις ἀγαθή. Οὔτε γὰρ αὕτη δύναται ποιῆσαι πιστόν, ἀπούσης τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ χειραγωγίας, οὔτε μὴν ἐκείνη συνεργεῖ, μὴ παρούσης ἀγαθῆς προαιρέσεως. »

quæ libertati creatæ in salutis opere competit, servare semper solliciti sunt; et hoc sane provenit ex eorum de voluntate salvifica universali Dei necnon de prædestinatione et reprobatione ex prævisa cooperatione unanimi doctrina, de qua in sequenti articulo sermo erit.

Concipiunt ergo utriusque agentis, Dei videlicet et hominis liberi, partes tanquam veram *cooperationem* seu συνεργίαν, in qua gratia libertati nequaquam nocet, nullam vim ei infert, illam *non prædeterminat*, sed ejus consensum sollicitat et exspectat ad opus salutare inchoandum vel perficiendum [1]. Cæterum hujus συνεργίας indolem philosophice elucidare non curant, nec ullam apud eos invenies theoriam sive de causa prima et secunda, sive de causa principali et instrumentali, sive de causa physica et morali. Uno verbo, extra dogmatis limites et sacræ Scripturæ verba, ad quæ semper potissimum attendunt, non vagantur, et ea tantum docent, de quibus omnium scholarum Catholici communiter conveniunt.

ARTICULUS III

De distributione gratiæ divinæ seu de Dei salvifica voluntate necnon de prædestinatione et reprobatione.

Post Joannem Damascenum, antiquorum Patrum græcorum abbreviatorem ac fidelem discipulum, theologi byzantini hoc peculiare habent, quod voluntatem Dei salvificam universalem potissimum efferunt et in luce ponunt. Sacræ autem Scripturæ locos, qui huic universali voluntati salvificæ specie adversari videntur, ut, verbi gratia, Joa., VI, 37, 44; Rom., IX, 6-24; XI, 6-18; Ephes., I, 4 sq., etc., ita interpretantur, ut libertatis humanæ jura et partes in salutis opere semper serventur, immensa Dei bonitas erga singulos homines appareat, et a Deo omnino amoveatur et excludatur omnis personarum acceptio, qua quosdam præ aliis absolute elegisset independenter a præscientia liberæ cooperationis eorum ad gratiam suam. Nullum enim apud eos invenimus vestigium hujus prædilectionis Dei erga electos, prævisionem cooperationis eorum ad donum divinum antecedentis, de qua communiter loquuntur theologi latini. Prædilectio, si quam in tempore seu in ordine exsecutionis Deus erga futuros electos ostendit, conditionem habet gratiæ bonum usum ab æterno prævisum, seu ad salutis opus collationem illius minimi, quod Deus summe bonus, sapiens et justus a singulis Adæ posteris exigit, *minimum quod unusquisque præstare potest ac debet sub gratiæ prævenientis et cooperantis influxu et auxilio, quæ omnibus offertur et nemini negatur.*

Clavis enim totius providentiæ Dei erga unumquemque hominem in vita præsenti est præscientia divina Ut ex iis, quæ in tractatu *De Deo uno*, c. III, art. 1 et 3 [1], de Damasceni doctrina et aliorum circa Dei præscientiam et providentiam attulimus, clarissime patet, Deus in tempore providet, prædestinat et reprobat secundum suam præscientiam. In tempore exsequitur quod ab æterno erga singulos homines prædefinivit, ratione habita cooperationis cujusque ad gratiam per præscientiam cognitæ.

Voluntate enim *prima* seu *antecedente*, Deus, sua infinita bonitate *unice* motus, non solum *sincere*, sed etiam *ardenter* salvare vult omnes et singulos Adami posteros et ad æternam felicitatem per media apta perducere, *ea conditione : si velint ipsi*, id est. si ejus gratiæ *gratuito* omnibus oblatæ eam liberam cooperationem præstare velint, quam certo præstare possunt tum viribus naturæ, tum auxiliis ipsius gratiæ. Nulla

1. Innumeri sunt loci, in quibus memoratur hæc gratiæ divinæ et voluntatis humanæ συνεργία. Præter Damascenum, cujus verba supra jam retulimus, vide Theophylactum, *In Luc.*, XXII, 31-34, *P. G.*, t. CXXIII, col. 1076 B; *In Ephes.*, c. I, *P. G.*, t. CXXIV, col. 1036 BC. « Ἐξελέξατο » καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν δηλοῖ, καὶ τὴν αὐτῶν ἀρετήν, πάντας γὰρ τοὺς μέλλοντας ἔσεσθαι δοκίμους ἐκλέγεται. » *In Phil.*, c. II. 13, *ibid.*, col. 1168 BC. De cooperatione gratiæ et libertatis sæpe loquitur N. Cabasilas in *De vita in Christo* : cf. l. I, *loc. cit.*, col. 497-501; l. II, col. 541-545; l. VI, passim. G. Scholarius opus salutare totum ad gratiam pertinere, et totum ad voluntatem sub diverso respectu diserte docet : Cf. tract. I, *De providentia et prædestinatione*, 16-19, *Œuvres complètes*, t. I, p. 402-407 : « Ἀλλὰ καίτοι βοηθούμενος ἐκ τῆς χάριτος ὥστε κρῖναι τὸ αἱρετέον ὀρθῶς, ὅλῃ μέντοι τῇ προαιρέσει ἐλάμβανέ γε τὸ βέλτιον καὶ τῆς αὐτοῦ γνώμης ἅπαν ἦν τὸ καλόν · οὐδὲν δ' ἧττον καὶ τῆς χάριτος τὸ πᾶν ἦν, ὅσον ἐπ' αὐτῇ ἥκει, ἧς χωρὶς οὐ δυνάμεθα ὁτιοῦν. » Cf. tract. III, 13, *ibid.*, col. 437-438.

1. Vide supra, p. 185 sq., 201 sq.

datur præelectio quorumdam, abstractione facta a visione æterna cooperationis eorum ad gratiam eis gratuito concessam, sicut non datur antecedens reprobatio quorumdam independenter a prævisione demeritorum illorum.

Neque hoc conceptu tollitur gratuitas absoluta totius prædestinationis, id est prædestinationis gratiam simul et gloriam complectentis. Conditio enim a Deo posita, ut quis revera salutem adipiscatur, in ordine exsecutionis prædestinetur et gloriam consequatur, id est libera cooperatio ad gratiam ex nullis meritis antecedentibus datam, non est *causa meritoria* prædestinationis definitivæ, sed *mera conditio sine qua non*, quam Deus summe bonus, justus et sapiens, *libere posuit* pro suo beneplacito et attenta hominis natura, quæ libero arbitrio donatur. Deus enim, ut Scriptura sæpe dicit, *nullatenus est personarum acceptor, sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam acceptus est illi* (Act., x, 34-35). Aliis verbis : Facienti quod in se est tum viribus naturæ, tum viribus gratiæ omnibus oblatæ Deus non negat aliam gratiam et tandem gloriam.

Ipsa gratiæ in tempore inæqualis distributio, *saltem secundum quosdam theologos byzantinos et relate ad quosdam homines*, causam quidem habet liberam Dei voluntatem, sed hæc in gratia distribuenda per præscientiam dirigitur, id est : Deus in distributione attendit ad gradum et mensuram cooperationis cujusque hominis ad gratiam per præscientiam cognitæ. Unde quidam theologi byzantini dicunt beatam Mariam virginem ad dignitatem maternitatis divinæ ideo fuisse evectam, quod Deus ab æterno præviderit eam ex omnibus mulieribus, *vel etiam ex omnibus creaturis intellectualibus*, omnium perfectissime gratiæ cooperaturam et gratuitis Dei donis omnium fidelissime usuram [1]. Alii ipsa Apostoli verba

1. Hanc sententiam præsertim propugnat et evolvit Theophanes Nicænus in *Sermone in B. Deiparam*, ex *cod. Baroc. Oxon. 193*, pluries a nobis jam supra laudato, fol. 275-279. Fatetur quidem Theophanes nullam creaturam ex se dignam fuisse, quæ ad tantam dignitatem eveheretur; docet tamen decuisse, ut Deus justissimus et ab omni personarum acceptione alienus eam creaturam ad hoc munus eligeret quæ ejus donis gratuitis melius ac perfectius uteretur; hanc autem fuisse beatam Mariam virginem; quam utique unum ex Seraphim ob hoc

de Jacob et Esau in epistola ad Romanos, c. IX, per præscientiam meritorum utriusque explicare non dubitant [1].

Post hanc primam voluntatem, qua Deus omnino gratuito et sola sua bonitate motus, vult omnes homines, etiam post Adæ lapsum, prædestinare et beatificare, suam præscientiam consulit — parce anthropomorphico loquendi modo — qua ab æterno videt quinam sint qui conditionem positam adimpleturi sint et ita gratiæ usque ad vitæ finem cooperaturi, ut salutem consequantur; quinam vero ita gratiæ defuturi et malo adhæsuri, ut damnationem merito incurrant. Post hanc visionem, Deus voluntate *consequenti* seu *secunda* decretum fert prædestinationis, quo qui gratia bene usuri sunt ad gloriam destinantur propter sua merita gratia divina et propria cooperatione acquisita; reprobat vero alios propter ipsorum demerita et defectum cooperationis ad gratiam, quam præstare potuissent, si voluissent.

Quod Deus ab æterno vidit et fieri decrevit, in tempore exsequitur per suam providentiam, quæ, secundum conceptum Græcorum, a præscientia semper dirigitur ac regulatur. Jam vero in hac exsecutione locus datur prædilectioni Dei erga electos futuros; quam prædilectionem non quidem *vere*

fecisset, nisi corpori muliebri de necessitate illius anima unienda fuisset, ut Verbo incarnando carnem ipsa ministrare posset. Eamdem doctrinam fere docet Nicolaus Cabasilas, *Homilia in nativitatem Deiparæ*, 7-8, 14, *P. O.*, t. XIX, p. 472-475, 480-481. Dicit eam nihil amplius quam alii homines *(Adamo non excepto)* beatam Virginem a Deo accepisse, et ita communibus gratiæ donis usam fuisse, ut omnibus superior evaserit, et sola primitivo Dei scopo in creatione hominis plene responderit, seipsam ab omni peccato servans et hominem a Deo intentum in se exhibens, neque opus fuerit, ut Deus specialia dona præter communia Adamo et ejus posteris concessa illi impertiretur; quæ utique ei conferre paratus erat, si ex sua perfectissima cooperatione ad gratias communes maternitatis divinæ digna non evasisset.

1. Ita inter alios Photius, *In epist. ad Rom*, c. IX, 11, *P. G.*, t. CI, col. 1245 A : « Electio enim fit in his qui aliquo differunt; qui autem non operantur, in quo differunt? Multum quidem : Humanis enim oculis, cum nihil operati sunt, non differunt; divina autem cognitione futurum cernente multum differunt; etenim hic quidem (= Jacob) Deo placuit; ille autem (= Esaü), minime : « Ἀνθρωπίνοις μὲν γὰρ ὀφθαλμοῖς, ἐπεὶ οὐδὲν ἔπραξαν, μηδὲ διαφέρουσι · θείᾳ δὲ προγνώσει τοῦ μέλλοντος πάνυ διαφέρουσι. Καὶ γὰρ ὁ μεν εὑρέστησε τῷ Θεῷ, ὁ δέ, οὐκέτι. »

et *proprie* meruerunt ipsi, cum gratia et gloria simul sumptæ sint omnino gratuitæ; eis tamen hæc *ex quadam decentia* a Deo exhibetur, quatenus fecerunt quod potuerunt et ad suam salutem contulerunt illud minimum, quod Deus a voluntate libera exigit. *Non enim nos salvat sine nobis.* Est insuper summe bonus et æquus; non metitur ubi non seminavit, nec impossibile postulat a sua creatura, sed *cui multum datum est, multum quæretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo* (Luc., XII, 48).

Putamus hanc Græcorum de prædestinatione et reprobatione conceptionem nulli Ecclesiæ definitioni contradicere, nullum errorem in se continere et hoc commodi et excellentiæ præ multis aliis systematibus habere, quod bonitatem Dei maxime extollit et commendat, cum iis omnibus plane congruens, quæ ex Scripturis sacris et ex tota divina œconomia salutis hominum colligi possunt. Soli ei obstare videntur quædam dicta Pauli obscuriora in epistola ad Romanos, quæ exegetæ græci et byzantini et generatim Catholici omnes per locos clariores ejusdem Apostoli explicare nituntur, et ex necessitate debent, ne Apostolo tribuant prædestinatianismum absolutum Calvini et aliorum, dum verborum sono strictius adhærere vellent [1].

1. Cæterum hæc Græcorum explicatio non multum distat ab ea, quam Gregorius de Valentia tradit in suis *Commentariis theologicis*, Ingolstadti, 1591, et adhuc plenius congruit cum notione mysterii prædestinationis a M. J. Scheeben exposita in opere, *Die Mysterien des Christenthums nach Wesen, Bedeutung und Zusammenhang dargestellt*, ed. 2, Friburgi Br., 1898, p. 617-649. Gregorii de Valentia explicatio ab A. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Prédestination*, t. IV, col. 241, ita breviter contrahitur : « Il commence par mettre hors de question le point essentiel : A la prédestination considérée dans son effet total on ne saurait attribuer aucune cause ni raison méritoire hors de Dieu. Puis il pose la thèse suivante : Bien que ni la coopération du prédestiné, ni aucune de ses œuvres ne soit, à aucun titre, raison ni condition ni cause méritoire de la prédestination totale, cependant Dieu ne prédestine d'une manière ordinaire aucun adulte sans avoir égard, par sa prescience, à la coopération persévérante du prédestiné, procédant du secours de la grâce et de son libre arbitre, comme à un effet et un moyen de la prédestination, avec lequel tous les autres effets de la prédestination sont liés. Conséquemment, s'il n'est pas vrai de dire que Dieu prédestine les élus *à cause* de la prescience éternelle qu'il a de leur coopération à la grâce avec la persévérance finale, comme si cette persévérance était la raison, la condition ou la cause de la prédestination totale, néanmoins il est très vrai de dire que Dieu prédestine d'une manière ordinaire tous ceux-là et ceux-là seuls dont sa prescience éternelle lui montre la coopération à la grâce. »

Idem A. d'Alès, *ibid.*, col. 254, sententiam Scheeben ita exponit : « Il commence par noter l'identité pratique des expressions : *prédestination* et *volonté salvifique*. Et comme on s'accorde à reconnaître en Dieu une double volonté salvifique, l'une antécédente et conditionnelle, qui s'étend à tous les hommes, l'autre conséquente et absolue, restreinte à ceux qui, de fait, se sauveront, il conclut que l'on peut, au même titre, parler d'une double prédestination : l'une générale, qui s'étend à tout le genre humain; l'autre spéciale, restreinte à ceux que l'on a coutume d'appeler par excellence : les prédestinés. Mais, au fond, il n'y a qu'une seule prédestination, que l'on peut considérer à divers stades de son développement : la prédestination générale répond au stade initial, commun à tous les hommes; la prédestination spéciale répond au stade final, propre aux seuls prédestinés. A le bien prendre, le mystère de la prédestination se confond avec le mystère de l'élévation de l'homme à l'ordre surnaturel. Cette élévation est l'œuvre d'une motion divine d'ordre très relevé, qui conduit l'homme jusqu'à sa fin surnaturelle, ou le laisse déchoir sur la route, *selon que la coopération de l'homme aux prévenances de la grâce se soutient jusqu'au terme, ou, au contraire, défaille définitivement.* Cette motion est toute gratuite et elle est, de soi, infaillible. Motion gratuite : car l'homme n'a aucun titre à être poussé vers une fin qui surpasse toutes les exigences de sa nature. Elle peut conduire l'homme jusqu'à cette fin : c'est le cas d'une prédestination spéciale. *Une telle prédestination suppose en Dieu la prescience de la coopération de l'homme, mais non pas — chose très différente — la prescience de ses mérites, car les mérites sont un effet de la prédestination et non point sa cause.* »

Hanc revera esse theologorum byzantinorum de prædestinatione et reprobatione doctrinam, paucis testimoniis ex scriptis clariorum selectis ostendamus.

Sicut in multis aliis quæstionibus, ita et in hoc capite primas tenet Damascenus. Quomodo prædestinationem, τὸν προορισμόν, definiat ille; quomodo, secundum ejus conceptum, prædestinatio ex præscientia reguletur, in tractatu *De Deo uno* jam diximus [1]. Restat, ut ejus doctrinam de universali voluntate salvifica Dei necnon de partibus humanæ libertatis in opere salutis exponamus. Post Joannem Chrysostomum, duplicem in Deo distinguit voluntatem quantum ad salutem hominum, scilicet voluntatem *primam*, quæ dicitur *antece-*

1. Vide supra, p. 201 sq.

dens et *beneplacitum*, εὐδοκία, *quæ ex ipso est et ex proprio ejus motu;* et voluntatem *secundam*, quæ dicitur *consequens* et *permissio, cujus nos causa sumus.* Et hæc duplex est, una scilicet *œconomica* et ad correctionem ac salutem ordinata, altera vero, quæ *desertio absoluta* dicitur et quasi ex desperatione Dei peccatorem salvandi profiscicitur, damnationem definitivam inducens [1]. Porro voluntate prima et antecedenti, et quantum ad se attinet, Deus vult omnes homines salvari et regni sui compotes fieri. « Non enim nos ut puniret, condidit, sed ad hoc ut bonitatis suæ participes essemus, quia bonus est [2]. » Voluntate autem secunda, seu consequente visionem indurationis peccatoris in malo, vult illum puniri, quia justus est. Insistit autem Damascenus in misericordia Dei erga peccatores. Si illi credas, Deus omnia media adhibet, ut peccatores adducat ad pænitentiam, quin eorum libertatem lædat et offendat :

« Deus, inquit, cum natura bonus ac misericors sit, nec peccatum vult, nec peccatoris mortem, *nec delectatur in perditione viventium* (Sap., I, 13), nec iræ affectui subjacet quo pœnam inferat, sed in omnes bona profundit. Qui cupit, accipit; nam qui bonus est, ampliora bona consequitur. *Et sane in præsenti vita dispensatio quædam est, et gubernatio et providentia ineffabilis, qua ii qui peccant* ad conversionem et

1. *Ibid.*, col. 968 A : « Ἔστι γὰρ ἐγκατάλειψις οἰκονομικὴ καὶ παιδευτική, καὶ ἔστιν ἐγκατάλειψις τελεία, ἀπογνωστική. » Animadverte vim epitheti ἀπογνωστική. Misericordia Dei non deserit peccatorem nisi « en désespoir de cause ».

2. *De fide orthodoxa*, l. II, c. XXIX, col. 968-969 : « Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ Θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν. Οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ μετασχεῖν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, ὡς ἀγαθός. Ἁμαρτάνοντας δὲ θέλει κολάζεσθαι, ὡς δίκαιος. Λέγεται οὖν τὸ μὲν πρῶτον, προηγούμενον θέλημα, καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν · τὸ δὲ δεύτερον, ἑπόμενον θέλημα καὶ παραχώρησις, ἐξ ἡμετέρας αἰτίας. » Eadem fere ad verbum repetit in *Dialogo contra Manichæos*, 79, col. 1577 CD : « Προηγούμενον μέν ἐστι θέλημα, ὅπερ τις ἀφ' ἑαυτοῦ θέλει · ἑπόμενον δέ, ὅπερ ἐκ τῆς τῶν γινομένων αἰτίας · προηγουμένως γὰρ ἐξ ἑαυτοῦ « θέλει ὁ Θεὸς πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. » Vides hanc voluntatem Dei antecedentem, de qua loquitur Damascenus, omnino differre a voluntate antecedenti posita a quibusdam Thomistis et inducente reprobationem negativam antecedentem.

pænitentiam revocantur. Post mortem vero, nec conversionis, nec pænitentiæ locus est [1].

« Omnimoda desertio accidit, postquam Deus ad salutem peccatoris omnia fecit, et tamen ille *insensibilis* et incuratus proprio animi proposito remanet, vel, ut melius loquar, insanabilis, tuncque extremo exitio traditur, veluti Judas [2]. »

« Deus omnibus, nec postulantibus, *copiose* dona sua largitur; vult quoque omnes salvos fieri ac suæ bonitatis participes esse; nos peccantes patienti sustinet animo, oriri faciens solem suum super justos et injustos, et pluit super bonos et malos [3]. »

Eodem de immensa Dei bonitate et misericordia sensu

1. *Dialogus contra Manichæos*, 75, col. 1573 AB : « Πᾶσι βρύει τὰ ἀγαθά. Ὁ ποθῶν λαμβάνει · ὁ γὰρ ἀγαθὸς ἀγαθῶν τυγχάνει · καὶ ἐν μὲν τῷ βίῳ τούτῳ οἰκονομία τίς εστι, καὶ κυβέρνησις καὶ πρόνοια ἄρρητος πρὸς ἐπιστροφὴν καὶ μετάνοιαν καλοῦσα τοὺς ἁμαρτάνοντας. »

2. *De fide orth.*, l. II, c. XXIX, col. 968 AB : « Ἡ δὲ τελεία ἐγκατάλειψις, ὅτε τοῦ Θεοῦ πάντα τὰ πρὸς σωτηρίαν πεποιηκότος, ἀνεπάισθητος καὶ ἀνιάτρευτος, μᾶλλον δὲ ἀνίατος ἐξ οἰκείας προθέσεως διαμείνῃ ὁ ἄνθρωπος · τότε παράδιδοται εἰς τέλειαν ἀπώλειαν, ὡς ὁ Ἰούδας. »

3. Oratio III, *De imaginibus*, 30, col. 1349 BC : « Πᾶσι μεταδίδωσιν ἀφθόνως τῶν ἑαυτοῦ δωρεῶν καὶ δίχα αἰτήσεως · καὶ θέλει πάντας σωθῆναι καὶ μετέχειν τῆς ἑαυτοῦ ἀγαθότητος · καὶ μακροθυμεῖ ἐφ' ἡμῖν ἁμαρτάνουσι. » Hæc sane et similia de Dei bonitate et liberalitate consolatione plena sunt, ad divinum amorem maxime incitant et animos longe aliter tangunt et afficiunt quam pleraque nostrorum scholasticorum systemata, quæ Deum ut parcum in gratiis distribuendis potius repræsentant nec ab omni personarum acceptione alienum illum depingunt, quatenus quosdam præ alios nulla habita ratione eorum cooperationis, quæcumque demum sit, antecedenter eligit, alios prætermittens; unde desperationis sensum in animos facile injiciunt. Revera theologi latini, auctoritate Augustini, cujus mens de universali voluntate salvifica Dei valde dubia est, verbaque de prædestinatione et reprobatione duriora, *unice fere innixi*, ad communem Patrum græcorum traditionem vix attenderunt. Eorum tamen auctoritas auctoritati solius Augustini impar non est; quin immo in hac quæstione anteponenda videtur, cum ex una parte eorum doctrina ab omni pelagianismi labe sit immunis, ex alia vero ex solis Revelationis fontibus sit hausta ac *pacifice* elaborata, dum Augustinus, in vindicanda contra hæreticos gratuitate gratiæ divinæ totus laudabiliter absorptus, inter arma et polemicas contentiones suam de prædestinatione et reprobatione sententiam conflavit. Illum universalem Dei salvificam voluntatem revera negasse non solum heterodoxi, sed etiam quidam catholici auctores confiteri jam non dubitant, inter quos venit Hermannus Lange, S. J., qui in suo

motus necnon de necessitate liberi hominis interventu sive in salute adipiscenda sive in damnatione incurrenda persuasus, Damascenus his duabus veritatibus inconcussis aptare nititur illos sacræ Scripturæ textus, qui primo adspectu prædestinatianismo absoluto et antecedenti suffragari videntur :

« Scire oportet, inquit, moris esse Scripturæ, ut Dei permissionem actionem ipsius appellet, velut cum ait Apostolus in epistola ad Romanos, IX, 21 : *Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem in honorem, aliud autem in contumeliam?* idcirco nimirum, quod ipse et hæc et illa facit. Solus enim ipse universorum opifex est. *Haud tamen ipse vel nobilia vel ignobilia vasa efficit, verum sua cujusque voluntas et electio.* Atque id liquet ex his verbis, quibus idem Apostolus utitur in epist. ad Timotheum II, c. II, 20-21 : *In magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea*, etc. Constat autem purgationem voluntarie fieri : *Si quis*, inquit, *emundaverit se;* quibus verbis hæc consequenter respondent : *Si non se emundaverit, erit vas in contumeliam*, inutile Domino ac dignum quod confringatur. Quocirca, tum hic locus quem adduximus, tum ille : *Conclusit Deus omnes in incredulitate* (Rom., II, 32), et iste : *Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant* (Is., VI, 10) : hæc, inquam, omnia non ita accipienda sunt, quasi Deus hæc ipse effecerit, sed quod permiserit, tum ob arbitrii libertatem, tum quia bonum a vi et coactione liberum est [1]. »

De induratione pharaonis hæc habet :

« Deus nihil quidquam omisit eorum, quæ ad emendatio-

recenti *De gratia tractatu dogmatico*, Friburgi B., 1929, communibus catholicorum theologorum laudibus excepto, hæc habet, p. 543, n. 682 : « Ergo rectius conceditur Augustinum seniorem studio vindicandi omnimodam gratuitatem gratiæ et prædestinationis eo devenisse, ut universalitatem seriæ voluntatis salvificæ negaret. » Nec sanctus doctor nobis, ex filiis suis spiritualibus uno, de præsenti nota irascetur, sed veniam dabit, cum ille de suis sententiis et opinionibus tam humiliter senserit, et nos ob solum veritatis amorem hæc ponamus.

1. *De fide orth.*, l. IV, c. XIX, col. 1192 : « Ἀλλ' οὐκ αὐτὸς τίμια κατασκευάζει, ἢ ἄτιμα, ἀλλ' ἡ οἰκεία ἑκάστου προαίρεσις. » Nec hic negat sanctus doctor quod superius dixit de gratiæ necessitate omnibus oblatæ ad bonum eligendum et perficiendum.

nem illius conferrent. Nihil quoque ipse vicissim non admisit, quo non sibi interitum crearet omnique se venia privaret. Deus autem, tametsi hoc noverat, multa illum patientia sustinuit, ad pænitentiam illum adducere volens. Nisi enim hoc voluisset, tamdiu utique illum non tulisset. Quoniam illa Dei patientia uti noluit ad pænitentiam, sed seipsum præparavit ad iram, illo Deus usus est ad correctionem aliorum [1]. »

Verba autem Apostoli : *Deus enim est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate* (Phil., II, 13), hac commentatione prosequitur :

« Porro hoc ait non ut liberam voluntatis electionem destruat, sed quod rursum formidet ne extollantur. *Nam quod animi propositum causa sit ut boni simus, sive mali, jam ostendit* exhortando ut cum timore salutem suam operarentur [2]. »

Cæterum mysterium prædestinationis et reprobationis hominum captum nostrum prorsus superare, et investigabiles divinæ providentiæ vias nos latere, haud semel sanctus doctor profitetur, ne de Dei agendi ratione temere judicemus nos admonens. Hoc tantum inculcare vult, scilicet quod Deus misericordissimus sit, et homines ineffabili amore prosequatur, omnes, quantum in se est, salvare volens, et gratiam suam omnibus liberaliter offerens et copiose largiens, si tantum eam recipere velint [3].

1. *In epist. ad Romanos*, c. IX, 22-23, *P. G.*, t. XCV, col. 520 : « Οὔτε γὰρ ὁ Θεὸς παρέλιπέ τι τῶν εἰς τὴν κατόρθωσιν ἡκόντων τὴν ἐκείνου. »

2. *In epist. ad Phil.*, II, 13, *P. G.*, t. XCV, col. 868 AB. Cf. *In Rom.*, VIII, 28, *ibid.*, col. 509 D.

3. Cf. *Dial. contra Manichæos*, 74, col. 1572-1573 : « Μὴ οὖν κρίνωμεν τὸν Θεόν · οὐ γὰρ οἴδαμεν τὴν βουλὴν αὐτοῦ... Οὐ γὰρ πᾶσαν τὴν βουλὴν αὐτοῦ ἀπεκάλυψεν ἡμῖν, ἀλλ' ὅπερ συνέφερεν ἡμῖν γνῶναι. Ὅπερ δὲ οὐ συνέφερεν ἡμῖν γνῶναι, ἀπέκρυψε. Μὴ οὖν εὐθύνωμεν τὸν Θεόν · αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ κριτής, καὶ αὐτός ἐστιν ἡ πηγὴ τῶν ἀγαθῶν · καὶ οὐκ ἔστιν ἀγαθόν, εἰ μὴ ὁ αὐτὸς βούλεται, ὥσπερ οὐκ ἔστι φῶς, εἰ μὴ τὸ ἐκ τοῦ ἡλίου πηγαζόμενον. » Item, *ibid.*, 70, col. 1568-1569 : « Deus, quia bonus est, bona non largiri non potest... Qui vero accipere recusat, ipse sibi detrimentum accersit, dum satius ducit non accipere quam accipere... Ut simus, nostri arbitrii non est, sed Dei solius ; ut autem boni simus, tum ex Deo, tum ex nobis est. Deus itaque quod suarum partium est, bene esse largitur ; nos vero, quod in potestate nostra situm est, nempe ut data bona servemus, hoc vel facimus, vel negligimus : Τὸ μὲν γὰρ εἶναι,

Damasceni doctrinam apud cæteros Byzantinos invenire est, præsertim vero apud Photium [1], Theophylactum [2],

οὐκ ἐφ' ἡμῶν, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ μόνου · τὸ δὲ ἀγαθὸν εἶναι, ἐκ Θεοῦ καὶ ἐξ ἡμῶν. Damascenus, nunquam oblivioni mandat illud parvum, quod Deus a nobis exigit, ut salutem consequamur (cf. *In epist. ad Romanos*, c. VIII, 25, col. 508 C : « Τοῦτο αἰτεῖ μόνον παρὰ σοῦ ὁ Θεός, ἵνα ἔχῃς τι καὶ αὐτὸς συνεισενεγκεῖν εἰς τὴν σὴν σωτηρίαν. » Unde absque ulla contradictione hæc scribere potest : « Et bona agere et boni esse contendamus, ut in eorum numero simus, quos bonos fore præscivit atque ad vitam æternam prædestinavit : Ἀγωνισώμεθα οὖν ποιῆσαι τὸ ἀγαθὸν καὶ ἀγαθοὶ γενέσθαι, ἵνα ὦμεν τῶν προεγνωσμένων ἀγαθῶν καὶ τῶν προωρισμένων εἰς ζωὴν αἰώνιον. » *Dial. contra Manich.*, 80, col. 1580 B. Nam : « ut Deus præsciat quæ facturi sumus, hoc a nobis proficiscitur : τὸ δὲ προγνῶναι ἃ μέλλομεν ποιεῖν, ἐξ ἡμῶν. » *Ibid.*, 79, col. 1577 B.

1. Cf. ejus interpretationem *In epist. ad Rom.*, c. IX, 11, de Jacob et Esau supra, p. 739, n. 1, laudatam. Item *In Matth.*, XI, 20, de civitatibus incredulis loquens : « Ἐπεὶ δὲ πάντα ποιήσας οὐκ ἔπεισεν, ἑτέραν τρέπεται ὁδόν. » *P. G.*, t. CI, col. 1201 A.

2. Multa de Theophylacto exscribenda essent. Sufficiat hæc pauca notare : Primum, ut Damascenus, docet præscientiam divinam antecedere prædestinationem : *In epist. ad Rom.*, c. VIII, 30, *P. G.*, t. CXXIV, col. 452 D : « Προγινώσκει ὁ Θεὸς τοὺς ἀξίους τῆς κλήσεως, εἶθ' οὕτως προορίζει. Προτέρα οὖν ἡ πρόγνωσις, εἶτα ὁ προορισμός · προορισμὸν δὲ νοήσεις τὸ ἀμετάθετον τοῦ Θεοῦ ἀγαθὸν θέλημα. Προέγνω οὖν, ὅτι ὁ Παῦλος ἄξιος τῆς κλήσεως τοῦ εὐαγγελίου, καὶ οὕτω προώρισε, τουτέστιν ἀμεταθέτως ὥρισε καὶ ἔστησε τὸ καλέσαι αὐτόν. » Voluntatem Dei salvificam et omnium ad salutem vocationem diserte asserit. Cf. *In Lucam*, c. XIII, *P. G.*, t. CXXIII, col. 921 B : « Ὁ Κύριος συγκαλεῖται πάντας ἀνθρώπους εἰς ἑστίασιν καὶ ἀπόλαυσιν τῶν ἀδαπανήτων ἀγαθῶν. » Cf. *In Luc.*, c. XIV, 21-24, *ibid.*, col. 940 B : « Καλούμεθα πάντες εἰς τὴν βασιλείαν, ἣν καὶ πρὸ καταβολῆς κόσμου ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀνθρώποις. » *In Ephes.*, c. I, 6, *P. G.*, t. CXXIV, col. 1037 B : « Εὐδοκία ἐστὶ τὸ προηγούμενον θέλημα τοῦ Θεοῦ, οἷον θέλημα πρῶτον τοῦ Θεοῦ, τὸ μηδένα ἀπολέσθαι · θέλημα δεύτερον, τὸ γενομένους κακοὺς ἀπολέσθαι. » Cf. *In Matth.*, c. XXII, 14, *P. G.*, t. CXXIII, col. 388 C : « Πολλοὶ δέ εἰσι κλητοί · πολλοὺς γὰρ καλεῖ ὁ Θεός, μᾶλλον δὲ πάντας · ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. Ὀλίγοι καὶ οἱ σῳζόμενοι καὶ ἄξιοι τοῦ ἐκλεγῆναι παρὰ Θεοῦ · ὥστε τοῦ μὲν Θεοῦ τὸ καλεῖν, τὸ δὲ ἐκλεκτοὺς γενέσθαι ἢ μή, ἡμέτερόν ἐστι. » Locos Apostoli obscuriores in epist. ad Romanos, c. IX-XI, ita interpretatur, ut humanæ libertatis partes in opere salutis semper in tuto ponantur et subaudiantur, ubicumque Apostolus omnia beneplacito Dei absoluto tribuere videtur; ut excludatur absoluta quorumdam prædestinatio vel reprobatio, nulla habita ratione cooperationis singulorum ad gratiam. Unde ad Dei præscientiam sæpe provocat, ut Dei agendi rationem explicet. Cf. præsertim *P. G.*, t. CXXIV, col. 465 A, de Jacob et Esau : « Τῇ θείᾳ προθέσει, τουτέστι τῇ προγνώσει, ὃ μὲν ἐξελέγη καὶ ἠγαπήθη,

Euthymium Zigabenum [1], qui Dei voluntatem universalem salvificam extollunt et locos sacræ Scripturæ difficiliores in eumdem, ac ille, sensum communiter accipiunt. Theophanes vero metropolita Nicænus, in *Sermone de beata Deigenitrice*, quem haud semel jam laudavimus, de prædestinatione simul et voluntate Dei salvifica in hunc modum disserit :

« Manifestum est Deum sua præscienti sapientia angelorum et hominum unumquemque ab æterno cognovisse, quandoquidem illi cognitio ex successione non crescit, sed ejus scientia una et eadem est, omnia præsentia, præterita pariter et futura complectens, et ita futura videt ac novit, sicut et præsentia. Cum ergo ab æterno noverit uniuscujusque profectum ex libera voluntate propriaque industria comparatum, unicuique etiam locum et ordinem congruentem secundum puritatis gradum ab æterno prædefinivit. Sed et hoc omnibus patet, nempe quod Verbum conditor ea quæ sunt prima divisione distribuit in res spirituales et res quæ sensu percipi possunt, ut Gregorius ait in theologia præstantissimus, seu in naturam spritualem, rationalem et immortalem, et in mundum hunc sensibilem.

« Porro ex spiritibus quosdam quidem materia et sensu expeditos constituit; quosdam vero materiæ alligavit et compositos effecit. Utrumque autem ad singulorum utilitatem ac commodum factum fuisse plane scimus, quamvis utilitatis hujusmodi pro unoquoque rationes solus sane ille noverit qui creavit eos. Cæterum, quandoquidem omnia

ὃ δὲ ἐμισήθη. » Col. 465 D, ad v. 16, c. IX : « Τὸ πᾶν τοῦ Θεοῦ ἐστι, καίτοι τῆς ἡμετέρας προθυμίας δεῖται ὁ Θεός. » Col. 469, de induratione Pharaonis : « Κατηρτισμένον εἰς ἀπώλειαν, τουτέστιν ἀπηρτισμένον παρ' ἑαυτοῦ καὶ οἴκοθεν. » — « Ἃ προητοίμασεν » ἀντὶ τοῦ, Ἃ προέγνω. Col. 485 A : « Οἱ βουληθέντες ἐσώθησαν. » Cf. 485 C.

1. Cf. *In Joa.*, c. VI, 39, *P. G.*, t. CXXIX, col. 1249 A : « Κοινὸν θέλημα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ τὸ σωθῆναι πάντας... Οὐδένα ὁ Θεὸς πρὸς ἀνάγκην ἕλκει... » Vide etiam Euthymii *Commentaria in Pauli epistolas*, edit. N. Kalogheræ, 2 vol., Athenis, 1887, ad eosdem locos difficiliores. Notandum est exegetas byzantinos nullam specialem difficultatem invenisse, ad prædestinationem quod attinet, in verbis Apostoli, I Cor., IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti?* quibus quidam e nostris tantum et nimium momentum tribuunt. Ad contextum enim attendunt, in quo non agitur de singulis hominibus, sed de prædicatoribus Evangelii, non de donis gratiæ, sed de dotibus naturæ.

præsciens Dei sapientia unumquemque ejusque virtutem vel malitiam ab æterno noverat, indeque et ab æterno unicuique locum et sortem congruam prædeterminavit secundum ipsius vitæ rationem et qualitatem, propterea et ab æterno prædefinivit hunc quidem ad existentiam proditurum a materia liberum, illum vero ei alligatum, prout videbat unicuique magis profuturum; siquidem ad unum eumdemque bonum finem omnes prorsus convenire volebat. Nam ut omnia præsciens, cujusque ad virtutem aut ad vitium propensionem clare prævidebat. Ut vero sapiens, qualis vita huic, qualis illi profutura esset, sive ea scilicet quæ a carne libera est, sive quæ carni conjuncta, probe noverat. Ut bonus autem, quod singulis profuturum erat, volebat. Demum ut potens, quod volitu dignum erat, faciebat. Inde hi quidem in existentiam prodiere absque materia, illi vero cum ea conjuncti[1].»

1. *Sermo in beatam Deiparam, cod. cit.*, fol. 278 : « Δῆλον δὲ ὅτι τῇ προγνωστικῇ τοῦ Θεοῦ σοφίᾳ πάντων ἀγγέλων καὶ τῶν ἀνθρώπων ἕκαστος γνωστὸς ὑπῆρχεν ἐξ ἀϊδίου, ἐπείπερ οὐ προστίθεται τῷ Θεῷ γνῶσις μὴ οὖσα πρότερον, ἀλλὰ μία καὶ ἡ αὐτή ἐστί περιληπτικὴ πάντων τῶν ὄντων ὁμοίως καὶ ἐσομένων πρός γε τοῖς παρελθοῦσι, καὶ οὕτως ὁρᾷ καὶ γινώσκει παραπλησίως τὰ μέλλοντα ὥσπερ δήπου καὶ τὰ παρόντα, Ἐπεὶ οὖν τὴν ἐκ προαιρέσεως καὶ σπουδῆς ἑκάστου προκοπὴν οἶδεν ἐξ ἀϊδίου, καὶ τὴν ἑκάστῳ πρέπουσαν στάσιν καὶ τάξιν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς καθαρότητος ἐξ ἀϊδίου προώρισεν.

Ἀλλὰ καὶ τοῦτο δῆλον τοῖς πᾶσιν, ὅτι τὰ ὄντα πρώτῃ τομῇ διεῖλεν ὁ δημιουργὸς Λόγος εἰς νοῦν τε καὶ αἴσθησιν, καθώς φησι καὶ ὁ ἐν θεολογίᾳ μέγας Γρηγόριος, ἤγουν εἰς τὴν νοεράν τε καὶ λογικὴν καὶ ἀθάνατον φύσιν, καὶ εἰς τὸν ὁρώμενον αἰσθητὸν τουτονὶ κόσμον. Καὶ τοὺς μὲν τῶν νοερῶν τε καὶ λογικῶν κεχωρισμένους τῆς ὕλης καὶ τῆς αἰσθήσεως ὑπεστήσατο, τοὺς δὲ συνέδησε ταύτῃ καὶ συνθέτους ἀποτετέλεκε. Καὶ ὅτι μὲν καὶ ἀμφότερα λυσιτελῶς τε καὶ συμφρόντως ἐκείνοις γέγονε, σαφῶς ἴσμεν· τοὺς δὲ λόγους τοῦ συνοίσοντος ἑκατέρου μόνος ἂν εἰδείη πάντως ὁ τούτους δημιουργήσας. Πλὴν ἐπείπερ ἐξ ἀϊδίου ἐγίνωσκεν ἡ προγνωστικὴ τοῦ Θεοῦ σοφία ἕκαστον καὶ τὴν ἑκάστου ἀρετὴν ἢ κακίαν, κἀντεῦθεν καὶ ἐξ ἀϊδίου προώρισε καὶ τὸν ἑκάστῳ προσήκοντα τόπον καὶ τὴν λῆξιν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς ποιότητος τῆς αὐτοῦ βιοτῆς, διὰ τοῦτο καὶ ἐξ ἀϊδίου προώρισε τὸν μὲν ὑφεστάναι χωρὶς ὕλης, τὸν δὲ συνδεδέσθαι ταύτῃ, καθὼς ἑκάστῳ μᾶλλον ἑώρᾳ λυσιτελήσειν, ἐπεὶ πρὸς ἓν ἀγαθὸν τέλος τοὺς πάντας ἐβούλετο συνελθεῖν. Ὡς μὲν γὰρ προγνώστης σαφῶς προεώρᾳ τὴν πρὸς ἀρετὴν ἢ κακίαν ἑκάστου ῥοπήν· ὡς δὲ σοφός, ᾔδει ποία συνοίσει τούτῳ, καὶ ποία ἐκείνῳ ζωή, ἡ ἄσαρκος δηλονότι, ἢ ἡ μετὰ σαρκός· ὡς δ' ἀγαθός, ἐβούλετο συνοῖσον ἑκάστῳ· ὡς δὲ δυνατός, ἐποίει τὸ βουλητέον. Ἐντεῦθεν οἱ μὲν προῆλθον εἰς ὕπαρξιν χωρὶς ὕλης, οἱ δὲ ταύτῃ συνεζευγμένοι. »

Vides quousque voluntatem Dei salvificam producat ille, præsuppositis platonicis innixus. Ab audaci hujusmodi speculatione abstinet quidem Georgius Scholarius, qui omnium Byzantinorum altissime prædestinationis mysterium perscrutatus est; a communi vero Patrum græcorum et Damasceni doctrina non recedit in suis quinque de hoc capite dissertationibus; quod jam supra ostendimus ad præscientiæ divinæ necnon ad voluntatis liberæ partes quod attinet[1]. Porro, secundum Scholarium, ea omnia, quæ ad hominum prædestinationem vel reprobationem pertinent, logice simul et chronologice ita disponuntur et ordinantur :

Primum venit voluntas Dei prima seu antecedens, quæ una et eadem est erga omnes, quantum ad Deum ipsum pertinet, qua scilicet *vult omnes homines salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire, illisque a principio unum ordinem eamdemque adscripsit dignitatem*[2].

Deinde, Deus sua præscientia videt cooperationem cujusque ad gratiam suam, et secundum hanc præscientiam de unoquoque ab æterno decernit immutabile decretum prædestinationis vel reprobationis omniaque in suo consilio æterno ordinat ac prædefinit, quæ in tempore a sua providentia exsequentur erga singulos homines, habita semper ratione eorum cooperationis per præscientiam cognitæ[3].

Tertio, Deus in tempore per providentiam suam exsequitur suum æternum de singulis hominibus decretum. Porro in hoc exsecutionis ordine cuidam prædilectionis Dei erga prædes-

1. Vide supra, p. 192-194.

2. *De prædestinatione* tract. V, 4, *Œuvres complètes*, t. I, p. 456 : « Τὸ μὲν γὰρ εἰς τὸν Θεὸν ἧκον, μία ἂν ἦν ἡ περὶ πάντας ἀνθρώπους αὐτοῦ πρόνοια· « πάντας γὰρ ἀνθρώπους θέλει, φησί, σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας ἐλθεῖν ». Διὸ καὶ μίαν αὐτοῖς ἀρχῆθεν τάξιν τε καὶ ἀξίαν ἔνειμεν. »

3. *De prædest.*, tract. III, 14, *ibid.*, p. 439 : « Προορίζει ἐν τῇ γνώσει τοὺς ἐν τῷ καιρῷ τῶν ἔργων ὁριστέους οἰκοθέν τε καὶ παρ' αὐτοῦ, προαποδοκιμάζει δὲ τοὺς ἀποδοκιμασθησομένους ὁμοίως. » Cf. tractatum I, 18, p. 404 : « Ταῦτα δὲ πάντα βεβαίως προεγνωκώς, καὶ διατάττει κατὰ τὴν περὶ αὐτῶν πρόγνωσιν καὶ συμπληροῖ. » Unde prædestinationem ita definit, tract. II, 3, p. 415 : « Προορισμός ἐστιν ἡ ἀΐδιος ἐν τῷ Θεῷ τάξις τῆς ἐπὶ τὴν μακαρίαν ζωὴν ὁδηγίας τοῦ ἀνθρώπου, καίτοι γινομένης ἐν χρόνῳ. »

tinatos locus datur, quatenus Deus specialem curam agit eorum, quorum salutem ab æterno prævidit secundum rationem mox delineatam.

« Soli, inquit, illi prædestinati sunt et vocantur, utpote ad vitam æternam prædirecti. Prædestinati esse vero dicuntur, non quasi necessitatem passi, sed quatenus antequam ipsi a seipsis prædestinati essent seu in proprium finem ordinati, a Deo præcogniti sunt ut prædestinandi et digni habendi qui vitam æternam adipiscantur propter suam pietatem et virtutem. Et hoc est eos prædestinatos esse, nempe a longe a Deo cognitos esse tanquam ad proprium finem destinatos, eos scilicet qui, quantum ad se pertinet, in posterum destinabuntur. Ipsi enim non semper existunt, sed geniti, deinde secundum rationem et legem omni studio cum Dei auxilio hic vitam agentes, ad finem a Patre et creatore illis præpositum destinantur; et antequam a seipsis destinentur, destinandi sunt; destinandi vero cum sint, et aliquando destinantur, et tunc sunt destinati [1]. »

Ut ex his omnibus clare patet, secundum Græcorum conceptum, totum prædestinationis mysterium reponitur in præscientia Dei seu in illa præcognitione futurorum liberorum omnium, vel potius futuribilium, quæ ex se nullum influxum habet in liberam determinationem voluntatum creandarum vel creabilium, sed omne voluntatis divinæ decretum ratione antecedit et ad scientiam simplicis intelligentiæ revera pertinet. Cæterum, ante Augustinum, omnes Ecclesiæ doctores quum græci tum latini eamdem sententiam communiter tenebant, teste Prospero, qui ad ipsum Augustinum hæc aliquando scripsit :

« Retractatis priorum doctorum hac de re opinionibus,

1. *De prædestinatione*, tract. V, 5, *ibid.*, p. 456-457 : « Οἱ πίστει καὶ βίῳ μεμορφώμενοι καλῶς προνοίας εἰδικωτάτης μόνοι τυγχάνουσιν... Καὶ ὁ Θεὸς αὐτῶν προνοεῖ τῇ αὐτῶν προθέσει οἰκείως, πάντα αὐτοῖς πρὸς τἀγαθὸν συνεργῶν καὶ πρὸς τὸ τέλος συμπροβιβάζων... Προωρίσθαι δὲ λέγονται οὐχ ὡς ἠναγκασμένοι, ἀλλ' ὡς καὶ πρὶν αὐτοὺς ὡρίσθαι ὑφ' αὐτῶν ἤτοι τετάχθαι πρὸς τὸ οἰκεῖον τέλος προεγνωσμένοι τῷ Θεῷ, ὅτι ὁρισθήσονταί τε καὶ τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐφικέσθαι ἀξιωθήσονται εὐσεβείας αὐτῶν εἵνεκα καὶ ἀρετῆς... — Καὶ πρὶν ὁρισθῆναι ἀφ' αὐτῶν ὁριστέοι εἰσίν · ὁριστέοι δὲ ὄντες καὶ ὁρίζονταί ποτε, καὶ ὡρισμένοι τότε εἰσί. » Cf. tract. I, 15, 17, 20, p. 402, 404, 408; tract. IV, 8, p. 445-446.

pene omnium par invenitur unaque sententia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus vasa honoris et vasa contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit et sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate et actione præviderit [1]. »

Laudabili sane intentione, sed, ut videtur, parum felici novatione, hanc viam, quam prius ipse tenuerat, Augustinus postea dereliquit, ut Pelagianos, qui ad negandam totius prædestinationis absolutam gratuitatem præscientia divina abutebantur, melius confutaret [2].

ARTICULUS IV

De electorum numero.

Cum Dominus in Evangelio dixerit : *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (Matth., XXII, 14); item : *Intrate per angustam portam... Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* (Matth., VII, 13-14), theologi byzantini hæc verba ita ad litteram communiter sumpsisse videntur, ut numerum electorum et salvandorum præ reproborum multitudine parvum futurum esse credideriint. Ita revera sentiunt Theophylactus [3], Gregorius Palamas [4], Georgius Scholarius [5]. Ita etiam Marcus Ephesius, qui

1. *Epistola ad Augustinum*, 8, *P. L.*, t. LI, col. 73-74.

2. Mirandum est quod Augustinus sententiam potissimum mutavit ob Apostoli verba (I Cor., IV, 7) : *Quis te discernit?* etc., quæ, fatentibus communiter interpretibus, ad rem, *saltem directe*, non pertinent, nec, ut supra diximus, Græcis unquam aliquod negotium facesserunt.

3. Cf. *In Lucam*, c. XIII, *P. G.*, t. CXXIII, col. 921 B : « Ὀλίγοι οἱ σῳζόμενοι διὰ τὸ μὴ ἐγχωρεῖν πολλοὺς δέξασθαι τὴν στενήν. » Item, *In Matth.*, XXII, 14, *ibid.*, col. 388 C. Vide supra, p. 746, n. 2.

4. Homil., XLI, *P. G.*, t. CLI, col. 520 C : « Ὀλίγων ὄντων τῶν ἐκλεκτῶν ἔσεσθαι μελλόντων, αὐτὸς διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς αὐτοῦ φιλανθρωπίας ἅπαντας ἐκάλεσεν. » Ibidem docet Deum creasse eos qui mali futuri erant propter bonos. Cf. Homil. LV, 1, 2, ed. Sophoclis, p. 192-194.

5. *De prædestinatione*, tract. V, 6, *loc. cit.*, p. 458 : « Τῶν δὲ ἀνθρώπων... τὸ μὲν πλεῖστον ἀφηνιάζον ἀποχωρεῖ τοῦ θείου σκοποῦ, ὅς ἐστι τὸ οἰκεῖον κατά τε φύσιν καὶ χάρις τέλος αὐτῶν, ὀλίγον δέ ἐστιν ἐν τῇ

in quadam dissertatiuncula nondum edita quæstionem ex professo tractat, et tum Scripturæ verbis, tum exemplis ex rebus materialibus desumptis hujus parvi numeri congruentiam statuere conatur :

« Non audis, inquit, Scripturam dicentem : *Melior est unus faciens voluntatem Dei quam mille injusti* (Eccli.. XVI, 3)? Num Chananæos omnes uni Abraham antepones, aut uni Lot Sodomitas?... Multa sane maris arena, paucæ autem margaritæ; et multum ferrum sub terra, auri vero parum; et terra germinat multa, at pauca nobis utilia. Rara semper bona; multitudo autem vile quid et contemptibile. Ideo, ait, pauci qui salvantur, et angusta porta et arcta, quæ ducit ad vitam paucique per eam intrantes. Et vocati multi, pauci vero electi [1]. »

Josephus Bryennius, in *Sermone II de consummatione sæculi*, varias auctorum opiniones de hac quæstione enumerat; quæ tamen non referuntur ad numerum electorum præ numero reproborum. Postquam autem primum dixit omnium sententiarum eam probabiliorem esse quam Joannes apostolus in Apocalypsi profert : *Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis* (Apoc., XIV, 1) — hic autem numerus, juxta quosdam, indicaret tantum eos, qui post Domini incarnationem salvabuntur — prudentius in fine concludit numerum electorum soli Deo esse notum [2].

τῶν ἀποδεδοκιμασμένων παραθέσει τὸ προωρισμένον τε καὶ σῳζόμενον, εἰ καὶ ἁπλῶς πλεῖστόν ἐστι καὶ πάντα νικῶν ἀριθμόν. »

1. Εἰς τὸν βασιλέα Ἰωάννην τὸν Παλαιολογον ἀπορήσαντα, ex *cod. Paris.*, *963*, fol. 300-313 : « Πολλὴ μὲν ἡ τῆς θαλάττης ψάμμος, ἀλλ' ὀλίγοι οἱ μαργαρῖται · καὶ πολὺς μὲν ὁ σίδηρος ὑπὸ γῆν, ἀλλ' ὁ χρυσὸς ὀλίγος · καὶ πολλὰ μὲν ἡ γῆ φύει, ὀλίγα δὲ τὰ ἡμῖν εὔχρηστα · σπάνια γὰρ ἀεὶ τὰ καλά, τὸ δὲ πλῆθος εὔωνον καὶ εὐκαταφρόνητον. Διὰ τοῦτο, φησίν, ὀλίγοι οἱ σῳζόμενοι. »

2. Λόγος δεύτερος περὶ συντελείας, *Opera*, ed. Bulgaris, t. II, p. 219-220 : « Καὶ ἁπλῶς πολλή τις εστὶν ἡ περὶ τοῦ τῶν ἐκλεκτῶν πρὸς τοὺς ἀνθρώπους διαφωνία, καὶ ὡς ἂν ἐγὼ τίθημι, μόνῳ γνωστός ἐστιν ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν τῷ Θεῷ. »

ARTICULUS V

De status gratiæ seu justificationis experimentali cognitione.

Concilium Tridentinum (sess. VI, c. IX; cf. can. 13-15) contra Protestantes definivit neminem scire posse *certitudine fidei*, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Quidam Byzantini, e contra, falso mysticismo imbuti, docuerunt præsentiam gratiæ divinæ et Spiritus Sancti in anima *necessario cadere sub experientia sensus intimi*, ita ut qui hujus præsentiæ sibi conscii non sint, nec in se sentiant præsentem Spiritum, nec ejus lumen videant, nondum sint revera justificati, nondum gratia Dei donati sint, nondum Christum induerint, quamvis baptismum aquæ acceperint. Huic primo errori alias addebant dicentes corde puros in hac vita Deum ipsum videre et contemplari, quamvis non tam perfecte quam in futura, et tres virtutes theologicas ab invicem ita inseparabiles esse, ut una sine cæteris in anima existere non possit.

Hos errores celeberrimum scriptorem mysticum, qui nomen habet Symeon Novus Theologus (949-1022), revera tenuisse, certis constat documentis; cui assensi sunt alii non pauci, præsertim ex monachis, inter quos venit ipse Symeonis discipulus et ejus vitæ scriptor, scilicet Nicetas ille Stethatus seu Pectoratus, qui cum cardinale Humberto, Leonis papæ IX legato, anno 1054 Constantinopoli disputavit, et de azymis, de processione Spiritus Sancti necnon de quibusdam aliis haud pauca contra Latinos conscripsit. Huic falso mysticismo inter alios potissimum obstitit ac contradixit Stephanus, patriarchæ Sergii II syncellus, qui metropolitanam sedem Nicomediæ primum tenuerat, unde et *Nicomediensis* audit. Ejus opera et zelo, Symeon primum quidem synodali sententia circa annum 1008-1009 damnatus est et in exsilium pulsus; mox vero (anno 1010 vel 1011), patriarcha Sergius, a quibusdam optimatibus, Symeonis amicis ac spiritualibus filiis rogatus, timensque ne ad imperatorem de priori sententia recursus fieret, nova synodo coacta mona-

chum illuminismo deditum et propriis opinionibus mordicus hærentem, qui cæterum propriam apologiam ipsi patriarchæ obtulerat, ab exsilio revocavit et ab omni infamia absolvit. De Symeonis mystica doctrina hæc nova synodus, ut videtur, altum servavit silentium, sed paci studens et *œconomia* utens, propriis libitis illum dereliquit [1].

Hæc autem agendi ratio erroribus supra dictis et quibusdam aliis, quibus Symeon ejusque discipuli addicti erant [2],

1. De Symeonis doctrina circa præsentem quæstionem vide I. Hausherr, *Vie de Syméon le Nouveau Théologien (949-1022) par Nicétas Stethatos*, Romæ, 1928 (*Orientalia christiana*, t. XII), p. LXVII-LXXVI; item *Symeonis homiliam* LI (e serie Allatiana) ab eodem Hausherr editam in *Orient. christ.*, t. IX, p. 172-209. Hujus homiliæ titulus solus thesim propugnatam satis manifestat : « Περὶ τῶν οἰομένων ἀγνώστως ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, μὴ ἐπαισθανομένων δὲ καθόλου τῆς ἐνεργείας αὐτοῦ · καὶ περὶ τῶν λεγόντων μὴ δύνασθαί τινα τῶν ἀνθρώπων κατὰ τὴν παροῦσαν ζωὴν ὁρᾶν τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἀπόδειξις διὰ χρήσεων περὶ τούτου · καὶ ὅτι φθόνος οὐδεὶς ἐν τοῖς ἁγίοις, ὅταν διὰ πάσης σπουδῆς ἐναρέτου τούτοις συνεξισώμεθα · καὶ ποίῳ τρόπῳ ὁρᾷ τις τὸν Θεόν, καὶ ὅτι ὁ εἰς τὰ τοιαῦτα μέτρα πεφθακὼς ὥστε ὁρᾶν κατὰ τὸ ἐφικτὸν τὸν Θεόν, ἔνθεν ἤδη μυεῖται καὶ τὴν μέλλουσαν δοθῆναι ἐν τῷ μέλλοντι τοῖς ἁγίοις ἀπόλαυσιν, καὶ ὅτι ὅσα ἂν ὁ τοιοῦτος ἢ λέγῃ, ἢ ποιῇ, ἢ γράφῃ, οὐκ αὐτὸς ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ λαλοῦν ἐν αὐτῷ, ταῦτα λέγει καὶ γράφει · καὶ ὁ τοὺς λόγους αὐτοῦ ἀθετῶν, ἢ παραλογιζόμενος εἰς τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ τὸ ἐνεργοῦν καὶ λαλοῦν ἐν αὐτῷ ἁμαρτάνει καὶ βλασφημεῖ. » In hac homilia, 2, *loc. cit.*, p. 183, Symeon expresse docet tres virtutes theologicas, fidem scilicet, spem et charitatem, ab invicem inseparabiles esse : « Ὁ μὴ ἔχων ἀγάπην ἐλπίδα οὐ κέκτηται · ὁ δὲ ἐλπίδος ἐκτός, δῆλον ὅτι καὶ πίστεως. » In sermone LVI (in *cod. Reg. Suec. Vatic.*, *25* : cf. Hausherr, *Vie de Syméon*, p. LXXIII-LXXVI), hæc inter alia habet : « Μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθημεν καὶ εἰς ἐκεῖνον πιστεύομεν καὶ Θεὸν αὐτὸν προσκυνοῦμεν, αὐτὸν καὶ ἐνδεδύμεθα καὶ υἱοὶ ἡμέρας καὶ φωτὸς « ἀνεπαισθήτως » ἐσμέν, καὶ οὐχὶ νυκτὸς οὐδὲ σκότους... Οἱ γὰρ τὸ φῶς μὴ ὁρῶντες, εἰ καὶ λάμπεται τρανῶς, ἀλλ' οὖν ἐκεῖνοι ἐν σκότει κάθηνται... Ὥσπερ γινώσκει ἡ γυνὴ σαφῶς ὅτ' ἂν ἔγγυός ἐστιν, ὅτι σκιρτᾶται τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς..., οὕτω καὶ ὁ τὸν Χριστὸν ἔχων μεμορφωμένον ἐν ἑαυτῷ, καὶ τὰς κινήσεις ἤτοι ἐλλάμψεις αὐτοῦ γινώσκει... Εἰ δὲ ταῦτα κατὰ τοὺς οὕτω φρονοῦντας ἀγνώστως ἐν ἡμῖν ἐνεργοῦνται, μηδενὸς τούτων ἐπαισθανομένων ἡμῶν, εὔδηλον ὅτι οὐδὲ τῆς αἰωνίου ζωῆς, τῆς συνεπομένης αὐτοῖς καὶ ἐν ἡμῖν μενούσης, ὅλως αἴσθησιν λήψομεν, οὐδὲ τὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος φῶς θεασόμεθα, ἀλλὰ νεκροὶ καὶ τυφλοὶ καὶ ἀναιπαίσθητοι διαμενοῦμεν ὥσπερ ἄρτι καὶ τότε. »

2. Symeon docebat potestatem remittendi peccata et alios docere Domini vias ad solos pertinere homines mysticos et spirituales, qui in

inter monachos libere spargendis haud parum contulit, præsertim cum Symeon sanctitatis aureola a suis mox auctus fuerit, atque multa de spirituali ac mystica vita carmine et soluta oratione conscripserit ab hujusmodi falsitatibus haud immunia. Unde mirum non est eumdem falsum mysticismum, novis adauctum deliramentis et in systema logice cohærens jam redactum, inter monachos Constantinopolitanos sæculi XII, Joanne Comneno imperante (1118-1143), rursus deprehensum fuisse; cujus præcipuum doctorem tunc invenerunt quemdam Constantinum Chrysomalam. Hunc jam vita functum ejusque de vita spirituali commentaria omnesque ei consentientes perpetuo anathemati subjecit Leo Stypiota, patriarcha Constantinopolitanus, in quadam synodo, anno 1140, mense maio habita [1].

Hac solemni condemnatione errorem e monachorum cœtu non penitus exstirpatum fuisse tum ex palamismi historia, tum ex aliis indiciis colligi potest. Symeonis enim Novi Theologi scripta inter monachos semper magni habita sunt [2].

se experiuntur Spiritus præsentiam ejusque lumen contemplantur, quamvis sacram ordinationem non acceperint. Cf. t. III nostri operis, p. 364-365; Hausherr, *Vie de Syméon*, p. LXXVII-LXXVIII.

1. Synodalem hanc sententiam græce et latine tradit L. Allatius, *De Ecclesiæ orientalis atque occidentalis perpetua consensione*, l. II, c. XI, 1, col. 644-653. Constantinus Chrysomalas a Massalianis et Bogomilis haud pauca mutuabatur, ut ex sententia synodali videre est. Ut Symeon Novus Theologus, necessitatem cognitionis experimentalis præsentiæ Spiritus Sancti ad salutem expresse docebat : « In diversis ille capitibus affirmat nullum commodum christianos percipere, licet omnem virtutem expleverint et ab omni improbitate declinaverint, etiamsi illa propter Deum faciant, *nisi intellectualem sensum divini Spiritus accipiant physice et sine dolore in illis bonum operantis et immobiles omnino ad malum illos constituentis :* εἰ μὴ νοερὰν αἴσθησιν τοῦ θείου Πνεύματος δέξονται, φυσικῶς τε καὶ ἀνωδύνως ἐν αὐτοῖς ἐνεργοῦντος τὸ ἀγαθὸν καὶ ἀκινήτους πάντῃ ποιοῦντος πρὸς τὸ κακόν. » Præter Ecclesiæ sacramenta, Chrysomalas alterius initiationis, quæ præsentiæ Spiritus intellectualem sensum præberet, necessitatem urgebat; quam initiationem vocabat μεταστοιχείωσιν seu transelementationem. *Transelementati* impeccabiles evadebant.

2. De hujusmodi scriptis Gregorius Palamas, sæculo XIV, hæc scribebat : « Συμεῶνος γὰρ τοῦ νέου Θεολόγου τὸν βίον οἶσθα, θαῦμά τε ὄντα σχεδὸν καὶ δι' ὑπερφυῶν θαυμάτων ὑπὸ Θεοῦ δεδοξασμένον, τά τε συγγράμματα αὐτοῦ συγγράμματα ζωῆς εἴπων τις, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τοῦ προσήκοντος. »

Cæterum monachatus byzantini historia doctrinaque ascetica et mystica nonnisi imperfecte hactenus nobis innotuerunt, multaque in hac provincia historicis futuris detegenda remanent [1].

Ὑπὲρ τῶν ἱερῶς ἡσυχαζόντων, *P. G.*, t. CL, col. 1116 C. Paulo infra, col. 1116 D, de eodem Symeone hæc addit : « τόν τε Θεολόγον τοῦτον ὡς ἀληθῶς θεολόγον καὶ τῆς ἀληθείας τῶν τοῦ Θεοῦ μυστηρίων ἐπόπτην ἀσφαλέστατον. » Præcipui tamen theologi hesychastæ Symeonis errores de cognitione experimentali status gratiæ necnon de gratiæ justificationis inamissibilitate docuisse non videntur, sed distinxisse inter gratiam communem omnibus per sacramenta Ecclesiæ collatam et statum mysticum proprie dictum, ad quem soli perfecti et hesychastæ perveniunt. Hanc distinctionem ponere videtur Nicolaus Cabasilas in suo opere : *De vita in Christo*, l. I, *P. G.*, t. CL, col. 496-497 : « Οὐ μὴν ἀλλὰ τὰ μὲν ἔμβρυα (id est infantes vitæ spirituali vix nati illiusque germen in seipsis tantum habentes) ταυτησὶ τῆς ζωῆς οὐκ ἂν εἰς αἴσθησιν ἔλθοι ποτέ, τοῖς δὲ μακαρίοις (μακαρίους autem vocat perfectos et hesychastas, ex quo quis suspicari possit Nicolaum hic alludi ad luminis thaborici contemplationem, quæ sit quasi vitæ æternæ inchoatio nec amitti possit) πολλαὶ τῶν μελλόντων ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐμφάσεις · τὸ δὲ αἴτιον, ὅτι τοῖς μὲν οὐ πάρεστιν οὗτος ὁ βίος, ἀλλ' ἀκριβῶς ἐστι μέλλων... Ἐφ' ἡμῶν δὲ οὐκέτι, ἀλλ' ὁ μέλλων ἐκεῖνος τῷ παρόντι τούτῳ καθάπερ ἐνεχέθη καὶ ἀνεμίγη, καὶ ὁ ἥλιος ἐκεῖνος καὶ ἡμῖν ἀνέτειλε φιλανθρώπως. »

1. Homiliæ spirituales Macario Ægyptio tributæ in doctrinam asceticam et mysticam Byzantinorum magnum influxum habuisse videntur. Hunc autem fontem non omnino purum ac liquidum esse, sed massalianismi contagione infectum fuisse recentes quidam critici demonstrasse videntur. Cf. E. Amann, art. *Macaire d'Égypte*, in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. X, col. 1452-1455.

CAPUT SECUNDUM

DOCTRINA DE GRATIA APUD GRÆCO-RUSSOS A SÆCULO XVI AD NOSTRA TEMPORA

Prænotamina.

Ut in prænotaminibus ad hunc tractatum jam diximus, theologia græco-russica de gratia in periodo moderna quibusdam obnoxia fuit vicissitudinibus ex vario influxu theologiæ Occidentalium, Catholicorum videlicet et Protestantium, exortis. Sub hoc influxu, antiquum doctrinæ depositum a traditione byzantina acceptum clarius proposuit, novis ditavit formulis, contra novatores *negative* saltem sæculo XVII definivit, in unum tractatum logice concatenatum juxta theologorum occidentalium exemplum redegit. Præcipua autem ejus nota in hac materia, præsertim nostris diebus, est *eclectismus*. Prævaluit tamen semper inter Græcos, et etiam inter Russos, si illud integrum fere sæculum excipias, quo Theophanis Procopovitch *Theologia christiana* dominatum obtinuit, theologiæ catholicæ influxus circa veritates fundamentales a concilio Tridentino contra Protestantes definitas. Unde inter Ecclesiam catholicam et Ecclesiam græco-russicam nulla discrepantia gravis, quæ inter dissidentes communis evaserit, neque præterito tempore de hac materia exstitit, neque nostris diebus deprehenditur, quamvis his ultimis annis quidam theologi sententias a veritate catholica alienas contra Ecclesiæ suæ apertam traditionem propugnare inceperint.

Hunc brevem conspectum historicum evolutionis doctrinæ apud Græco-Russos in periodo moderna in quinque articulos dividimus. Loquemur :

1° De doctrina Ecclesiæ græco-russicæ contra errores Protestantium publicis documentis sæculis XVI-XVII manifestata;

2º De doctrina præcipuorum theologorum græcorum a sæculo XVI usque ad sæculi XIX alterum dimidium;

3º De doctrina theologorum russorum a sæculo XVII usque ad annum 1763;

4º De theologia Theophanis Procopovitch ejusque discipulorum;

5º De doctrina theologorum recentiorum quum russorum tum græcorum inde a sæculi XIX altero dimidio.

ARTICULUS PRIMUS

De doctrina Ecclesiæ græco-russicæ contra errores Protestantium publicis documentis sæculis XVI-XVII manifestata.

Sicut circa alia doctrinæ fidei capita a Reformatoribus sæculi XVI negata vel adulterata, ita etiam circa quæstiones ad gratiam et prædestinationem pertinentes Ecclesia græco-russica, jam inde a sæculo XVI finiente et potissimum sæculo XVII, contra novatores proprias positiones definire habuit.

Hoc primum præstitit Jeremias II, patriarcha Constantinopolitanus, in suis tribus responsis ad theologos lutheranos Germaniæ; quæ quamvis sub aspectu canonico pro publico totius Ecclesiæ græcæ documento haberi non possint — nomine enim solius Jeremiæ, et quidem secreto, scripta et missa sunt — magni tamen habentur a plerisque theologis græcis et inter libros symbolicos secundi ordinis a quibusdam recensentur [1]. Fatendum est sane ea incomposita esse, obscuritate in locis non paucis laborare, immo ab omni errore haud immunia esse, si verba in rigore sumantur. Nihil enim aliud

1. Dositheus ipse Jeremiæ responsa laudat in actis synodi Hierosolymitanæ tanquam rectam Ecclesiæ orientalis doctrinam referentia : « Ὁ δὲ ἀοίδιμος ἐκεῖνος τρεῖς πρὸς ἐκείνους καὶ κατ' ἐκείνων συνεγράψατο λόγους εἴτουν πραγματικὰς ἀποκρίσεις πᾶσαν μὲν θεολογικῶς καὶ ὀρθοδόξως ἐλέγχων αὐτῶν αἵρεσιν, πᾶσαν δὲ γνώμην ὀρθόδοξον ἄνωθεν ἐπικρατήσασαν τῇ ἀνατολικῇ Ἐκκλησίᾳ διδάσκων αὐτούς. » Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 335.

sunt nisi quædam farrago ex variorum auctorum scriptis concinnata, ubi antiquorum Patrum græcorum testimonia una cum theologorum byzantinorum recentiorum excerptis, tacito, ut plerumque, eorum nomine, passim referuntur ac promiscue usurpantur. Hoc tamen non impedit quominus præcipui Reformatorum errores ibi reprobentur ac repellantur. Ad doctrinam autem de gratia quod attinet, Jeremias diserte prædicat :

1º Perseverantiam liberi arbitrii in homine lapso ; quo fit ut cum gratia divina ad suam salutem *active* cooperari possit [1].

2º Bonorum operum necessitatem tum ad justificationem, tum ad salutem, atque fidem sine operibus mortuam esse [2];

3º Facienti quod in se est Deum non denegare gratiam [3].

In sua *Confessione fidei* (an. 1629), Cyrillus Lucaris, ut notum est, præcipuos Calvinistarum errores paucis contraxerat. In capite III prædestinatianismum absolutum edocebat [4];

1. De cooperatione gratiæ et liberi arbitrii Jeremias multa Patrum græcorum testimonia laudat, ex quibus haud pauca gratiæ prævenientis necessitatem excludere videntur et semipelagianismum redolent; quæ tamen bono sensu accipienda sunt, ut supra diximus. Cæterum in quibusdam locis absoluta gratiæ necessitas ad omne opus salutare sufficienter innuitur : Cf., v. g., *I Resp.*, c. XVIII, ed cit. Gedeonis Cyprii, t. I, p. 87-88 : « Ante omnia divinæ gratiæ auxilio indigemus juxta Domini verba : *Sine me, nihil potestis facere :* προηγουμένως τῆς θείας δεόμεθα βοηθείας καὶ χάριτος. » Et paulo infra : « Ἂν μὴ τῆς ἄνωθεν τύχῃς ῥοπῆς, πάντα εἰκῇ », p. 88-89.

2. Cf. *I Resp.*, c. IV, *loc. cit.*, p. 18 : « Ἡ δὲ καθολικὴ Ἐκκλησία τὴν πίστιν ζῶσαν ἀπαιτεῖ τὴν διὰ τῶν ἀγαθῶν ἔργων μαρτυρουμένην. » *Ibid.*, c. XX-XXI, p. 104, 114-115, 125-126; *II Resp.*, c. III, p. 168-186 : « Ἡ χάρις δέεται ἔργων, ἔργα χάριτος... Πίστις ἄεργος καὶ ἔργον ἄπιστον ἀπόβλητα ἐπίσης παρὰ Θεῷ. » P. 171, 172.

3. Cf. *I Resp.*, c. VI, *loc. cit.*, p. 32 : « Εἰσφέρωμεν οὖν τὰ παρ' ἑαυτῶν μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ σοφίας, πάντα δὲ ἕψεται τὰ παρ' ἐκείνου, ὡς ἄφατον ἔχοντος τὸ ἔλεος. »

4. « Credimus Deum summe bonum ante mundi constitutionem suos electos ad gloriam prædestinasse sine ullo respectu ad eorum opera, nullamque causam impulsivam ad istam electionem aliam esse nisi beneplacitum et divinam misericordiam; similiter, ante hujus sæculi constitutionem, reprobasse quos reprobavit; cujus reprobationis cau-

in capitibus vero IX, XIII et XIV, totum de justificatione conceptum Reformatorum expresse proferebat [1]. Hos errores primum damnavit synodus Constantinopolitana anni 1638, sub Cyrillo Berrhoensi, utpote adversantes tum Dei bonitati ejusque voluntati salvandi omnes Adami posteros, tum apertis sacræ Scripturæ testimoniis de bonorum operum necessitate et merito [2].

Eosdem rursus profligavit Parthenius I, patriarcha Constantinopolis, in *Epistola synodica ad synodum Iasiensem*, anno 1642 datam, cui subscripsit Petrus Moghila, metropolita Kioviensis [3]. In ipsa autem Petri Moghilæ *Confessione*

sam, si quis ad absolutam attenderit Dei auctoritatem et dominationem, nullam certe inveniet præter divinam voluntatem; si quis autem recti ordinis leges ac regulas respexerit, quibus cælestis providentia in regendo universo utitur, justitiam intelliget esse reprobationis causam; siquidem misericors est Deus; at etiam justus. » Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 26.

1. C. IX : « Credimus sine fide neminem posse salvari. Fidem autem eam vocamus, quæ in Christo Jesu justificat », etc. *Ibid.*, p. 29. — C. XIII : « Credimus hominem justificari per fidem, non ex operibus... Opera non esse negligenda, esseque media necessaria et fidei nostræ testimonia, vocationis nostræ confirmationem, veritas ipsa nos docet. Ipsa vero per se esse sufficientia ad conferendam confidentiam coram tribunali Christi et ita digna, ut jus dent ad postulandam retributionem salventque possidentem, hoc esse falsum humana testatur fragilitas. Christi vero justitia, pænitentibus applicata et appropriata, sola justificat atque salvat fidelem : « Ἡ δὲ τοῦ Χριστοῦ δικαιοσύνη τοῖς μετανοοῦσι προσαχθεῖσα καὶ προσοικειωθεῖσα μόνη δικαιοῖ καὶ σώζει τὸν πιστόν. » P. 32-33. — C. XIV : « Credimus liberum arbitrium in non renatis esse mortuum, quia nihil boni facere possunt, et quidquid faciunt esse peccatum; in renatis vero... absque gratia nihil ex se posse vel operari : ὥστε μηδὲν ἐξ ἑαυτοῦ ἢ δύνασθαι, ἢ ἐργάζεσθαι. » P. 33.

2. « Κυρίλλῳ δογματίζοντι καὶ πιστεύοντι τοὺς μὲν τὸν ἀγαθὸν Θεὸν πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐκλέξαι εἰς δόξαν καὶ προορίσαι ἔργων χωρίς, τοὺς δὲ πρὸ τοῦ τὸν αἰῶνα γενέσθαι ἀποβεβληκέναι αἰτίας χωρίς, καὶ μηδαμῶς τὰ ἔργα ἀρκετὰ εἶναι ἀντιμισθίαν αἰτῆσαι ἐν τῷ τοῦ Χριστοῦ βήματι... ἀνάθεμα. » Inter *Acta synodi Hierosolymitanæ*, Kimmel, *op. cit.*, t. I, p. 401-402. Huic synodo subscripserunt tres patriarchæ orientales, 21 episcopi et 23 alii.

3. *Ibid.*, p. 408-417. Ad tertium caput Parthenius hæc habet : « Τὸν Θεὸν ὑποτίθησιν ἀδικώτατον, τυραννικῇ χρώμενον ἐξουσίᾳ, μόνῃ λέγων τῇ θελήσει αὐτοῦ τοὺς μὲν εἰς δόξαν προορίσας, τοὺς δὲ ἀποβάλλειν εἰς κόλασιν, μηδαμῶς τὰ ἔργα αὐτῶν σκοπούμενον · οὔ τί ἂν γένοιτο ἀσεβέστερον. »

orthodoxa, prout a quatuor patriarchis orientalibus, in versione græca Meletii Syrigi, anno 1643 approbata est, doctrina de gratia placitis Reformatorum opposita expresse traditur, sed breviter et absque ulla explicatione vel directa confutatione, ut in instructione catechetica fieri solet [1].

Ad condemnanda et ordine confutanda calvinica dogmata in *Confessione Cyrilli Lucaris* contenta, anno 1672, a patriarcha Dositheo congregata est synodus Hierosolymitana, quæ *Confessionem fidei* edidit per singula capita Confessioni Cyrillianæ respondentem. Notandum est potissimum tertium caput de prædestinatione et reprobatione, cujus doctrina conceptui Byzantinorum plene consonat et a theologis græcorussis modernis ut fidei orthodoxæ expressio communiter retinetur. Unde illud in integrum fere ob oculos lectoris ponendum censemus :

« Credimus, ait Dositheus, Deum optimum ab æterno, quos elegit, prædestinasse ad gloriam; quos vero reprobavit in damnationem labi permisisse (εἰς κατάκρισιν παραχωρῆσαι), non quod illos sic voluit justificare, hos autem sine causa derelinquere atque damnare; hoc enim a Deo, communi omnium patre, personarum acceptionem nesciente, et omnes homines salvare volente atque ad agnitionem veritatis venire, prorsus alienum est; *sed prædestinasse vel reprobasse quatenus illos*

1. Cf., I pars, q. I et II, de necessitate fidei et bonorum operum. In part. III, q. III, bona opera identificantur cum virtutibus christianis, quæ ex fide nascuntur tanquam fructus ex bona arbore. Ipsæ virtutes et dona Spiritus Sancti a Deo in anima infunduntur per gratiam justificationis et sacramenta : I pars, q. LXXIII-LXXX; II pars, q. I : « Ἡ ἐλπίδα εἶναι ἕνα θάρρος ἀληθινὸν πρὸς τὸν Θεόν, διδόμενον εἰς τὴν καρδίαν τοῦ ἀνθρώπου ἀπὸ Θεοῦ ἔμπνευσιν καὶ φωτισμόν. » De cooperatione gratiæ divinæ et liberi arbitrii, cf. part. III, q. III. Nulla quidem datur gratiæ sanctificantis definitio; ex multis tamen locis colligere licet illam esse quid *creatum* animæ infusum (I pars, q. XCVIII : « διὰ μέσου τῶν μυστηρίων τούτων χύνει τὰς δωρεάς του τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον εἰς τὰς ψυχὰς ἐκείνων, ὅπου τὰ μετέχουσι καθὼς πρέπει, καὶ τὴν χάριν του), peccata vere expellens et hominem intime renovans (I pars, q. CIII), quod augeri possit et per peccatum amitti (I pars, q. LXII, CV; III pars, q. XXI). Existentia meriti proprie dicti expresse docetur in I p., q. LX : « Πῶς εἰς τὴν ἡμέραν ἐκείνην καθ' ἕνας κατὰ τὰ ἔργα του θέλει λάβει τελείαν καὶ αἰωνίαν πληρωμήν. »

quidem præscivit arbitrio suo bene usuros, hos vero male [1].

« Hunc porro liberi arbitrii usum ita intelligimus, ut divina quidem illumina trix gratia, quam et præcedentem seu prævenientem appellamus (ἣν καὶ προκαταρκτικὴν προσαγορεύομεν), seu lumen a divina bonitate omnibus impendatur qui in tenebris sunt; iis autem qui huic gratiæ obtemperare voluerint — neque enim non volentibus utilis est, sed solum volentibus — atque ad ea, quæ tanquam saluti pernecessaria ipsa præcipit, cooperari, *consequenter donetur pecularis gratia, quæ cooperando nobis viresque præbendo nosque stabiles efficiendo in Dei dilectione, seu, quod idem est, in adimplendis iis bonis operibus, quæ Deus vult nos operari et gratia præveniens monuit, justificet nos et prædestinatos faciat* [2]; iis vero qui gratiæ consentire et cooperari noluerint ac proinde quæ a nobis Deus exigit, prætermiserint, et juxta Satanæ exemplum ea libertate, quam a Deo ad bonum operandum acceperunt, abusi fuerint : illis sane accidat permissio (seu derelictio) in

1. Vides Dositheum rejicere non solum reprobationem ante prævisa peccata, sed etiam prædestinationem electorum ante prævisam illorum cooperationem liberam ad gratiam.

2. « Δωρεῖσθαι ἑπομένως καὶ ἰδικὴν χάριν, ἥτις συνεργοῦσα καὶ ἐνδυναμοῦσα καὶ ἐμμόνους πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ ἀγάπην, ταὐτὸν εἰπεῖν, πρὸς ἃ Θεὸς θέλει ἡμᾶς ἐργάζεσθαι, ἃ καὶ ἡ προκαταρκτικὴ χάρις προσενετείλατο, δικαιοῖ καὶ προωρισμένους ποιεῖ. » Hæc verba satis obscura sunt. Dositheus hic non novit nisi duplicem gratiam, prævenientem scilicet, et illam *peculiarem gratiam*, quæ nos justificat ac prædestinat. Exinde sequeretur nullum reprobum unquam recipere gratiam justificationis, quæ solis electis daretur et amitti non posset. Ut liquet, Dositheus hic confundit gratiam justificationis cum dono perseverantiæ finalis. Hanc gratiæ divisionem a Georgio Coressio, cujus opus *De prædestinatione et gratia* in fine Confessionis laudat (cf. Kimmel, t. I, p. 482), mutuatum fuisse videtur. Porro Coressius, ut mox dicemus, multa pro libitu excogitavit, quæ theologia byzantina et græca nunquam novit. Secundum conceptum Byzantinorum et etiam Græco-Russorum modernorum, nulla datur specifica differentia inter gratiam prævenientem et gratiam confortantem seu cooperantem, quæ tribuitur illis qui gratiæ προκαταρκτικῇ consensum præbent, sed utriusque ratio ad libertatem creatam eadem omnino est. Præterea, illi qui æternam damnationem in fine subituri sunt, haud semel in vita et gratiam cooperantem et gratiam justificationis accipere possunt. Ergo, ut verba Dosithei orthodoxe sonent, gratia specialis, de qua loquitur, de perseverantiæ finalis dono intelligenda est.

damnationem æternam (γίνεσθαι παραχώρησιν εἰς ἀΐδιον κατάκρισιν).

« Quod vero scelestissimi aiunt hæretici, ut in eodem capite habetur, Deum nullo prorsus respectu ad prædestinatorum reproborumve opera illos prædestinare, hos damnare, abominandum ducimus et sacrilegum [1]. Secus enim ita secum pugnaret Scriptura, utpote quæ fideli salutem ex operibus statuit Deumque *solum* operantem supponit quod ad gratiam illuminatricem attinet, quam nullis præcedentibus meritis confert...

« Sed et divinam voluntatem ita simpliciter et gratis ponere reprobationis causam, quantam non infert contra Deum calumniam..., *cum ipsum sciamus malorum intentatorem esse et omnium salutem ex æquo velle, apud quem nulla sit personarum acceptio* [2]. His enim qui sola prava sua voluntate et secundum impænitens cor vasa in contumeliam evasere, Deum juste permittere ut damnationem incurrant, confitemur [3]. »

In capitibus IX, XIII et XIV hæresi Protestantium de justificatione per solam fidem *fiducialem* et imputationem extrinsecam meritorum Christi opponitur recta de justificatione doctrina :

« Credimus, inquit, non per solam fidem simpliciter hominem justificari, sed per fidem quæ per caritatem operatur, id est per fidem et opera. Quod autem fides, manus vices adimplens, apprehendat justitiam quæ in Christo est, illamque nobis applicet ad salutem, hoc ab omni pietate remotissimum esse novimus. Sic enim intellecta, fides omnibus conveniret et qui non salvaretur nemo esset; quod est apertum mendacium... Opera autem nequaquam habemus ut testes nostram vocationem confirmantes, sed fructus veri nominis per quos fides suam accipit efficaciam, eaque ex divinis pro-

1. Vides iterum Dositheum eodem loco habere tum prædestinationem, tum reprobationem.

2. « Ἀπείραστον μὲν γὰρ κακῶν τὸ θεῖον καὶ πάντων ἐξ ἴσου ἐθέλοντα σωτηρίαν, ὡς μὴ ἐχούσης χώραν προσωποληψίας παρ' αὐτῷ οἴδαμεν. » Sicut alii Græci, Dositheus a Deo excludit omnem prædilectionem erga electos, quæ prævisionem cooperationis eorum ad gratiam antecedat; secus enim in Deo personarum acceptio locum haberet.

3. Kimmel, t. I, p. 427-430.

missis talia esse dicimus, pro quibus fidelium unusquisque dignus existat recipere quæ per corpus operatus est, bonum nempe, vel malum [1].

« Potest homo nondum regeneratus ad *bonum morale* naturaliter propendere, illudque eligere et operari. Regeneratus vero, ut *bonum spirituale* (τὸ πνευματικὸν καλὸν) operetur — nam et *spiritualia* merito vocantur fidelium opera, quæ *pro parte causa salutis existunt* (σωτηρίας ὄντα παραίτια) et ex supernaturali gratia fiunt [2] — præire ac prævenire gratiam necesse est, eo modo, quo de prædestinatione agentes diximus; ita ut ex seipso nemo possit perficere opus dignum vitæ quæ secundum Christum est, *quanquam ex seipso habet velle aut nolle gratiæ assentiri* [3]. »

Eodem anno quo Dositheus in synodo Hierosolymitana, Dionysius IV, patriarcha œcumenicus, et Paisius Alexandri-

1. C. XIII, Kimmel, *loc. cit.*, p. 445-446 : « Ἐννοοῦμεν δὲ τὰ ἔργα οὐ μάρτυρας τὴν ἡμετέραν κλῆσιν ἐπιβεβαιοῦντας, ἀλλὰ καρπούς καθ' ἑαυτοὺς ὄντας, δι' ὧν ἡ πίστις λαμβάνει τὸ ἔμπρακτον, καὶ καθ' ἑαυτὰ ἄξια διὰ τὰς θείας ἐπαγγελίας τοῦ κομίσασθαι ἕκαστον τῶν πιστῶν τὰ διὰ τοῦ σώματος αὐτῷ πεπραγμένα, εἴτ' ἀγαθόν, εἴτε κακὸν δηλονότι. » Vides disertam assertionem *veri meriti*, prout a concilio Tridentino definitum fuit. De fide et operibus cf. etiam c. IX, p. 435-436.

2. Meriti nova declaratio. Nota vim dictionis : σωτηρίας παραίτια. Opera nostra supernaturalia non sunt *causa principalis* salutis nostræ, αἰτία, sed *causa secundaria, causa partialis*, παραίτια.

3. Ex c. XIV, Kimmel, p. 447-448 : « ἐξ ἑαυτοῦ μέντοι ἔχειν τὸ θελῆσαι, ἢ μὴ θελῆσαι τῇ χάριτι συγκατατεθῆναι. » Vides Dositheum præmotionem physicam vel gratiam *per se efficacem* quorumdam Thomistarum prorsus ignorare, sed hic notare illam cooperationem minimam, quam Deus ab homine postulat, scilicet ut gratiam oblatam libero consensu acceptet. Cæterum luculente apparet doctrinam Dosithei de gratia in non paucis deficere. Ignorare enim videtur hominem nondum regeneratum, sed gratia Dei excitatum et adjutum, opera *salutaria, quamvis nondum vitæ æternæ meritoria*, facere posse. Item, apud eum in vanum quæres distinctionem inter gratiam proprie justificantem seu *habitualem*, et gratiam *actualem*. Notum est quosdam theologos catholicos negare necessitatem gratiæ prævenientis ad quodlibet opus supernaturale *hominis regenerati et justificati*, quia in illo vident gratiam habitualem et virtutes supernaturales infusas, quæ per se sufficiant cum concursu divino naturali ad elicienda opera vere supernaturalia. Hanc visionem habere non videtur Dositheus; unde necessario ponere debet aliquam motionem supernaturalem, ut opus sit vere supernaturale seu spirituale.

nus cum aliis episcopis quadraginta tribus in synodo Constantinopolitana præcipuos Reformatorum errores denuntiarunt ac damnarunt. Ad gratiam quod attinet, hæc synodus diserte affirmat peccatum originale aliaque peccata per gratiam regenerationis perfecte deleri (τελείως ἐξαλείφεται), gratiam justificationis semel habitam per infidelitatem vel peccatum mortale amitti posse, et neminem scire utrum usque in finem in justitia perseveraturus sit [1].

Ex his omnibus publicis documentis sæculo XVII editis, clare constat Ecclesiam græcam Protestantium errores sufficienter propulisse; *positivum* vero doctrinæ progressum in his vix detegere licet; immo vero quædam obscuriora apud Dositheum notavimus, quæ apud theologos byzantinos non occurrunt.

ARTICULUS II

De doctrina theologorum græcorum a sæculo XVI usque ad sæculi XIX alterum dimidium.

Præter documenta publicæ auctoritatis, de quibus in præcedenti articulo locuti sumus, quædam notanda veniunt de doctrina eorum theologorum græcorum qui de quæstionibus ad gratiam pertinentibus ex professo egerunt. Porro plerique eorum, utpote qui sacris disciplinis in universitatibus occidentalibus, præsertim italicis, studuerant, nostrorum scholasticorum theses, divisiones, definitiones libenter acceperunt atque sibi appropriarunt per totam periodum in articuli hujus titulo indicatam. Ad prædestinationem autem quod attinet, necnon ad modum concipiendi cooperationem gratiæ divinæ et liberi arbitrii, conceptum specifice græcum et byzantinum communiter retinuerunt, si unum vel alterum excipias, illumque præ variis scholasticorum systematibus enucleatius explicarunt.

Separatim agemus : 1° De theologis qui sæculis XVI-XVII vixerunt;

2° De theologis sæculi XVIII et sæculi XIX ineuntis.

1. Kimmel, *op. cit.*, t. II, p. 219, 220, 221.

I. — De theologis qui sæculis XVI-XVII fuerunt.

Inter theologos græcos sæculi XVI unum tantum invenimus qui de proposita materia, post Jeremiam II Constantinopolitanum, aliquid mentione dignum scripserit, scilicet Meletium Pigam, patriarcham Alexandrinum. Hic in suo opere haud semel a nobis jam laudato, cujus titulus est : Ὀρθόδοξος διδασκαλία, de fide et operibus necnon de prædestinatione et reprobatione satis fuse disserit.

De fide et operibus doctrinam catholicam tenet dicens utrumque, credere scilicet et operari bonum ex caritate Dei et proximi, omnino necessarium esse ad salutem nec unum ab altero separari debere; item utrumque esse Dei donum, ita ut homo nihil ex se habeat de quo gloriari possit [1]. Hoc enim inter theologos græcos peculiare habet Meletius, quod doctrinæ Augustini stricte adhæret, ut jam notavimus, ubi de peccato originali ejusque sequelis egimus.

Purum item Augustini discipulum se prodit in quæstione de prædestinatione et reprobatione, de qua longum dialogum habet; unde a communi Græcorum et Byzantinorum conceptu omnino recedit, de eis eorumque scriptis altum servans silentium, immo eos indirecte carpens ubi dicit :

« Quicumque rationem præscientiæ et prædestinationis hoc modo non conceperunt, a vero maxime aberrarunt [2]. »

Juxta ipsum, homo per peccatum originale libertatem amisit bonum faciendi, non retinens liberum arbitrium nisi ad peccandum. Ut homo lapsus bonum revera operetur, gratia Dei indiget, quæ in eo ipsam boni voluntatem efficacem producat. Porro hæc boni voluntas a Deo indita vere libera est; Deus vero eam in omnibus non operatur, sed in iis solum, quos omnino gratuito elegit, absque ullo sane respectu ad eorum cooperationem, cum hæc libera electorum cooperatio ad suam salutem, quæ in tempore revera existit,

1. Ὀρθόδοξος διδασκαλία, ed. cit., p. 1-17 : « Οὐδαμῶς ἂν τὰ ἔργα λάβῃς χωρὶς πίστεως, ἢ τὴν πίστιν ἔργων χωρίς · οὕτω γὰρ νεκρὸν θάτερον, οὐ τὸ ἥμισυ τῆς σωτηρίας προξενίζον... Οὐκ ἀναγκαία δοκεῖ ἡ διαίρεσις, μάλιστα τίκτουσα φιλονεικίας. » P. 6, 9.

2. « Ὅσοι δὲ μὴ τοῦτον τὸν τρόπον τὰ τῆς προγνώσεως καὶ προορισμοῦ τεθεωρήκασιν, ἐπλανήθησαν τὰ πολλά. » P. 49.

ipsa sit Dei donum gratuitum. Qui autem hanc boni voluntatem a Deo non accipiunt, damnantur ob pravam suam voluntatem, qua libere malum amplectuntur et Dei donum sibi ipsis oblatum rejiciunt [1]. Unde, dum in genuino conceptu Græcorum, decreti prædestinationis et decreti reprobationis *eadem omnino est prima ratio*, scilicet prævisio liberæ cooperationis singulorum ad Dei donum omnibus indifferenter oblatum, in Meletii conceptu hujusmodi ratio non valet nisi pro reprobis. Ad electos quod attinet, præscientia divina non est mera præcognitio, sed in se includit hoc speciale Dei beneplacitum, quo Deus *antecedenter* et omnino gratuito decrevit in eis operari hanc boni liberam et efficacem voluntatem, qua infallibiliter in tempore gratiam Dei recipient et ad salutem tandem pervenient.

Inde sequitur Deum quidem velle salutem omnium hominum, sed hanc voluntatem revera cadere in homines prout in Adamo, *ante ejus lapsum*, contenti erant; post lapsum vero, Deum juste potuisse damnare omnes homines ob solum originale peccatum, et *adhuc justius* ob eorum peccata actualia, quæ *infallibiliter*, quamvis *semper libere* — agitur de adultis — perpetraturi sunt, cum efficaciter velle bonum ex se amplius non possint, nisi Deus in eis operetur hanc boni liberam et efficacem voluntatem; quam revera non operatur nisi in iis quos pro beneplacito suo elegit ante mundi constitutionem [2].

1. Quare autem Dei donum, id est gratiam salutis, reprobi rejiciant, nec M. Pigas, nec S. Augustinus aliter explicant quam ex eorum prava, quamvis libera, voluntate, quam ex Adami lapsu *infallibiliter* habent; nec efficaciter velle possunt bonum absque illa gratuita boni voluntate, quam Deus pro beneplacito suo in solis electis suis de facto producit. Habes inde inextricabilem difficultatem in conceptu augustiniano necnon in omnibus systematibus ex eo plus minusve directe provenientibus latentem; cujus necessarius exitus est *reprobatio negativa antecedens* quorumdam hominum post Adami lapsum. Hanc autem reprobationem aliter quam solis verbis et formulis obscurissimis cum *vera* voluntate salvifica universali Dei conciliari posse non perspicimus.

2. Paucis contrahimus ea omnia, quæ in suo longo dialogo Meletius tradit, *op.* et *ed. cit.*, p. 18-66. Hæc revera congruere cum ipsius sancti Augustini doctrina, ad quem solum, præter Scripturæ verba, Meletius provocat, ex recentibus expositionibus mentis sancti doctoris colligimus. Præcipuos Meletii locos invenies in paginis 18-21, 32, 47-48, 53-54,

Meletii Pigæ, cui in sede Alexandrina successit, opus certe novit Metrophanes Critopulus; doctrinæ autem de prædestinatione in eo expositæ nullatenus suffragatus est, sed in capite IV suæ *Confessionis fidei*, genuinam Græcorum expli-

58-59 et præsertim p. 66, ubi per modum conclusionis hæc ponuntur : « Omnes sane salvari Deus vult, et non tantum omnes qui salvantur, sed *omnes absolute* docet. Qui salvantur vero, gratia salvari et hoc didicimus : *Gratia enim*, inquit, *salvati estis per fidem, et hoc non ex nobis : Dei donum est;* siquidem *omnes ut peccatores in præscientia Dei præcogniti sumus*, quandoquidem peccavimus, si non aliter, saltem quatenus in peccato originali coagmentati sumus. *Indigemus ergo gratia Dei, quæ in iis, quibus datur, nihil aliud est nisi gratia; quibus vero non datur, juste non datur, quandoquidem Deus illam non debet; si quid autem debet, punitionem debet, non beneficium vel donum, vel gratiam :* « Πάντως πάντας θέλει σωθῆναι, οὐ πάντας μόνον τοὺς σῳζομένους, ἀλλὰ πάντας ἁπλῶς διδάσκει · σῴζεσθαί τε χάριτι τοὺς σῳζομένους, καὶ τοῦτο μανθάνομεν... πάντες γὰρ καὶ προεγνωσμένως ἁμαρτωλοὶ ἐν τῇ προγνώσει τοῦ Θεοῦ, καίπερ ἡμάρτομεν, εἰ καὶ μὴ ἄλλως, ἐν τῇ προπατορικῇ ἁμαρτίᾳ συμπεφυρμένοι. Ὑστερούμεθα οὖν τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, ἥτις οἵστισι δίδοται, οὐδέν ἐστιν ἄλλο παρὰ χάρις · οἷς δὲ οὐ δίδοται, δικαίως οὐ δίδοται, ἐπεὶ οὐκ ὀφείλει Θεός · εἰ δὲ καὶ ὀφείλει, κόλασιν ὀφείλει, οὐκ εὐεργεσίαν καὶ δωρεάν, καὶ χάριν. » Cf. p. 54, ubi hæc formula occurrit : « Ἐκείνους οὖν σῴζει ὁ Θεός, οὓς ἐθέλει αὐτός · ἐκείνους δὲ οὐ σῴζει, οἳ πάντως οὐκ ἐθέλουσιν αὐτοί. » Alias formulas haud paucas habet, quæ contradictionem implicare videntur. Ex una enim parte dicit hominem lapsum non habere amplius *libertatem arbitrii* (in sensu augustiniano), in malum ferri, peccati servum esse, impotentia laborare bonum volendi et agendi, vel verum cognoscendi (p. 62-63); ex alia vero asserit homines ad utrumque posse inclinare, nempe ad virtutem, vel ad vitium; posse gratiæ consentire, aut ei non obtemperare; attamen, si consenserint, hoc ex gratia esse; si vero non obtemperaverint, hoc a seipsis : ἑπόμενα μέντοι τῇ χάριτι, ἐκ τῆς χάριτος · ἀπειθοῦντα δὲ, ἐξ ἑαυτῶν (p. 59). Haud uno in loco Meletius suggerit voluntatem Dei salvificam universalem non simpliciter cadere in homines post lapsum, sed in homines prouti erant in Adamo nondum peccatore, ita ut post lapsum, Deus absque ulla injustitia potuerit omnes indiscriminatim reprobare, et de facto possit quosdam præ aliis eligere, et *de facto* quosdam *absolute* ab æterno eligat, independenter a prævisa eorum cooperatione ad gratiam; quæ cooperatio revera est *effectus* illius absolutæ et antecedentis electionis omnino gratuitæ, nedum fuerit, *vel etiam potuerit esse*, non quidem causa meritoria, sed *negativa dispositio* a Deo libere de facto requisita, ut quis eligeretur ac prædestinaretur. Cf. p. 39-43, 48-49 et 66. Revera Meletius Pigas ita Augustini sententias et formulas sibi appropriat ac repetit, ut in assequenda ejus mente eadem fere sit difficultas ac in interpretanda ipsius Augustini de prædestinatione doctrina.

cationem retulit, quam novo aliquo modo proposuit. Novitas in eo est, quod Metrophanes axioma inter Latinos vulgatum : *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, suum facit sicque interpretatur : *Facienti quod in se est* VIRIBUS NATURÆ seu, ut dicit, NATURALI RATIONIS LUMINE BENE UTENDO, *Deus non denegat gratiam supernaturalem.* Recte autem notat hunc luminis naturalis rectum usum non esse *causam meritoriam* gratiæ nec proprie impellere Deum ad gratiam largiendam; sed esse quamdam negativam dispositionem, ad quam Deus in gratia distribuenda pro sua bonitate simul et sapientia de facto respicit; quod duobus illustrat exemplis [1]. Præelectionem autem antecedentem quorumdam, nulla ratione habita futuræ eorum agendi rationis, expresse rejicit tanquam voluntati salvificæ Dei repugnantem et secum logice trahentem aliorum antecedentem reprobationem [2]. Decretorum autem divinorum seriem de prædestinatione ita ordinat *a termino ad quem* incipiendo : 1° Deus sua gratia glorificavit, quos sanguine Filii justificavit; 2° justificavit autem eos, quos per Spiritum Sanctum suum vocavit; 3° vocavit autem eos quos ad hoc justo judicio suo prædestinavit; 4° prædestinavit vero quos gratia sua *dignos* futuros esse præcognovit; 5° ut dignos autem — sed

1. *Confessio fidei*, c. IV : Kimmel, t. II, p. 79-87. Locus præcipuus hic est, p. 85 : « Πᾶσιν οὖν τοῖς τῷ φυσικῷ φωτὶ εὖ κατὰ λόγον χρωμένοις, τούτοις ὁ παναγαθὸς Θεὸς ἐπιλάμπει καὶ τὸ πνευματικὸν φῶς... Οὓς καὶ πρὶν τοῦτο ποιῆσαι προγινώσκει τοῦτο ποιήσοντας, καὶ εἰς ἀγαθὸν τέλος τούτους προορίζει καὶ πρὸς ἑαυτὸν καλεῖ διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ δικαιοῖ τῷ τοῦ Μονογενοῦς αἵματι καὶ δοξάζει τῇ αὐτοῦ χάριτι. Οὐ δυνάμεθα δὲ εἰπεῖν τούτων τῶν ἀγαθῶν αἴτιον τὴν μετὰ λόγου χρῆσιν τοῦ φυσικοῦ φωτός · οὐ γὰρ παρὰ τοῦτο τοῖς σὺν λόγῳ τῷ ἐμφύτῳ νόμῳ χρωμένοις ὀφείλει ὁ Θεὸς τὰ προειρημένα ἀγαθὰ δοῦναι, ἀλλὰ φρόνιμος ὤν, οὐ βούλεται τοῖς ἑκουσίως καταχρωμένοις τῷ φυσικῷ φωτὶ τὸ πνευματικὸν φῶς ἐμπιστεῦσαι. » Exempla autem allata, p. 86-87, ad hoc reducuntur : Inter duos mendicos, quorum unus humiliter tendit manum, alter arrogans et superbus est, dives sapiens primo præ altero largitur eleemosynam. Hujus autem eleemosynæ sola causa est bonitas dantis; quod si uni præ altero det, hujus prima et principalis causa est prudentia dantis, secundaria autem et minima, accipientis miserabilis conditio.

2. P. 80 : « Ἀλλὰ φεῦ τῶν κακῶν. Οἴχεται γὰρ ἡ τοῦ Θεοῦ ἀγαθότης καὶ δικαιοσύνη, ἡνίκα πάντων ἐπίσης πλάστης ὤν, τοῖς μὲν ἀγαθὰ προνοεῖται, τοῖς δὲ τἀναντία. »

mere *negative* et *dispositive* — pro sua bonitate et sapientia habere *dignatus est*, quos sua præscientia prævidit bene usuros naturali rationis lumine (seu lege naturali cordi inscripta) per originale peccatum nullatenus exstincto [1]. Contra Meletium Pigam in hoc potissimum insistit, quod homo lapsus nequaquam amiserit facultatem actus moraliter seu naturaliter bonos et honestos libere ponendi naturale rationis lumen sequendo [2].

Inter Cyrilli Lucaris et Calvinistarum præcipuos adversarios qui sæculo XVII fuerunt nominandus est Meletius Syrigus, qui contra Cyrilli capita magnum conscripsit volumen, ea per singula confutans multis sacræ Scripturæ et Patrum testimoniis. Totus enim positivus est. Ejus theses habes in *Confessione* Dosithei, qui ab eo haud pauca mutuatus est. In specie diserte tuetur prædestinationem electorum post prævisam eorum cooperationem et propter merita gratia acquisita, justificationem ex fide viva, bonorum operum necessitatem et verum meritum [3].

Meletii Syrigi coævus et in confutandis Reformatorum erroribus æmulus, Georgius Coressius, Chiensis medicus, de variis theologiæ dogmaticæ quæstionibus multa conscripsit, quæ in codicibus adhuc latent. Hic nostrorum scholasticorum opera pervolutarat, systemata noverat; quos tamen haud raro perperam intellexisse videtur. Est enim theologus singularis et audacis ingenii, eclecticus, distinctionum et novitatum adinventor, quas apud alios theologos græcos in vanum quæres. Ad quæstiones de gratia quod attinet, duas saltem conscripsit dissertationes, quarum una inscribitur : Ἀπολογία πρὸς τὸν ἐν Ἀγγλίᾳ τῶν σοφῶν σύλλογον [4], altera autem : Περὶ προορισμοῦ καὶ χάριτος [5], quibus adjungendum est illud caput

1. *Confessio fidei*, p. 79.
2. P. 80-84. Suam sententiam dicit esse doctrinam Ecclesiæ : « Λέγει τοίνυν ἡ Ἐκκλησία οὐδὲν ἕτερον τοῦτ' εἶναι ἢ τὴν κατὰ λόγον χρῆσιν τοῦ φυσικοῦ φωτός. » P. 80.
3. Κατὰ καλβινικῶν κεφαλαίων, ed. cit., p. 7-23, 24-31, 40v-49v, 63-67, 77-85v. Syrigus scholasticos occidentales ignorat. Omnia ex fontibus Revelationis haurit.
4. In *cod. 126* Metoch. S. Sepulcri.
5. Asservatur in multis codicibus bibliothecæ Hierosoly. S. Sepulcri, inter quos *cod. 130*, fol. 1-145.

de gratia increata *Tractatui de processione Spiritus Sancti contra Latinos* insertum, de quo supra locuti sumus [1]. Varias gratiæ divisiones apud theologos catholicos occurrentes refert, proprias excogitat et invehit *ut inter omnes theologos communiter receptas*, quamvis istarum plures tam apud Græcos quam apud Latinos sint inauditæ, saltem quantum ad definitionem, quam ipse divisionibus hujusmodi præfigit. Ita, verbi gratia, distinguit gratiam, quam vocat *permanentem* et *justificantem*, διαμένουσαν καὶ δικαιοῦσαν, quæ homini tribuit donum perseverantiæ finalis, et solis utique reservatur prædestinatis. Hanc distinguit ab alia gratia, quam *habitualem* nuncupat, ἡ χάρις ἑκτικὴ καὶ καθ'ἕξιν, in ima anima quasi insculpta, quæ cum homine semper manet, sive quando bonum operatur ille, sive quando non operatur. Et hæc item, quam appellat etiam *dilectionem Dei*, et *pignus*, et *charisma*, solis datur prædestinatis. Vides nostrum medicum Chiensem omnia permiscere ac confundere, et quamdam inextricabilem conficere farraginem ex notionibus scholasticis cum quibusdam Byzantinorum vel Patrum dictis et propriis suis adinventis commistis [2]. De ipsa gratiæ natura scimus illum

1. Vide p. 169.
2. De divisionibus hujusmodi integrum locum referunt *Pedalii* auctores, ed. Ath., 1908, p. 509, n. 2, quem ob oculos lectoris ponere pretium ducimus, ut de hujus theologi indole judicium ferre possit. Locus, ut videtur, ex opere Περὶ προορισμοῦ καὶ χάριτος excerptus est : « Ὅθεν ἀφίνοντες τὰς περὶ χάριτος διαφόρους διαιρέσεις τῶν σχολαστικῶν, λέγομεν τὰς κοινὰς καὶ ὁμολογουμένας παρὰ πάντων τῶν θεολόγων ταύτας. Ἡ χάρις ἄλλη μὲν λέγεται προκαταρκτικὴ καὶ φωτιστική, ἥτις πᾶσιν ἀνθρώποις δίδοται χωρὶς συνεργίας τοῦ αὐτεξουσίου · προηγεῖται γὰρ αὐτοῦ, ἵνα γνωρίσῃ ὁ ἄνθρωπος τὴν ἀλήθειαν τῶν θείων προσταγμάτων καὶ ἐλευθέρως συγκατατεθῇ · ἄλλη δὲ λέγεται χάρις ἐνδυναμοῦσα, ἥτις ἐνισχύει τὴν ἀνθρωπίνην θέλησιν εἰς τὸ νὰ ἀγαπήσει τὸ ἀγαθόν, οὐκ ἀναγκάζουσα, ἀλλὰ μεθ' ἡδονῆς αὐτὴν πείθουσα · ἄλλη συνεργοῦσα, ἥτις μετὰ τοῦ ἐνεργοῦντος τὸ ἀγαθὸν συνεργεῖ, ἵνα εἰς ἔκβασιν καὶ τέλος φέρῃ τὴν πρᾶξιν τοῦ ἀγαθοῦ · ἄλλη λέγεται διαμένουσα καὶ δικαιοῦσα, ἥτις κάμνει τὸν ἄνθρωπον νὰ διαμένῃ ἐν τῷ ἀγαθῷ μέχρι τέλους, μόνοις κληρουμένη τοῖς προωρισμένοις · ἄλλη λέγεται ἑκτικὴ καὶ καθ' ἕξιν, ἥτις εἰς βάθος εἶναι ἐγκεκολαμμένη τῷ ἀνθρώπῳ καὶ μένουσα τόσον ὅταν ἐνεργῇ τὸ ἀγαθόν, ὅσον καὶ ὅταν δὲν τὸ ἐνεργεῖ · καὶ αὕτη μόνον τοῖς προωρισμένοις δίδοται, Θεοῦ ἀγάπη καὶ ἀρραβὼν καὶ χάρισμα ἐν ταῖς ἁγίαις γραφαῖς ὀνομαζομένη... Αἱ μὲν οὖν τρεῖς πρῶται χάριτες, ἡ προκαταρκτική, λέγω, ἡ ἐνδυναμοῦσα καὶ ἡ συνεργοῦσα, δίδονται καὶ πρὸς ἐκείνους, οἵτινες

palamismo circa hoc caput adhæsisse et tenuisse gratiam *infusam* esse increatam [1]. Num autem ut increatas habuerit omnes illas gratiæ species, quas adinvenit, incertum manet. In quodam loco *Tractatus de prædestinatione et gratia*, distinctionem inducit « inter gratiam increatam, *quæ divinæ substantiæ inest*, et *gratiam creatam*, quæ ab increata producitur, sicut calor ignis producit calorem in subjectis caloris capacibus [2] ». Nova sane novitas nostri theologi!

Ad prædestinationem quod attinet, Coressius, quorumdam theologorum opinionibus breviter memoratis, propriam exponit sententiam, duces sibi sumens Chrysostomum et Damascenum, a quorum doctrina revera non recedit, quædam tantum e suo penu addens de diversis gratiæ speciebus, de quibus apud Patres græcos nullum vestigium invenire est [3].

De Nicolao Kursula, qui latinus est pene totus et ut theologiæ græcæ repræsentator vix haberi potest, pauca tantum dicenda. Apud illum invenies varias gratiæ divisiones et definitiones, quæ apud nostros occurrunt. Quamvis autem, ut

πρὸς καιρὸν εὑρίσκονται ἐν τῇ ἀρετῇ καὶ χάριτι, ὕστερον δὲ ἐκπίπτοντες κολάζονται · αἱ δὲ δύω, ἡ διαμένουσα καὶ ἡ ἐκτική, εἰς μόνους τοὺς προωρισμένους, ὧν τὸ αὐτεξούσιον μένει ἑδραῖον εἰς τὸ ἀγαθὸν καὶ τὴν ἀρετήν · διὸ καὶ μόναι αὗται ἐπισφραγίζουσι τὸν προορισμὸν καὶ τὰ τοῦ προορισμοῦ ἔργα καὶ ἀποτελέσματα κυρίως λέγονται. » Has gratiæ divisiones a Coressio excogitatas præ oculis certe habebat Dositheus, quando articulum III suæ *Confessionis fidei* conscribebat. Cf. supra, p. 762 sq.

1. Περὶ τῆς ἐγκεχυμένης χάριτος, καὶ ὅτι ἔστιν ἄκτιστος : Sic inscribitur c. XXI, *Tractatus de processione Spiritus Sancti* apud Dositheum, Τόμος καταλλαγῆς, p. 393-401.

2. « Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα διαίρεσις ἁπλῶς τῆς χάριτος · τοιαύτη ἡ χάρις ἥ ἐστιν ἄκτιστος, ἢ κτιστή. Καὶ ἄκτιστος μὲν καλεῖται ἡ ἐνοῦσα τῇ θεαρχικῇ οὐσίᾳ, ἥτις καὶ δωρεὰ Πνεύματος ἐνοῦσα τῷ Πνεύματι ἐπονομάζεται, παρακτικὴ τῆς κτιστῆς, ὡς καὶ ἡ θερμότης τοῦ πυρὸς ἐν τοῖς δεκτικοῖς παράγει θερμότητα. » Ex *cod. cit. 130*, fol. 16. Hunc locum comiter nobis exscripsit P. Vancourt, in seminario Hierosolymitano S. Annæ pro Melkitis catholicis professor et Instituti pont. orientalis doctor, qui proxime editurus est suam thesim inscriptam : « La doctrine de la justification chez les Grecs orthodoxes depuis le milieu du XVIe siècle », et hoc de mente Coressii dubium certo solvet.

3. In *cod. S. Sepulcri 130*, fol. 13 sq., ubi suæ opinionis expositionem aggreditur, præfixo sequenti titulo : « Περὶ τοῦ ἐμοῦ ὅρου τῇ βάσει τοῦ Χρυσοστόμου καὶ τοῦ Δαμασκηνοῦ ἐνστηριζομένου. » Hæc etiam indicia benevolentiæ P. Vancourt debemus.

supra vidimus, scientiæ mediæ Molinistarum suffragetur, thomista tamen fit tum circa gratiæ sufficientis et gratiæ efficacis definitionem [1], tum circa electorum prædestinationem ante prævisa eorum opera. Hoc systema consuetis argumentis tuetur, insistens potissimum in prædestinatione infantium, qui mox post baptismum moriuntur antequam ad rationis usum pervenerint; unde certo ante prævisa quæcumque opera sua prædestinantur [2]. Adversariorum difficultatibus fuse respondet; reprobationem *positivam* damnatorum, prout a Calvinistis edocetur, expresse rejicit [3], sed reprobationem negativam antecedentem eorumdem, ex prædestinatione antecedenti logice fluentem admittere cogitur; quam ex verbis Apostoli (Rom., c. IX) deducit [4] et haud parum attenuat, dum eodem fere modo ac Metrophanes Critopulus, tenet Deum facienti quod in se est viribus naturæ de facto gratiam non denegare [5]. Ad numerum electorum quod attinet, asserit eum esse soli Deo notum. Addit nemi-

1. « Ἀλλὰ ῥητέον ὅτι, κἂν ὁ Θεὸς πᾶσι χορηγεῖ τὴν ἀρκοῦσαν χάριν, δι' ἧς δύνανται πιστεῦσαι, ἀλλ' οὖν ἡ θεία φησὶ Γραφὴ μὴ πάντας πιστεύειν εἰ μὴ τοὺς ἔχοντας τὴν δραστικὴν χάριν, δι' ἧς δύνανται πιστεῦσαι καὶ πιστεύουσι πράγματι, ταύτην δὲ τὴν χάριν μὴ δίδοσθαι πᾶσιν. » *Op. cit.*, t. I, p. 146, 152.

2. « Θετέον οὖν, ὅτι γε οὐδεμία αἰτία ἐστὶν ἐν ἡμῖν τοῦ θείου προορισμοῦ, ἀλλὰ τὸ πᾶν ἐκ τοῦ θείου ἐστὶν ἐλέους καθὸ ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἐξελέξατο πρὸ καταβολῆς κόσμου καὶ προώρισεν εἰς υἱοθεσίαν καὶ εἰς μέθεξιν τῶν αἰωνίων αὐτοῦ ἀγαθῶν · αὕτη ἡ θέσις ἐκ τῶν εἰρημένων εἶναι δοκεῖ. » *Ibid.*, p. 149-164.

3. « Μὴ ἀποδοκιμάζει τοὺς ἀδοκίμους πρὸ τῆς ὁράσεως τῶν ἑαυτῶν ἁμαρτιῶν · ὁ γὰρ προορισμὸς καὶ ἡ ἐκλογὴ ἔργον ἐστὶ τῆς θείας χάριτος · ἡ δ' ἀποδοκιμασία, ἔργον τῆς θείας δικαιοσύνης. » P. 164.

4. « Ὅσον δ' ἐπὶ τῇ ἀποφατικῇ τῆς ἀποδοκιμασίας ἐνεργείᾳ, καθ' ἣν ὁ Θεὸς οὐκ ἐθέλει σῶσαι τοὺς ἀδοκίμους, ῥητέον ὅτι, τό γε τῶν ἀνθρώπων μέρος, οὐδεμία ἐστὶ τῆς ἀποδοκιμασίας αἰτία, ὥσπερ οὐδεμία αἰτία ἐστὶ τοῦ προορισμοῦ. » P. 165.

5. « Ῥητέον διὰ βραχέων, ὅτι ὁ ἄνθρωπος πρὸ τῆς πίστεως δύναται ἠθικῶς ἑαυτὸν οὕτω διαθέσθαι διὰ τῆς ἀσκήσεως τῶν ἀγαθῶν ἠθικῶν ἔργων πρὸς αὐτὴν τὴν πίστιν, ὥστε τὸν Θεὸν διὰ τῆς ὑπερφυοῦς συνδρομῆς παρεῖναι · αὕτη δ' ἡ διάθεσις οὐκ ἂν ἦν αἰτία τοῦ θείου προορισμοῦ, ἀλλ' οὖν ἀφαίρεσις τοῦ ἐμποδών, πρὸς ἣν ἀφορῶν ὁ Θεὸς χορηγεῖ τὴν χάριν. » P. 168-169. Ex his conjicere licet Kursulam per prædestinationem ante prævisa merita vel opera intellexisse prædestinationem totalem antecedentem; sed in hoc casu debuisset hanc extendere ad omnes homines, si revera Deus vult omnes homines salvos fieri etiam post

nem scire cum certitudine omne dubium excludente se esse justificatum, a fortiori se esse prædestinatum. Catharini sententiam de triplici hominum classe rejicit [1].

II. — De theologis græcis qui sæculo XVIII et sæculo XIX ineunte fuerunt.

De theologis græcis hujus periodi pauca notanda invenimus. Omnes enim a theologia latina pendent, cujus divisiones, definitiones, theses communiter recipiunt. Firmiter tamen addicti remanent doctrinæ communi Byzantinorum circa prædestinationem et reprobationem necnon circa modum efficaciæ gratiæ divinæ in voluntatem liberam. De hac ultima quæstione omnes fere sentiunt sicut Molinistæ, a quibus quidam definitiones gratiæ efficacis et gratiæ sufficientis mutuantur.

Primus nobis occurrit Elias Meniates, cujus *Sermo de prædestinatione* mentionem meretur. Secundum Eliam, scholasticorum quæstiones et systemata de prædestinatione menti nihil aliud ingerunt nisi dubia, difficultates, tenebras, confusionem. De hac incomprehensibili quæstione hoc solum capimus christiani, nempe *quod prædestinatio nihil aliud sit quam in unum concursus gratiæ divinæ et voluntatis humanæ : Gratia Dei clamat; voluntas hominis sequitur. Voluntas Dei et libera electio hominis efficiunt prædestinationem : Deus vult; si velit et homo, homo est prædestinatus.* Omnem gratiam, omne auxilium confert Deus; sed voluntas hominis cum Dei gratia concurrat, cum auxilio divino cooperetur oportet [2]. En

Adami lapsum. Hoc autem non perspexit, sicut idem perspicere non videntur ii omnes qui aliter quam græci Patres voluntatem Dei salvificam antecedentem interpretantur.

1. P. 177-180.

2. Διδαχαὶ εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην τεσσαρακοστήν, ed. Venet., 1778. Διδαχὴ α' · Περὶ προορισμοῦ, p. 1-14 :

« Μακρὰν τὸ λοιπόν, μακρὰν ζητήματα καὶ ἀπορίαι τῶν σχολαστικῶν · ζητήματα, ὅπου δὲν πληροφοροῦσι, μὰ συγχύζουσι τὸν νοῦν · ἀπορίαι ὅπου δὲν φωτίζουσι, μὰ σκοτίζουσι τὴν διάνοιαν. Εἰς τὴν ἀκατάληπτον ταύτην ὑπόθεσιν ἕνα μόνον πρᾶγμα καταλαμβάνομεν χριστιανοί, πῶς δηλαδὴ προορισμὸς δὲν εἶναι ἄλλο παρὰ συνδρομὴ εἰς ἓν θείας χάριτος καὶ ἀνθρωπίνης θελήσεως, ἤγουν ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, ὁποῦ κράζει, καὶ ἡ θέλησις τοῦ ἀνθρώπου, ὁποῦ ἀκολουθεῖ... Ἡ θέλησις τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ προαίρεσις τοῦ ἀνθρώπου κάνει τὸν προορισμόν. Θέλει ὁ Θεός · ἂν θέλῃ καὶ ὁ ἄνθρωπος, ὁ ἄνθρωπος εἶναι προωρισμένος... Δίδει ὁ Θεὸς ὅλην τὴν χάριν καὶ βοήθειαν, μὰ πρέπει νὰ συντρέχῃ μὲ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, νὰ συνεργῇ μὲ τὴν βοήθειαν τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ θέλησις τοῦ ἀνθρώπου. » P. 2, 3, 6.

nostri oratoris thesis tota. Consuetas ex Scriptura difficultates prædestinatianismum absolutum primo adspectu suggerentes per recursum ad præscientiam divinam, ut Græci solent, uniformiter solvit. Electioni Jacob, sicut reprobationi Esau et indurationi Pharaonis præscientia divina subjacet. Hanc necessario subaudit Paulus, quia Deus non est personarum acceptor, sed, quantum in se est, vult omnes homines salvos fieri [1]. Præscientia autem divina est simpliciter *contemplativa*, sicut speculum objecta ut sunt repræsentans; non *practica* seu *effectiva*, voluntatem creatam ad actum præmovens [2].

In suo compendio theologico, Joannes Contones de divisionibus gratiæ ejusque definitione, de illius distributione omnibus facta, de natura et effectibus justificationis ac præsertim de merito, loquitur ut theologus latinus [3]. Gratiam sufficientem definit sicut Molinistæ [4].

1. P. 8 : « Τὸν Ἠσαῦ ἐμίσησε, διατὶ ἐπρογνώρισε τοῦ Ἠσαῦ τὴν κακότροπον γνώμην ...Ὃν μέν θέλει ἐλεεῖ, διότι προγνωρίζει πῶς εἶναι καλῆς καὶ εὐπειθοῦς προαιρέσεως · ὃν δὲ θέλει σκληρύνει, διότι προγνωρίζει πῶς εἶναι κακῆς καὶ ἀμετανοήτου καρδίας. »

2. « Ἡ πρόγνωσις τοῦ Θεοῦ, λέγουσιν οἱ θεολόγοι, εἶναι ἁπλῶς θεωρητική, καὶ οὐχὶ πρακτική... Ὁ καθρέπτης ἐξομοιώνεται μὲ τὴν ὄψιν μας, καὶ ἡ πρόγνωσις τοῦ Θεοῦ ἐξομοιώνεται μὲ τὴν προαίρεσιν μας. » P. 10.

3. *Op. cit.*, p. 73-83. V. g., gratiam habitualem gratum facientem ita definit: « Ἡ καθ' ἕξιν χάρις, ἡ καὶ ἔμμονος εἰς τρόπον ἕξεως θεόθεν χορηγεῖται καὶ ἐνυπάρχει ἡμῖν, εἰ καὶ ἐνεργείᾳ μὴ ἐργαζώμεθα... εἰς τρόπον ἕξεως τῇ ψυχῇ ἐνυπάρχουσα », p. 74, 76. De effectibus justificationis hæc inter alia habet : « Ἀποτελέσματα · κάθαρσις τῆς ψυχῆς, ἴασις τῆς φύσεως, ἡ παρὰ Θεοῦ ἀγάπη καὶ εὐαρέστησις, τὸ δικαίωμα εἰς τὴν αἰώνιον ζωήν, ἡ ἀξία καὶ τιμὴ τῶν ἀγαθῶν ἔργων. Διχῶς γὰρ ἡ αἰώνιος ζωὴ τοῖς μέχρι τέλους ζωῆς ἐν δικαιοσύνῃ διαμένουσιν ἀποδίδοται καὶ ὡς κληρονομία καὶ ὡς μίσθος. » P. 77. Ut Catholici, distinguit meritum de condigno et meritum de congruo : « Διχῶς διαιρεῖται ἡ ἀξία, δηλονότι εἰς τὴν κατὰ τὸ ὀφείλημα καὶ εἰς τὴν κατὰ τὸ πρέπον. » P. 79. De gratiæ distributione hanc thesim ponit : « Ὁ Θεὸς ἑκάστῳ ἀνθρώπῳ, εἴτε πιστῷ, εἴτε ἀπίστῳ, δίδωσι χάριτας ἱκανὰς καὶ πρὸς τὸ καλῶς ἐνεργεῖν καὶ πρὸς τὸ δι' ἀγαθῶν ἔργων εἰς τὴν τῆς σωτηρίας ὁδὸν εἰσελθεῖν. » P. 75. Conditiones meriti enumerat, p. 80-81, ut nostri solent.

4. « Ἐπαρκοῦσα μὲν καὶ ἱκανὴ χάρις ἐστὶ μεθ' ἧς δύναται ὁ ἄνθρωπος καλῶς ἐνεργεῖν, εἰ καὶ τῷ ὄντι οὐ καλῶς ἐνεργεῖ ἐλλείψει τοῖς οἰκείας

Vincentius Damodus ejusque discipuli Eugenius Bulgaris et Athanasius Pariensis de omnibus quæstionibus ad gratiam pertinentibus catholice loquuntur et pleraque a theologis catholicis mutuantur [1]. Ad prædestinationem autem et reprobationem quod attinet, Græcorum conceptum retinent de prædestinatione electorum ad gloriam post prævisam eorum cooperationem ad gratiam eorumque merita per gratiam acquisita. Eugenius Bulgaris hanc quæstionem longe pertractat, diversa Heterodoxorum et Catholicorum systemata exponit, suumque multis fulcit argumentis, ad verba Scripturæ necnon ad Damasceni et Theophylacti auctoritatem potissimum provocans : Deus ex gratia sufficienti sensu molinistico intellecta, quam omnibus paravit, ab æterno novit quinam ea bene usuri essent, quinam illam rejecturi. Ex hac prævisione electorum et reproborum discriminationem fecit. Omne systema electionem quorumdam statuens independenter a prævisione cooperationis eorum ad gratiam cum vera voluntate salvifica Dei componi non potest et non solum cum aperta sacræ Scripturæ doctrina, sed etiam cum

συνεργίας... Οὐκ ἄρα ἡ χάρις καθ' ἑαυτὴν, ἀλλὰ κατὰ ἀναγωγὴν τῶν δεχομένων, ἢ μὴ δεχομένων, δραστικὴ καὶ οὐ δραστικὴ λέγεται καὶ γίγνεται. »

1. Tractatus de gratia Vincentii Damodi ineditus est. Habes tamen in Θεολογικῷ E. Bulgaris, p. ξν'-ξδ', titulos capitum, ex quibus colligitur hunc theologum a nostris ac præsertim a S. Thoma pleraque mutuari erroresque Pelagianorum, Semi-pelagianorum, Protestantium et Jansenistarum secundum catholicam regulam confutare. Caput VII inscribitur : Περὶ δικαιώσεως, ὅπου περιλάμβανεται ἡ διδασκαλία τοῦ Ἀκυνάτου περὶ τῆς υἱοθεσίας ταύτης καὶ ἀναιρεῖται τὸ δόγμα τῶν Λουθηροκαλβινιστῶν. — Cap. VIII : Περὶ τῶν ἀποτελεσμάτων τῆς ἁγιαζούσης χάριτος, ἣν ἕξιν καλοῦσιν οἱ σχολαστικοί, ubi de virtutibus infusis, de distinctione inter gratiam sanctificantem et charitatem, de augmento gratiæ disserit. — C. IX : Περὶ τοῦ δευτέρου ἀποτελέσματος τῆς χάριτος, ἤγουν περὶ τοῦ μισθοῦ τοῦ χριστιανικοῦ ἔργου, ὅπου θεωροῦνται τὰ συνήθη περὶ τούτου τοῦ ζητήματος ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τοῦ Ακυνάτου. Θεολογικὸν E. Bulgaris tractatum de gratia non habet, sed scimus eum theses V. Damodi generatim tenuisse. Cæterum ad multas quæstiones ad hunc tractatum pertinentes in capite de prædestinatione obiter alludit : v. g., doctrinam catholicam de merito, de dono perseverantiæ finalis, de certitudine subjectiva salutis, de gratiæ divisione expresse tenet. Cf. p. 189-203, 206-207, 539-541. Idem dicendum de Athanasio Pariensi, qui quædam habet in cap. de prædestinatione. De merito vide p. 127.

sensu communi pugnat [1]. Eamdem thesim brevius tuetur Athanasius Pariensis, qui in hac quæstione Meletii Syrigi se discipulum fatetur [2].

ARTICULUS III

De doctrina theologorum russorum a sæculo XVII usque ad annum 1763.

Russi, ut notum est, ante sæculum XVII vix aliquid de re theologica producunt, quod theologorum attentionem mereatur. Inde vero ab hoc tempore, Russi meridionales seu Kiovienses, Græcorum digni æmuli in Protestantium erroribus redarguendis prodeunt atque pressius ac ipsi theologorum catholicorum vestigia sequuntur. Quid de gratia in sæculi XVII primo dimidio senserint, ex *Confessione orthodoxa*, de qua jam supra locuti sumus, jam novimus; siquidem hujus catechismi præcipuus auctor fuit Petrus Moghila, metropolita Kioviensis († 1646). Novimus item in Academia Kioviensi, ad theologiam quod attinet, theologiæ catholicæ ac præsertim sancti Thomæ Aquinatis influxum prævalentem fuisse [3]. Hic influxus, si Theophanem Procopovitch, qui sæculo XVIII ineunte aperte lutheranizavit, seorsim ponas, usque ad ejusdem sæculi alterum dimidium perduravit.

1. Θεολογικόν, p. 175-221 Prædestinationem ita definit, p. 179 : « Κέλευσμα προγνωστικόν, καθ' ὃ ὁ Θεὸς ἀσφαλῶς προέθετό τισι τὴν αἰώνιον δόξαν ἐπιβραβεύσασθαι, τοῖς ὀρθῶς δηλαδὴ τῇ θείᾳ χάριτι τῇ εἰς ἐκείνην φερούσῃ χρησαμένοις. » Inter systemata ab eo reprobata invenitur systema thomistarum. Ejus thesis hæc est : « Αἴτιον κινητικὸν τῆς τοῦ Θεοῦ προγνωστικῆς κελεύσεως, καθ' ὃ εἰς δόξαν τινὲς προορίζονται ἀπ' αἰῶνος, ἔστιν ἡ τῶν ἀγαθῶν ἔργων παρὰ Θεοῦ πρόγνωσις.

2. *Op. cit.*, p. 123-130 : « Καλεῖ καὶ δικαιοῖ καὶ δοξάζει οὓς ἀπ' αἰῶνος ἔγνω κλητοὺς κατὰ πρόθεσιν, τουτέστι τοὺς τἀγαθὸν προαιρουμένους. » P. 124. *Item*, p. 127 : 'Η ἐκλογὴ καὶ ἡ δικαίωσις εἴτουν ὁ προορισμὸς τοῦ Θεοῦ γίνεται καὶ διὰ τὰ ἔργα τῶν προοριζομένων, ἀλλ' οὐκ ἐκ μόνης τῆς τοῦ Θεοῦ βουλήσεως. »

3. Vichnevskii, *op. cit.*, p. 232, testatur professores Academiæ Kioviensis doctrinam catholicam de justificatione saltem ex parte docuisse; quod ex opere Iavorskii clare constat.

Hujus præclarum testem habemus Stephanum Iavorskii, professorum Academiæ illustrissimum et Theophanis adversarium, cujus magnum opus, *Kamen viery* seu *Petram fidei* inscriptum, orthodoxiæ tessera in Russia exstitit usque ad Catharinæ II imperatricis adventum. In tractatu XI qui inscribitur : *De bonis operibus et justificatione aliisque quæstionibus connexis*, theses Protestantium de hujusmodi quæstionibus argumentis præsertim positivis erudite convellit, a theologis catholicis Bellarmino et Becano haud pauca mutuans. Ejus doctrina cum catholica plene congruit; siquidem docet :

1° In justificatione, ad quam homo adultus, gratia excitante ac movente, propria cooperatione se præparare debet, peccata vere deleri et non tantum tegi vel non imputari, ut Protestantes volunt, hominemque de peccatore vere justum fieri;

2° Justificationem se habere ad salutem, sicut via se habet ad terminum, et gratiam justificationis amitti posse;

3° Homini adulto et baptizato bona opera esse ad salutem necessaria, et sine eis fidem mortuam esse;

4° Bona opera hominis justificati habere rationem veri meriti, ita ut adulti duplici titulo vitam æternam recipiant, nempe *titulo hæreditatis* propter filiationem adoptivam in baptismo receptam, et *titulo mercedis* et retributionis propter bona opera, meriti proprie dicti rationem habentia. Beatitudo, inquit, quatenus datur propter bona opera, est *corona justitiæ;* quatenus autem opera bona procedunt ex misericordia Dei et ex ejus gratia ad opus bonum nos impellente, ad illud perficiendum nos confortante nobiscumque cooperante, sunt misericordia Dei et *corona misericordiæ.* Unde una et eadem vita æterna sub diverso respectu est simul corona justitiæ et corona misericordiæ;

5° Hominem justificatum non quidem propriis viribus, sed gratia Dei eum adjuvante et corroborante, totam Decalogi legem et omnia Dei mandata adimplere posse, jugumque importabile de quo loquitur Petrus in Actis apost. non Decalogum, sed legem cæremonialem exteriorem respicere;

6° Locos Apostoli, ubi docet ille justificationem fieri sine

operibus, de operibus legalibus, vel de operibus solis naturæ viribus absque gratia factis intelligendos esse [1].

ARTICULUS IV

De theologia Theophanis Procopovitch ejusque discipulorum (1763-1840).

I. — Prænotamina.

Ut in capite de peccato originali jam diximus, Theophanes Procopovitch ejusque editor ac perfector Samuel Mislavskii theses lutheranismi mitigati, prout apud theologos germanos sæculi XVII, Gerhard scilicet, Quenstedt et aliorum occurrunt, amplexi sunt; quas jam inde ab anno 1763, et præsertim post *Theologiæ christianæ* Theophanis editionem auctam (1782-1784) theologi russi usque ad reformationem Protasovi, Synodi procuratoris (1840), in academiis et seminariis communiter tradiderunt, ex magno opere Theophanis illas haurientes et quandoque ipsa magistri verba ad litteram exscribentes. Cum autem inter tractatum de peccato originali et tractatum de gratia et justificatione logica sit connexio, mirum non est theologos russos illius temporis sicut de peccato originali, ita et circa quæstiones ad gratiam et justificationem spectantes lutheranizasse. Lutheranizarunt sane, sed eorum lutheranismus circa quæstiones hujusmodi a genuina ac primæva Lutheri doctrina multo magis recedit quam circa ipsum peccatum originale ejusque sequelas. Lutherani mitigati pessimismum absolutum, quem in tractatu de peccato originali docent, in tractatu de gratia et justificatione haud parum attenuant et aliquatenus oblivioni mandasse videntur. Inde fit, ut a catholica doctrina magis verbis, formulis, distinctionibus, loquendi modis quam sententiis et re ipsa distent. Nedum bona opera prorsus rejiciant, illa potius commendant, immo omnino necessaria ducunt. Docent hominem lapsum nihil ex seipso agere posse, ad

1. Cf. *Kamen viery*, ed. Kiov., 1730, p. 896-1026.

salutem quod attinet; mere passivum esse et Deum in eo omnia operari; attamen ejusdem cooperationem *negativam* ante justificationem, *positivam* post justificationem requirunt. Justificationem ipsam ut Reformationis primi coryphæi definire pergunt; sed a Luthero toto cælo distant, cum regenerationem habent ut renovationem intimam totius hominis, quæ augeri possit, amitti, per conversionem et pænitentiam recuperari, de cujus præsentia in semetipso quisque fidelis conjecturaliter tantum et ex suis intimis dispositionibus, non vero cum certitudine omne dubium excludente judicare possit. A prædestinatianismo absoluto Calvini non minus recedunt; siquidem tuentur voluntatem Dei salvificam universalem, atque de prædestinatione et reprobatione ut Damascenus et Molina fere disserunt, libertatis humanæ jura in tuto ponentes docentesque ipsam prædestinatorum electionem fieri non quidem post prævisa eorum merita, cum *meritum* veri nominis verbo saltem rejiciant, sed post prævisionem tum eorum fidei libere conceptæ, tum ipsorum usque ad vitæ finem in eadem fide perseverantiæ.

En lutheranismi indoles, quem apud theologos russos Theophanis discipulos invenis. Est sane heterodoxus, at vero multo plus in verbis et formulis quam in re ipsa. Porro, cum longius esset sive ipsius Theophanis et Samuelis in *Theologia christiana*, sive aliorum compendiorum ad eorum mentem concinnatorum excerptis generalis hujus conspectus veritatem ostendere, unum præ aliis brevitatis causa seligimus, nempe Theophylacti Gorskii enchiridium, quod plenius atque clarius totum exponit systema, et diutius latiusque in academiis et seminariis Russiæ per totum hoc tempus usurpatum est [1]. Ordine sermo erit :

1. Compendii Th. Gorskii haud semel jam a nobis laudati editionem Petropolitanam anni 1818 in sequentibus citamus : *Orthodoxæ orientalis Ecclesiæ dogmata seu doctrina christiana de credendis.* Eamdem doctrinam invenies non solum in *Theologia christiana Procopovitch*, quæ est fons communis, sed etiam in aliis compendiis : Hyacinthi Karpinskii, Irenæi Falkovskii, S. Lebedinskii, etc. Item lutheranismi mitigati vestigia deprehenduntur in *Catechismo* seu *Theologia abbreviata* Platonis Levkhin præsertim in quæstione de justificatione et bonis operibus : « Fides justificans in duobus consistit : 1° in agnitione propriæ miseriæ et culpabilitatis; 2° in assensu doctrinæ revelatæ præstito et in fide in Christum redemptorem. Ex quo autem homo per fidem justificatus est, propriam fidem manifestare debet per bona opera et justificationem adeptam custodire per mandatorum adimpletionem, quia fides per charitatem operetur necesse est. » Cf. *Versionem græc. A. Corais, ed. cit.*, p. 160. Cf. etiam opuscula Philareti Drozdov et Theophylacti Riazanensis : *De differentiis inter Ecclesiam orientalem et Ecclesiam occidentalem*, circa an. 1811-1812 composita, in *Tchteniia Societatis hist. et antiquit. apud Univ. Mosquensem*, t. I, 1870, p. 1-44.

1° De notione et divisionibus gratiæ;
2° De voluntate Dei salvifica et vocatione omnium hominum ad salutem;
3° De operibus infidelium necnon de conversione et fide justificante;
4° De regeneratione;
5° De justificatione;
6° De sanctificatione et renovatione. De bonorum operum necessitate;
7° De prædestinatione et reprobatione.

II. — De notione et divisionibus gratiæ.

De notione et divisionibus gratiæ propriæ dictæ, Th. Gorskii pauca tantum habet. Gratiam fere semper considerat sub *aspectu objectivo*, id est, quatenus est operatio Dei in anima hominis; raro sub *aspectu subjectivo*, id est, quatenus est effectus in ipsa anima ab operatione Dei productus :

« Aliquando, inquit, *gratia* benignum Dei in anima hominum operationem denotat, per quam eos illuminat, convertit vitamque spiritualem in illis producit, auget, conservat. Denique et ipsa *dona divina* hac voce aliquando insigniuntur, eaque tum naturalia, quæ Deus per naturam in nos contulit, tum *maxime spiritualia* (I Cor., I, 4; Eph., IV, 7) [1]. »

Gratiam autem, qua Dei operationem, in alio loco ita dividit :

« Operatio ista Dei, qua hominem regenerat atque convertit, gratiæ nomine venire solet, cum ex amore ejus propitioque erga homines favore procedat; cumque diversimode sese exserat, diversas quoque ejus species constituere licet;

1. *Op. cit.*, p. 175.

estque alia *præveniens*, quæ hominis voluntatem prævenit, hoc est, primos motus in homine excitat, præparat, quæ per singularem Dei directionem homini occasionem ad verbum divinum cum attentione audiendum vel legendum, vel alia ratione conversionem promovendam suppeditat; alia *operans*, qua motus homo jam conatu quodam, sed languido, ad Christum tendit; alia denique *cooperans*, qua Deus cum viribus homini jam collatis, ad aliquod perficiendum concurrit. Gratia præveniens seu incipiens se habet per modum motus transeuntis, per modum pulsus (Apoc., III, 20). Operans conversionem prævenientis gratiæ actu inchoatam promovet, ut ita complemento suo fiat proximior [1] (Luc., VIII, 13; XIII, 17; Act., XIII, 48). »

Alias gratiæ divisiones et definitiones inter scholasticos communiter receptas prorsus ignorant Theophanes ejusque discipuli.

III. — De voluntate Dei salvifica et vocatione ad salutem.

Seriem operationum, quibus Deus per suam gratiam hominis saluti providet, ita breviter declarat Gorskii :

« Deus, justus judex, admisso infinito lytro, reconciliatus propitiusque respicit miserum genus humanum, longo intervallo a se per peccata dissitum, *vocat* gratiose morigerosque *convertit* et *regenerat*, *efficit* demum *declaratque justos*, et viribus ad continuandam justificationem *per opera bona* seu ad *renovandos* sese in dies ad imaginem Creatoris instruit [2]. »

Agendum est ergo primum de vocatione seu de voluntate Dei salvifica. Hanc Dei voluntatem esse prorsus universalem et respicere omnes homines post Adami lapsum diserte docent theologi lutheranizantes :

« Deus, ait Gorskii, ut omnes homines ex ista miseria eriperentur, serio voluit... Fœdus gratiæ *neutiquam ad quosdam absoluto quodam beneplacito electos, sed ex consilio divino ad omnes homines pertinet.* Quod autem non omnes ejus participes fiant, non aliunde provenit quam quod plurimi consi-

1. P. 230.
2. *Op. cit.*, p. 216.

lium istud divinum de salute sua repudiunt [1] (Luc., VII, 30). »

Hominum vocatio ad salutem statim post Adami lapsum incepit. Deus omnia ita disposuit, ut fausti nuntii promulgatio ad omnes homines, si non *directe*, saltem *indirecte* pervenire potuerit. Vocatio indirecta per se non sufficit immediate ad salutem; sed si homo eam non contemnat, vocatio directa, id est ipsum Dei verbum, ei innotescet. Unde culpa hominum fuit, si salutis viam ignoraverint [2].

IV. — De operibus infidelium necnon de conversione et fide justificante.

Theologi russi lutheranizantes omnia infidelium opera esse peccata mortalia docent, ubi de effectibus originalis peccati agunt. Ubi vero de justificatione tractant, hanc genuinam Lutheri doctrinam haud parum attenuant. Retinent sane ut principium inconcussum, quod homo lapsus plenaria impotentia aliquid boni faciendi laboret [3]. Concedunt tamen quæ-

1. P. 177-178. Notum est theologos lutheranos distinguere inter *fœdus operum* et *fœdus gratiæ*. In fœdere operum, ipsa legis impletio ad finem obtinendum ab homine requirebatur. In fœdere autem gratiæ, summa eorum, quæ ab homine requiruntur, in fide consistit, secundum illud : *Qui crediderit, salvabitur.* Gorskii, p. 180. Cf. p. 320-321, de voluntate salvifica.

2. « Qui hanc rerum in mundo gestarum recensionem animo volvit, facile intelliget verbum Dei ita quidem omni tempore manifestatum esse, ut illius cognitionem quisque sibi comparare potuerit, minime vero omnes et singulos homines semper et ubique illud immediate audivisse. Et experientia testatur, nostra adhuc ætate, varias dari gentes, quæ verbo Dei et ministerio ecclesiastico carent. Ex quo sequitur non omnes homines a Deo vocatos esse et vocari *directe;* nihilo tamen minus divina hominum vocatio est universalis. Universalem itaque hanc vocationem oportet esse *indirectam.* » P. 279. Et paulo infra, p. 283-284 : « Fides, qua sola homo salvari potest, supponit distinctam et explicitam veritatum cognitionem, quæ ad fidem concipiendam cognitu sunt necessariæ. Qui vero tantum *indirecte* vocantur non audiunt verbum Dei. Et quanquam per lumen rationis aliquid veritatum legalium cognoscant, de Evangelio tamen nihil illis constare potest nisi accedat *vocatio directa.* Unde colligere licet quod sola indirecta vocatio immediate ad salutem non sufficiat. » De vocatione eadem fere habet S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 407-409, 412-414, ubi objectiones contra thesim solvit.

3. Gorskii, p. 228 : « Ne initium quidem conversionis in Deum, nec præparatio ad gratiam convertentem viribus naturalibus hominis non-

dam irregenitorum opera, ea præsertim quæ *pædagogica* vocant, sub aliquo respectu *bona* dici posse [1]; immo vices gerere quasi cujusdam dispositionis negativæ ad Spiritus Sancti influxum salutarem recipiendum [2]. Nec hominem sub motione gratiæ ita passivum esse statuunt, ut ipsi gratiæ vocanti et excitanti libere cooperari non possit vel debeat, vel ei non resistat nec eam inefficacem reddat [3].

dum regeniti tribui potest; quod ipsum diserte exponit Salvator, Joa., xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Atque Deum quidem in ipso opere conversionis, speciatim ejus initio, omnia, hominem autem nihil agere, mirum non est, cum homo, qui convertitur, mortuus sit in peccatis adeoque ad res spirituales etiam cognoscendas, multo magis perficiendas, nulla ratione idoneus (I Cor., ii, 14), hinc et sub peccati servitute constitutus omnibusque viribus spiritualibus prorsus destituatur (Rom., vi, 16). Scriptura luculenter testatur ne id quidem nobis relictum, ut ex nobis aliquid boni cogitare, aut velle queamus; quin potius utrumque a Deo proficisci (II Cor., iii, 5).

1. « Negari equidem nequit posse homines non renatos, immo ipsos etiam gentiles opera quædam edere, quæ, si actum externum spectes, cum lege conveniant adeoque hactenus *bona* dici queant. Sed cum ad opus vere bonum etiam requiratur, ut actus interni, præsertim intentio cuncta ad Dei gloriam dirigendi et omnium circumstantiarum observatio cum actu interno plene conspirent, convenientia porro in hisce omnibus cum lege non aliqualis sed exactissima esse debeat, sequitur opera non renatorum et gentilium *neutiquam bona vocari posse. Op. cit.*, p. 260.

2. « Ad actus naturales seu animales hominum irregenitorum referuntur etiam *actus pædagogici.* Hoc autem nomine ejusmodi actus intelliguntur qui ad ipsam quidem regenerationem seu conversionem non pertinent, eidem tamen occasionem præbent, et hominem quodammodo præparant ac disponunt, ut gratia convertens per verbum divinum vim suam et efficaciam in eo exserere queat. Huc refertur quod homo, antequam per Spiritum Sanctum illuminetur, possit evangelium audire et aliquo modo meditari, atque etiam de eo disserere... Et hactenus quidem isti actus mere sunt naturales. Quod si tamen piæ cogitationes motusque ad hominis conversionem tendentes accedant, tum gratiæ divinæ sese exserit operatio. Licet autem actus iste pædagogici in se spectati mere naturales sint, negari tamen nequit per eos haud raro occasionem præberi Spiritui Sancto, ut motus pios in hominum animis excitet, immo eos tandem convertat; præsertim si impedimentorum remotio accedat, quam itidem certa quadam ratione ad actus pædagogicos referre licet. » *Op. cit.*, p. 229-230.

3. « Ut mediis gratiæ, quibus conversio ejus promovetur, recte utatur, *in hominis positum est potestate.* » *Op. cit.*, p. 228. Et p. 221 : « Producit autem Deus fidem salvificam in omnibus qui Spiritus Sancti operationi non resistunt (Luc., vii, 30), neque tantum in adultis, sed per baptismum etiam in infantibus (Col., ii, 11; Tit., iii, 5). Quod ergo non omnes credant adeoque salventur, ipsorum hominum culpa contingit, dum aut media, quibus ad fidem perduci possent, non adhibent, aut iis non recte utuntur, aut omnino Spiritui Sancto resistunt (Act., vii, 51); quo sensu et Apostolus (II Thess., iii, 2) non omnium esse fidem dixit. » P. 221. Eadem repetit, p. 230-231.

Triplicem distinguunt conversionem : *primam* nempe seu nondum regenitorum; aliam *continuatam* seu regenitorum et in gratia permanentium; tertiam *reiteratam* seu lapsorum [1]. Homo autem *sola fide, absque operibus*, convertitur, regeneratur, justificatur. Verum fides hujusmodi non est mera *fides fiducialis* Lutheri ejusque primorum discipulorum. Est quid satis implicatum in se complectens tum *assensum intellectualem* iis veritatibus revelatis quæ *fide explicita* de necessitate credenda sunt [2], tum *fiduciam* in Christum ejusque merita [3], tum *pænitentiam* [4], tum ut fructus *necessarios* renovationem interiorem et *bona opera.* Fides enim opera bona non habens est fides mortua, non vera fides [5]. Porro effectus

1. Gorskii *op. cit.*, p. 226.

2. P. 219-220. Summa eorum, quæ fide explicita credenda sunt ad justificationem adispiscendam ad hæc reducitur : « Cognoscere nos per peccatum a vita Dei esse abalienatos, gloria Dei destitutos et natura iræ filios; Christum autem solum esse mediatorem inter Deum et homines, qui seipsum dederit redemptionem pro omnibus. Ad hanc necessariam cognitionem accedat necesse est assensus, id est certa firmaque animi persuasio de veritate indubitata eorum, quæ in Scriptura sacra de salute per meritum Christi impetranda, de peccatorum remissione et reliquis huc spectantibus tradit. Nec sufficit *assensus generalis*, sed *specialis, quo quis ut sibi dicta et ad se pertinentia hæc omnia ad seipsum transfert intima persuasione.* »

3. *Ibid.*, p. 220 : « Denique *fiducia* præcipuam fidei, qua justificamur, partem constituit, id est actus, quo Christum cum ipsius merito omnibusque bonis per illud nobis partis velut totum nostrum facimus, atque in eo tanquam remissionis peccatorum nostræque cum Deo reconciliationis causa adquiescimus. »

4. *Ibid.*, p. 220-221 : « Hanc fiduciam, sicut et reliqua omnia quæ ad *pænitentiam* et fidem spectant, ipse Spiritus Sanctus operatur in nobis. »

5. « Hinc facile perspici potest fidem mere *historicam*, itemque *mortuam*, veræ fidei nomine neutiquam designari. *Historicam* eam fidem vocamus, qua quis ea, quæ Scriptura de credendis... tradit, vera esse credit, assensu tamen mere humano. Ut quid *mortua fides* sit, intelligatur, considerandum in quo vita fidei consistit : in eo scilicet in quo vim

fidei non sunt ejusdem generis. Quidam enim *immediate* ex ea fluunt, ut peccatorum remissio (Act., x, 43), justificatio (Rom., iv, 5), adoptio in filios Dei (Joa., i, 12) itemque pax spiritualis (Rom., v, 1); alii *mediate*, ut *renovatio* (Rom., xii, 1, 2), hinc et bona opera quævis, utpote fructus fidei (II Pet., i, 5), speciatim spes et charitas [1] (I Cor., xiii).

V. — De regeneratione.

Quid *regenerationis* voce theologi lutheranizantes intelligant, nobis aperit Gorskii his verbis :

« Deficiente vera fide, nulla datur justificatio; ea vero existente, homo non potest non justificari. Cum igitur fides nemini per naturam insit, aliqua opus est *mutatione*, ut homo justificari et salvari possit. Hanc mutationem Scriptura vocat *regenerationem* (Joa., iii, 5; Tit., iii, 5; I Pet., i, 3; Joa., v, 1). *Regeneratio* igitur ejusmodi actionem indicat, qua Deus hominem ex statu mortis spiritualis ad vitam spiritualem perducit, dum fidem perque eam vires illas, quæ vitam spiritualem demonstrant, in eo operatur [2]. »

Hæc autem mutatio non est *substantialis*, sed tantum *accidentalis* : « Vita autem spiritualis præcipue in fide consistit, quippe quæ omnium virium spiritualium, quæ in homine regenito conspiciuntur, principium atque radix est [3]. »

Hanc autem vitam spiritualem ita describit auctor, ut constet eum docere veram immutationem intimam in omnibus mentis facultatibus, immo in ipso appetitu sensitivo [4]. Cæterum, de hujus vitæ spiritualis indole infra rursus sermo erit, ubi de sanctificatione et renovatione.

suam actu demonstrat; quod fit per veram adprehensionem et adplicationem meriti Christi. Tum etiam per fructus seu effectus fidei, in *renovatione* seu *sanctificatione* vita ejus demonstratur. Mortua itaque fides est, quæ assensu divino et vera fiducia destituitur. Qua quidem ratione omnis fides historica, item fides *operibus destituta*, erit mortua fides, adeoque nullo modo vera fides, teste Iacobo apostolo (ii, 17). *Ibid.*, p. 222-223.

1. P. 222-223.
2. P. 224.
3. *Ibid.*
4. P. 224-225.

VI. — De justificatione proprie dicta.

Definita regeneratione, nostri auctores naturam justificationis clarius elucidare tentant ejusque definitionem tandem tradunt. Formulam : *Fides sola justificat* iterum explicant :

« Ut justitia et obedientia Christi nobis imputari queat, ex parte nostra fides adsit necesse est, *qua eam apprehendimus*, ac veluti nostram facimus. Unde et præter favorem Dei gratuitum meritumque Christi, fides etiam inter *causas* justificationis recte refertur; cumque nihil plane aliud ex parte hominis, quocumque nomine veniat, ad justificationem ejus concurrat, recte omnino dicitur quod *sola fides hominem justificet* [1]. »

Vidimus autem supra quid sit hujusmodi fides, et quomodo revera comprehendat omnia (et *ultra*), quæ nomine dispositionum ad justificationem prærequisitarum apud theologos catholicos veniunt. Unde formula eumdem sensum non amplius præfert, quem apud primævos Protestantes habebat. Demonstratio Gorskii et aliorum ad hoc tantum tendit, ut statuat gratiam justificationis ita esse gratuitam, ut nullis operibus, sive legis, sive quibuscumque aliis *eam præcedentibus, vere mereri* possit; quod non negat theologia catholica. Formula ergo apud theologos illos fallax est. Ipsi revera ad justificationem adipiscendam requirunt aliquam hominis cooperationem ad gratiam et quosdam actus prævios sub ejus motione productos, quos *opera* vocare nolunt, ut antiquato loquendi modo adhæreant.

Aliud ejusdem fallaciæ exemplum habes in ipsa definitione *justificationis*. Juxta Catholicos et Græco-Russos a schola Procopovitch alienos, justificatio est operatio, qua Deus, cooperante ipso homine, peccatori remissionem delictorum tribuit eumque coram se vere et intime sanctificat, renovat et *justum facit*. Juxta Lutheranos veri nominis, justificatio est *actus forensis*, quo Deus justum declarat peccatorem in peccatis et sordibus revera permanentem nullatenusque intime mutatum, propter justitiam Christi ei *ab extrinseco* imputatam. Nostri autem lutheranizantes voci

1. *Op. cit.*, p. 232.

justificatio eumdem sensum *actus forensis* præfigunt; sed hic actus forensis, hæc Dei mere externa declaratio cadit in hominem jam re ipsa regenitum, a peccatis veraciter purgatum et intime mutatum ac renovatum. Ita saltem Th. Gorskii :

« Cum autem, inquit, vox *justificatio* sæpissime in sacra Scriptura occurrat, tum alias, tum et quoties de hominis peccatoris coram tribunali divino justificatione sermo est, non aliter quam in *forensi significatione adhibetur*, atque ejusmodi actum denotat, quo Deus hominem *peccatorem*, sed *regenitum* adeoque vera fide meritum Christi apprehendentem, *innocentem et ab omni reatu peccatorum liberum*, hinc et filium Dei atque hæredem vitæ æternæ pronuntiat [1]. »

VII. — De sanctificatione et renovatione. De bonorum operum necessitate.

Secundum theologos de quibus agimus, homo semel justificatus non solum a peccatis omnino abstinere debet, sed etiam gratiæ viribus, quibus auctus est, uti, ut in justitia

1. Gorskii *op. cit.*, p. 238. Paulo aliter Theophanes Procopovitch, *Theologia christiana*, t. II, p. 510 sq., et S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 437, justificationem definiunt : « Justificatio est actus, quo Deus hominem peccatorem, peccata sua cum dolore agnoscentem et in Christum credentem, propter solum Christi meritum fide apprehensum, gratis justum habet et declarat, non imputatis ei peccatis ejus, imputata vero ipsi justitia Christi, quasi illa sit sua propria tali homini. » Cæterum, ut supra vidimus in capite de peccato originali, non solum Procopovitch et Lebedinskii, sed etiam ipse Gorskii, docent « Christum tollere peccata, non ea radicitus evellendo et totaliter exstirpando, sed pro eis plenissime satisfaciendo, *renatis ea non imputando*, dominium illis auferendo et in altero sæculo penitus destruendo ». Quomodo autem hæc cohæreant cum iis, quæ de regeneratione iidem proferunt, ostendere conantur distinguendo inter fidem consideratam respectu ipsius justificationis et fidem spectatam in persona justificati, *sive post justificationem*. Sub primo adspectu, fides sola est instrumentum apprehendens Christi meritum solaque justificat. Sub altera autem ratione, fides nunquam est sola, sed semper reliquis stipata virtutibus. Ita Lebedinskii post Theophanem, *op. cit.*, p. 439. Revera systema lutheranismi mitigati intrinseca contradictione laborat. Definitiones primævi protestantismi relinquere nolens, novis conceptibus illas connectit. Inde inconsequentiæ et in terminis fallaciæ.

accepta magis magisque crescat, peccati reliquias in se exstirpet et in bonis operibus se exerceat. Bona opera enim ad salutem omnino necessaria sunt, et ex vera fide, ut fructus ex arbore, oriuntur [1]. Cæterum opera hujusmodi semper imperfecta manent. In hac imperfectione hi theologi insistunt [2]. Præterea — et in hoc lutheranismo genuino omnino

1. « Vita illa spiritualis, quam per fidem homines regeniti acceperunt, et conservari et novis augeri incrementis debet, idque ut fiat, subinde opus est ut quæ iis adhærent imperfectiones exuant, et quæ adhuc desunt adquirant, ut ita novus homo corroboretur atque crescat in mensuram plenitudinis Christi (Eph., IV, 13) et imago Dei magis magisque in nobis perficiatur (Eph., IV, 24); atque hoc est quod *sanctificationem* itemque renovationem vocare solent. Hinc de necessitate sanctificationis seu renovationis nemo dubitaverit nisi qui ipsius vitæ spiritualis conservationem eamque augendi et promovendi studium parum necessarium existimaverit, quod absonum foret. Utilitas vel ex bonis, quæ eam aut comitantur, aut consequuntur, intelligitur. Hinc et difficultate, quæ ex carnis reluctantia oritur nemo ab ea deterrebitur. Quamtumvis autem omnem quis navet operam, ut in ea progrediatur, semper imperfecta manebit. » *Op. cit.*, p. 251-252. *Item*, p. 254 : « Quæ homo ad sanctificationem suam confert in eo præcipue consistunt quod impedimenta, quibus gratia divina sufflaminatur, removeat, et mediis, quibus gratia divina ejusque incrementum obtinetur, recte utatur. » De operum bonum necessitate idem auctor multa habet, p. 253-261 : « Opera bona necessaria sunt : *a)* intuitu eorum quæ speciatim erga Deum præstanda sunt, ut pietatem nostram demonstremus, ac ita nomen Dei et glorificemus ipsi et aliis, ut idem faciant, occasionem præbeamus (Matth., V, 16; I Pet., II, 12); *b)* intuitu nostri, ut abstineamus a cupiditatibus, quæ cum anima pugnant (I Pet., II, 11); *c)* intuitu denique aliorum, ut omnibus et singulis ea præstemus, ad quæ illis obstricti sumus, et ita amorem nostrum erga eos patefaciamus, quem legis impletionem Apostolus dixit (Gal., V, 14). » P. 260. Cf. S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 440-441 : « Certæ et vivæ fidei fructus sunt bona opera per divinam gratiam in homine credente producta, sine quibus fides mortua est; ideoque, quamvis gratia justificans in se sit efficax, nisi tamen frugifera credentis fides adfuerit, justitia meritis Christi comparata ille privatur. »

2. Gorskii *op. cit.*, p. 256 : « Quamtumvis magnam adhibeamus diligentiam, semper tamen vitæ nostræ sanctitas manet imperfecta. » *Item*, p. 260 : « Equidem ad exactissimam cum lege convenientiam quod attinet, nec in regenitorum operibus bonis ea deprehenditur; quibus plurimas subinde adhærere imperfectiones lubentes itidem largimur. » Nota quam mitigatus sit iste loquendi modus præ illo quem adhibent, ubi de corruptione hominis per peccatum originale tractant.

consonant — operibus justificatorum rationem veri meriti denegant [1].

Quamvis homo in justitia semel accepta usque ad finem perseverare possit, si mediis gratiæ a Deo concessis bene uti velit, ab ea tamen propria culpa excidere potest [2].

VIII. — De prædestinatione et reprobatione.

Ex principiis lutheranismi et calvinismi, a Theophane ejusque discipulis in tractatu de peccato originali receptis [3], logice fluit prædestinatianismus absolutus seu antecedens electio quorumdam ad salutem et destinatio aliorum ad damnationem. Mirum est autem hos theologos principiorum hujusmodi penitus oblivisci, ubi de prædestinatione et reprobatione agunt. Juxta ipsos enim prædestinatio et reprobatio

1. « Alii denique bonis operibus, plus quam decet, tribuunt, dum hominem iis divinam gratiam vitamque æternam promereri posse contendunt, gratiæ divinæ tantum adimentes quantum operibus adscribunt; simul tamen spuriam minusque genuinam de bonis operibus notionem animo concipientes. » Gorskii, p. 260. Cf. Lebedinskii, p. 439 : « Opera humana, per gratiam etiam adjuta, nec sunt per se, nec proprie dicta causa, nec causa meritoria vitæ æternæ, sed solum ex Dei voluntate requiruntur. Audiunt quidem meritum, sed ex mera gratia Dei in illis sese exserente. »

2. « Quemadmodum etiam nemo æternæ salutis compos fieri potest, nisi fuerit regenitus (Joa., III, 3, 5), ita permanere homo in hocce regenerationis statu et usque ad vitæ finem perseverare potest, si modo ipse sibi prospiciat et mediis gratiæ a Deo concessis recte utatur (Joa., X, 28; II Tim., II, 5). Quodsi autem hoc intermittat, nec sibi, prout decet, caveat, fieri potest, ut ex hocce statu excidat, et sordibus, quas evaserat, iterum immergatur, II Pet., II, 20. Restitui tamen rursus potest si, agnito errore, serio ad Deum convertatur. » Gorskii, p. 225. Cf. p. 256.

3. Cf. supra, p. 625. Absolutam passivitatem liberi arbitrii quoad actus salutares docent : « Quod attinet ad actiones spirituales salutiferas, arbitrium hominis corrupti in se spectati non est liberum, sed servum. Homo cooperatur Deo per gratiam, non per naturam seu suis viribus. » S. Lebedinskii, *op. cit.*, p. 256. Tenent quidem liberum arbitrium hominis corrupti *manere integrum* quoad actiones carnales et civiliter tantum bonas; at vero hoc liberum arbitrium ipsum est *peccati servum*, et si Irenæo Falkovskii credas, *op. cit.*, p. 281, servitus peccati non excludit nisi *libertatem a coactione*, nequaquam vero *libertatem a necessitate* : « Nam servitus non esset, nisi imponeret homini necessitatem peccandi, atque sic libertatem a necessitate tolleret. »

non pendent ab absoluta et antecedenti voluntate Dei quosdam eligentis et alios reprobantis, sed sequuntur æternam prævisionem liberæ acceptationis gratiæ omnibus oblatæ necnon usque ad vitæ finem perseverantiæ in justitia et sanctitate per bona opera in dies aucta. Aliis verbis, paucis in modis loquendi immutatis et rejecta omnis meriti proprie dicti notione, communem Græcorum conceptum retinent :

« Prædestinatio, ait Gorskii, est electio seu actus ille, quo eos quos credituros in Christum et in fide vera ac viva ad finem usque vitæ perseveraturos prævidit, ad salutem æternam perducere decrevit... Non omnes Deus eligit, sed eos quos in fide ad vitæ finem perseveraturos prævidit [1]...

« Ex decreto prædestinationis recte colligitur cujusmodi sit decretum reprobationis. Justitia enim sua hominumque peccatis, accedente eorum incredulitate finali, qua aditum ad salutem sibi intercludunt, inductus Deus, homines impios incredulosque, et in incredulitate ad vitæ finem perseverantes æternis pœnis cruciatibusque addicere ab æterno decrevit, idque ad justitiæ suæ demonstrationem gloriæque manifestationem; quod quidem decretum particulare, immutabile et æternum esse res ipsa docet. Deus vult omnium salutem, sed peccatores qui gratiam sibi a Deo oblatam respuunt, *ipsi adeo efficiunt ne fides in illis produci queat;* aut si etiam crediderunt, in fide tamen ad finem usque non persistunt [2]. »

Decreta autem divina de electorum prædestinatione idem auctor ita ordinat :

« Primum est decrevisse Deum constituere Filium suum mundi salvatorem, qui peccatum morte sua aboleat, amissam salutem obedientia sua impetret et virtute sua communicet (Rom., V, 8; Heb., II, 14, 15).

« Secundum est decrevisse Deum resipiscentes et credentes in gratiam recipere et, si in fide Christi ad finem vitæ usque permanserint, per Christum et propter Christum salvos facere (Joa., VI, 40; Marc., XVI, 16; Act., II, 38).

« Tertium est decrevisse Deum media ad resipiscentiam

1. *Op. cit.*, p. 319-320, 324.
2. *Op. cit.*, p. 326-327.

necessaria sufficienter præbere et efficaciter administrare (Tit., II, 11; Rom., XI, 32; Joa., III, 16, 17). Et hæc catena illa decretorum Dei, hic ordo quem Deus in electis salvandis et vita æterna beandis servat, prout monumenta sacra diserte docent [1]. »

« Homines de electione sua certi esse possunt, modo credant mediisque gratiæ, quibus fides conservari potest, recte utantur (Luc., X, 20). Enim vero si homo revera credens nec vana quadam illusione seipsum decipiens, de salute sua certus esse potest, non minus de prædestinatione sua seu electione ad salutem certus esse poterit. De salute autem sua tunc certus esse potest, quando certo novit se vera fide præditum esse. Ad perseverationem autem in fide quod attinet, de ea itidem certus esse potest ob promissiones divinas, *modo ipse mediis gratiæ, quibus fides ad finem vitæ usque conservatur, recte utatur.* Id vero si non faciat, non Dei, sed suamet culpa fine sperato excidet [2]. »

Vides hanc certitudinem ab illa quam Lutherus et Calvinus prædicarunt, longe esse.

ARTICULUS V

De Graeco-Russorum recentiorum doctrina.

De Græco-Russorum recentiorum doctrina, cujus indolem in prænotaminibus ad præsentem tractatum breviter adumbravimus, pauca notanda veniunt. Auctores compendiorum classicorum doctrinam confessionum fidei sæculi XVII generatim tradunt; unde et theologiæ catholicæ, in iis saltem quæ ad fidem definitam pertinent, in omnibus fere consonant, quamvis terminis impropriis haud semel utantur et benigne sint interpretandi. Qui vero speciales dissertationes seu monographias de quæstionibus ad gratiam pertinentibus ediderunt, a theologia classica aliquando recedunt, et in doctrinam catholicam, quam plerumque perperam intelligunt,

1. P. 321-322.
2. P. 324-325.

tela conjiciunt [1]. Theologi russi omnem quæstionem pure scholasticam de industria vitant, immo et contemnunt, dictis Patrum contenti.

Quæ de eorum doctrina referre utile ducimus sub quinque sectionibus ordinamus. Sermo erit :

1° De notione, divisione, necessitate et efficacia gratiæ;
2° De quæstionibus ad justificationem pertinentibus;
3° De merito;
4° De criminationibus quorumdam theologorum contra doctrinam catholicam;
5° De prædestinatione.

1. Præter compendia classica consueta, de gratia tractant : 1° A. Katanskii, *Ucenie o blagodati bogiei (Doctrina de gratia divina in operibus SS. Patrum et doctorum Ecclesiæ usque ad beatum Augustinum)*, in *Lectione christiana*, t. II, 1900, p. 3-47, 169-196, 321-349, 467-500, 657-690, 849-866 : Disquisitio laude digna de doctrina sacræ Scripturæ et Patrum usque ad controversiam pelagianam; 2° I. L. Yanychev, *Pravoslavno-khristianskoe ucenie o nratsvennosti (Doctrina orthodoxiæ christianæ de moralitate)*, Mosquæ, 1887; 3° S. Zarin, *Asketism po pravoslavno-khristianskomu uceniu (Ascesis secundum doctrinam orthodoxo-christianam)*, l. I, t. II, Petropoli, 1907; 4° Theophanes episcopus, *Pisma k odnomu litsu v Peterburghie po povodu poiavleniia tam novago uciteliia viery (Epistolæ ad quemdam Petropolitanum occasione adventus in hanc civitatem novi doctoris fidei)* (speciatim epist. III), Petropoli, 1881; 5° P. Leporskii, art. *Blagodat (= Gratia)* in *Encyclop. theol. russica*, t. II, col. 637-652; 6° Ejusdem art. *Vozrogdenie (= Regeneratio)*, *op. cit.*, t. III, col. 683-694; 7° C. Glagolev, art. *Viera (= Fides)*, *ibid.*, t. III, col. 1108-1121; 8° A. Rogdestvenskii, *Iz oblasti sravnitelnago bogosloviia. Ucenie zapadn. vieroispoviedami ob otnochenii blagodati k estesvennym silam celovieka (Ex provincia theologiæ comparatæ. Doctrina confessionum occidentalium de rationibus gratiæ ad vires naturales hominis. De justificatione*, etc.) in commentario : *Trudy Academiæ Kioviensis*, 1909, t. II, p. 534-545; t. III, p. 1-19; 1910, t. I, p. 147-163, 453-477; t. II, p. 363-374; 9° Sergius, archimandrita, *Razbor inoslavnykh ucenii ob opravdanii*, in commentario *Bogoslovskii Vietsnik*, 1895, t. II, p. 1-26, 346-364; t. III, p. 141-156, 354-360; 10° P. Svietlov, *Kurs apologheticeskago bogosloviia (Cursus theologiæ apologeticæ)*, ed. 4, Kioviæ, 1912, p. 342-363; 11° G. Titov, *Uroki po prostrannomu khristianskomu katikhizissu Philareta (Lectiones de catechismo majori Philareta)*, t. I, ed. 3, Mosquæ, 1904; 12° P. Solarskii, *Nrastvennoe pravosl. bogoslovie (Theologia moralis orthodoxa)*, Petropoli, 1869, p. 28-31; 13° D. S. Balanus, Ἡ περὶ δικαιώσεως διδασκαλία τῆς ὀρθοδόξου Ἑλληνικῆς Ἐκκλησίας ἐπὶ τῇ βάσει τῶν πηγῶν, Athenis, 1904.

I. — De notione, divisione, necessitate et efficacia gratiæ.

Cum Græco-Russi recentiores scholasticæ latinæ omnino valedixerint, apud eos in vanum quæres accuratam gratiæ definitionem, vel certam distinctionem inter gratiam actualem et gratiam habitualem; immo expresse non definiunt utrum gratia sit aliquid creatum, an ipsa Dei operatio increata in se considerata. Omnia quæ ad naturam, species, divisiones gratiæ pertinent, in incerto relinquunt, dictionibus et loquendi modis in sacra Scriptura et apud antiquos Patres occurrentibus simpliciter utentes.

Gratiam generatim definiunt ut quamdam *virtutem* seu *operationem* divinam *supernaturalem* in animam vel facultates hominis ad illum sanctificandum [1]. Quidam tamen terminos adhibent notioni gratiæ habitualis sanctificantis respondentes [2].

Varias gratiæ denominationes apud nostros scholasticos usurpatas quidam rejiciunt ut rem potius obscurantes quam elucidantes, vel ut prorsus inutiles [3]; si quando vero eas

1. Cf. Macarium, *op. cit.*, t. II, p. 249 : « Gratia est virtus specialis seu operatio divina, propter Salvatoris merita nobis data, a peccato nos purgans, nos renovans et coram Deo justificans, nos corroborans et in virtute crescere faciens in vitam æternam. » Malinovskii, *op. cit.*, t. II, p. 159, 161, 165 : « Gratia est specialis virtus divina supernaturalis, virtus Christi, virtus viva et efficax, donum Dei gratuitum propter Salvatoris merita in cordibus nostris diffusa, virtus sanctificatrix intime nos renovans. » Philaretus Gumilevskii, *op. cit.*, t. II, p. 115 : « Operatio supernaturalis Spiritus Sancti in anima. » S. Malevanskii, *op. cit.*, t. IV, p. 190 : « Vis intima in homine operans. » Zarin, *op. cit.* : « Nomine gratiæ indicatur infusio copiosa amoris Dei in hominibus sub forma vivæ, realis virtutis, hominibus conferens omnia bona redemptionis, per quam cum Deo in Christo veraciter communicant. » Mesoloras, *op. cit.*, t. II, 1, p. 244, 267 : « Ἡ θεία χάρις εἶνε ἡ ὑπερφυσικὴ καὶ σωτήριος ἐκείνη δύναμις καὶ ἐνέργεια τοῦ Θεοῦ, δι' ἧς καθορτοῦται ἡ προσοικείωσις τοῦ ἀπολυτρωτικοῦ ἔργου τοῦ Σωτῆρος, συνδεομένη ὅμως πάντοτε μετὰ τῆς ἐλευθέρας βουλήσεως καὶ ἐνεργείας τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἐκδηλουμένη ἐν τῇ ἐπιστροφῇ, τῇ ἀναγεννήσει, τῇ δικαιώσει καὶ τῷ ἁγιασμῷ αὐτοῦ. »

2. Ita Andrutsus, Συμβολική, ed. 2, p. 246, vocat gratiam : « τὸ ζωογόνον σπέρμα τῆς νέας ζωῆς. » Cf. Δογματικήν, p. 219 : « δύναμις ἐσωτερικὴ ἐγγεννῶσα καὶ ἐκτρέφουσα τὴν πνευματικὴν ζωήν. »

3. Ita Ph. Gumilevskii, p. 124; Andrutsus, Δογματική, p. 219 : « ἄνευ πραγματικοῦ περιεχομένου ἢ σημασίας. »

retinent, hujusmodi divisionibus *eamdem omnino rem* intelligunt, quæ diversis nuncupatur appellationibus pro variis ejus muniis vel effectibus, non vero diversas entitates supernaturales *specie inter se differentes* [1]. Unum tantum vel alterum invenimus qui post Dositheum (in *Confessione fidei*) duplicem gratiam *specie diversam* ponat [2].

Theses catholicas de absoluta gratiæ necessitate etiam ad fidei initium necnon de ejus gratuitate communiter docent; erroresque circa hujusmodi quæstiones refellunt [3]. Aliqua tamen semipelagianismi vestigia apud quosdam invenire est [4].

Ad efficaciam gratiæ quod attinet, plerique tenent quidem Deum per suam gratiam prævenientem operari in nobis *sine nobis* motus indeliberatos intellectus et voluntatis [5]. Docent vero a voluntate libera pendere, ut hujusmodi motibus assensum præstet vel deneget; nec ullam norunt gratiam ita

1. Ita præsertim Macarius, p. 250 : « Vocatur *externa*, quatenus agit in hominem ab extrinseco per media externa, ut verbum Dei, Evangelium, miracula, etc.; vocatur *interna*, quatenus agit immediate in ipso homine. Vocatur *permanens (postoiannoiu)*, quatenus permanenter habitat in anima hominis et illum efficit justum et Deo gratum », etc. Eodem fere modo alii loquuntur, ubi quasdam dant gratiæ divisiones.

2. Ita G. Titov, *op. cit.*, t. I, p. 447, distinguit inter gratiam *communem*, omnibus concessam, quam Dositheus, c. III, vocat προκαταρκτικήν, et gratiam *christianam proprie dictam*, quæ sola salutem operatur. Gratiam communem describit ut quamdam invitationem ad bonum, quamdam introductionem in pænitentiam.

3. Ita compendia classica omnia. In necessitate gratiæ potissimum insistit P. Solarskii, *op. cit.*, p. 28-29.

4. Ita Zarin, *op. cit.*, p. 87, 103, 104, qui quosdam Patrum græcorum, præsertim Chrysostomi, locos recitat, ex quibus colligit gratiam homini eo tantum momento cooperari incipere, quo homo propriis suis viribus jam primos gressus, primos conatus fecerit et sequi Christum firmiter sibi proposuerit.

5. Cf. Macarium, p. 250, ubi gratiam prævenientem definit. P. Leporskii tamen, art. *Blagodat*, *loc. cit.*, p. 648, nullam admittit gratiæ operationem quæ cum cooperatione libera hominis reapse non conjungatur. In omni gratiæ interventu, juxta hunc theologum, utriusque agentis, gratiæ nempe et libertatis, synergismus seu cooperatio deprehenditur; secus enim, inquit, aliquam haberemus gratiæ operationem *magicam* et *mysticam* : *Nec libertas præcedit gratiam, nec gratia præcedit libertatem, sed utraque eodem momento et tempore indivisibiliter agit.* Ita etiam episcopus Theophanes, *op. cit.*, epist. III.

per se ab intrinseco efficacem, cujus effectus non pendeat etiam a libero consensu voluntatis. Unde *gratiam sufficientem* quidam definiunt eam, quæ inefficax remanet propter defectum consensus voluntatis liberæ [1]. De hac cooperatione seu *synergismo* gratiæ et libertatis omnes loquuntur, quin ullo modo eam philosophice explicare tentent [2].

II. — De quæstionibus ad justificationem pertinentibus.

Justificationem omnes concipiunt ut secum trahentem veram peccatorum remissionem et operantem intimam hominis renovationem, sanctificationem saltem inchoatam, immo et deificationem. De ejus vero conditionibus necnon de quibusdam effectibus illius diversi diversos loquendi modos adhibent, qui haud parvam confusionem lectori ingerere possunt. Quidam formulam Protestantium retinent : *Fides sola sine operibus justificat;* verum illam ita interpretantur, ut a sensu Lutheri vel Calvini longe sint et a doctrina catholica re ipsa vix recedant [3]. Alii, præter fidem, ad justificationem requirunt spem, charitatem vel pænitentiam [4].

Quidam duplicem justificationem distinguere volunt, nempe *justificationem peccatoris et justificationem justi* [5]. Alii

1. Ita Macarius, p. 250, et post eum alii communiter.

2. Cf. Macarium, p. 277; Ph. Gumilevskii, p. 120; S. Malevanskii, t. IV, p. 190-191, et passim ubi de Patrum doctrina sermo est; Zarin, *op. cit.*, p. 75.

3. Ita inter alios S. Balanus, *op. cit.*, p. 40-41 : « Patres græci ὁμοφώνως διδάσκουσι τὴν δικαίωσιν ἐκ μόνης τῆς πίστεως. » Verum addit fidem justificantem necessario includere fiduciam seu spem, « quæ in nobis excitat novam conscientiam moralem, novas vires », p. 41-42 : « Ἡ πίστις δὲν εἶναι μόνον γνῶσις καὶ ἀποδοχὴ ἀλλὰ καὶ πεποίθησις ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν τοῦ ὅλου περιεχομένου τῆς θείας ἀποκαλύψεως, οὐχὶ μόνον διὰ τοῦ νοῦ, ἀλλὰ δι' ἁπασῶν τῶν δυνάμεων τῆς ψυχῆς καὶ κυρίως τῆς καρδίας. »

4. Macarius, p. 310 : « Fides justificans est fides cum charitate conjuncta. » Mesoloras, p. 265, 271, N. Damalas, Περὶ ἀρχῶν, p. 128-129, requirunt fidem, spem, charitatem. G. Titov, t. I, p. 456, et Leporskii, *art. cit.*, col. 642, ponunt pænitentiam et fidem.

5. Ita Damalas, *op. cit.*, p. 132, 146-158, 190; præsertim S. Balanus, *op. cit.*, p. 28-39, qui hujus protestanticæ divisionis vestigia detegit in quibusdam aliis theologis græco-russis. *Justificatio justi* est actus, quo Deus in altera vita unicuique reddit secundum opera ejus : « Ἡ ἀπόδοσις εἰς τὸν δίκαιον ἀμοιβῶν κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. » Damalas et Balanus hac distinctione utuntur, ut solvant apparentem contradictionem inter Paulum et Jacobum de operibus ad justificationem quod attinet. Paulus loqueretur de operibus respectu justificationis peccatoris; Jacobus vero opera hominis jam justificati respiceret.

hanc distinctionem ut omni fundamento carentem et prorsus inutilem rejiciunt [1].

Dum theologi optimæ notæ nullam detegunt differentiam, quoad justificationem, inter doctrinam Ecclesiæ catholicæ et doctrinam Ecclesiæ græco-russicæ, quidam recentes discrepantias sine causa multiplicant [2].

III. — De merito.

Omnes theologi græco-russi usque ad Theophanem Procopovitch ejusque discipulos, et imprimis documenta publica sæculo XVII contra Protestantes edita, doctrinam catholicam de merito bonorum operum a justificatis perfectorum omnino expresse docent. Inter recentes autem theologos, multi quidem, præsertim inter Græcos, hanc doctrinam retinent [3]. At vero multi etiam, præsertim inter Russos slavophilismo Khomiakovi imbutos, ei contradicunt ut uni ex fetibus juridismi romani. Negatio occurrit non solum in dissertationibus privatorum [4], sed etiam in quibusdam compendiis theologiæ dogmaticæ in usum seminariorum publica auctoritate recep-

1. Ita potissimum Andrutsus, Δογματική, p. 253-259.

2. Macarius, Antonius, Andrutsus nullam veram differentiam notant vel inveniunt de hac quæstione inter utramque Ecclesiam. Hoc positive demonstrat Andrutsus in utroque opere suo contra Damalam, Mesoloram et Balanum. Discrepantiæ ab aliis adinventæ infra, § III et IV, indicantur.

3. Macarius non quidam meritum negat, sed de eo vix loquitur : cf. p. 271 et 311. Hanc doctrinam autem expresse tradunt Antonius, *op. cit.*, p. 294; Damalas, p. 176-178, quamvis de hac quæstione concilium Tridentinum, cujus doctrinam non intellexit, temere increpet; Mesoloras, p. 275, 279, quamvis contrarium dicere videatur; Andrutsus, Συμβολική, ed. 2, p. 244, n. 1; p. 262-263; Δογματική, p. 248.

4. Meritum negant : 1° Iu. Th. Samarin, *Stephan Iavorskii i Theophan Prokopovitch. Opera omnia*, ed. D. Samarin, t. V, Mosquæ, 1880, p. 29-30; 2° A. Rogdestvenskii, *op. cit.*, *Trudy Ac. Kioviensis*, t. I, 1910, p. 454-455; 3° Sergius archimandrita, *op. cit.*, *Bogosl. Viestnik*, t. III, 1895, p. 354-360; 4° Zarin, *op. cit.*, p. 112, 161 sq., qui hanc doctrinam penitus convellere nititur. Ad diserta Scripturæ et ipsius Christi necnon apostolorum verba respondet Christum et apostolos *pastoraliter*, non

tis [1]. Cæterum, haud raro accidit, ut verus sensus veraque indoles doctrinæ catholicæ de hac quæstione graviter adulterentur, quasi merita nostra a meritis ipsius Christi non penderent nec in eis aliquo vero sensu Deus dona sua coronaret.

IV. — De criminationibus quorumdam theologorum contra doctrinam catholicam.

Iidem theologi qui justorum bonis operibus veri meriti rationem denegant, alias etiam contra theologiam catholicam de gratia criminationes proferre solent; quarum unam vix invenies quæ falso supposito non innitatur. Aliquot exemplis rem illustremus.

Plerique impugnant doctrinam de operibus supererogatoriis et thesaurum inde provenientem meritorum superabundantium sanctorum, quæ fidelibus indigentibus per indulgentias a papa distribui possint, quia putant Catholicos docere unius merita *ut sic* in alium quasi *mechanice* transferri posse, abstractione facta ab ejus intimis dispositionibus. Ignorant enim nostros theologos in omni opere meritorio distinguere valorem meritorium proprie dictum, qui justo ita proprius est, ut in alium transferri nequeat, et valorem satisfactorium pro pœnis temporalibus pro peccato debitis, qui ad alios transire possit, positis certis conditionibus; vel etiam totam de pœna temporali doctrinam rejiciunt [2].

Ideo autem existentiam operum supererogationis negant,

vero *dogmatice* locutos fuisse et captui auditorum vel lectorum sese accommodasse : Homo justificatus vitam æternam nullatenus mereri potest. Vita æterna est donum omnino gratuitum. Opera bona in quibus fides salvifica se prodit, nihil aliud sunt nisi externa ejus signa, concretæ expressiones et media per quæ Christi justitia credentibus appropriatur.

1. Malinovskii, *op. cit.*, p. 290, meritum directe impugnat. Hæc doctrina, inquit, fallax est et operi Redemptoris detrahit. G. Titov, *op. cit.*, p. 476-478, negat justum suis bonis operibus mereri posse augmentum gratiæ et gloriæ : « Ecclesia orthodoxa, ait, *meriti* voce opera nostra nuncupare vitat. »

2. De thesauro meritorum, de reparatione pro peccatis necnon de operibus supererogationis vide longam dissertationem V. Repa in t. x *Actorum Academiæ Velehradensis*, Pragæ, 1919, p. 197-264. De thesauro quædam dicimus in tomo III nostri operis, p. 376-377.

quia nemo, inquiunt, legem Dei ejusque voluntatem *perfecte* adimplet, nedum quid ultra debitum faciat. Inde etiam ad rejiciendam distinctionem inter præcepta et consilia procedunt, dicentes hanc distinctionem valere tantummodo ex parte objecti, non vero ex parte subjecti, quatenus scilicet ille ad consilia amplectenda et exsequenda necessario teneatur qui ad ea adimplenda a Deo se vocatum esse ex intima persuasione credit. Tunc enim quod aliis merum manet consilium, ei fit verum præceptum [1].

Malinovskii Catholicos semipelagianismi insimulat, quod doceant hominem incipere salutis opus et idem perficere [2]. Secundum eumdem theologum, fides justificans de qua loquuntur Catholici, est cognitio mere speculativa et intellectualis, fides mortua [3]. Damalas, Mesoloras et Balanus doctrinam de virtutibus infusis impetunt, quod vera virtus non possit esse absque libera cooperatione voluntatis humanæ [4]. Andrutsus, e contra, hanc doctrinam probat et explicat [5]. Balanus præcipuum errorem Ecclesiæ catholicæ detegit in hoc quod teneat infidelem, ante justificationem, posse facere opera quæ Deo placeant [6]. Idem concilio Tridentino crimini vertit, quod doceat hominem non posse certo scire se esse justificatum. Si illi credas, qui baptismum suscepit, certo justificatus est; siquidem baptismus est simul signum et confirmatio tum fidei, tum ipsius justificationis [7]. Quasdam

1. Hanc thesim præter alios fuse exponit G. Papamikhail in commentario Νέα Σιών, t. IV (1906), p. 233-246 : Σύγκρουσις καθηκόντων. Τὰ ὑπεροφειλόμενα. Item Andrutsus, Συμβολική, p. 264-270; Δογματική, p. 249-251.

2. *Op. cit.*, p. 190.

3. *Ibid.*, p. 190-191.

4. Damalas, p. 151-153; Mesoloras, p. 263; Balanus, Κρίσις τῆς δογματικῆς τοῦ Χ. Ανδρούτσου, in commentario Νέα Σιών, 1907, p. 694-695.

5. Δογματική, p. 251 in nota; Συμβολική, p. 240-246.

6. Περὶ δικαιώσεως, p. 32, 51.

7. *Op. cit.*, p. 43-45 : « Ὁ βαπτισθεὶς καὶ ἐδικαιώθη... Ἀστήρικτος ἄρα ἡ δόξα τῆς ῥωμαϊκῆς Ἐκκλησίας, ὅτι οὐδέποτε δύναταί τις νὰ ἔχῃ πεποίθησιν καὶ βεβαιότητα ὅτι ἐδικαιώθη. » Aliquid simile docet N. Damalas, *op. cit.*, p. 153, 187 : « Ὅσον ἀφορᾷ εἰς τὴν βεβαιότητα ἡμῶν περὶ τῆς ἐν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι δικαιώσεως, ἡ βεβαιότης αὕτη εἶναι ἀκλόνητος καὶ ἀκράδαντος, καθόσον θεωροῦμεν τὴν ἐν τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι δικαίωσιν καὶ καθαρισμὸν ὡς ἓν fait accompli. »

alias criminationes, quas apud unum vel alterum theologum invenire est, referre supersedemus.

V. — De prædestinatione.

De prædestinatione et voluntate Dei salvifica nil notandum occurrit apud theologos recentiores. Ut orthodoxiæ formulam generatim habent c. III confessionis Dosithei supra laudatum [1]. Locos sacræ Scripturæ difficiliores, qui prædestinationi absolutæ suffragari videntur, in eumdem sensum ac Patres græci et exegetæ byzantini accipiunt. De systematibus theologorum catholicorum generatim tacent, prædestinatianismum Lutheranorum et Calvinistarum confutare satis habentes [2]. In sua de prædestinatione dissertatione, Polycarpus I. Zakhos uniformem Ecclesiæ orientalis de hac quæstione doctrinam, inde a Patrum ævo, multiplicibus et acrioribus controversiis in Ecclesia latina sæculorum decursu exortis opponit [3]. Ut prædestinationis absolutæ primum auctorem habent sanctum Augustinum; quem in hoc errasse fateri non dubitant [4].

1. Cf. Macarium, p. 280-286; Ph. Gumilevskii, t. II, p. 6-8; S. Malevanskii, t. III, p. 516-523; t. IV, p. 214-215; Malinovskii, p. 199-202; Andrutsus, Δογματική, p. 223-228; Mesoloras, p. 252; Zarin, *op. cit.*, p. 202; *Catechismus Philareti*, ad art. 1 *Symboli;* cf. G. Titov, *op. cit.*, p. 206-208.

2. Hoc ex professo agit archimandrita Polycarpus I. Zakhos : Μελέτη θεολογικὴ περὶ προορισμοῦ, ἐν ᾗ ὁ ἀπόλυτος καταπολεμεῖται προορισμὸς καὶ ὁ κατὰ θείαν πρόγνωσιν τοιοῦτος ὑποστηρίζεται, Athenis, 1911, 136 p. Idem etiam sibi proponit Nicolaus Kurupetroglu, Ἐπιστημονικὴ μελέτη, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀπόλυτος ὁ προορισμός, Constantinopoli, 1901, 80 p.

3. « Ἐν ἀντιθέσει πρὸς τὴν Δυτικὴν Ἐκκλησίαν, ἥτις τόσον διεταράχθη ὑπὸ τῶν περὶ προορισμοῦ ἐρίδων καὶ τόσον ποικίλας καὶ ἀντιθέτους θεωρίας ἀνέπτυξεν ἐπὶ τοῦ ζητήματος, πάσας σχεδὸν ἀποκλινούσας τῆς ὀρθοδόξου καὶ ἀποστολικῆς διδασκαλίας τῶν πρώτων αἰώνων καὶ εἰς οὐδὲν ὁριστικὸν καὶ βέβαιον ἀποληξάσας, ἀλλ' εἴτε ἐχομένας τοῦ Αὐγουστινισμοῦ, εἴτε τοῦ Ἡμιπελαγιανισμοῦ, ἡ Ἀνατολικὴ Ἐκκλησία, ἐχομένη στεγανῶς τῆς ὀρθῆς διδασκαλίας τῶν ἀποστολικῶν καὶ τῶν μεγάλων πατέρων τοῦ δ' αἰῶνος, ἠκολούθησεν ἣν καὶ ἐκεῖνοι, μέσην καὶ βασιλικὴν ὁδόν. » *Op. cit.*, p. 49-50.

4. Cf. S. Malevanskii, *op. cit.*, t. III, p. 516-523; I. Zakhos, *op. cit.*, p. 29; Malinovskii, p. 165. Contradicit tamen L. Pisarev, *op. cit.*, qui nullam fundamentalem differentiam invenit inter doctrinam Augustini et dotrinam Dosithei.

I

NOMINUM INDEX ALPHABETICUS

A

Acindynus Gregorius, 58, 60, 64, 65, 66, 80, 81, 82, 101, 122, 142, 154, 155.
Agallianus Theodorus, 418.
Alcuinus, 505.
Alès (A. d'), 740, 741.
Alexander, monachus, 717.
Alexander IV, papa, 530.
Alexius Comnenus, 15, 540, 541.
Allatius L., 49, 66, 142, 146, 168, 367, 504, 541.
Amann E., 756.
Ambrosius (S.), 382, 400, 440.
Ambrosius Kharkoviensis, 21.
Anastasius Bibliothecarius, 441, 583.
Anastasius I, patriarcha Antiochenus (S.), 690.
Anastasius Sinaita, 211, 212, 359, 590, 680.
Andreas Cretensis (S.), 59, 107.
Andrutsus C., 11, 25, 35, 36, 37, 45, 167, 199, 200, 208, 255, 270, 432, 452, 454, 455, 502, 505, 519, 546, 551, 562, 601, 602, 607, 613, 614, 619, 623, 697, 699, 794, 797, 799, 800.
Anna Comnena, 541, 652.
Anna Palæologina, 60, 66.
Anonymus Antiochenus, 59, 62, 66, 68, 511.
Anonymus, sæculi XIII, 302, 305.
Anselmus (S.), 637, 639, 690, 691, 697.
Anselmus Havelbergensis, 7, 306, 312.
Antonius Amphiteatrov, 44, 177, 440, 551, 567, 602, 608, 609, 634, 636, 638, 639, 640, 696, 699, 797.
Aphes, pseudopapa, 720.
Arcudius Petrus, 351, 370.
Argyropulus Joannes, 418, 419.
Argyrus Isaacus, 74, 104, 122, 148, 153, 158, 159, 592, 665.
Aristarchis (S.), 597.
Aristenus, 726.
Arseniev J., 602.
Arsenii, 302.
Athanasius (S.), 322, 323, 373, 388, 425, 491.
Athanasius Pariensis, 15, 37, 173, 198, 553, 555, 564, 567, 605, 669, 686.
Atuemes, 122, 148.
Augustinus (S.), 221, 254, 260, 265, 274, 307, 375, 377, 382, 388, 392, 400, 413, 424, 426, 431, 436, 440, 451, 454, 457, 458, 470, 477, 497, 498, 618, 637, 638, 643, 743, 744, 750, 767, 768.
Avramii, 719.
Awakum, archipresbyter, 528, 719, 722.

B

Bachkin Matthæus, 711.
Balanus S., 168, 255, 271, 452, 455, 505, 547, 602, 793, 796, 799.

Ballerini A., 685.
Balsamon Theodorus, 591, 593, 726.
Barlaamus Calaber, 51, 52, 53-55, 57, 58-60, 122, 137, 152-154, 261-262, 372-376.
Barsanuphius, 590.
Barvinok V. J., 343.
Basilius (S.), 113, 209, 214, 285, 350, 388, 398, 458, 463, 617.
Baurain L., 714.
Beber, 469.
Becanus, 713, 778.
Bellarminus (S.), 619, 624, 630, 713, 718, 778.
Benedictus XII, papa, 144.
Benedictus XIV, papa, 532, 533.
Bernardakis, 562.
Bessario, 397, 399, 401, 406, 407, 409, 418, 419, 513.
Beza Theodorus, 436.
Bidez J., 551.
Bieliaev N. A., 636.
Billot L., 15, 718.
Blastares Matthæus, 593.
Blemmides Nicephorus, 212, 304, 305, 306, 324, 327-343, 345, 346, 367, 483, 487, 585, 651, 664, 667, 671, 673.
Bogomili, 541, 542.
Bogorodskii N. M., 458.
Bolotov V. V., 22, 460-467, 472, 473, 507, 518-520.
Bouyssonie A., 41.
Bretchkevitch, 607.
Brilliantov A., 460 sq., 474, 479.
Bryennius Josephus, 123, 192, 204, 212, 242, 263, 288, 389, 390, 559, 588, 686, 734, 752.
Bukowski A., 624, 637, 644, 700, 704.
Bulgaris Eugenius, 13, 14, 43, 173, 197, 264, 266, 343, 431, 432, 544, 552, 553, 554, 555, 562, 565, 566, 567, 605, 610, 613, 615, 621, 668, 686, 696, 776.
Burgov A., 608, 640, 644.

C

Cabasilas Nicolaus 122, 386, 561, 682, 683, 690, 691, 731, 732, 734, 735, 739, 756.
Cabasilas Nilus, 121, 122, 386-389, 392.
Cæsarini Julianus, 397.
Cajetanus, 198, 619.
Calecas Manuel, 64, 83, 86, 87, 114, 140, 148, 161, 227-229, 379-382, 422, 504, 506, 522, 531, 691.
Callistus I, patriarcha Constantinopolis, 68, 69, 70, 132.
Callistus III, papa, 532.
Calochetes Alexius, 154.
Camaterus Andronicus, 238, 300, 301, 304.
Cantacuzenus Joannes, 56, 57, 60, 61, 64, 68, 115, 116, 118-120, 122, 138, 599.
Cantacuzenus Matthæus, 69.
Catharina II, imperatrix Russorum, 176.
Cayré F., 7.
Charisius, presbyter, 520.
Chilas Joannes, 354, 363.
Chrysomalas Constantinus, 541, 755.
Chrysostomus, episcopus, 514.
Chrysostomus Papadopulus, 583, 608.
Chrystophorus Damascenus, 166.
Cistovitch J., 21, 626.
Clemens VIII, papa, 532.
Collationes Bonnenses, 421, 449, 455, 508.
Confessio Orthodoxa, 180, 181, 195, 196, 207, 444, 544, 556, 604, 606, 617-618, 621, 624, 712, 713, 760, 761.
Constantinus Acropolita, 354.
Constantinus Corcyrensis, 656, 657.
Constantinus V, Copronymus, 710.
Constantius I, pat. Constant., 551.
Contones Joannes, 668, 775.

Coressius Georgius, 169-172, 264, 265, 430, 431, 514, 615, 762, 770-772.
Cosmas Attices, pat. Constant., 542.
Cosmas, presbyter, 541, 712.
Critopulus Metrophanes, 24, 164, 290, 429, 430, 544, 565, 567, 609, 615, 711, 714, 768-770.
Cydones Demetrius, 71, 138, 148, 154, 262, 274, 370, 377-379, 389, 501, 504, 665.
Cydones Prochorus, 70, 71, 118, 148, 150, 158, 665.
Cyrillus Alexandrinus (S.), 322, 323, 339, 359, 373, 375, 377, 392, 438, 490, 521, 523, 524.

D

Damalas N., 449, 452, 453, 456, 509, 614, 618, 623, 796, 797, 799.
Damascenus Studita, 168.
Damasus I, papa, 422, 448.
Damodus Vincentius, 14, 43, 173, 696, 776.
Damylas Nilus, 392.
David Disypatus, 53.
Delehaye H., 564.
Delicanis, 447.
Demetracopulus A., 189, 232, 364, 421, 653.
Demetrius Lampensis, 656.
Demetrius Rostoviensis, 563, 603.
Denifle, 7.
Deubner, 643.
Devreesse R., 596.
Dexius Theodorus, 68, 122, 148, 156, 157.
Didymus, 499.
Diodorus Tarsensis, 211.
Dionysius Areopagita, 42, 285, 415, 490, 556.
Dionysius IV, pat. Constant., 764.
Disdier M. T., 579, 679.
Döllinger, 444.
Dorotheus Mytilenensis, 401.
Dositheus, pat. Hierosol., 118, 165, 166, 343, 616, 622, 712, 713, 714, 715, 758, 761-764, 772.
Durandus, 275.
Dyovuniotis K. J., 23, 36.

E

Edinoviertsy, 528, 529.
Epiphanius (S.), 438, 470, 472, 488, 499, 512.
Eudokimus, episcopus, 21.
Eugenius IV, papa, 523.
Eulogius Alexandrinus (S.), 667.
Eulogius Chelmensis, 479.
Eustratius Nicænus, 15, 16, 232, 236, 291, 301, 303, 304, 652, 654, 664.
Euthymius Zigabenus, 6, 300, 541, 735, 747.
Evrard E., 706.

F

Fabricius, 543.
Falkovskii Irenæus, 10, 631, 780, 790.
Ferrandus, 440.
Festa N., 314, 315.
Ficker G., 542.
Fortunatus, 440.
Franzlin, 441, 504, 522.
Froschommer, 606.
Fuchs F., 8.
Fulgentius (S.), 382, 440.

G

Gabriel Severus, 168, 426, 428, 615.
Gabriel Tverensis, 176.
Galtier P., 650, 659, 661.
Gass W., 103, 123.
Gennadius, Bulgariæ archiepiscopus, 354.
Gennadius Massiliensis, 440.
Georgius Acropolita, 370.

Georgius (Gregorius) Cyprius, 238, 349, 355, 357, 358-366, 371, 390, 495.
Georgius Metochita, 342, 353, 354, 355.
Georgius Trapezuntius, 532.
Gerhard Joannes, 625, 675, 779.
Germanus I, pat. Constant. (S.), 210, 214.
Germanus II, pat. Constant., 229, 236, 302.
Gilbertus Porretanus, 143, 178, 179.
Glabas Isidorus, 685.
Glagolev C., 602, 793.
Glykas Michael, 8, 179, 180, 192, 204, 212, 213, 214, 236, 301, 552, 561, 567, 583, 584, 587, 590, 591, 657, 668.
Goarius, 561.
Golubovitch Hier., 236, 300, 328.
Gorskii Theophylactus, 10, 25, 26, 32, 37, 177, 200, 217, 218, 245, 255, 440, 544, 552, 554, 557, 612, 630, 676, 698, 780-792.
Graf G., 689.
Grégoire V., 603.
Gregoras Nicephorus, 56, 64, 68, 70, 104, 107, 122, 131, 137, 142, 157, 345.
Gregorius de Valentia, 146, 740.
Gregorius Magnus (S.), 382.
Gregorius X, papa, 531.
Gregorius XIII, papa, 532.
Gregorius Mammas, pat. Constant., 408, 419.
Gregorius Nazianzenus (S.), 7, 285, 335, 373, 463, 491, 544, 570, 571, 590.
Gregorius Nyssenus (S.), 285, 322, 323, 350, 351, 373, 388, 458, 472, 490, 590.
Gregorius Sinaita, 51, 290, 591, 615.
Grigorovitch Nic., 176.
Grossolanus Petrus, 232, 300.
Grumel V., 343, 403, 657, 660, 661, 673, 713, 715.
Guettée V., 706, 708.
Gussev A. Th., 468-471.

H

Hausherr I., 48, 237, 729, 754.
Heisenberg A., 302, 329, 343, 657.
Herbigny (M. d'), 643.
Hergenröther, 210, 552, 583, 596, 673.
Hesychastæ, 48, 49, 51, 59, 100, 105.
Hieronymus (S.), 382, 400.
Hierotheus monachus, 354.
Hilarius (S.), 382.
Holl K., 470.
Hugo Eterianus, 302, 306, 338, 341.
Humbertus, cardinalis, 504.

I

Iavorskii Stephanus, 624, 712, 713, 777, 778.
Ignatius, pat. Antiochenus, 66, 131, 148.
Innocentius IV, papa, 530.
Innocentius V, papa, 531.
Innocentius Borisov, 605, 636.
Irenæus (S.), 636.
Irenikus Joannes, 657, 658.
Isidorus Kioviensis, 401.
Isidorus, pat. Constant., 65, 67, 68.
Ivanov Theodorus, 527.

J

Jeremias II, pat. Constant., 169, 446, 447, 487, 609, 615, 616, 711, 758, 759.
Joannes Chrysostomus (S.), 561, 585, 590, 741.
Joannes Cinnamus, 656.
Joannes Comnenus, 541.
Joannes Cyparissiota, 6, 114, 118, 138, 159-161, 592.

Joannes Calecas, pat. Constant., 57, 58, 59, 61, 62, 65, 66, 67, 148, 152, 155, 156.
Joannes Damascenus (S.), 6, 31, 37, 42, 59, 107, 185-188, 201-204, 209, 210, 285, 322, 323, 337, 338, 348, 351, 360, 361, 415, 419, 445, 450, 457, 459, 491, 544, 549, 552, 553, 554, 556, 558, 560, 565, 566, 568-582, 585, 590, 615, 645, 648, 649, 656, 662, 663, 667, 671, 672, 673, 674, 680, 689, 693, 695, 713, 728, 729, 733, 735, 736, 741-746.
Joannes de Monte Nigro, 398, 399.
Joannes Italus, 15, 252, 539, 651, 715.
Joannes Kronstadiensis, 481.
Joannes Mauropus, 558, 560, 562, 564.
Joannes VIII, papa, 467, 510.
Joannes XXI, papa, 531.
Joannes V Palæologus, 70, 137.
Jobus Iasita, 354.
Josephus Ganensis, 68.
Josephus Hymnographus (S.), 564.
Josephus Methonensis, 398, 403, 406, 419, 422, 506.
Judaizantes Russiæ, 711.
Jugie M., 36, 48, 58, 154, 327, 444, 542, 579, 583, 659, 666, 669, 673, 683, 691, 701, 739, 798.
Julianus Halicarnassensis, 659, 660.

K

Kalogheras N., 747.
Kapterev N. Th., 721.
Karpinskii H., 699, 780.
Karydes G., 706.
Katanskii L., 461, 468, 793.
Kephalas Nectarius, 166.
Kerenskii V. A., 471, 472.
Khomiakov A. S., 506, 700.
Khrapovitskii Antonius, 642, 643, 701-703.
Kiovienses theologi, 9, 10, 14, 43, 177, 195, 229-230, 250, 278, 420, 439, 515, 543, 552, 554, 604, 610, 624, 668, 686, 691, 696, 723, 777.
Kireev A., 460, 473.
Koidakis C. G., 166.
Kokhomskii S. V., 458.
Kolmkov N., 563.
Kosov Theodosius, 711.
Kremlevskii A., 641, 642, 644.
Kudriatsev V., 33, 34.
Kunstle K., 422.
Kursulas Nicolaus, 14, 164, 165, 196, 197, 216, 225, 230, 232, 233, 255, 275, 429, 544, 552, 554, 557, 562, 565, 566, 567, 621, 666, 686, 692, 695, 772-774.
Kurupetroglu Nicolaus, 800.
Kymenites Sevastus, 173.
Kyriakus Diomedes, 451.

L

Lagarde (P. de), 558.
Lampros S., 406, 554.
Lange H., 743.
Langen, 477.
Lapithes Georgius, 148.
Laurent V., 226, 289.
Lavrov P., 541.
Lazarus, Starovierus, 719.
Lebedev Alexander, 706-710.
Lebedinskii S., 26, 32, 37, 38, 177, 207, 215, 245, 251, 440, 552, 554, 555, 557, 562, 563, 567, 612, 630, 675, 676, 686, 698, 699, 780, 783, 788, 789, 790.
Lebreton J., 104, 350.
Legrand E., 421.
Leo Chalcedonensis, 716, 717.
Leo Magnus (S.), 440.
Leo III, papa (S.), 466, 510, 518, 529.

Leontius Byzantinus, 648, 650, 659-661.
Leporskii P., 478, 686, 793, 795, 796.
Le Quien, 366, 416.
Lodygenskii J. J., 479.
Lo Parco F., 51.
Lopukhin A. P., 20.
Lucaris Cyrillus, 428, 445, 616, 711, 713, 759.
Lutherus M., 676.

M

Macarius Ægyptius, 590.
Macarius Ancyranus, 241, 391.
Macarius, archimandrita, 10.
Macarius Bulgakov, 11, 24, 32, 33, 38, 43, 168, 178, 179, 208, 216, 245, 440, 485, 505, 514, 544, 552, 553, 554, 555, 562, 566, 602, 604, 605, 606, 610, 634, 636, 638, 639, 640, 669, 691, 692, 696, 794, 797, 800.
Macarius Petrovitch, 630.
Mai A., 656.
Makrakes Apostolus, 602, 603.
Malevanskii Sylvester, 11, 12, 25, 37, 179, 456, 457, 505, 545, 550, 552, 553, 554, 557, 559, 562, 602, 604, 606, 608, 635, 636, 637, 638, 639, 644, 692, 696, 794, 795, 796, 800.
Malinovskii N., 11, 13, 25, 37, 45, 181, 245, 255, 270, 458, 545, 550, 552, 554, 557, 563, 602, 604, 607, 609, 635, 636, 637, 638, 639, 641, 644, 697, 699, 706, 708, 710, 714, 794, 798, 799, 800.
Maltzev A., 446.
Malvy-Viller, 180, 195, 196, 270, 444, 604.
Mandalari J. A., 51.
Manuel Comnenus, 655, 656.
Marcus Ephesius, 8, 102, 123-125, 140, 141, 214, 258, 259, 398, 399, 402, 403-406, 408, 409, 410, 506, 512, 513, 551, 554, 557, 558, 559, 560, 567, 588, 592, 693, 730, 751.
Marcus, monachus, 362, 366.
Margunius Maximus, 421-426, 505, 508.
Marmion C., 145.
Martinus IV, papa, 531.
Massaliani, 49, 135.
Matthæus ab Aquasparta, 260, 350.
Matthæus Ephesius, 68, 148.
Matulewicz G. B., 633, 636.
Maximus Confessor (S.), 388, 400, 415, 441, 470, 477, 491, 585, 590, 666, 669, 670, 671, 673, 674, 678-680.
Meester (Pl. de), 30, 687, 706.
Meletius Galesiota, 365, 366.
Meliteniotes Constantinus, 353, 373.
Melnikov Th. E., 22.
Meniates Elias, 774, 775.
Mercati A., 6, 139.
Mercati J., 56, 59, 66, 75, 118, 148, 156, 158, 378, 379, 501, 534, 665, 691.
Mesarites Nicolaus, 302, 384, 502, 657.
Mesoloras J., 38, 39, 198, 546, 607, 609, 614, 619, 623, 794, 796, 797, 799, 800.
Methodius Smirnov, 630.
Methodius III, pat. Constant., 268-270.
Metrophanes Smyrnensis, 484.
Michael II, patriarcha Antiochenus, 131.
Michael IV Antorianus, pat. Constant., 657.
Michael Syncellus (S.), 472, 490.
Miklosich et Muller, 132.
Mislavskii Samuel, 625, 675, 698, 699, 779.

Moghila Petrus, 760. Vide *Kiovienses* et *Confessio orthodoxa*.
Monothelitæ, 106.
Montfaucon, 717.
Moschabarus Georgius, 349, 352, 355, 371, 384.
Moschopulus Manuel, 354.
Müller C. J., 453.
Muzalon Theodorus, 357, 365, 366, 495.

N

Negrebetskii Hilarion, 230, 246, 267, 276-278, 439, 515.
Nekrasov, 459, 495.
Nicanor Chersonensis, 605.
Nicephorus, monachus, 50, 148.
Nicephorus (S.), pat. Constant., 125.
Nicetas Acominatus, 6, 592, 656.
Nicetas Maronensis, 287, 312-326, 341, 345, 346, 367.
Nicetas Nicomediensis, 7, 236, 306-312.
Nicetas Seides, 227, 288, 289, 291, 310, 654.
Nicetas Serronius, 571, 607.
Nicetas Stethatus, 753.
Nicolaus III, papa, 531.
Nicolaus III Grammaticus, pat. Constant., 652.
Nicolaus Methonensis, 189-191, 204, 236, 301, 690.
Nicon, patriarcha Mosquensis, 527.
Nikita Pustoviat, 528, 719.
Nikolskii P., 22.
Nilles, 564.
Nilus, monachus, 15, 652.
Nilus, Rhodi metropolita, 131.
Niphon, monachus, sæc. XII, 542.
Niphon, monachus, sæc. XIV, 49, 64, 81.
Novakovitch Dionysius, 230, 246, 439.

O

Œconomus Constantinus, 166.
Orphanitskii, 699, 704.

P

Pachymeres Georgius, 346, 349, 354, 355, 361, 362, 363, 365-369.
Palamas Gregorius, 43, 47, 51, 52-55, 58, 60-102 passim, 104, 105-116 passim, 135, 136, 137, 143, 149, 162, 180, 181, 238-240, 271-275, 374, 383-385, 555, 587, 591, 597, 598, 680, 681, 690, 693, 694, 695, 729, 734, 751, 755.
Palmieri A., 12, 504, 507, 529.
Panaretus (Matthæus Angelus), 390, 391.
Papadopulus Kerameus, 236, 300.
Papamikhaïl Gregorius, 58, 174, 799.
Papaphilus Theophilus, 173, 174.
Pargoire J., 564, 710, 713, 714.
Parthenius I, pat. Constant., 760.
Paulinus II Aquileiensis, 505.
Paulus Smyrnensis, 70, 119, 137-139.
Pedalion, 551, 607, 613, 615, 621.
Perov I., 458, 514, 637.
Pesch C., 713.
Petavius, 673, 727.
Petit L., 140, 172, 403, 408, 421, 425, 443, 447, 487, 551, 560, 564, 567, 583, 656, 657.
Petrovskii A., 176.
Phakrasses, 70.
Philaretus Drozdov, 181, 440, 445, 448, 544, 612, 631-633, 697, 781.
Philaretus Gumilevskii, 25, 32, 38, 44, 179, 208, 256-258, 440, 537, 550, 552, 554, 556, 557, 562, 563, 566, 602, 604, 605, 612, 635, 636, 638, 640, 641, 644, 696, 794, 796, 800.
Philippus Solitarius, 592, 732.
Philo Judæus, 104.

Philotheus Kokkinus, 53, 63, 67, 69-72, 97, 116-118, 122, 136, 158, 238, 240, 584, 655, 730.
Philotheus Selymbriensis, 122.
Photius, pat. Constant., 8, 43, 188, 210, 211, 212, 213, 222, 234, 252, 256, 297, 352, 466, 510, 511, 518, 552, 558, 582, 585, 596, 666, 671, 673, 689, 715, 735, 739, 746.
Phundagiagitæ (Phundaitæ), 541.
Phurnesius Joannes, 300.
Pigas Meletius, 163, 164, 265, 426-428, 604, 616, 618, 621, 766-768.
Pisarev Leonidas, 637, 644.
Planudes Maximus, 274, 370.
Plato Levkhin, 612, 631, 718, 780, 781.
Pletho Gemistus, 417.
Plotnikov K., 528, 720.
Pokrovskii A., 602.
Popov V. A., 602.
Poprugenko M., 541.
Procopovitch Theophanes, 9, 10, 243-245, 250, 266-268, 420, 434-438, 505, 515-517, 521, 556, 566, 604, 611, 625-630, 675, 687, 699, 712, 723, 757, 777, 779, 788.
Prosperus (S.), 750.
Protasov, 10, 633.
Pseudo-Athanasius, 211, 212, 444, 555, 585, 590.
Pseudo-Chrysostomus, 237.
Pseudo-Justinus, 211, 212.
Pseudo-Margunius, 289.
Puller P. V., 479, 480.

Q

Quenstedt J. A., 625, 675, 779.

R

Raymond P., 147.
Regnon (Th. de), 248.
Repa V., 798.
Reusch, 449.
Richardus Franciscus, 175.
Risso P., 391.
Rivière J., 689, 690, 692.
Rogdestvenskii A., 635, 793, 797.
Rubeis (Bernardus de), 238, 361, 366, 367, 504, 509, 524-526, 727.
Rusticus diaconus, 222.

S

Salaville S., 16, 230, 540.
Samarin Iu. Th., 797.
Scheeben M. J., 740, 741.
Scholarius Georgius, 8, 17, 125-130, 146, 163, 192-194, 204-206, 210, 214, 279-285, 292-294, 350, 365, 389, 401, 402, 403, 404, 406-416, 417, 448, 495, 496, 507, 517, 552, 553, 557, 559, 561, 565, 566, 584, 586, 593, 598, 655, 674, 691, 734, 736, 749, 750, 751.
Schubertus, 10.
Scianutskii Christophorus, 9.
Scotus (Duns), 125, 127, 130, 146-148, 173, 225, 232, 275, 637, 639, 686.
Semenov Rudnev, 435, 436.
Sergius, archimandrita, 441, 793, 797.
Sergius, Finniæ archiepiscopus, 700.
Sergius II, pat. Constant., 753.
Simonides K., 301.
Slomkowski A., 603, 636.
Sokolov P., 260, 479.
Solarskii P., 793.
Soloviev V., 260.
Sophronius Hierosolymitanus (S.) 667, 673.
Soterichus Panteugenus, 655.
Spacil Th., 701, 703.
Staerk A., 481.
Starovieri, 527, 528, 718-722.
Stavru Ch. Th., 58.
Stein J., 58.
Stephanus, syncellus, 753.
Stewartius, 673.
Strigolniki, 710.
Stukov Th., 602.
Suarezius, 146, 619.

Subbotin N., 528, 719, 722.
Suvorov N., 22.
Svietlov P., 255, 260, 473, 507, 547, 548, 550, 552, 567, 602, 603, 607, 609, 636, 641, 642, 686, 703, 704, 793.
Svoboda K., 551.
Symeon Novus Theologus, 48, 237, 729, 753, 754.
Symeon Polotskii, 605.
Symeon Thessalonicensis, 8, 123, 558, 567, 585, 598, 686.
Synodi Constantinopolitanæ :
œcum. VIII (869-870): 582.
(1082) : 16, 251, 252, 540.
(1084) : 652, 717.
(1110-1111) : 541.
(1117) : 16, 653.
(1140) : 541, 755.
(1143) : 541.
(1147) : 542.
(1156) : 655.
(1166) : 658.
(1170) : 657.
(1285) : 226, 355, 360, 442.
(1341) : 58-63, 131.
(1342) : 65.
(1344) : 65.
(1347) : 60, 67.
(1351) : 68, 69, 102.
(1352) : 69.
(1368) : 71, 84, 102.
(1484) : 443.
(1638) : 711, 760.
(1672) : 711, 764.
(1722) : 447, 487.
(1727) : 172, 173, 448.
Synodicon Dominicæ Orthodoxiæ, 69, 153, 161, 162, 175, 176, 349, 442, 540, 542, 657.
Synodus Atheniensis (1881), 603.
Synodus Carthaginensis XVI (418), 726.
Synodus Ephesina (431), 512, 519-526.
Synodus Florentina (1439), 140, 142, 393-403, 509, 512-514, 552.
Synodus Hierosolymitana (1672), 711.
Synodus Iasiensis (1642), 711.
Synodus Lateranensis IV (1215), 143, 225.
Synodus Lugdunensis IV, 530.
Synodus Milevitana II (416), 726.
Synodus Nicæna II (787), 710, 713, 718.
Synodus Nicæna (1234), 327.
Synodus Nymphæna (1250), 299, 332.
Synodus Rhemensis (1148), 143.
Synodus Romana (382), 422.
Synodus Stoglav (1551), 527, 721.
Synodus Toletana III, 505, 508.
Synodus Toletana VIII, 505.
Synodus Toletana XV (688), 142, 143.
Synodus Tridentina, 144, 718, 753.
Synodus Trinoviensis, 541.
Syrigus Meletius, 180, 429, 445, 616, 622, 712, 713, 714, 770.
Syropulus Sylvester, 401.

T

Tanquerey A., 620.
Tarasius (S.), pat. Constant., 400, 457.
Tarasius, hieromonachus, 687, 701.
Tchemena J. A., 602.
Thaborov, 607.
Theiner-Miklosich, 344, 530.
Theodoretus Cyrensis, 339, 466, 491, 585, 596.
Theodorus Abu-Qurra, 600, 650, 663, 664, 673, 689, 694.
Theodorus Andidensis, 237.
Theodorus Graptus, 125.
Theodorus Studita (S.), 715, 717, 718.
Theophanes, episcopus, 793, 795.
Theophanes, Mediæ episcopus, 584, 585, 586.
Theophanes Nicænus, 99, 121, 389, 543, 555, 589, 683-685, 738, 747, 748.

Theophilus Antiochenus, 636.
Theophylactus, Bulgariæ archiepiscopus, 235, 236, 238, 300, 561, 597, 729, 732, 734, 735, 736, 746.
Theophylactus Riazanensis, 781.
Thomas Aquinas (S.), 17, 129, 145, 177, 179, 230, 231, 254, 260, 261, 266, 267, 274, 279, 281, 335, 347, 361, 373, 378, 382, 389, 416, 429, 537, 543, 544, 553, 556, 557, 559, 565, 566, 610, 613, 637, 646, 682, 691, 696, 716, 777.
Tikhomirov P., 12.
Titlinov B. V., 10.
Titov G., 793, 795, 796, 798, 800.
Truskovskii, 458.
Turrianus Franciscus, 160.

U

Urbanus V, papa, 137.
Urbanus VIII, papa, 523.
Uspenskii Porphyrius, 53, 67, 136, 374, 542.
Uspenskii Theodorus, 15, 16, 56, 136, 252, 540, 542, 651, 652, 654, 656, 712, 716.

V

Vacca Georgius, 443.
Vallée L., 350.
Vancourt, 772.
Vasquesius, 146.
Veccus Joannes, 238, 301, 304, 338, 341, 344-353, 355, 357, 362, 367, 368, 373, 383.
Vernet F., 542.
Vichnevskii D., 9, 43, 177, 439, 604, 624, 691, 696, 777.
Voemel J. Th., 690.

W

Wadding, 530.

Y

Yanychev Joannes, 456, 474, 793.

Z

Zakhos Polycarpus, 800.
Zarin S., 793, 795, 796, 797, 798, 800.
Zernikavius Adamus, 242, 266, 351, 420, 432-434, 439, 470, 514.
Zikos Rhosis, 25, 32, 39, 41, 45, 174, 198, 216, 218, 231, 246, 248-250, 278, 432, 449, 451, 452, 456, 505, 519, 543, 546, 551, 562, 602, 604, 607, 609, 614.
Zizanii Laurentius, 565, 604.
Zonaras J., 726.

II

CODICUM ET COMMENTARIORUM LAUDATORUM INDEX ALPHABETICUS

Acta Academiæ Velehradensis, 798.
Ἀθήναιον, 653.
Analecta Byzantina, 7.
Archivium franciscanum historicum, 236.
Bessarione, 312, 314, 318, 320.
Bogoslovskii Viestnik, 472, 473, 476, 478, 480, 602, 701, 793, 797.
Byzantinische Zeitschrift, 6, 139.
Codices græci :
Atheniensis 483, 227, 289, 290, 654.
Baroccianus Oxoniensis 193, 119, 389, 555, 589, 683-685, 738, 748.
Canonicus Oxoniensis 49, 103, 123.
Coisl. Parisiensis 97, 72.
Coisl. Paris. 100, 70, 374.
Dionysianus Athonensis 120, 16, 252.
Dionysianus Athon. 147, 60, 61.
Dionys. Athon. 194, 70, 83, 152, 153.
Laurentianus V, 16, 160.
Laurentianus VIII, 8, 118.
Laurentianus LXXIV, 13, 259.
Lauriotanus Athan. Athonensis 135, 115, 116.
Marcianus Venet. 333, 152, 374.
Metoch. S. Sepulcri Hierosol. 105, 422.
Metoch. S. Sepul. Hier. 126, 770.
Codices græci (sq.) :
Metoch. S. Sepulcri Hierosol. 130, 770, 772.
Monacensis 68, 364.
Monacensis 223, 58, 64, 80, 81, 82, 101, 108, 154.
Monacensis 384, 16, 189.
Monacensis 508, 117, 584.
Monacensis 548, 556.
Panteleim. Athonensis 179, 99, 121.
Parisinus 970, 70, 108.
Parisinus 1213, 122, 691.
Paris. 1218, 214, 372.
Paris. 1241, 118, 599, 665.
Paris. 1242, 119.
Paris. 1246, 160.
Paris. 1247, 116.
Paris. 1249, 121, 543.
Paris. 1270, 108.
Paris. 1291, 261, 372.
Paris. 1292, 554, 693.
Paris. Suppl. 618, 407.
Patmiacensis 366, 122.
Synodalis Mosquensis 246, 389.
Vallicellanus 87, 122.
Vaticanus 604, 108, 691.
Vaticanus 614, 691.
Vatic. 658, 48.
Vatic. 676, 558, 561, 564.
Vatic. 723, 212.
Vatic. 1096, 71, 75, 104, 148, 153, 158, 159, 665.
Vatic. 1102, 159.
Vatic. 1111, 156.

Codices græci (sq.) :
Vatic. 1115, 312, 321.
Vatic. 1117, 386-389.
Vatic. 1756, 52, 374.
Vatic. 1823, 156.
Vatic. 3335, 59, 62, 66.
Vatic. Chisianus 54, 349, 352, 355.
Vatic. Reg. Suec. 25, 754.
Vindob. philosophico-philolog. 203, 16.
Codex slavicus synod. Mosquensis 667, 175.
Dictionnaire apologétique de la foi catholique (A. d'Alès), 740, 741.
Dictionnaire de la Bible (Vigouroux). *Supplément*, 596.
Dictionnaire d'histoire et de géographie (A. Baudrillart), 154.
Dictionnaire de théologie catholique (Vacant), 58, 147, 504, 507, 542, 564, 583, 603, 660, 669, 673, 713, 756.
Échos d'Orient, 16, 36, 48, 58, 226, 230, 289, 327, 344, 443, 540, 542, 579, 603, 657, 679, 691, 715.
Ἐκκλησιαστικὴ Ἀλήθεια, 236, 551, 717.
Ephemerides theologicæ Lovanienses, 687.
Estudis franciscans, 403.
Γρηγόριος Παλαμᾶς, 603.
Izviestiia Instituti archeol. russ. Constantin., 252, 651, 716.
Journal du ministère de l'Instruction publique (Russic.), 15, 540, 652.
Khristianskoe Tchtenie, 461, 468, 471, 472, 473, 479, 793.
Lietopis Societ. historico-philol. apud universit. Novorossiisk., 541.
Mélanges Mandonnet, 660.
Missionerskoe Obozrienie, 22.
Νέα Σιών, 583, 604, 799.
Nouvelle revue théologique, 18.
Orientalia christiana, 48, 237, 687, 701, 703, 729, 754.
Patrologia Orientalis, 140, 403, 551, 560, 567, 666, 683, 690, 739.
Pravoslavnaia bogoslov. Entsiklopediia, 176, 542, 602, 686, 701, 711, 793.
Pravoslavnyi Putevoditel, 22.
Pravoslavnyi Sobiesiednik, 459, 469, 471, 602, 603, 605, 636, 712.
Pribavleniia k tvoreniam sv. otsev 34, 441, 562.
Recherches de science religieuse, 659.
Revue apologétique, 18, 41.
Revue augustinienne, 706, 714.
Revue des sciences philosophiques et théologiques, 344, 659.
Revue internationale de théologie, 451, 460, 469, 472, 473.
Revue thomiste, 7.
Russkii archiv, 176.
Sbornik lectionum professorum Academiæ Kioviensis, 605, 636.
Sitzungsberichte der bayer. Akad. der Wissensch. Philos.-philol. und histor. Klasse, 657.
Strannik, 471.
Tchteniia imp. Societ. hist. et antiquit. apud univ. Mosquensem, 630, 632, 781.
Trudy Academiæ Kioviensis, 456, 563, 635, 793, 797.
Tserkovnyia Viedomosti, 480.
Tserkovnyi Viestnik, 469, 476.
Viek, 22.
Viera i Razum, 469, 471.
Zeitschrift für kathol. Theologie, 624.

III

INDEX RERUM ANALYTICUS

INTRODUCTIO IN EXPOSITIONEM THEOLOGIÆ SPECIALIS GRÆCO-RUSSORUM 5

I. — De multiplici via in tradenda fidei doctrina apud Byzantinos et modernos Græco-Russos usurpata 6
II. — De usu philosophiæ in theologia Græco-Russorum 11
III. — De parum florente statu theologiæ dogmaticæ apud Græco-Russos 17
IV. — De theologiæ græco-russicæ variationibus 19
V. — De divisione theologiæ specialis apud Græco-Russos recentiores 24
VI. — De partitione expositionis theologiæ græco-russicæ 26

TRACTATUS DE DEO UNO

Prænotamina 29

CAPUT PRIMUM

De Dei existentia et essentia.

ARTICULUS I

De naturali Dei per creaturas certa cognitione 31
I. — De origine ideæ Dei 31
II. — De scientifica demonstratione existentiæ Dei 34

ARTICULUS II

De variis argumentis quibus existentia Dei demonstrari solet 36

ARTICULUS III

De essentia Dei necnon de divinorum attributorum divisione 41

CAPUT SECUNDUM

De theologia palamitica, ubi de simplicitate Dei necnon de ejus supernaturali visione in cælo.

Prænotamina 47

ARTICULUS I

De origine controversiæ hesychasticæ necnon de prima delineatione theologiæ Gregorii Palamæ 48

ARTICULUS II

Brevis historia controversiæ palamiticæ.

I. — Prænotamina 56
II. — De duabus synodis anni 1341 necnon de tomo synodico dicto 58
III. — De tomo hagioritico 63
IV. — Joannes patriarcha et Acindynus contra Palamam (mense octobri 1341-mense februario 1347) 64
V. — Palamismi triumphus. De patriarchis palamitis Isidoro et Callisto (maio 1347-februario 1354) 67
VI. — Palamismus post annum 1354. Synodus Constantinopolitana anni 1368 ejusque tomus contra Prochorum Cydonium 69

ARTICULUS III

Theologiæ Gregorii Palamæ expositio.

I. — Prænotamina 71
II. — De palamitica notione Dei 73
III. — De formulis palamiticis 81
IV. — De multiplicibus differentiis inter Dei essentiam et ejus operationes vel attributa juxta Palamæ dicta ... 83
V. — De natura luminis quod in monte Thabor effulsit 87
VI. — De gratia deificante 90
VII. — De regno Dei seu de objecto cœlestis beatitudinis.... 93
VIII. — De visione luminis divini in hac vita per oculum corporeum 95
IX. — De Dei simplicitate juxta Palamæ ejusque discipulorum doctrinam 96

ARTICULUS IV

De theologiæ palamiticæ novitate 100

ARTICULUS V

De elemento philosophico in theologia palamitica 103

ARTICULUS VI

De auctoritatibus a Gregorio Palama ejusque discipulis ex fontibus Revelationis haustis 105

ARTICULUS VII

De argumentis Palamitarum ex ratione theologica petitis 109

ARTICULUS VIII

De præcipuis Palamæ discipulis qui sæculis XIV et XV fuerunt necnon de eorum doctrina cum doctrina magistri collata. De palamismo mitigato 114

I. — De differentia inter Palamam ejusque genuinos discipulos in formulis theologicis 114
II. — David Disypatus et Philotheus Kokkinus 116
III. — Joannes Cantacuzenus 118
IV. — Theophanes Nicænus 121
V. — Cabasilæ duo 121
VI. — Philotheus Selymbriensis 122
VII. — Symeon Thessalonicensis et Josephus Bryennius 123
VIII. — Marcus Ephesius 123
IX. — De palamismo mitigato Georgii Scholarii 125

ARTICULUS IX

De palamismo ut doctrina fidei in Ecclesia byzantina publice recepta et omnibus imposita 130

ARTICULUS X

Palamismus et Occidens catholicus tempore controversiæ 137

ARTICULUS XI

De palamismo cum doctrina catholica collato 142

I. — Multiplices errores in palamismo inclusi 142
II. — De visione Dei per oculos corporeos 145
III. — De distinctione palamitica cum distinctione Scoti collata 146

ARTICULUS XII

De præcipuis adversariis palamismi necnon de eorum doctrina circa theses palamiticas 148

I. — In Antipalamitas sæculi XIV communes animadversiones. 149
II. — De Barlaami doctrina 152
III. — Gregorius Acindynus et Joannes Calecas 154
IV. — Theodorus Dexius et Nicephorus Gregoras 156
V. — Prochorus Cydones 158
VI. — Isaacus Argyrus 158
VII. — Joannes Cyparissiota et Manuel Calecas 159

ARTICULUS XIII

De doctrina palamitica in Ecclesia græco-russica a sæculo XVI ad nostra usque tempora 161

I. — Prænotamina 161
II. — De theologis græcis qui palamismum negligunt eique contradicunt 163
III. — De theologis græcis qui palamismum sive ex toto, sive ex parte docuerunt 168
IV. — De officio Dominicæ Orthodoxiæ apud Russos necnon de doctrina theologorum russorum circa theses palamiticas 175
V. — De theologis qui de essentia æternæ beatitudinis ambigue loquuntur 179

ARTICULUS XIV

Conclusio ex historia palamismi dimanans 182

CAPUT TERTIUM

De operationibus divinis.

Prænotamina 184

ARTICULUS I

De præscientia divina juxta theologos byzantinos 185

ARTICULUS II

De præscientia divina apud Græco-Russos modernos 195

ARTICULUS III

De relatione præscientiæ divinæ ad prædestinationem seu rerum præfinitionem et ad providentiam 201

I. — De significatione vocum προορισμός, πρόνοια apud sanctum Joannem Damascenum 201
II. — De earumdem vocum significatione apud alios theologos byzantinos 204
III. — De providentia et prædestinatione apud Græco-Russos modernos 207

ARTICULUS IV

De vitæ termino seu : Utrum tempus et genus mortis cujusque hominis a Deo prædefinita fuerint 208

ARTICULUS V

De concursu divino 215

TRACTATUS DE SANCTISSIMA TRINITATE

Prænotamina 221

CAPUT PRIMUM

De notione mysterii sanctissimæ Trinitatis apud Græco-Russos.

Prænotamina 224

ARTICULUS I

De distinctione personarum ab essentia divina 224

ARTICULUS II

De constitutivo personæ divinæ necnon de distinctione personarum ab invicem 229

ARTICULUS III

De notione missionis divinæ necnon de relatione inter processionem æternam et missionem temporalem 233

ARTICULUS IV

De appropriatione, seu de relatione inter personas et attributa divina et opera ad extra 247

ARTICULUS V

De modo loquendi de hoc mysterio 251

CAPUT SECUNDUM

Mysterium Trinitatis et humana ratio in theologia Græco-Russorum.

Prænotamina 253

ARTICULUS I

Mysterium Trinitatis est rationi omnino impervium; non tamen ei repugnat, sed multiplici ex parte convenit 255

ARTICULUS II

Philosophicæ explicationes Trinitatis personarum juxta quosdam theologos byzantinos 256

ARTICULUS III

De thomistica theoria divinarum processionum in theologia Græco-Russorum 260

I. — De theoriæ thomisticæ adversariis 261
II. — De theologis qui hanc theoriam probarunt 271
III. — De Georgii Scholarii positione erga explicationem psychologicam sancti Augustini et sancti Thomæ 279

ARTICULUS IV

De aliis analogiis et comparationibus ad illustrandum mysterium a Patribus usurpatis et a Græco-Russis explicatis 285

CAPUT TERTIUM

De processione Spiritus Sancti in theologia Græco-Russorum a sæculo XII ad nostra tempora.

Prænotamina 296

ARTICULUS I

Historica evolutio controversiæ de processione Spiritus Sancti a sæculo XII ineunte usque ad Michaelis Palæologi principatum (1261) 298

Prænotamina 298

I. — De theologis qui rigidum photianismum plerumque propugnant 299
II. — De mente Nicetæ Nicomediensis apud Anselmum, Havelbergensen episcopum 306
III. — De theologia Nicetæ Maronensis 313
IV. — De theologiæ Nicephori Blemmydæ vicissitudinibus... 327

ARTICULUS II

De disputationibus intestinis, quæ occasione unionis Lugdunensis inter Græcos habitæ sunt (1261-1330) 334

Prænotamina 343

I. — De theologia Joannis Vecci et sociorum ejus 345
II. — De variis explicationibus formulæ « A Patre per Filium procedit » ab adversariis unionis adinventis.. 353
III. — De nova theoria Gregorii Cyprii..... 358
IV. — De sententia Georgii Pachymeris 366
V. — De quorumdam aliorum theologorum positione circa Spiritus Sancti processionem 369

ARTICULUS III

De præcipuis dogmatis catholici adversariis qui ab ortu palamismi usque ad concilium Florentinum fuerunt (1330-1430) ... 371

Prænotamina 371

I. — De Barlaamo, Demetrio Cydone et Manuele Caleca ... 372
II. — De Gregorii Palamæ doctrina 383
III. — De Nilo Cabasila et Theophane Nicæno 386
IV. — De Josepho Bryennio 389
V. — De quibusdam aliis polemistis minoris notæ 390

ARTICULUS IV

De controversia circa processionem Spiritus Sancti in concilio Florentino et post concilium usque ad imperii byzantini ruinam... 393

Prænotamina 393

I. — De iis quæ intra concilium acta sunt 397
II. — De Marco Ephesio 403
III. — De palinodiis Georgii Scholarii necnon de ejus in fine vera positione 406
IV. — De quibusdam aliis polemistis photianis..... 416
V. — De theologia unionistarum illius temporis 418

ARTICULUS V

Conspectus historicus controversiæ de processione Spiritus Sancti a sæculo XVI ad Collationes Bonnenses (1874-1875) ex scriptis theologorum privatorum 420

Prænotamina..... 420

I. — De theologis græcis..... 421
II. — De Adamo Zernikavio et Theophane Procopovitch ... 432
III. — De compendiorum theologicorum auctoribus apud Russos per eamdem periodum 438

ARTICULUS VI

De processione Spiritus Sancti in Ecclesia græco-russica ex documentis publicæ auctoritatis inde a sæculo XVI editis 442

Prænotamina 442

I. — De documentis publicæ auctoritatis, in quibus simpliciter affirmatur Spiritum Sanctum a Patre procedere .. 443
II. — De documentis publicæ auctoritatis in quibus processio Spiritus Sancti a Patre solo sive ad verbum, sive quoad sensum exprimitur 446

ARTICULUS VII

De doctrina recentiorum theologorum, præsertim Russorum, inde a Collationibus Bonnensibus (1874-1875) 449
Prænotamina 449
I. — De præcipuorum theologorum græcorum doctrina post Collationes Bonnenses 451
II. — De processione Spiritus Sancti in litteratura theologica Russorum post Collationes Bonnenses usque ad editionem thesium B. Bolotovi (1898) 455
III. — Doctrina Basilii Bolotovi 460
IV. — Controversia inter theologos russos circa theses Bolotovi 467
V. — Publicæ responsiones Commissionis synodalis russicæ pro quæstione vetero-catholica examinanda constitutæ 474
VI. — De recentibus theologis russis qui Patrum consensum circa dogmatis catholici substantiam prædicaverunt . 478

ARTICULUS VIII

De processione Spiritus Sancti ex libris liturgicis Græco-Russorum.. 482

ARTICULUS IX

De interpretatione locorum sacræ Scripturæ ad processionem Spiritus Sancti spectantium apud Græco-Russos 485

ARTICULUS X

De Patrum doctrina circa processionem Spiritus Sancti juxta Græco-Russos 489
Prænotamina 489
I. — De testimoniis positivis ex Patrum traditione haustis, quæ Græco-Russi contra dogma catholicum et pro sua sententia proferre solent..... 489
II. — De variis explicationibus formulæ : « A Patre per Filium procedit » a Græco-Russis excogitatis..... 492
III. — De Patrum latinorum doctrina necnon de significatione formulæ « a Patre Filioque », vel « ab utroque procedit » secundum theologos græco-russos 497

ARTICULUS XI

De argumentis Photianorum ex ratione theologica petitis..... 499

ARTICULUS XII

De additione vocis « Filioque » ad symbolum. De additionibus ad symbolum apud Russos..... 502

Prænotamina 502
I. — Græco-Russorum variæ sententiæ de tempore, momento et illiceitate additionis vocis « Filioque » ad symbolum. 504
II. — De vero sensu decreti Ephesini et aliorum conciliorum œcumenicorum de altera fide non componenda..... 519
III. — De additamentis ad symbolum Nicæno-Constantinopolitanum apud Russos 526
IV. — De catholicæ Ecclesiæ agendi ratione circa additionem vocis « Filioque » ad symbolum 529

ARTICULUS XIII

Conclusio capitis de processione Spiritus Sancti 533

TRACTATUS DE DEO CREANTE ET ELEVANTE

Prænotamina..... 537

CAPUT PRIMUM

De creatione in genere.

Prænotamina..... 539

ARTICULUS I

De causa efficiente creationis 539

ARTICULUS II

De tempore creationis 543

ARTICULUS III

De ordine creationis. De cosmogonia mosaica 544

CAPUT SECUNDUM

De angelis.

Prænotamina..... 549

ARTICULUS I

De angelis in genere 549
I. — De angelorum natura 550
II. — De angelorum gratia 554
III. — De angelorum numero 555
IV. — De angelorum hierarchia 556
V. — De angelorum probatione 557

ARTICULUS II

De angelis bonis. De angelis custodibus 558
I. — De gloria angelorum 558
II. — De angelis custodibus 560
III. — De nominibus quorumdam angelorum 563

ARTICULUS III

De cultu angelorum in Ecclesia græco-russica 563

ARTICULUS IV

De angelis malis 565

CAPUT TERTIUM

De homine.

Prænotamina 568

ARTICULUS I

Sancti Joannis Damasceni doctrina de hominis natura, statu primigenio et lapsu 568
I. — De hominis origine et natura 569
II. — De origine animæ cujusque hominis 570
III. — De imagine et similitudine Dei in homine 571
IV. — De donis gratuitis et supernaturalibus quibus primus homo a Deo ornatus fuit 575
V. — De peccato originali ejusque sequelis tum in Adamo, tum in ejus posteris 578

ARTICULUS II

Theologorum byzantinorum doctrina de homine 582
I. — De natura hominis 582
II. — De origine animæ et tempore animationis 584
III. — De statu primigenio hominis 586
IV. — De peccato originali ejusque sequelis 593

ARTICULUS III

Græco-Russorum modernorum doctrina de homine 600
I. — Indoles historica narrationis mosaicæ de protoplastorum creatione, primæva conditione et lapsu 601
II. — De natura hominis dotibusque animæ humanæ 602

III. — De origine animæ humanæ 604
IV. — De imagine et similitudine divina in homine 608
V. — De statu primigenio hominis necnon de peccato originali apud Græcos modernos 613
VI. — De statu primigenio et peccato originali apud Russos usque ad secundum dimidium sæculi XVIII 624
VII. — De statu primigenio hominis et peccato originali in theologia Russorum inde ab anno 1763 usque ad annum 1840 625
VIII. — Doctrina theologorum russorum recentiorum de statu primigenio hominis necnon de peccato originali 633

TRACTATUS DE VERBO INCARNATO ET SALVATORE

Prænotamina 645

CAPUT PRIMUM

De mysterio incarnationis.

Prænotamina 647

ARTICULUS I

De notione unionis hypostaticæ 647

ARTICULUS II

De controversiis byzantinis circa unionem hypostaticam 651

ARTICULUS III

De deificatione naturæ assumptæ 658
I. — Prænotamina 658
II. — Quædam testimonia Byzantinorum de glorificatione humanitatis Christi a principio conceptionis 659
III. — De scientia animæ Christi juxta theologos byzantinos. 666
IV. — De scientia animæ Christi apud Græco-Russos modernos 668
V. — De agendi modo voluntatis humanæ Christi sub Verbi directione ac motione 669
VI. — De prosopica agendi ratione Christi 674
VII. — De communicatione idiomatum juxta doctrinam Russorum lutheranizantium sæculi XVIII 675

ARTICULUS IV

De motivis Incarnationis 676

CAPUT SECUNDUM

De mysterio redemptionis.

Prænotamina 687

ARTICULUS I

De necessitate Incarnationis ad reparationem generis humani ex doctrina Byzantinorum et Græco-Russorum modernorum 688

ARTICULUS II

De notione Redemptionis apud theologos byzantinos 692

ARTICULUS III

De Redemptione in theologia Græco-Russorum modernorum 695

I. — De doctrina inter Græco-Russos communiter recepta . 695

II. — De quibusdam sententiis lutheranis a theologis russis sæculis XVIII et XIX edoctis 698

III. — De quorumdam recentiorum opinionibus circa notionem Redemptionis et satisfactionem vicariam Christi 699

CAPUT TERTIUM

De consectariis utriusque mysterii.

Prænotamina 705

ARTICULUS I

De cultu Sacratissimi Cordis Jesu a quibusdam Græco-Russis impugnato 706

ARTICULUS II

De cultu sanctorum in Ecclesia græco-russica 710

ARTICULUS III

De veneratione reliquiarum et imaginum in Ecclesia græco-russica .. 712

ARTICULUS IV

De controversiis inter Niconianos et Starovieros circa formam et signum crucis necnon circa picturam imaginum 718

TRACTATUS DE GRATIA

Prænotamina 723

CAPUT PRIMUM

Summa doctrinæ Byzantinorum de gratia.

Prænotamina 726

ARTICULUS I

De natura gratiæ divinæ juxta theologos byzantinos 728

ARTICULUS II

De gratiæ Dei necessitate, gratuitate, ad voluntatem liberam ratione 733

ARTICULUS III

De distributione gratiæ divinæ seu de Dei salvifica voluntate necnon de prædestinatione et reprobatione 736

ARTICULUS IV

De electorum numero 751

ARTICULUS V

De status gratiæ seu justificationis experimentali cognitione 753

CAPUT SECUNDUM

Doctrina de gratia apud Græco-Russos a sæculo XVI ad nostra tempora.

Prænotamina 757

ARTICULUS I

De doctrina Ecclesiæ græco-russicæ contra errores Protestantium publicis documentis sæculis XVI-XVII manifestata 758

ARTICULUS II

De doctrina theologorum græcorum a sæculo XVI usque ad sæculi XIX alterum dimidium 765

I. — De theologis qui sæculis XVI-XVII fuerunt 766

II. — De theologis græcis qui sæculo XVIII et sæculo XIX ineunte fuerunt 774

ARTICULUS III

De doctrina theologorum russorum a sæculo XVII usque ad annum 1763. 777

ARTICULUS IV

De theologia Theophanis Procopovitch ejusque discipulorum (1763-1840) 779
I. — Prænotamina 779
II. — De notione et divisionibus gratiæ 781
III. — De voluntate Dei salvifica et vocatione omnium hominum ad salutem 782
IV. — De operibus infidelium necnon de conversione et fide justificante 783
V. — De regeneratione 786
VI. — De justificatione 787
VII. — De sanctificatione et renovatione. De bonorum operum necessitate 788
VIII. — De prædestinatione et reprobatione 790

ARTICULUS V

De doctrina theologorum recentiorum 792
I. — De notione, divisione, necessitate et efficacia gratiæ .. 794
II. — De quæstionibus ad justificationem pertinentibus 996
III. — De merito 797
IV. — De criminationibus quorumdam theologorum contra doctrinam catholicam 798
V. — De prædestinatione 800

Nominum index alphabeticus 801
Codicum et commentariorum index alphabeticus 811
Index rerum alphabeticus 813

ERRATA

Pag. 9, lign. 15-16, supprimenda verba :		*ut fuse infra videmus.*
Pag. 366, nota 1 :	loco 364	lege 354
386, nota 3 :	386	376
392, nota 3 :	383	373
394 (numerus pag.) :	349	394
400, nota 1 :	417	407
425, nota 4 :	477	417
448, nota 3 :	424	414
459, lin. 14 :	quodam	quadam
488, nota 3 :	481	411
493, nota 1 :	378, 380	388, 390
494, nota 2 :	462, 466	452, 456
497, nota 1 :	413	403
507, nota 6 :	476	466
508, nota 2 :	432	422
542, lin. 3 :	1343	1143
546, nota 3 :	546	601